# SACRORUM CONCILIORUM

## NOVA, ET AMPLISSIMA COLLECTIO,

IN QUA PRÆTER EA QUÆ

PHIL. LABBEUS ET GABR. COSSARTIUS S. J.

*Et noviſſime* NICOLAUS COLETI *in lucem edidere*,

EA OMNIA INSUPER SUIS IN LOCIS OPTIME DISPOSITA EXHIBENTUR, QUÆ

JOANNES DOMINICUS MANSI,

*ANTEHAC CONGREGATIONIS MATRIS DEI, NUNC VERO*

ARCHIEPISCOPUS LUCENSIS, EVULGAVIT.

EDITIO NOVISSIMA

*AB EODEM OPTIME MERITO PRÆSULE*

POTISSIMUM FAVOREM ETIAM ET OPEM PRÆSTANTE

EM.MO CARDINALI DOMINICO PASSIONEO

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ BIBLIOTHECARIO,

ALIISQUE ITEM ERUDITISSIMIS VIRIS MANUS AUXILIATRICES FERENTIBUS, CURATA.

Novorum Conciliorum, novorumque Documentorum Additionibus locupletata,

Ad MSS. Codices Vaticanos, Lucenſes, alioſque recenſita, & perfecta.

ACCEDUNT ETIAM NOTÆ, ET DISSERTATIONES QUAMPLURIMÆ, QUÆ IN CETERIS EDITIONIBUS DESIDERANTUR.

## TOMUS DECIMUS.

*Ab anno* DXC. *uſque ad annum* DCLIII. *incluſive.*




FLORENTIÆ

MDCCLXIV.

EXPENSIS ANTONII ZATTA VENETI.

*(Editio iterata ad Editionem [illegible] Hubert Welter, Bibliopola [illegible] Bernard Pelham [illegible] MDCCCCI)*

TYPOGRAPHUS

# LECTORI.

CReſcit in dies Opus hoc abſolutiſſimum, quod utilitate ſua, tum & non ſpernendis augumentis ſeſe apud Doctos commendat; huic augendo, expoliendo, perficiendoque Viri undique docti concurrunt, eorumque dignam commemorationem fieri, & res ipſa meretur, & noſtri officii eſſe cognoſcimus. Huic igitur Operi auxilium, opeſque ſuas contulerunt, atque conferre non ceſſant illi omnes Viri eruditiſſimi, quorum nomina, ut univerſo orbi innoteſcant, in præfatione toti operi præmiſſa non ſine debita laude gratis expreſſimus, *Manſius*, *Zacharias*, *Puell Canonicus Regularis Neocellenſis*, *P. Forbenius Forſter monachus ordinis S. Benedicti Bibliothecarius S. Emmerami Ratiſbonenſis*, aliique bene multi, quorum nomina ex eadem præfatione, tum & ex alia alteri volumini ejuſdem operis præfixa, repetas. Quoniam vero & alii viri docti prioribus hiſce in proſecutione ejuſdem acceſſerunt, optimum factum duxi, ſi & eorum nomina publice exponam. Igitur ſilendum nequaquam puto, quanquam & eundem virum alias celebravi, iterum hic in theatrum producere *P. Forbenium Forſter*, qui nunc nova & ſublimi dignitate auctus ex privato monacho in Abbatem celebris illius cœnobii *S. Emmerami* tum merito ſuo, tum ſociorum ſuorum ſtudiis aſſumptus eſt, ut ſit & ſimul ejuſdem cœnobii *Præſul* & *S. R. J. Princeps*. Vir iſte doctrina non minus & humanitate, quam ſublimi dignitate illuſtris, qui incipiendo operam ſuam contulit, adhuc etiam de nobis benemereri non ceſſat. Non enim ante multos hoſce dies additamenta nova atque vetuſta ex ditiſſimo penu Bibliothecæ Cœnobii ſui & *Friſingenſis eccleſiæ* deprompta, ad nos tranſmiſit, adjectis de ſuo etiam eruditis adnotationibus, ut in loca ſua collocata opus iſtud non tantum typorum nitore, ſed etiam rerum acceſſione illuſtraretur. Faxit D. O. M. quemadmodum ille de tot egregiis laboribus ſuis præmium apud Deum conſecutus eſt ampliſſimum, ita illo per multos annos fruendo noſtris & publicis votis reſpondeatur. *Cl.* quoque *Joſephus Reſchius Academiæ Brixinenſis* profeſſor inſignis in hoc opus nova ſemper ſubmittendo ſtudium exhibet. Vir etiam *Cl. Angelus Maria Bandini Bibliothecæ Laurentianæ & Marucellianæ Florentiæ* præfectus, cui ſcripta ſua eruditione refertiſſima elogium pro nobis conciliant; qui ſane Vir vetuſtiſſimum *Juſtiniani* monumentum a ſe nunc primum e pluteis *Laurentianis* erutum ad nos tranſmiſit ſuo loco edendum. *Cl.* quoque *Aſſemanus*, qui *Bibliothecæ Vaticanæ pluteos P. Jo. Dominico Manſi* iterum Romam inviſenti liberaliſſime atque humaniſſime patefecit. Demum & *P. Benedictus Bonellus Ordinis Minorum Reformatorum* Cl. Ordinis ſui decus & ornamentum, non ceſſat nobis rebuſque noſtris favere, nova ſufficiens adjumenta, quibus ditior hæc noſtra editio procedat. Quid *P. Zacharias S. J.* multis nominibus notus & carus Eruditis? Nonne & datis ad nos literis poſtremis hiſce tabulariis ſe ac tutum miſſurum ſpondet novum aliud Concilium, cui remota antiquitas pretium adauget. Præclara Virorum iſtorum exempla ſectaturos ſperamus ceteros, quos idem laudabilis amor juvandi Publico urget, certos ex parte noſtra hoc experimento factos, numquam nos commiſſuros, ut eorum nomina cum accepti beneficii ſignificatione publicæ commendationi ſubtrahamus. Quid vero non ſperandum ſupereſt de felici operis noſtri proſecutione, cui viri tanti tam utilem tam egregiam operam & olim naſcenti præſtiterunt, &

nunc etiam adoleſcenti præſtare non ceſſant? Quid etiam de exitus proſpe-
ritate ſpondendum non fuerit, cum *Jo. Dominicus Manſi*, omnia hujuſce noviſſimæ Editionis Volumina ad nos jam miſerit uſque ad penultimum incluſive, & quidem ita omnibus abſoluta percenſionibus, additionibuſque, ut par erat, chronologice diſpoſitis, ut nihil aliud profecto ſupereſſe videatur niſi ut ultimum tanti Operis Volumen eodem modo recenſeat & expleat, novaque, ſi quæ fuerint deinceps antiqua Monumenta a viris doctis ex archivis eruta, & alterutro noſtrum ſuppeditata, in loca ſua per ſeriem chronologicam recenſeantur & collocentur. Ex his omnibus ſatis ſuperque compertum eſt, ipſum exegiſſe provinciam, quam obeundam ſuſcepit perpaucis abhinc annis, & præcipue muneri ſuo feciſſe ſatis, uti promiſerat in Præfatione Conſpectui hujuſce noſtræ editionis anno proxime elapſo recuſo, quemque noviſſimis typis in lucem proferimus. Præterquam quod ſilendum nobis non eſt, quod idem Clariſſimus & Doctiſſimus Manſius hoc quoque nobis benigne confirmavit cum nuper ob præclara, quibus jam pridem & de Religione & de Doctrina refulſerat merita, a SS. Domino Regnante Pontifice Lucenſi Eccleſiæ Archiepiſcopus præfectus eſt: imo de literarum Republica benemereri nondum contentus, cunctis etiam innoteſcere voluit, quod cum ad Apparatum hujus Operis manum admoviſſet, in eodem potiſſimum locum dandum eſſe cenſuit Tractatui de Conciliorum Studio Cl. viri *Franciſci Salmon* Sorbonenſis Bibliothecarii, eumdem porro re ipſa de Gallico in Latinum vertens, notiſque inſuper illuſtrans ſuis. Sic ille cunctis horum ſtudiorum amatoribus optime conſuluiſſe patet; & nos veſtigia ejus ſequentes, quicquid ipſe nobis ſuppeditabit, ad majorem totius Operis illuſtrationem & incrementum perfecturos ſpondemus.

# SYLLABUS
## EORUM, QUÆ IN TOMO X. CONTINENTUR.

Quæ hoc indice ☞ notata ſunt, noſtræ editioni noviter acceſſere.


ANNO CHRISTI

590 Continuatio Epiſtolarum S. Gregorii Magni. pag. 1
Earundem LIBER V. ibid.
— LIBER VI. 45
— LIBRI VII. Pars I. 82
— LIBRI VII. Pars II. 110
— LIBER VIII. 210
— LIBER IX. 251
— LIBER X. 310
— LIBER XI. 340
— LIBER XII. 383
☞ Reſcriptum S. Gregorii ad Auguſtinum in Saxoniam tranſmarinam directum. 415
☞ *Jo. Dom. Manſi præmonitio.* ibid.
Decreta S. Gregorii tempore Mauritii Tiberii. 433
☞ Canones a Gratiano aliiſque dati. 438
☞ *Jo. Dom. Manſi præmonitio.* ibid.
☞ — in eoſdem notæ. 447
*CONCILIUM HISPALENSE* I. 449
Ejuſdem Canones. ibid.
— Fragmenta. 451
CONC. *ROMANUM I.* 453
CONC. *in confinio TRIUM CIVITATUM.* ibid.
CONC. *PICTAVENSE.* 455
*Nota Sirmondi S. J.* 458
— *Severini Binii.* ibid.
CONC. *METENSE.* 459
*Nota Sirmondi.* 462
— *Severini Binii.* ibid.
*Synodus Menesbrenſis.* ibid.
*Pſeudo-Synodus Iſtrienſis* ibid.
Suggeſtio epp. Iſtriæ. 463
*De Synodo Maranenſi adnotatio.* 467
☞ Conventus Nemptodonenſis. 470
591 ☞ CONC. *SALONITANUM.* ibid.
592 CONC. *CÆSARAUGUSTANUM II.* 471
☞ Veteres Tituli. ibid.
*Nota Garſiæ Loaiſa.* 472
De Fiſco Barionenſi. 473
*Conciliabulum Numidiæ.* ibid.
*Jo. Dom. Manſi cenſura.* ibid.
CONC. *CABILONENSE.* 475
594 ☞ *Synodus Africana contra Donatiſtas.* ib.

ANNO CHRISTI

594 CONC. *ROMANUM II.* ibid.
*Nota Severini Binii.* ibid.
*Obſervatio P. Pagi.* 477
597 CONC. *TOLETANUM.* ibid.
Canones. ibid.
*Nota Garſiæ Loaiſa.* 479
☞ *Synodus Perſica Neſtorianorum.* 480
☞ *Synodus Sabariſu Catholici.* ibid.
598 — CONC. *OSCENSE.* ibid.
☞ Veteres Tituli. ibid.
Canones. 481
*Nota Card. de Aguirre.* 482
*Synodus Conſtantinopolitana.* ibid.
— CONC. *BARCINONENSE.* ib.
599 Canones ibid.
*Nota Binii ex Garſia.* 484
600 — CONC. *INCERTI LOCI IN GALLIA.* ibid.
— CONC. *SENONENSE.* 486
601 ☞ CONC. *ROMANUM III.* ibid.
*Nota Severini Binii.* 490
*Obſervatio P. Pagi.* ibid.
CONC. *ROMANUM IV.* ibid.
*Obſervatio P. Pagi.* ibid.
*Synodus VVigornenſis.* 491
602 — CONC. *BYZACENUM.* 493
603 — CONC. *CABILONENSE.* ibid.
— *NUMIDIÆ.* ibid.
SABINIANI PAPÆ VITA. 495
*Nota Severini Binii.* ibid.
*Synodum Londinenſis.* ibid.
605 ☞ CONC. *CANTUARIENSE.* 497
Ad idem Additio. ibid.
☞ *Synodum Perſica Neſtorianorum.* 499
☞ *Synodus Gregori Catholici.* ibid.
☞ Æthelberti Anglorum Regis leges. ibid.
606 VITA BONIFACII PAPÆ III. 501
*Nota Severini Binii.* ibid.
CONC. *ROMANUM.* 502
VITA BONIFACII PAPÆ IV. ibid.
*Nota Severini Binii.* 503
610 — CONC. *ROMANUM.* ibid.
*Nota Severini Binii.* 504
Decretum Synodi. ibid.
*Bonifacii IV. Epiſtola.* 505
*Obſervatio P. Labbe.* 506
*Synodus Toletana.* 507

ANNO CHRISTI

610 *Nota Binii & Garcia.* 508
Decretum Gundemari Regis. 510
*Ad Concilium Toletanum Adnotatio Critica.* 512
*Nota Garſia Loaiſa.* ibid.
De primatu Eccleſiæ Toletanæ. 513
614 *CONC. EGARENSE.* 531
*Nota Garſia Loaiſa.* 532
Stephani Baluzii Diſſertatio de Epiſcopatu Egarenſi ibid.
VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA DEUSDEDIT PAPÆ. 535
*Nota Severini Binii.* ibid.
EPISTOLA EJUSDEM PONTIFICIS AD GORDIANUM EPISCOPUM HISPALENSEM. 536
*Appendix ad Decreta ejuſdem.* 537
*Adnotatio Critica ad ſupradictam Epiſtolam.* ibid.
615 *CONC. PARISIENSE V.* 539
*Præfatio & canones.* ibid.
*Nota Sirmondi.* 543
Edictum Clotarii II. Regis. ibid.
*Nota Sirmondi S. J.* 546
*Ad Concilium Pariſienſe Adnotatio Hiſtorico Chronologica.* ibid.
Canones ex Synodo incerti loci. ibid.
617 VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA BONIFACII PAPÆ V. 547
*Nota Severini Binii.* ibid.
Epiſtola I. ejuſdem ad Juſtum Roffenſem Ep. ibid.
—— II. ad Eduvinum Regem Anglorum. 548
—— III. Ad Edelburgam Reginam. 552
*Ad Epiſtolas Bonifacii appendix.* 553
Epiſtola ad Juſtum Archiepiſcopum Cantuarienſem. ibid.
*CONC. CANTIANUM.* 555
619 *CONC. HISPALENSE II.* 556
Præfatio & Canones. 557
Additio ad idem Concilium. 569
*Nota Garſia Loaiſa.* ibid.
Annotatio Pagi. 572
*CONC. CARNENSE.* ibid
VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA HONORII PAPÆ I. 573
*Nota Severini Binii.* 574
Epiſtola I. Honorii Papæ ad Iſacium Ravennatem exarchum. 577
*Nota Severini Binii.* ibid.
—— II. Ad epiſcopos Venetiæ & Iſtriæ. ibid.
*Nota Severini Binii.* 578
Epiſtola Sergii Conſtantinopolitani Epiſcopi ad Honorium Papam. ibid.

ANNO CHRISTI

619 *Nota Severini Binii.* ibid.
—— III. Honorii ad Sergium. 579
—— IV. Ejuſdem ad eundem. ibid.
—— V. ad Eduinum Regem Angliæ. ibid.
—— VI. Ad Honorium Epiſcopum Dorovernenſem. 580
—— VII. & VIII. ad Epiſcopos per Epirum conſtitutos. 581
Appendix ad Epiſtolas Honorii Papæ. 583
—— Ad Honorium Cantuarienſem Archiepiſcopum. ibid.
Ex Decretis Honorii Papæ. 584
Epiſtolæ duæ Honorii Papæ ex Collectione Deuſdedit. ibid.
—— Ejuſdem quinque ex Ivone. 585
*Pſeudo-Synodus Conſtantinopolitana Monothelitarum.* 586
627 *CONC. MATISCONESE.* 587
*Nota Jacobi Sirmondi.* 590
*Nota Severini Binii.* ibid.
*Ad Matiſconenſe Concilium Adnotatio Critica.* ibid.
628 *CONC. CLIPPIACENSE.* 591
*Ad Clippiacenſe Concilium Adnotatio Critica.* ibid.
630 *CONC. RHEMENSE.* 592
Canones. 594
*Nota Severini Binii.* ibid.
Canones additi ex Burchardo, Ivone, & Gratiano. 600
*Jo. Dominici Manſi in hos Canones nota.* 604
633 *Synodus Alexandrina a Cyro Monothelita coacta.* ibid.
*Nota Severini Binii.* ibid.
*Ad Synodus Alexandrinam Adnotatio Chronologica.* 605
*Obſervatio P. Labbe.* ibid.
Conſtantinopolitana Sergii. 606
Conſtantinopolitana alia ejuſdem G. L. ibid.
Alexandrina Cyri G. L. ibid.
Hieroſolymitana Sophronii Orthodoxorum G. L. 607
Conſtantinopolitana Pyrrhi Hæret G. L. ibid.
Byzacena Stephani Orthodoxorum G. L. ibid.
Numidica Stephani Orthodoxorum G. L. ibid.
Mauritanica Reparati Orthodoxorum G. L. ibid.
Carthaginenſis Victoris Orthodoxorum G. L. ibid.
Romana Joannis Orthodoxorum G. L. ibid.

ANNO CHRISTI

633 Romana Theodori Orthodoxorum G. L. 609
Romana Martini Orthodoxorum G. L. 610
*Synodus Leninenſis.* 611
CONC. *CLIPPIACENSE.* ibid.
CONC. *TOLETANUM IV* 612
*Præfatio ejuſdem.* 514
Capitula. 615
*Nota Garſiæ Loaiſæ.* 643
☞ *Ad Concilium Toletanum IV. Adnotatio critica.* 649
634 CONC. *HIEROSOLIMITANUM* 650
635 Conventus in certi loci in Scotia. 651
636 Dagoberti Regis epiſtola ad Sulpitium Bituricenſem Archiepiſcopum. 652
CONC. *TOLETANUM V.* 653
Præfatio & Capitula. *ibid.*
*Nota Garſiæ Loaiſæ.* 658
*Synodus Clippiacenſis.* ibid.
638 CONC. *PARISIENSE* 659
☞ *Ad Concilium Pariſienſe adnotatio critica.* ibid.
CONC. *TOLETANUM VI.* 659
Præfatio & Canones. 661
*Nota Garſiæ Loaiſæ.* 672
639 CONC. *CONSTANTINOPOLITANUM.* 673
VITA SEVERINI PAPÆ. 675
*Nota Severini Binii.* 676
—— *Sirmondi.* ibid.
Commemoratio geſtorum Romanorum Legatorum Conſtantinopoli. 677
Ecthesis Heraclii Imperatoris. 678
CONC. *CONSTANTINOPOLITANUM.* ibid.
*Acta Synodalia.* ibid.
*Nota Severini Binii.* ibid
640 CONC. *ROMANUM.* 679
VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA JOANNIS PAPÆ IV. ibid.
*Nota Severini Binii.* ibid.
Epiſtola I. ad Epiſcopos & Presbyteros Scotiæ. 681
Sirmondi in II. & III. Epiſtolas admonitio. 682
—— II. ad Conſtantinum Imperatorem. *ibid.*
☞ —— Bulcredo Regi Francorum. 687
Defloratio ex Epiſtola S. Maximi ad Marinum. *ibid.*
Defloratio ex Epiſtola S. Maximi ad Petrum. 690
Obſervatio Philippi Labbe S. J. 692
Excerptum ex epiſtola S. Maximi. 696
Epiſtola III. ad Iſaac Syracuſanum Epiſcopum. 697

ANNO CHRISTI

640 CONC. *ROMANUM.* 698
*Obſervatio P. Pagi.* ibid.
VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA THEODORI PAPÆ I. 699
*Nota Severini Binii.* 701
Epiſtola I. Synodica ad Paulum Patriarcham Conſtantinopolitanum. 702
Exemplar propoſitionis tranſmiſſæ Conſtantinopolim. 705
Epiſtola II. ad epiſcopos qui conſecraverunt Paulum Patriarcham Conſtantinopolitanum. 706
*Obſervatio Philippi Labbe.* 708
Diſputatio ſancti Maximi cum Pyrrho G. L. 710
*Nota Severini Binii.* 759
645 CONC. *AURELIANENSE.* ibid.
*Nota Severini Binii.* 761
*Obſervatio Philippi Labbe.* 762
☞ *Ad Concilium Aurelianenſe Adnotatio.* ibid.
☞ *Synodus Niſibenſis Neſtorianorum.* ibid.
646 CONC. *NUMIDIÆ.* ibid.
CONC. *MAURITANIÆ.* 763
CONC. *BIZACENUM.* ibid.
CONC. *CARTHAGINENSE.* ibid.
CONC. *TOLETANUM VII.* ibid.
Præfatio ejuſdem. *ibid.*
Capitula. *ibid.*
*Nota Garſiæ Loaiſæ.* 771
CONC. *TOLETANUM.* 775
*Jo. Dom. Manſi Præmonitio.* ibid.
648 Typus Pauli Conſtantinopolitani. 777
*Nota Severini Binii.* ibid.
☞ *Synodus Neſtoriana in Cœnobio S. Simeonis.* 779
☞ Jeſujabi Metropolitæ Adjabenorum Neſtoriani Epiſtola. *ibid.*
CONC. *ROMANUM.* 783
*Obſervatio P. Pagi.* ibid.
Sigeberti Francorum Regis Epiſtola. *ibid.*
☞ *Pſeudo-Synodus Theſſalonicenſis.* 785
649 VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA MARTINI PAPÆ I. *ibid.*
*Nota Severini Binii.* 787
Epiſtola I. ad omnes Fideles. 790
—— 2. Ad Amandum Trajectenſem. *ibid.*
—— 3. ad Conſtantem Imp. G. L. *ibid.*
—— 4. ad Eccleſiam Carthaginenſem. G. L. 797
—— 5. ad Joannem Epiſcopum Philadelphiæ G. L. 805
—— 6. ad Theodorum Epiſcopum Esbuntiorum G. L. 815
—— 7. ad Antonium Epiſcopum

ANNO CHRISTI 649

pum Bachatorum G. L. 817
—— 8. ad Georgium Archimandritam Monaſterii S. Georgii G. L. 819
—— 9. ad Pantaleonem G. L. *ibid.*
—— 10. ad Petrum illuſtrem virum G. L. 825
—— 11. ad Eccleſiam Hieroſolymitanam G. L. 827
—— 12. ad Paulum Theſſalonicenſem Epiſcopum G. L. 833
—— 13. ad Eccleſiam Theſſalonicenſem G. L. 843
—— 14. ad Theodorum. 849
—— 15. ad eundem. 851
Commemoratio eorum quæ acta ſunt contra S. Martinum Papam Rom. 853
Epiſtola 16. ad quendam ſibi cariſſimum. 861
—— 17. Ejuſdem argumenti. 862
*Gallicana Synodus.* 863
CONC. *LATERANENSE ROMANUM.* ibid.
*Omnia quæ ſequuntur Græce-Latine edita ſunt.*
*Secretarius I.* ibid.
Nomina Epiſcoporum qui interfuerunt. 865
Mauri Ravennatis epiſcopi ad Martinum Papam Epiſtola. 883
*Secretarius II.* 890
Libellus Stephani Dorenſis epiſcopi. 891
Libellus Monachorum. 903
Epiſtola Sergii Cyprienſis Archiepiſcopi. 914
Epiſtola Conciliorum trium; nimirum, Numidiæ, Byzacenæ, & Mauritaniæ ad Theodorum Papam. 919
Epiſtola Stephani Byzaceni primatis ad Conſtantium Imperatorem 926
Epiſtola Guloſi & Epiſcoporum Concilii Provinciæ proconſularis ad Paulum epiſcopum Conſtantinopolitanum. 930
Epiſtola Victoris Carthaginenſis Epiſcopi ad Theodorum Papam. 943
*Secretarius III.* 954
Cyri Alexandrini Capitulum Septimum. 970
Sergii ad Cyrum Epiſtola. 971
Ecthesis Heraclii. 991
Excerpta geſtorum pro Ecthesi a Sergio. 999

ANNO CHRISTI 649

Excerpta geſtorum a Pyrrho pro eadem. 1002
Cyri Alex. ad Sergium Epiſt. 1003
*Secretarius IV.* 1007
Pauli Epiſcopi Conſtantinopolitani Epiſtola ad Theodorum Papam. 1019
Typus Conſtantis Imperatoris. 1030
Symbolum Nicænum. 1039
Symbolum Conſtantinopolitanum. *ibid.*
Symbolum Epheſinum, ſive Cyrilli anathematiſmi duodecim. *ibid.*
Definitio Concilii Chalcedonenſis. 1043
Definitio quintæ Synodi, ſeu canones XIV. 1046
*Secretarius V.* 1066
Deflorata SS. Patrum teſtimonia contra Monothelitas. 1071
Teſtimonia Hæreticorum, qui præceſſerunt hoc Concilium. 1114
Canones XX. hujus concilii ſub anathemate recipiendi. 1151
Epiſtola Encyclica ad omnes Fideles. 1170
—— Martini Papæ ad Amandum Ep. Trajectenſem. 1183
*Notæ Jacobi Sirmondi, & Binii.* 1186
CONC. *CABILONENSE.* 1189
Præfatio & Canones. *ibid. & ſeq.*
Subſcriptiones. 1193
*Synodica Concilii Cabilonenſis ad Theodoſium Epiſcopum Arelatenſem.* 1194
*Notæ Jacobi Sirmondi, & Binii.* 1195
Canones qui non leguntur in editis Conciliorum Cabilonenſium. 1196
*Jo: Dominici Manſi in eos canones notæ.* 1198
*Ad Cabilonenſe Concilium adnotatio Chronologica.* ibid.
CONC. *ROTHOMAGENSE.* 1199
Ejuſdem capita XVI. *ibid.*
*Obſervationes.* 1203
CONC. *TOLETANUM.* 1206
653 Canones XIII. 1210
Decretum editum in nomine Principis. 1223
Lex edita in eodem Concilio a Reccelvvintho Rege. 1226
*Notæ Garciæ Loaiſæ.* 1227
Placitum Judæorum in nomine Principum factum. 1229
Epiſtola Beati Iſidori Junioris Ep. Hiſpalenſis. 1231
*Synod. Seleucienſis Neſtorianorum.* 1243

*Typographorum errore ommiſſi fuerunt Indices additionum Jo. Dominici Manſi col. 488. 489. 591.*

EPI-



# EPISTOLARUM
# S. GREGORII MAGNI
# PAPÆ I.
# CONTINUATIO.

## LIBER V.

*Indict. XIV. anno ordinationis ejus VI.*

### I. AD MARINIANUM EPISCOPUM RAVENNÆ

De teſtamento a Joanne epiſcopo condito.

*Gregorius Mariniano epiſcopo Ravennæ.*

Contulit cum cod. Pariſ. P. Dominicus Manſi.

Sicut injuſta poſcentibus nullus eſt tribuendus effectus, ita legitima deſiderantium non eſt differenda petitio. Presbyteri igitur ac diaconi atque clerus fraternitatis veſtræ oblata nobis petitione conqueſti ſunt, Joannem quondam deceſſorem tuum, condito teſtamento, diverſa in eccleſiæ ſuæ gravamina conſcripſiſſe. Et petiverunt ut hæc in damnum eccleſiæ ſuæ, prohibente quippe lege, nulla deberent occaſione perſolvi. Et quamvis poſtquam hereditas illius ſucceſſioque repudiata eſt, ad hæc te ſatisfacienda ratio nulla conſtringat, verumtamen ex abundanti his te hortamur affatibus, ut ea quæ de * eccleſia ſua, vel de acquiſitis in epiſcopatu rebus contra legum fieri ſtatuta diſpoſuit, fraternitas veſtra nec auctoritatem præbeat, nec aliqua in his ratione conſentiat. Si quid autem

* eccleſiæ ſuæ Pariſ.

A de propriis rebus, quas ante epiſcopatum habuit, quod quidem prius eccleſiæ ſuæ non contulit, fieri voluit, vel decrevit, firmum per omnia robur obtinere neceſſe eſt; nec quiſquam eccleſiaſticorum id contra rationem tentet qualibet excuſatione convellere. Quia vero dum viveret ſæpius a nobis expetiit, ut ea quæ in monaſterio illo contulerat, quod juxta eccleſiam ſancti Apollinaris ipſe conſtruxerat, noſtra debuiſſemus auctoritate firmare, & nos facturos hoc eſſe promiſimus, fraternitatem veſtram neceſſario duximus adhortandam, ut nihil de his quæ illic contulit atque conſtituit aliquo modo patiatur imminui, ſed omnia firma ſtudeat ſtabilitate ſervari. Hujus igitur B monaſterii & * collectarum illic rerum quia in teſtamento quod condidit feciſſe noſcitur mentionem, ſciendum vobis eſt non ea nos ideo confirmaſſe, quoniam ſupremam ejus ſequimur voluntatem, ſed quia ei hoc, ſicut diximus, viventi promiſimus. Hæc itaque omnia ſic ſolicite fraternitas veſtra implere feſtinet, quatenus & quæ in ſupraſcripto monaſterio conſtituit, & a nobis ſunt firmata, ſerventur, & illa, quæ in damnum dari vel fieri per teſtamentum ſuæ decrevit eccleſiæ, nullam, prohibente nempe lege, obtineant firmitatem.

A

## II. AD RAVENNATES.

* al. Mariniano

De * Mariniano epiſcopo, quod recta fidei ſit.

*Gregorius clero & plebi eccleſiæ Ravennæ.*

PErvenit ad nos quoſdam homines maligni
ſpiritus inſtigatione pervatos, erga opi-
nionem fratris & coepiſcopi noſtri Mariniani
mentes veſtras corrumpere falſa locutione vo-
luiſſe; dicentes quod idem frater noſter mi-
nus quam decet ſanctam Chalcedonenſem ſy-
nodum veneretur. De qua re omnibus vobis
& ipſe præſens de integritate ſuæ fidei ſatis- B
facit, & nos per omnia teſtamur eum a cu-
nabulis in ſanctæ univerſalis eccleſiæ gremio
nutritum, rectam prædicationem fidei cum vi-
tæ ſuæ atteſtatione tenuiſſe. Veneratur enim
ſanctam Nicænam ſynodum, in qua Arius;
Conſtantinopolitanam, in qua Macedonius;
Epheſinam primam, in qua Neſtorius, & ſan-
ctam Chalcedonenſem ſynodum, in qua Dio-
ſcorus atque Eutyches damnatus eſt. Si quis
autem contra harum quatuor ſynodorum fi-
dem, & contra ſanctæ memoriæ Leonis pa-
pæ tomum atque definitionem aliquid unquam
loqui præſumat, anathema ſit. Proinde ſatiſ-
factionem pleniſſimam recipientes, caritate in-
tegra, puro corde, paſtorem veſtrum diligite, C
ut apud Deum purius fuſa ejuſdem vobis va-
leat prodeſſe interceſſio paſtoris.

## III. AD MAXIMUM PRÆSUMPTOREM. SALONITANUM.

Maximus per ſimoniacam hæreſim ordinatus, Romam citatur.

* al. Maximiano

*Gregorius * Maximo præſumptori eccleſiæ Salonitanæ.*

Ivo part. 3 cap. 89

QUotiens contra eccleſiaſticam quid geſtum
dicitur diſciplinam, ne nos ante Deum D
culpa ex diſſimulatione redarguat, irre-
quiſitum hoc relinquere non audemus. Per-
venit itaque ad nos, quod per ſimoniacam
hæreſim fueris ordinatus. Sed & alia de te
multa hic dicta ſunt, de quibus unum quam-
maxime fuit, propter quod neceſſe habuimus
te ſummopere per ſcripta noſtra prohibere,
ne miſſarum ſolennia celebrare debuiſſes, do-
nec quid eſſet verius potuiſſemus addiſcere.
Ne ergo, fili, eccleſiæ diu videantur non ha-
bere paſtorem, & ne per hæc quæ dicuntur,
ſi indiſcuſſa remanſerint, hujuſmodi ſe vitium
tendat in plurimos; hortamur ut ad nos veni-
re omni poſtpoſita excuſatione feſtines, qua-
tenus ſervata juſtitia, hæc & cognoſcere, & E
finire ſecundum canonica inſtituta Chriſto re-
velante poſſimus. Ita autem fac, ut ad ve-
niendum amplius jam moras non ingeras, ne
tua te magis abſentia obnoxium his quæ di-
cuntur aſſignet, & nos in te hæc res non ſo-
lum propter dicta crimina, quæ purgare ſub-
terfugis, ſed etiam propter inobedientiæ cul-
pam durius, ſcilicet ut in contumacem, co-
gat ex concilio ferre judicium.

## IV. AD CYPRIANUM DIACONUM.

Præcipit modios tritici pauperibus erogare duo millia.

*Gregorius Cypriano diacono.*

Joan. diac. lib. 2. c. 15.

ZEnon frater & coepiſcopus noſter quoſdam
in civitate ſua alimoniarum neceſſitatem
innotuit ſuſtinere. Quibus quoniam, ut poſ-
ſibile eſt, aliquod deſideramus ferre conſul-
tum; idcirco dilectionem tuam antedicto fra-
tri & coepiſcopo noſtro mille modios tritici,
aut ſi plus levare potuerit, uſque ad duo mil-
B lia, ſcriptis te dare præſentibus deputamus.
Hortamur igitur ut in his præbendis nullam
moram aut excuſationem adducas, quatenus
dum tempus ſinit, & hic cum Dei adjutorio
ſine periculo ad propria remeare, & citius va-
leat neceſſitatem patientibus ſubvenire.

## V. AD BRUNICHILDEM REGINAM FRANCORUM.

Laudat illam a recta filii educatione. Candidum presbyterum, patrimonii, quod erat in Gallia, rectorem deſignatum commendat.

*Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.*

EXcellentiæ veſtræ prædicandam ac Deo pla-
citam bonitatem, & gubernacula regni te-
ſtantur, & educatio filii manifeſtat. Cui non
ſolum incolumem rerum temporalium gloriam
provida ſolicitudine conſervaſtis, verum etiam
æternæ vitæ præmia providiſtis, dum mentem
ipſius in radice veræ fidei materna, ut decuit,
& laudabili inſtitutione plantaſtis. Unde non
immerito contigit, ut cuncta gentium regna
præcelleret; quippe qui earumdem gentium
creatorem & pure colit, & veraciter confite-
tur. Sed ut laudabilius in eo fides cum ope-
D ribus eniteſcat, adhortationis veſtræ eum ver-
ba ſuccendant, quatenus ſicut ſublimem il-
lum inter homines potentia regalis oſtendit,
ita ante Deum magnum faciat pietas actio-
nis. Quia vero multarum rerum experimen-
ta nos admonent de excellentiæ veſtræ Chri-
ſtianitate confidere; idcirco paterno ſalutan-
tes affectu, quæſumus ut propter amorem B.
Petri apoſtolorum principis, quem toto vos
ſcimus corde diligere, dilectiſſimum filium no-
ſtrum Candidum presbyterum præſentium por-
titorem, una cum patrimoniolo, ad cujus cum
gubernationem tranſmiſimus, auxilii veſtri pa-
trocinio foveatis, quatenus poteſtatis veſtræ
gratia roboratus, patrimoniolum ipſum, quod
E pauperum conſtat expenſis proficere, & ſalu-
briter regere, & ſi qua exinde ablata ſunt,
(ad jus ipſius patrimonioli valeat reformare.
Nam non ſine laudis veſtræ incremento eſt,
quod poſt tot tempora ad ejuſdem patrimo-
nii) regimen proprius eccleſiæ homo tranſ-
miſſus eſt. Excellentia ergo veſtra ita ſe li-
benter in his quæ poſcimus dignetur impen-
dere, ut beatus Petrus apoſtolorum princeps,
cui a domino Jeſu Chriſto ligandi ac ſolven-
di data eſt poteſtas, & hic excellentiam ve-
ſtram in ſobole gaudere concedat, & poſt
mul-

Anſulis incluſa quæ deerant in Lobbeo ex Pariſ. ſuppleta ſunt.

[illegible] bus abſolutam ante conſpectum æterni faciat judicis intueri.

## VI. AD CHILDEBERTUM REGEM FRANCORUM.

Laudat in illo ſtudium fidei catholicæ, Candidumque commendat, patrimonii rectorem, Dynamii patricii loco, deſignatum.

*Gregorius Childeberto regi Francorum.*

QUanto ceteros homines regia dignitas antecedit, tanto ceterarum gentium regna regni veſtri profecto culmen excellit. Eſſe au- B tem regem, quia ſunt & alii, non mirum eſt; ſed eſſe catholicum, quod alii non merentur, hoc ſatis eſt. Sicut enim magnæ lampadis ſplendor in tetræ noctis obſcuritate luminis ſui claritate fulgeſcit, ita fidei veſtræ claritas inter aliarum gentium obſcuram perfidiam rutilat ac coruſcat. Quidquid autem reges ſe ceteri gloriantur habere, habetis. Sed ipſi in hac re vehementius ſuperantur, quoniam hoc principale bonum non habent quod habetis. Ut ergo ſicut fide, ita actione vincantur, benignam ſe excellentia veſtra ſuis ſubjectis ſemper exhibeat, & ſi qua ſunt quæ ejus animum offendere valeant, ea indiſcuſſa non * ſinat. Tunc enim vere regi regum, id eſt omnipo- C tenti domino amplius placebit, ſi poteſtatem ſuam reſtringens, minus ſibi crediderit licere quam poteſt. Quia igitur ſinceritatem fidei & mente ſervatis & opere, beati Petri apoſtolorum principis amor, qui in vobis eſt, evidenter oſtendit; cujus res, Chriſtianæ religionis intuitu, ſub veſtri culminis poteſtate bene hactenus gubernatæ & conſervatæ ſunt. Sed quoniam Dynamius patricius, qui ex noſtra commendatione rebus ipſis ſolicitudinem impendebat, eas modo gubernare, ut cognovimus, non poteſt; ne patrimoniolum ibidem conſtitutum faciente negligentia deperiret, idcirco præſentium portitorem dilectiſſimum filium noſtrum Candidum presbyterum ad id gubernandum D tranſmiſimus. Quem excellentiæ veſtræ præmiſſo paterna caritate ſalutationis alloquio, in omnibus commendamus; petentes, ut ſi aliquod illic fortaſſe præjudicium factum eſt, aut res ejuſdem patrimonioli ab aliquo detinentur, poteſtatis veſtræ juſtitia corrigatur, & juri priſtino quæ ablata ſunt reformentur; quatenus ſicut fides veſtra ita & æquitas omnibus, quod eſt valde glorioſum atque laudabile, gentibus eniteſcat. Claves præterea ſancti Petri, in quibus de vinculis catenarum ejus incluſum eſt, excellentiæ veſtræ direximus, quæ collo veſtro ſuſpenſæ a malis vos E omnibus tueantur.

* puniat. Pariſ.

## VII. AD EPISCOPOS EPIRI.

De ordinatione Andreæ epiſcopi. De uſu pallii: & quid ſit in templo Dei columbas vendere.

*Gregorius Theodoro & Demetrio, Philippo, Zenoni, & Alcyſono epiſcopis Epiri.*

Grat. diſt. 100. cap. 11. Anſel. lib. 6. cap. 100.

SCriptorum veſtrorum inſinuatio, fratres cariſſimi, patefecit Andream fratrem noſtrum propitio ſolemniter ordinatum. Cujus conſecrationem quoniam cleri & provincialium provenisse ſignificatis aſſenſu, gaudemus; atque bona, quæ de ipſo teſtamini, ut in eo maneant, & Dei gratia cooperante augmentum accipiant, exoramus; quia bonitas præpoſitorum, ſalus eſt utique ſubditorum. Oportet ergo ut ea quæ in perſona ipſius placere vobis laudantes oſtenditis, imitari ſtudioſius feſtinetis. Nam & apud homines culpa & apud Deum pœna eſt, nolle quemquam bonum imitari quod placet. Teſtimonio itaque veſtro obedientia fidem accommodet, nullus ei, in his quæ integritate ſervata eccleſiæ pro communi utilitate injunxerit, contradicat. Devotionem ſuam quiſque veſtrum libenter exhibeat, ut dum Deo placita inter vos ſacerdotalis fuerit & * non ficta concordia, nulla vos a caritatis mutuæ vinculo invidia ſolvere valeat, aut turbare diverſitas. Nec enim callido hoſti in cordibus veſtris ullus erit acceſſus; quoniam ſcit ſe nullatenus nec capi poſſe nec recipi, ubi plene ſincereque locum caritas invenerit. Eſtote præterea ſoliciti, fratres cariſſimi, & commiſſo gregi vigilantiam quam ſuſcepiſtis, ut debetis, impendite, inimici fraudibus ſolicitudine & oratione reſiſtite, & obedite incontaminata fide, Deo noſtro cui præeſtis populum reſignate, ut officium vobis ſacerdotale ante conſpectum æterni judicis non ad pœnam ſed proficiat ad coronam. Supraſcripto igitur Andreæ fratri & coepiſcopo noſtro pallium nos direxiſſe cognoſcite, atque privilegia cuncta conceſſiſſe, quæ prædeceſſores noſtri ejus prædeceſſoribus contulere. Præterea pervenit ad nos, quod ſacri ordines in illis partibus cum datione commodi conferantur: quod ſi ita eſt, flens dico, gemenſque denuntio: quia cum ſacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu ſtare non poterit. Scimus quippe ex evangelio quid redemptor noſter per ſemetipſum fecerit; quia ingreſſus templum cathedras vendentium columbas evertit. Columbas enim vendere, eſt de Spiritu ſancto, quem Deus omnipotens conſubſtantialem ſibi per impoſitionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, ut prædixi, malo jam innuitur quid ſequatur; quia qui in templo Dei columbas vendere præſumpſerunt, eorum, Deo judice, cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in ſubditis cum augmento propagatur. Nam eo ipſo quod quiſque ad ſacrum ordinem perducitur, jam in ipſa provectus ſui radice vitiatus, paratus eſt aliis vendere quod emit. Et ubi eſt quod ſcriptum eſt: *Gratis accepiſtis, gratis date*? Et cum prima contra ſanctam eccleſiam ſimoniaca hæreſis orta ſit, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum quem quis cum pretio ordinat, provehendo agit ut hæreticus fiat? Pro qua re admoneo atque conteſtor, ut omnino debeatis eſſe ſoliciti, ut nihil ſibi commodi datio, nil gratia, nil quarumlibet ſupplicatio perſonarum in ſacris ordinibus vendicet, ſed ille ad hoc officium perducatur, quem morum gravitas commendat & actio. Nam ſi, quod non credimus, fieri tale aliquid ſenſerimus, canonica illud, ut dignum eſt, ſeveritate corrigemus. Deus autem omnipotens, qui ſapientiæ ſuæ poteſta-

* a Att. Vat. Pariſ.

Greg. 4. cap. Quoniam. Marc. 11.

Matth. 10.

te cuncta mirabiliter ordinat, & miſericorditer ordinata cuſtodit, ipſe vobis & velle tribuat, & operari quod præcipit.

## VIII. AD DONUM EPISCOPUM MESSANENSEM.

De uſu pallii.

*Gregorius Dono epiſcopo Meſſanenſi.*

APoſtolicæ ſedis benevolentia atque antiquæ conſuetudinis ordine provocati, fraternitati tuæ, quam in Meſſanenſis eccleſiæ gubernatione ſuſcepiſſe conſtat officium, pallii uſum providimus concedendum, illis videlicet temporibus atque ordine, quibus deceſſorem quoque tuum uſum eſſe non ambigimus: hoc nihilo minus admonentes, ut ſicut a nobis hujuſcemodi decoris uſum ad ſacerdotalis officii honorem accepiſſe te gaudes, ita etiam morum atque actuum probitate ad gloriam Chriſti noſtra ſuſceptum auctoritate adornare contendas officium. Sic etenim alterno eris invicem decore conſpicuus, ſi ad hujuſcemodi corporis habitum mentis quoque tuæ bona omnia concordent. Omnia enim privilegia, quæ tuæ pridem conceſſa eſſe conſtat eccleſiæ, noſtra auctoritate firmamus, & illibata decernimus permanere.

## IX. AD BONIFACIUM EPISCOPUM REGIENSEM.

Ei Carinenſem conjungit eccleſiam.

*Gregorius Boniſacio epiſcopo * Regienſi.*

* Regitano. Tar.

Joan. diac. lib. 3. c. 46.

* deſertio, nec ſinit. &c. Pa.

POſtquam eccleſiæ Carinenſis, defuncto ejus antiſtite, alium ordinare, nec loci * deſerti habitatio, nec ſinit imminutio perſonarum, majori cura conſtringimur, ne defunctis earum ſacerdotibus, ſi conſiſtentes ibidem paſtoris fuerint moderamine deſtituti, per invia fidei hoſtis callidi rapiantur inſidiis. Hoc ergo noſtro ſedit cordi conſilium tuæ eam ſolicitudini debere committi, quod facere per præſentia ſcripta perſpeximus. Cujus ut curam gubernationemque ſtudioſius habere gerereque feſtines, tuæ eam eccleſiæ aggregari unirique cenſemus, quatenus utrarumque eccleſiarum ſacerdos recte Chriſto adjutore poſſis exiſtere, & quæque tibi de ejus patrimonio, vel cleri ordinatione vigilanti ac canonica viſa fuerint cura diſponere, quippe ut ſacerdos proprius, liberam habebis ex præſenti noſtra permiſſione licentiam. Quapropter, frater cariſſime, dominicorum reminiſcens ſalubriter mandatorum, ita in commiſſæ plebis regimine lucrandiſque animabus invigila, ut ante tribunal æterni judicis conſtitutus, fructum bonæ operationis, qui ad mercedem tuam pertineat, redemptori noſtro in quo lætari poſſis, exhibeas.

## X. AD CANDIDUM PRESBYTERUM.

Jubet ut ex reditibus patrimonii pueros Anglos emat, & veſtimenta pauperum.

*Gregorius Candido presbytero eunti ad patrimonium Galliæ.*

PErgens auxiliante domino noſtro Jeſu Chriſto ad patrimonium, quod eſt in Galliis, gubernandum, volumus ut dilectio tua ex ſolidis quos acceperit veſtimenta pauperum, vel pueros Anglos, qui ſunt ab annis decem & ſeptem, vel decem & octo, ut in monaſteriis dati Deo proficiant, comparet; quatenus ſolidi Galliarum, qui in terra noſtra expendi non poſſunt, apud locum proprium utiliter expendantur. Si quid vero de pecuniis redituum, quæ dicuntur ablatæ, recipere potueris, ex his quoque veſtimenta pauperum comparare te volumus; vel, ſicut præfati ſumus, pueros qui in omnipotentis Dei ſervitio proficiant, ſed quia pagani ſunt qui illic inveniri poſſunt, volo ut cum eis presbyter tranſmittatur, ne quid ægritudinis contingat in via, ut quos morituros conſpexerit debeat baptizare. Ita igitur tua dilectio faciat, ut hæc diligenter implere feſtinet.

## XI. AD FORTUNATUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

De Gratiano diacono, & cura paſtorali.

*Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano.*

Grat. diſt. 71. cap. Fraternitatem. Joan diac. lib. 3. c. 10.

FRaternitatem tuam a nobis petiſſe recolimus, ut Gratianum eccleſiæ Venafranæ diaconum tuæ concederemus eccleſiæ cardinandum. Et quoniam nec epiſcopum cui obſecundare, nec propriam habet eccleſiam, hoſte ſcilicet prohibente, quo ſuum debeat miniſterium exhibere, petitionem tuam non prævidimus differendam: idcirco ſcriptis tibi præſentibus eum neceſſario duximus concedendum, habituro licentiam diaconum illum noſtra interveniente auctoritate eccleſiæ tuæ Deo propitio conſtituere cardinalem. Quia vero pervenit ad nos, clericos, aliaſque civitatis ac parochiæ tuæ religioſas perſonas, ab aliis conveniri, fieri hoc de cetero prohibemus, & neque clericum tuum, & neque monachum, vel quamlibet civitatis aliam religioſam perſonam parochiæ tuæ, conveniri a quoquam, vel ad alterius volumus judicium exhiberi. Sed ſi quis contra hujuſmodi perſonas cujuſlibet negotii movere voluerit quæſtionem, fraternitatem tuam noverit adeundam. Aut ſi forte, ut aſſolet, aliqua illis quolibet modo fuerit nata ſuſpicio, & electorum deſideraverint fortaſſe judicium, ſub tua executione eligendi fas habeant cognitores, quatenus hoc modo nec tu amiſiſſe juriſdictionem, nec actor apud ſuſpectum litigando videatur præjudicium ſuſtinere. Hoc etenim ſervandum & Anthemio ſubdiacono nos præcepiſſe cognoſce. Oportet ergo ut fraternitas tua erga monaſteria civitatis, parochiæque ſuæ, omneſque ſubjectos, paſtorali cura diligenter invigi-

vigilet, & de vita aliisque eorum ſit omnino ſollicitus, ut ſicut nos hæc tibi privilegia ſervare dignoſcimur; ita & tu vigilantiam tuam in cunctis, ut decet, ſolerter exhibeas, quatenus in nulla re poſſis de neglectu reprehenſibilis inveniri. Porro autem ſi tu, quod non opinamur, diſſimulandum putaveris, rectori patrimonii eccleſiæ noſtræ, qui illic eſt, vel fuerit conſtitutus, noveris eſſe licentiam, ut quod ſponte poſtponis ejus facere inſtantia modis omnibus urgearis. Sed & illud ſtudere te convenit, ut hi qui contra quoslibet juriſdictioni tuæ ſuppoſitos cauſſam habuerint, nullis apud fraternitatem tuam fruſtratoriis debeant dilationibus laceſſiri, ne ad fatigationem & damnum alterius hæc tibi ſervaſſe privilegia videamur.

## XII. AD MONTANAM ET THOMAM.

Libertatem dat, & eos cives Romanos efficit.

*Gregorius Montanæ & Thomæ.*

Grat. 12. q. 2. cap. 68.

CUm redemptor noſter totius conditor creaturæ ad hoc propitiatus humanam voluerit carnem aſſumere, ut divinitatis ſuæ gratia, dirupto quo tenebamur capti vinculo ſervitutis, priſtinæ nos reſtitueret libertati; ſalubriter agitur, ſi homines quos ab initio natura creavit liberos & protulit, & jus gentium jugo ſubſtituit ſervitutis, in ea natura in qua nati fuerant, manumittentis beneficio, libertati reddantur. Atque ideo pietatis intuitu, & hujus rei conſideratione permoti, vos Montanam atque Thomam famulos ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cui Deo adjutore deſervimus, liberos ex hac die civeſque Romanos efficimus, omneque veſtrum vobis relaxamus * ſervitutis peculium. Et quia tu, Montana, animum ad converſionem fateris appuliſſe monachicam; idcirco duas uncias, quas tibi quondam Gaudioſus presbyter per ſupremæ ſuæ voluntatis arbitrium inſtitutionis modo noſcitur reliquiſſe, hac die tibi donamus atque concedimus, omnia ſcilicet monaſterio ſancti Laurentii, cui Conſtantia abbatiſſa præeſt, in quo converti Deo miſerante feſtinas, modis omnibus profutura. Si quid vero de rebus ſupraſcripti Gaudioſi te aliquo modo celaſſe conſtiterit, id totum eccleſiæ noſtræ juri ſine dubio mancipetur. Tibi autem ſupraſcripto Thomæ, quem pro libertatis tuæ cumulo etiam inter notarios volumus militare, quinque uncias, quas præfatus Gaudioſus presbyter per ultimam voluntatem hereditario tibi nomine dereliquit, ſimul & ſponſalia, quæ matri tuæ conſcripſerat, ſimiliter hac die per hujus manumiſſionis paginam donamus atque concedimus, ea ſane lege atque conditione ſubnexa, ut ſi ſine filiis legitimis, hoc eſt de legitimo ſuſceptis conjugio, te obire contigerit, omnia quæ tibi conceſſimus ad jus ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſine diminutione aliqua revertantur. Si autem filios de conjugio, ſicut diximus, cognitos lege ſuſceperis, eoſque ſuperſtites reliqueris, earumdem te rerum dominum ſine quadam ſtatuimus conditione perſiſtere, & teſtamentum de his faciendi liberam tibi tribuimus poteſtatem. Hanc igitur, quæ per hujus manumiſſionis chartulam ſtatuimus, atque conceſſimus, nos ſucceſſoreſque noſtros ſine aliqua ſcitote refragatione ſervare. Nam juſtitiæ ac rationis ordo ſuadet, ut qui ſua a ſucceſſoribus deſiderat mandata ſervari, deceſſoris ſui proculdubio voluntatem & ſtatuta cuſtodiat. Hanc autem manumiſſionis paginam Paterio notario ſcribendam dictavimus, & propria manu una cum tribus presbyteris prioribus, & tribus diaconis pro pleniſſima firmitate ſubſcripſimus, vobiſque tradidimus. Actum in urbe Roma.

* ſervitutis deeſt in Pariſ.

## XIII. AD CYPRIANUM DIACONUM RECTOREM SICILIÆ.

De ordinando epiſcopo Lilybetanæ eccleſiæ.

*Gregorius Cypriano diacono rectori Siciliæ.*

LIlybetanæ clerus eccleſiæ huc pro ordinando ſibi veniens ſacerdote, licentiam eis de exquirendo ſibi epiſcopo nos dediſſe cognoſcas. Qui * rapientes Decium Forenſem presbyterum, ſibi eum conſecrari multis precibus propoſcerunt, quorum petitionem neceſſarium duximus adimplere; & ideo dilectio tua in omnibus ei ſolatiari non negligat, ut quia Theodorus quondam ejuſdem eccleſiæ epiſcopus dereliquit plurima quæ emendari debeant, tuo in omnibus adjutus auxilio, dumtaxat æquitate ſervata, cauſſarum inquietudinibus liberior, in Dei laudibus poſſit exiſtere.

* reperientes Pariſ.

## XIV. AD NARSEM COMITEM.

De Pelagiana hæreſi. De anima Adæ in peccato mortua. De ſynodo Epheſina, & de cauſſa Joannis presbyteri.

*Gregorius Narſi comiti.*

CAritas veſtra, ſolicitudinem noſtræ opinionis habens, ſcribere ſtuduit quid de illo codice, qui contra Athanaſium presbyterum tranſmiſſus eſt, ſenſi. Quem nos ex parte aliqua ſubtiliter percurrentes, in Manichæi invenimus dogma cecidiſſe. Sed is qui loca aliqua eſſe hæretica ſigno contrapoſito oſtendit, ipſe quoque in Pelagianam hæreſim labitur; quia quædam loca catholice dicta, & omnino orthodoxa, velut hæretica annotavit. Hoc enim ubi ſcriptum eſt; quia cum peccavit Adam, ejus eſt anima mortua? Qualiter mortuam dixerit, inferius oſtendit: quia ſtatus ſui beatitudinem amiſit. Hoc quiſquis negat, catholicus non eſt. Deus autem dixerat: *Qua hora comederitis, morte moriemini.* Cum ergo comedit de ligno vetito Adam, quia in corpore mortuus non eſt novimus, quia poſt hoc filios genuit, atque annis multis vixit. Si itaque in anima mortuus non eſt, quod dici nefas eſt, ipſe mentitus eſt, qui hunc prædixit, die qua peccaſſet moriturum. Sed ſciendum eſt, quia mors duobus accidit modis, aut abſentia vivendi, aut qualitate vivendi. In hoc ergo quod comederit vetitum, ejus anima dicitur mortua; non abſentia vivendi, ſed a qualitate vivendi, ut poſtmodum viveret in pœna, qui ad hoc creatus fuerat ut beate viveret in lætitia. Hunc ergo locum qui in eo codice qui

qui mihi a fratre meo Joanne epiſcopo tranſmiſſus eſt, annotavit hæreticum, Pelagianus eſt, quia ſententia iſta evidenter Pelagii eſt: quam Paulus apoſtolus aperte in ſuis epiſtolis deſtruxit. Quæ loca epiſtolarum ejus ſingula dicere prætermitto, quia ſcienti loquor. Pelagius vero, qui in Epheſina ſynodo damnatus eſt, ea intentione hoc dixit, ut oſtenderet nos a Chriſto vacue redemptos. Si enim nos per Adam in anima mortui non ſumus, quod dicere nefas eſt, vacue redempti ſumus. Epheſinam autem ſynodum perſcrutantes, de Adelphio & Sava, & ceteris aliis, qui illic dicuntur eſſe damnati, omnino nihil invenimus: & exiſtimamus; quia ſicut Chalcedonenſis ſynodus in uno loco ab eccleſia Conſtantinopolitana falſata eſt, ſic aliquid in Epheſina ſynodo factum eſt. Caritas ergo veſtra vetuſtos omnino codices ejuſdem ſynodi requirat, & illic inde videat ſi quid tale invenitur, mihique eumdem codicem quem invenerit tranſmittat, quem mox ut legero retranſmitto: novis enim codicibus paſſim non credat. Ex qua re dubius factus ſum, & nihil adhuc volui de hac cauſſa prædicto fratri meo Joanni epiſcopo reſcribere. Romani autem codices multo veriores ſunt quam Græci: quia * noſtri ſicut non acumina, ita nec impoſturas habent. De Joanne vero presbytero cognoſcite, quia illius cauſſa per ſynodum deciſa eſt, in qua aperte cognovi, quia ejus adverſarii eum facere hæreticum voluerunt, & diu conati ſunt, ſed minime potuerunt. Veſtros, qui noſtri ſunt, mea vice ſalutate, & noſtri, qui veſtri ſunt, per me vos multum ſalutant. Omnipotens Deus ſua te manu inter tot ſpinas protegat, ut eos illæſus, quos dominus elegit, flores decerpas.

* non veſtra ſicuti. Toriſ.

Joan. diac. lib. 4. c. 36.

## XV. AD JOANNEM EPISCOPUM

### CONSTANTINOPOLITANUM.

De Joanne presbytero injuſte damnato, quem liberum eſſe pronuntiat.

*Gregorius Joanni epiſcopo Conſtantinopolitano.*

Joan. diac. lib. 4. c. 36.

SIcut hæreticorum pravitas zelo rectæ fidei comprimenda, ita veræ confeſſionis eſt integritas amplectenda. Nam ſi credi fideliter confitenti deſpicitur, cunctorum in dubium fides adducitur, atque errores ex incauta generantur diſtrictione mortiferi. Et hinc non ſolum errantes oves ad caulas minime dominicas revocantur, ſed etiam intropoſitæ ferinis dentibus laniandæ crudeliter exponuntur. Hoc ergo, frater ſanctiſſime, ſubtiliter perpendamus, & ſub prætextu hæreſis affligi quempiam veraciter profitentem fidem catholicam non ſinamus, ne, quod abſit, hæreſim fieri ſub emendationis magis ſpecie permittamus. Valde autem mirati ſumus cur hi, qui in cauſſa fidei judices contra Joannem Chalcedonenſis eccleſiæ presbyterum a vobis fuerant deputati, negligentes veritatem, opinioni crediderint, & credere diſtricte profitenti noluerint, maxime dum accuſatores ipſius Marcioniſtarum, quam commemorabant, hæreſim, unde eum reum moliebantur efficere, interrogati quæ eſſet, neſcire ſe manifeſta profeſſione reſponderunt. Ex qua re evidenter agnoſcitur, quia perſonam ipſius ſine Dei reſpectu non juſte, ſed contra animas ſuas ſola gravare voluntate tantummodo voluerint. Nos itaque ſacto concilio, ſicut geſtorum apud nos habitorum tenor oſtendit, cuncta quæ erant neceſſaria ſubtiliter perſcrutantes ac tractantes, quoniam in nullo antedictum presbyterum reum invenire potuimus, præcipue quia libellus, quem delegatis a vobis judicibus obtulit, rectæ fidei per omnia ſinceritati concordat, ea propter eorumdem judicum reprobantes ſententiam, noſtra eum diffinitione catholicum, & ab omni hæretico crimine liberum eſſe Chriſti Dei redemptoris noſtri miſericordia & gratia revelante denuntiavimus. Quem quoniam ad veſtram retranſmiſimus ſanctitatem, oportet ut eum, ſicut ſe cunctis exhibet, benigne ſuſcipiat, & caritatem illi ſacerdotalem impendat, atque a cuncta eum inquietudine tueatur, nec quemquam ſe in ejus moleſtia occupare permittat, ſed ſicut alios ab oppreſſione defenditis, ita huic veſtra ſubtrahere ſolatia non debetis.

## XVI. AD MAURITIUM AUGUSTUM.

De Joanne presbytero recipiendo injuſte.

*Gregorius Mauritio Auguſto.*

CUm ſincera in vobis, Chriſtianiſſime principum, velut emiſſum cælitus jubar fidei rectitudo reſplendeat, cumque notum ſit omnibus ſerenitatem veſtram, integram profeſſionem, qua Deo pollet propitio, vehementer amplecti, & toto corde diligere, neceſſarium eſſe valde perſpeximus pro his, quos una eademque fides illuſtrat, ſuggerendo depoſcere, quatenus dominorum pietas ſua eos gratia protegat, & ab omni moleſtia tueatur. Quorum dum confeſſionem quidam deſpiciunt, veræ fidei contradicere videntur. Nam cum oris confeſſionem fieri clamet apoſtolus ad ſalutem, qui recte profeſſioni credere non conſentit, in eo quod alium improbat, ſe accuſat. * Relatis igitur in concilio quæ contra Joannem Chalcedonenſis presbyterum eccleſiæ acta ſunt, ſimul & ſerie judicati, majorem illum injuſtitiam ſuſtinuiſſe cognovimus: quippe quem clamantem ſe atque monſtrantem catholicum eſſe non reatus culpæ, ſed diu accuſatio incerta contrivit: intantum quia accuſatores ipſius Marcioniſtarum, quam commemorabant, hæreſim ſe neſcire aperta reſponſione profeſſi ſunt. Et qui illico in ipſo fuerant judicii limine repellendi, in accuſatione ejus permanere incerti permiſſi ſunt: ſed ne dicta eum ſaltem lacerare potuiſſet opinio, libellum fidei protulit, in quo ſe patenter oſtendere fidei rectæ profeſſorem ſtuduit & ſequacem. Sed hunc a ſanctiſſimo Joanne fratre & coepiſcopo noſtro judices deputati, injuſte ac irrationabiliter negligentes, dum in ejus ſe niterentur occupare gravamine, ſe potius reprehenſibiles oſtenderunt. Nam nullus ambigit, infidelitatem eſſe, fidem fidelibus non habere. Quia ergo omnibus ſubtiliter rimatis atque tractatis catholicum ſupraſcriptum Joannem presbyterum, ſancti concilii mecum definitio divinæ potentiæ revelante gratia declaravit, nec quædam in ipſo hæreticæ macula pravitatis inventa eſt; obſecro ut pia ſerenitatis veſtræ protectio illæſum

Joan. diac. lib. 4. c. 36.

* teleſtis. Toriſ.

illæſum

inſum illum ab omni moleſti: ſervari præcipiat, nec catholicæ fidei confeſſorem aliquam ſinat inquietudinem ſuſtinere. Nam veraciter confitenti non credere, non eſt hæreſim purgare, ſed facere. Quod ſi licuerit, ſurget infidelitatis occaſio, & ipſi in eas quas incaute volunt emendare culpas incurrunt. Hæc igitur ſereniſſimus dominus pia * proviſione conſideret, & ſicut popoſci, profuſis iterum precibus rogo, ut affligi denuo innocentem velut obnoxium non permittat, quatenus Deus omnipotens, qui placitam ſibi catholicæ rectitudinis integritatem clementiam veſtram amare cernit atque defendere, & hic deviƈtis hoſtibus pacatæ vos impetrare reipublicæ, & cum ſanƈtis ſuis in æterna faciat vita regnare.

* al. providentia.

## XVII. AD THEOCTISTUM.

Commendat Joannem presbyterum injuſte damnatum.

*Gregorius Theoctiſto cognato imperatoris.*

SCimus excellentiæ veſtræ Chriſtianitatem bonis intentam ſemper operibus: & idcirco mercedis vobis cauſſas, quas vos diligere certum eſt, providemus, ut nos veſtris meritis providendo jungamur. Indicamus itaque vobis, Joannem presbyterum latorem præſentium liberum ab his quibus accuſatus fuerat extitiſſe. Cujus fidem facto concilio ſubtili examinatione, * ut potuimus, perſcrutantes, nullam in eo culpam pravæ confeſſionis invenimus. Sed quia rectæ fidei Deo miſerante profeſſor ac cultor apparuit, noſtra cum diffinitione abſolvimus; præſertim cum accuſatores ipſius quæ eſſet Marcioniſtarum, quam memorabant, hæreſim ſe neſcire profeſſi ſunt. Eapropter paterno ſalutantes affectu, quæſumus ut favoris veſtri eum gratia tueri dignemini. Et ne quiſquam illum fruſtra poſt hoc velit affligere, aut aliquam ei pro hac re quolibet modo moleſtiam irrogare, ita eum excellentiæ veſtræ defenſio contra hæc inſtantius pro ſua mercede protegat ac defendat, ut nec hunc amplius tribulatio injuſta conſumat, & eis vobis vicem humani generis conditor ac redemptor, quem ſincera confeſſione colitis, inter bona plurima quæ agitis recompenſet.

* al. ut petiit. ita in Tarif.

*Menſe Octobri, indictione decima quarta.*

## XVIII. AD JOANNEM EPISCOPUM

SYRACUSANUM.

De uſu pallii.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

APoſtolicæ ſedis benevolentia, & antiquæ conſuetudinis ordine provocati, fraternitati tuæ, quam in Syracuſana eccleſia gubernationis officium conſtat ſuſcepiſſe, pallii uſum providimus concedendum: illis videlicet temporibus, atque eo ordine, quibus deceſſorem quoque tuum uſum eſſe non ambigis: hoc nihilo minus admonentes, ut ſicut a nobis hujus decoris uſum ad ſacerdotalis officii honorem accepiſſe te gaudes, ita etiam morum atque actuum probitate, ad gloriam in Chriſto noſtram, ſuſceptum adornare contendas officium. Sic enim alterno eris invicem decore conſpicuus, ſi ad hujus corporis habitum mentis quoque tuæ bona concordent. Omnia enim privilegia quæ tuæ pridem conceſſa eſſe conſtat eccleſiæ, noſtra auƈtoritate firmamus, & illibata decernimus permanere.

## XIX. AD DOMINICUM EPISCOPUM

AFRICÆ.

Petit ſe orationibus juvari.

*Gregorius Dominico epiſcopo Africæ.*

EPiſtolarum veſtrarum plena ſacerdotali caritate elocutio ita ſanƈtitatem veſtram memoriter noſtris facit mentibus inhærere, ut non credatur abeſſe corpore; quippe quæ per affeƈtum ſemper manet in corde. Ut ergo hæc, quam ad alterutrum habemus dileƈtio, cæleſtium nobis commodum acquirat gaudiorum, noſtri ſimus invicem adjutores, & auxilium nobis orationis mutuæ porrigamus, quatenus divinæ miſericordiæ clementiæ ſuæ nobis dono concedat, & prædicare quod diligit, & ſequi hoc quod per nos prædicare conceſſit: ſicque officii noſtri miniſterium pietatis ſuæ proteƈtione diſponat, ut fructum de creditis eidem venienti domino reportemus, & ad futura æquitatis præmia cum aliorum lucro ejus adjuvante gratia perducamur. Quia vero ſcriptum eſt: *Orate pro invicem, ut ſalvemini*; ut ad hæc pervenire mereamur, & me pro vobis apud ſacratiſſimum beati Petri apoſtolorum principis corpus, & vos pro me apud ſanƈtum Cyprianum martyrem, orationibus decet incumbere. Preces etenim noſtræ tanto celerius in dominicæ pietatis aurem ſublevantur, quanto eas viciſſim pro vobis fuſas caritatis ardor exacuit. Sed quia ſanƈtitas veſtra nudis me verbis alloqui recuſat, epiſtolis quoque xenia conjunxit. Quæ nos cum gratiarum actione ſuſcepimus: ſed tamen plus mentis veſtræ affeƈtu, quam rerum copia deleƈtamur.

## XX. AD CYPRIANUM DIACONUM.

Præcipit adjutorium impendere Joanni epiſcopo.

*Gregorius Cypriano diacono.*

SIcut dileƈtio tua ſtudioſe laboravit pro perſona fratris & coepiſcopi noſtri Joannis, ut in Syracuſana eccleſia auƈtore Deo debuiſſet ordinari, ita nunc neceſſe eſt, ut per dileƈtionis tuæ ſtudia ei quoque regiminis ſolatia miniſtrentur. Quemdam enim presbyterum proprium habuiſſe ſe perhibet, qui tamen a fratre & coepiſcopo noſtro Leone in Catanenſi eccleſia dicitur ordinatus: & quia in novam eccleſiam vadit, & ſuos illic proprios homines habere neceſſe eſt, ut cum cauſſarum tumultibus premitur, in ſecreto ſuo inveniat ubi requieſcat, prædiƈto fratri, & coepiſcopo noſtro Leoni blande & leniter perſuadere debes, ut ei præfatum presbyterum cedere debeat, ne quem tam benignus ad ordinandum ceſſit, ordinatum deſtituere fortaſſe videatur.

Joan. diac. lib. 3. c. 80

Sed

Sed ſicut idem frater & coepiſcopus noſter A Joannes, quantum ego in ejus mente didici, ejus ſe eſſe archidiaconum, nec ob epiſcopatum ſuſceptum obliviſcitur, ita eum ſæpefatus frater & coepiſcopus noſter Leo ſuum proprium debet attendere, & non ſolum de unius perſona presbyteri, ſed in quacumque re ejus ſolatio indiguerit, ſua ei miniſtrare auxilia.

*Menſe Novembri, indictione decimaquarta.*

## XXI. AD PETRUM EPISCOPUM HYDRUNTINUM.

Viſitationem Brundiſii & Gallipolis injungit. B

*Gregorius Petro epiſcopo Hydruntino.*

PAſtoralis nos cura conſtringit eccleſiis ſacerdotis moderamine deſtitutis ſolicita conſideratione proſpicere, ne proprio deficiente rectore, contrarium, quod abſit, aliquid patrum regulis oriatur. Quia igitur eccleſias Brunduſii, * Lippias, atque Gallipolis, obeuntibus earum pontificibus, omnino deſtitutas agnovimus; idcirco fraternitati tuæ viſitationis earum operam duximus injungendam. Quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, miniſteriiſque, vel quidquid illud eſt in patrimo- C nio earum, a quoquam patiaris imminui. Et ideo fraternitas tua ad prædictas eccleſias ire properabit, & aſſiduis adhortationibus clerum plebemque earumdem eccleſiarum admonere feſtinet, ut remoto ſtudio, uno eodemque conſenſu tales ſibi præficiendos expetant ſacerdotes, qui & tanto miniſterio digni valeant reperiri, & a venerandis canonibus nullatenus reſpuantur. Qui dum fuerint poſtulati, cum ſolennitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & dilectionis tuæ teſtimonio literarum, ad nos veniant conſecrandi; proviſurus ante omnia, ne ad hoc cujuslibet converſationis ſeu meriti laicæ per- D ſonæ aſpirare præſumant, & tu periculum ordinis tui, quod abſit, incurras. Monaſteria autem, ſi qua ſunt in earum parochia conſtituta, ſub tua cura diſpoſitioneque, quouſque illic fuerit proprius epiſcopus ordinatus, eſſe concedimus, ut ſolicitudinis tuæ vigilantia propoſito ſuo congrua, Deo adjuvante, actione reſpondeant.

* Lupia.

*Menſe Januario, indictione decimaquarta.*

## XXII. AD PETRUM EPISCOPUM ALERIENSEM.

De baptiſterio faciendo in poſſeſſione Cellaſcupias.

*Gregorius Petro epiſcopo Alerienſi de Corſica.*

QUoniam in inſula Corſica in loco Nigeuno, in poſſeſſione quæ Cellaſcupias appellatur, juris ſanctæ Romanæ cui Deo adjutore deſervimus eccleſiæ, baſilicam cum baptiſterio in honorem beati apoſtolorum principis Petri, atque Laurentii martyris, pro lucrandis animabus fundari præcipimus: idcirco fraternitatem tuam his hortamur affatibus, quatenus ad prædictum locum debeat incunctanter accedere: & venerandæ ſolennia dedicationis impendens prædictam eccleſiam, & baptiſterium ſolenniter conſecrare te volumus. Sanctuaria vero ſuſcepta ſumma cum reverentia collocabis.

## XXIII. AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

De Pimenio Amalphitano epiſcopo, qui in eccleſia ſua non reſidebat.

*Gregorius Anthemio ſubdiacono.*

PErvenit ad nos * Pimenium Amalphitanæ civitatis epiſcopum in eccleſia ſua reſidere non eſſe contentum, ſed foris per diverſa loca vagari, quod videntes alii nec ipſi in caſtro ſe retinent, ſed ipſius exemplum ſequentes, foris magis eligunt habitare. Et quia hoc agentes ipſi potius ad ſuam hoſtes deprædationem invitant, idcirco hac tibi auctoritate præcipimus, ut ſupradicto epiſcopo interminari non deſinas, quatenus hoc de cetero facere non præſumat, ſed in eccleſia ſua ſacerdotali more reſideat. Quem ſi forte non emendari poſt tuam interminationem cognoveris, in monaſterio eum deputare, & nobis curabis modis omnibus indicare, ut quid facere debeas, noſtra iterum præceptione cognoſcas.

* al. Pigmenium. Ioan. diac. lib. 3. cap. 17. Grat. 7. q. 1. cap. 2. Anſel. lib. 6. cap. 78.

## XXIV. AD MARINIANUM EPISCOPUM RAVENNÆ.

De diſceptatione inter eccleſiam Ravennatem, & * Claudium abbatem: commemoratque dubias cauſſas Romæ terminandas.

* al. Claudicium.

*Gregorius Mariniano epiſcopo Ravennæ.*

D SCripta fraternitatis veſtræ Virgilio diacono deferente ſuſcepimus, in quibus indicaſtis quoſdam de clero & populo clamitaſſe contra leges & canones eſſe, ut inter eccleſiam veſtram, & Claudium abbatem cauſſa hic examinari ac judicari debeat. Qui ſi eccleſiaſticum ordinem, vel inter quos vertitur, noſſent advertere, ſe a ſuperflua querela modis omnibus abſtinerent, præſertim quia nec cauſſa dici illic poſſit, ubi ſe prædictus abbas a deceſſore veſtro queſtus eſt injuſtitiam pertuliſſe, & ex ea hactenus laborare. Hoc enim poterat fortaſſis opponi, ſi non ad majorem recurreret, & apud eum cauſſæ ſuæ peteret meritum terminari. Numquid non ipſe noſti, E quia in cauſſa, quæ a Joanne presbytero contra Joannem Conſtantinopolitanum fratrem & coepiſcopum noſtrum orta eſt, ſecundum canones ad ſedem apoſtolicam recurrit, & noſtra eſt ſententia definita? Si ergo de illa civitate, ubi princeps eſt, ad noſtram cauſſa cognitionem deducta eſt; quanto magis negotium quod contra vos eſt, hic eſt veritate cognita terminandum? Vos autem ibi ſtultorum verba non moveant, nec per nos credatis aliquod diſpendium eccleſiæ veſtræ fieri. Nam ſi ſervum Dei Secundinum diaconum veſtrum,

atque

atque * Caſtorium noſtrum requiritis, ab eis A agnoſcetis qualiter cauſſam iſtam jam deceſſor veſter voluerit ordinare. Fraternitas autem veſtra ſapienter egit perſonas pro negotio ipſo tranſmittere, & verba inania non audire. Confidimus autem in omnipotenti Deo, quia examinatâ ſubtilius veritate, ita Deo placitus huic cauſſæ finis imponetur, ut nec aliqua denuo querela remaneat, nec pars quælibet contra juſtitiam prægravetur. Spatham vero quam apud deceſſorem veſtrum dilectiſſimus filius noſter Petrus diaconus tunc illic defenſor reliquerat, nobis per Secundinum ſervum Dei, atque Caſtorium notarium præſentium portitores tranſmittite.

* Caſtorium notarium &c. Parif.

## XXV. AD MAXIMUM.

Præcipit ut humiliatus Romam veniat, & Paulino epiſcopo, & Honorato archidiacono amplius vim non inferat.

*Gregorius Maximo in Salona qui epiſcopatum arripuit.*

DUm ſcriptis noſtris, quæſitis quibuſdam exçuſationibus, differs obedientiam exhibere, dum pro veritatis ſatisfactione toties a nobis admonitus venire poſtponis; iis quæ adverſum te dicta ſunt fidem ex hoc magis accommodas; & vel ſi qua alia deeſſe videbantur, quæ gravent aut noceant, id agis ut ſola dilatio faciat, & accuſet te eſſe culpabilem. Humiliare tandem, & obedientiæ te ſubmitte, atque ad nos ſine excuſatione aliqua venire feſtina, ut requiſita & cognita veritate, ſecundum Dei timorem, quidquid æquum canonicumque fuerit decernatur. Certus enim eſto, quia juſtitiam tibi, & canonum ſtatuta ſervabimus, atque cauſſæ tuæ, revelante Domino veritatis auctore, amicum juſtitiæ finem imponemus. Nam quod poſtulas ut illuc perſonam dirigere debeamus, qua præſente de his quæ dicuntur poſſit eſſe probatio; eſſet utcumque excuſabile, ſi unquam ratio ei qui accuſatur neceſſitatem probationis imponeret. At poſtquam non tibi, ſed accuſantibus hoc onus incumbit, ad nos, ſicut præfati ſumus, dilatione ceſſante venire non deſinas; & aut ſine mora aderit accuſator, qui ea quæ de ſimoniaca hæreſi vel aliis dicta ſunt congruenti probatione ſuffulciat; aut certe in his quæ ad ſalubritatem negotii ipſius pertinent, interveniente beato Petro apoſtolorum principe diſpenſatio juſta proveniat; quatenus nulla nos ante Deum diſſimulatione, pro eo quod hæc ad noſtram conſcientiam pervenere, reatus culpa poſſit confundere. Quod vero indicas ſereniſſimos dominos, ut illuc debeat eſſe cognitio, præcepiſſe; nos quidem nullas eorum alias de hac re, niſi ut ad nos venire debeas, jusſiones accepimus. Sed etſi forſitan pro reipublicæ ſuæ utilitate, quæ divina ſibi largitate conceſſa eſt, multa cogitantibus, & in diverſis ſolicitudinibus occupatis ſuggeſtum eſt, & eorum juſſio per obreptionem elicita, poſtquam & nobis & omnibus notum eſt piiſſimos dominos diſciplinam diligere, ordines ſervare, canones venerari, & ſe in cauſſis ſacerdotalibus non miſcere, inſtanter exequimur quod & illorum juvat animam atque rempublicam, & ad quod nos terribilis tremendique judicis reſpectus impellit. Quieſce ergo a cunctis excuſationibus, & huc adeſſe non differas, ut veritatis indagatione roborati, cauſſæ tuæ tandem terminum imponamus. Quod autem valde te pertimeſcere ac omnino trepidare cognovimus, ne hoc fortaſſe in te ulciſcamur, quod ſine noſtro conſenſu ad ſacerdotalem ordinem cognoſceris inordinate prorupiſſe; intolerabilis quidem culpa eſt, ſed hanc ſecundum juſſiones ſereniſſimi domini imperatoris, ſi nequaquam amplius in contumaciæ tuæ errore perſtiteris, laxamus; atque de hac re contra te minime movemur. Sed & alia quæ nobis dicta ſunt irrequiſita præterire non patimur. Quia vero dudum ſcripta tibi tranſmiſimus, ut quo adusque B voluntatem ejuſdem ſereniſſimi domini cognoſceremus, miſſarum ſolennia nullo modo celebrare auderes; ſed tu elata mente egiſti callide ne eadem ſcripta ſuſciperes, quæ tamen eorum eſſet ſententia, quoquo modo cognoviſti, ſed ſervare noluiſti: ideoque ea quæ tibi prius ſcripta tranſmiſimus confirmamus, ut miſſarum ſolennia celebrare non audeas, donec omnia, quæ contra te dicta ſunt, ſubtiliter inquiſita fuerint ac diſcuſſa. Quod ſi perverſo forſitan auſu celebrare præſumpſeris, ab interdictæ pridem communionis interminatione liberum te non eſſe cognoſcas. Nam etiamſi alii exceſſus deſint, pro hac ſolummodo culpa ſuperbiæ dominici te corporis ac ſanguinis C communione privamus. Pro qua re obedientiam quam decet exhibens, ad nos ſummopere, ſicut diximus, venire feſtina, ita ut triginta dierum ſpatium habeas, quatenus iter tuum præpares, & omni excuſatione poſtpoſita huc adeſſe non differas. Si quæ autem a judicibus, vel manu militari, vel a populo ad contradicendum itineri tuo occaſio fuerit exorta, qua caliditate agatur, agnoſcimus. Ipſe ergo jam videas, quam vel hic hominibus, vel in futuro judicio omnipotenti Deo de tua reddas obligatione rationem, qui diſtrictam in te ex tuo contemptu provocaſti ſententiam. Præterea pervenit ad me quia Paulinus frater & coepiſcopus meus, & Honoratus eccleſiæ Sa- D lonitanæ archidiaconus, pro eo quod præſumptioni tuæ noluerunt præbere conſenſum, graves a te moleſtias patiantur, ita ut datis fidejuſſoribus ſint conſtricti, quatenus eis civitatem vel domos ſuas egredi omnino non liceat. Quod ſi ita eſt, vel ſero jam ad ſenſus ſalutis rediens, ſcriptis præſentibus acceptis, ab utrorumque te ſuſpende moleſtia, ut eis libera ſit licentia vel ad me veniendi, ſi voluerint, vel quomodolibet alibi pro ſuis utilitatibus proficiſci.

Grat. 6. q. 1. c. Quod autem.

## XXVI. AD SALONITANOS.

Canonice Maximum evocat Romam, ut ſuorum criminum rationem reddat.

*Gregorius dilectiſſimis filiis, clero, & nobilibus Salonæ conſiſtentibus.*

PErvenit ad me quoſdam perverſæ mentis homines, ut dilectionis veſtræ animos vulnerarent, vobis inſinuare conatos, quia ego contra Maximum quodam odio movear, & non magis quæ canonica, ſed ea quæ * furoris ſunt exequi concupiſcam. Sed abſit hoc, abſit a ſacerdotali animo, ut in qualibet cauſ-

* al. terra

ſa privato zelo moveatur. Ego autem & ve- A
ſtræ dilectioni providens, & meæ animæ omni-
potentis Dei judicium pertimeſcens, ejuſdem
Maximi cauſſam ſubtiliter exquiri deſidero, ſi
nullis criminibus preſſus, quæ ſacro ordini
contradicunt, ſi non per ſimoniacam hæreſim,
id eſt, præmia quibuſdam ſe eligentibus præ-
bendo, ad ſacerdotale pertingere officium co-
natur. Tunc enim liber pro vobis apud do-
minum interceſſor erit, ſi non obligatus de
ſuis ad locum interceſſionis venerit. Cujus ta-
men jam culpa ſuperbiæ in aperto monſtra-
tur, quod evocatus ut ad nos venire debeat,
diverſis excuſationibus renititur, refugit, me-
tuit. Unde ergo trepidat, ſi eum de his qui-
bus inclamatus eſt conſcientia non accuſat? B
Ecce enim jam diu dilectio veſtra ſine paſto-
re eſt, & ſicut vobis omnipotens Deus inno-
teſcat, vehementer deſtitutioni veſtræ, & me-
dullitus ex toto corde compatior. Audio enim
quæ in grege domini dilaniationes fiunt. Sed
cum paſtor deeſt, quis contra lupos invigilat?
Ideoque prædictum Maximum, ut huc ad nos
veniat, * urgeo, quatenus ſi hunc innocen-
tem invenire poſſimus, confirmemus. Sin ve-
ro ea quæ de eo dicta ſunt vera patuerint,
non jam tamdiu dilectio veſtra per interpoſi-
tionem perſonæ ejus deſtituta ſit. De me enim
certum tenete, quia odio, nec privati ſtudii
zelo contra eum moveor: ſed quidquid cano-
nicum juſtumque fuerit, auctore Deo decer-
no. Miratus autem valde ſum, quia in tanto
Salonitanæ eccleſiæ clero vel populo vix duo
ex ſacris ordinibus inventi ſunt, frater ſcilicet
& coepiſcopus noſter Paulinus, & dilectiſſimus
filius meus Honoratus archidiaconus ejuſdem
eccleſiæ, qui communicare Maximo ſacerdo-
tium rapienti minime conſentirent, & ſe Chri-
ſtianos eſſe cognoſcerent. Debuiſtis enim, fi-
lii cariſſimi, penſare ordines veſtros, & quem
ſedes apoſtolica repellebat, repulſum cognoſce-
re, ut prius, ſi poſſet, ab illatis criminibus
mundaretur; & tunc ei veſtra dilectio com-
municaret, ne particeps obligationis ejus exi-
ſteret. Nos tamen erga caritatem veſtram vi-
ſceribus pietatis adſtringimur; & quia quoſdam
veſtrum violenter preſſos ad conſentiendum
ei, & ad communicandum cognovimus; omni-
potentem dominum deprecamur, ut vos ab
omni reatu peccatorum, atque ab omnibus
vinculis alienæ obligationis abſolvat, vobiſque
& in præſenti vita ſuæ protectionis gratiam
tribuat, & nos de vobis in æterna patria gau-
dere concedat.

*Menſe Martio, indictione decimaquarta.*

Gra. 1. q. 7. c. 2. Anſelm. lib. 6. c. 46. Poly lib. 3. cap. 3.

* urgeo. Toriſ.

Gra. diſt. 93. cap. 4.

## XXVII. AD CANDIDUM EPISCOPUM.

De monachis in presbyteros ordinandis.

*Gregorius Candido epiſcopo de Urbe veteri majore.*

INdicavit nobis fraternitas tua ſe non habe-
re presbyteros, & ex hac cauſſa neceſſi-
tatem non modicam ſuſtinere. Et quia in qui-
buſdam monaſteriis in ſua parochia conſtitu-
tis quoſdam eſſe monachos perhibet, qui ad
hoc apti poſſint eſſe officium, & eos ſe cum
noſtra auctoritate ad hunc poſtulat ordinem
promoveri, propterea præſentibus vobis licen-
tiam damus epiſtolis, monachos de monaſte-
riis in tua parochia poſitis cum conſenſu ab-
batis ſui tollere, & presbyteros ordinare. Sed
illud præ omnibus eſtote ſoliciti, ut vitam
actuſque eorum, qui in hoc ſunt officio con-
ſtituendi, ſubtiliter debeatis inquirere, & tunc
eos, ſi digni fuerint, ordinare. Si vero aliqua
in eis culpa claruerit, quæ hos ad hunc ordi-
nem canonica prohibitione provehi non per-
mittat, nullius vobis ſupplicatio aut gratia per-
ſonæ ſurrepat, ut talibus debeatis manum im-
ponere; ne, quod abſit, hic honor, & aliis
pœna, & vobis incipiat eſſe peccatum.

## XXVIII. AD MARINIANUM EPISCOPUM RAVENNÆ.

Ne monaſterium a deceſſore conſtitutum præ-
gravetur, & de importunitate clericorum.

*Gregorius Mariniano epiſcopo Ravennæ.*

MIramur cur ſic in brevi fraternitatis tuæ
fuerit immutata diſcretio, ut ea quæ
poſtulat non advertat; ex qua re dolemus,
quia manifeſtum præbens indicium plus apud
te verba male ſuadentium valuiſſe, quam di-
vinæ lectionis ſtudium profeciſſe. Cumque ergo
monaſteria te oporteat defenſare, & religioſos
C illic ſummopere congregare, ut fructum de ani-
marum congregatione poſſis efficere, in eo-
rum te e diverſo gravamina, ſicut literæ tuæ
teſtantur, deſideras exercere: &, quod eſt de-
terius, nos tuæ culpæ ſtudens fieri debere par-
ticipes, ſcilicet, dum cum noſtro conſenſu mo-
naſterium, quod deceſſor tuus condidit, cupis
ſub cura * quarumdam rerum atque cauſſa-
rum nomine prægravare. Debes enim recole-
re, quia te præſente, diverſis etiam presbyte-
ris & diaconis clericiſque tuis præſentibus,
contra teſtamentum ipſis præceptum ſicut po-
ſtulavere conceſſimus. Ubi tamen ejuſdem de-
ceſſoris tui diſpoſitio, quam fecerat de mona-
ſterio ipſo, firmata eſt, tu nunc iſta diſſimu-
D lans contraria nos poſcis debere præcipere. Et
hæc quidem ſcimus non tua ſunt, ſed dum
incongrua dicentes audire non renuis, non ſo-
lum opinionem tuam, ſed gravas & animas.
Quia ergo te multum diligo, inſtanter admo-
neo, quod * ſic recte conſideres, ut non plus
pecuniæ quam animabus ſtudeas. Illud a late-
re reſpiciendum eſt, ad hoc autem tota men-
tis intentione laborandum, ac vehementius in-
tuendum. Huic rei operam & ſolicitudinem
vigilanter impende, quia redemptor noſter a
ſacerdotis officio non quærit aurum, ſed ani-
mas. Præterea pervenit ad nos, quia mona-
ſteria, quæ ſub fraternitate tua ſunt conſtitu-
ta, clericorum importunitatibus & diverſis eo-
E rum moleſtiis prægraventur: quod ne de ce-
tero fiat, diſtricta hoc interminatione com-
peſce; quatenus monachis illic degentibus, li-
bere in Dei noſtri laudibus liceat exultare.
Romanum vero atque Dominicum clericos,
qui de hac urbe auſu temerario ſine noſtra
præſumpſerunt benedictione diſcedere, licet ma-
jori fuerant ultione plectendi, tamen relaxari
eis benignitatis ſtudio debet, ut ad ſuum re-
meare officium urgeantur.

* curandarum Tarſ.

* diſtricte conſideres ut hoc Tarſ.

Supra-

* Supraſcripto[*] menſe Aprili, indictione decima quarta.

[*] Supraſcripto deeſt in Pariſ.

## XXIX. AD SECUNDINUM.

De pace Agilulphi, & Mariniano epiſcopo increpando, quod eleemoſynam pauperibus non daret, ſine qua vacuum eſt epiſcopi nomen.

*Gregorius* [*] [*] *Secundino ſervo Dei* [*] *non a partibus*

[*] De eo ep. 18. ſupra. [*] Secundo. Pariſ. [*] non a partibus deeſt in Pariſ.

POſtquam revertens Caſtorius omnia nobis quæ inter vos & Agilulphum regem acta ſunt indicavit, ne excuſationem contra nos de mora potuiſſet aliquis invenire, ſub omni eum celeritate illuc tranſmittendum prævidimus. Ab eo ergo quæ ſunt agenda cognoſcens, eſto ſolicitus, & omnimodo immine, ut pax iſta debeat ordinari; quia, quantum dicitur, aliqui hoc impedire conantur. Pro qua re feſtina ſolicite agere, ut labor veſter ſine effectu non valeat remanere. Nam jam & partes iſtæ, & diverſæ inſulæ in gravi ſunt periculo poſitæ. Fratrem noſtrum Marinianum epiſcopum verbis quibus vales excita, quia obdormiſſe eum ſuſpicor. Nam venerunt quidam ad me, in quibus erant ſenes mendicantes, qui a me diſcuſſi ſunt, a quibus quid acceperint, & per ſingula retulerunt quanta eis & a quibus in itinere data ſint. Quos dum ſolicite de prædicto fratre requirerem quid eis dediſſet, reſponderunt ſe eum rogaſſe, ſed ab eo ſe omnino nihil accepiſſe, ita ut neque panem in via acceperint, cum dare omnibus illis eccleſiæ ſemper familiare fuit. Dixerunt enim: Reſpondit nobis, dicens: Non habeo quod vobis dare poſſim. Et miror ſi is qui veſtes habet, argentum habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare non habet. Dic ergo ei, ut cum loco mutet & mentem. Non ſibi credat ſolam lectionem & orationem ſufficere, ut remotus ſtudeat ſedere, & de manu minime fructificare: ſed largam manum habeat, neceſſitatem patientibus concurrat, alienam inopiam ſuam credat; quia ſi hæc non habet, vacuum epiſcopi nomen tenet. Quemdam vero eum per epiſtolam meam de anima ſua admonui, ſed nihil mihi omnino reſpondit: unde credo quia eam neque legere dignatus eſt. Pro qua re jam neceſſarium non fuit ut eum per epiſtolam meam admonere aliquid debuiſſem; ſed tantum illa ſcripſi quæ in cauſſis terrenis conſiliarius dictare potui. Nam ego ad hominem non legentem fatigari in dictatu non debui. Tua ergo dilectio ſecreto ei omnia loquatur, & admoneat qualiter ſe diſponere debeat, ne per præſentem negligentiam vitam, quod abſit, priorem perdat.

A

## XXX. AD RAVENNATES

Excommunicat quemdam, qui de nocte conteſtatorios libellos contra Caſtorium poſuit.

*Gregorius (a) fratribus & coepiſcopo, ſacerdotibus, Levitis & omni populo Ravennæ.*

QUidam maligni ſpiritus conſilio repletus contra Caſtorium notarium ac reſponſalem noſtrum nocturno ſilentio in civitatis loco conteſtationem poſuit in ejus crimine loquentem, mihique etiam de facienda pace callide contradicentem. Et quia quiſquis veraciter loquitur, ſemetipſum innoteſcere non debet formidare; oportet ut publice exeat, & quæcumque in conteſtatione ſua loqui præſumpſit oſtendat: quod ſi non exierit, neque publice confeſſus fuerit, quiſquis ille ſit qui hoc agere præſumpſit, vel conſenſum in tantæ iniquitatis conſilio præbuit, ex Dei & domini noſtri Jeſu Chriſti ſpiritu definimus, ut ſancti ejus corporis ac ſanguinis participatione privatus ſit. Si vero quia latet, & quoniam neſcitur, teneri a diſciplina non valet, ſi tanti mali conſcius etiam prohibitus corpus ac ſanguinem domini percipere præſumit, anathematis ultione percuſſus ſit, & ut fallax ac peſtifer a ſanctæ eccleſiæ corpore diviſus. Si quis autem fortaſſe talis eſt, quem nos hujus facti auctorem ac participem eſſe neſcientes, ad eum bona optantes, epiſtolas tranſmittimus, ipſa pro eo apud omnipotentem dominum deprecatio ſit vacua. Sin autem in eadem civitate egreſſus ad publicum potuerit docere quæ dixit, vel certe ſciens ſe non poſſe quæ ſcripſit oſtendere, errorem ſuum fuerit aperte confeſſus, dominici corporis ac ſanguinis participatione non ſit privatus, neque a corpore ſanctæ eccleſiæ alienus exiſtat: quia nos apud omnipotentem dominum ex noſtris quotidie culpis agnoſcimus, ut [*] quatenus ſervato diſciplinæ moderamine, aliorum tamen erratis parcendo indulgeamus.

[*] quatenus Pariſ.

*Menſe Aprili, indictione decimaquarta.*

## XXXI. AD FORTUNATUM EPISCOPUM

NEAPOLITANUM

Ne mancipia quæ Chriſtianam fidem ſuſcipere volunt Judæis venumdentur, ſed pretium a Chriſtiano emptore percipiant.

*Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano*

FRaternitati veſtræ ante hoc tempus ſcripſimus, ut hos, qui Judaica ſuperſtitione ad Chriſtianam fidem Deo aſpirante venire deſiderant, dominis eorum nulla eſſet licentia venumdandi, ſed ex eo quo voluntatis ſuæ deſiderium prodidiſſent, defendi in libertatem per omnia debuiſſent. Sed quia, quantum cognovimus, nec voluntatem noſtram, nec legum ſtatuta ſubtili ſcientes diſcretione penſare,

Grat. 4 & 54. cap. 13. Ivo. part. 13 cap. ...

(a) Hunc titulum ita legit Parthenſis editio: *Mariniano epiſcopo Ravennati cum caeteris fratribus, & coepiſcopis, ſacerdotibus, levitis, clero, nobilibus, populo, militibus civitatis Ravennae conſiſtentibus, vel ex eo forte degentibus.*

re, in paganis ſervis hæc ſe non arbitrantur A conditione conſtringi; fraternitatem veſtram oportet de his eſſe ſolicitam, & ſi de * Judæorum ſervitio non ſolum Judæus, ſed etiam quiſquam paganorum fieri voluerit Chriſtianus, poſtquam voluntas ejus fuerit patefacta, ne hunc ſub quolibet ingenio vel argumento cuipiam Judæorum venumdandi facultas ſit: ſed is qui ad Chriſtianam converti fidem deſiderat, defenſione veſtra in libertatem modis omnibus vendicetur. Hi vero quos hujuſcemodi oportet ſervos amittere, ne forſitan utilitates ſuas irrationabiliter æſtiment impediri, ſolicita vos hæc convenit conſideratione ſervare: ut ſi paganos, quos mercimonii cauſſa de externis finibus emerint, intra tres menſes, dum B emptor cui vendi debeant non invenitur, fugere ad eccleſiam forte contigerit, & velle ſe fieri dixerint Chriſtianos, vel etiam extra eccleſiam hanc talem voluntatem prodiderint, precium eorum ibi a Chriſtiano ſcilicet emptore percipiant. Si autem poſt præfinitos tres menſes quiſquam hujuſmodi ſervorum velle ſuum edixerit, & fieri voluerit Chriſtianus; nec aliquis eum poſtmodum emere, nec dominus qualibet occaſionis ſpecie audeat venumdare, ſed ad libertatis procul dubio præmia perducatur; quia hunc non ad vendendum, ſed ad ſerviendum ſibi intelligitur * comparaſſe. Hæc igitur omnia fraternitas ve- C ſtra ita vigilanter obſervet, quatenus ei nec ſupplicatio quorumdam valeat nec perſona ſurrepere.

* eorum Tauriſ.

* deeſt in Tauriſ. non

* reſervaſſe: Tauriſ.

## XXXII. AD LEONEM EPISCOPUM CATANENSEM.

De Samaræis, qui pagana mancipia emerunt, & circumciderunt.

*Gregorius Leoni epiſcopo Catanenſi.*

Res ad nos deteſtabilis & omnino legibus inimica pervenit, quæ, ſi vera eſt, fraternitatem veſtram vehementer accuſat, quia D eam de minori ſolicitudine probat eſſe culpabilem. Comperimus autem quod Samaræi degentes Catanæ, pagana mancipia emerint, atque ea circumcidere auſu temerario præſumſerint. Atque idcirco neceſſe eſt, ut omnimodo zelum in hac cauſſa ſacerdotalem exercens, cum omni hoc vivacitate ac ſolicitudine ſtudeas perſcrutari: & ſi ita reperceris, mancipia ipſa ſine mora in libertatem modis omnibus vindica, & eccleſiaſticam eis tuitionem impende, nec quidquam dominos eorum de pretio quolibet modo recipere patiaris: qui non ſolum hoc damno mulctandi, ſed etiam alia erant pœna de legibus feriendi.

Joan. diac. l. 4, ep. 44.

## XXXIII. AD CASTORIUM NOTARIUM.

De uſu pallii ſecundum morem antiquum Andreæ Ravennati epiſcopo reſtituendo.

*Gregorius Caſtorio notario.*

Vir magnificus domnus Andreas crebro mihi imminet de uſu pallii ſecundum antiquam conſuetudinem in Ravennati eccleſia reſtituendo. Et ſcis quia Joannes epiſcopus mihi ſcripſerit, quod in litaniis ſolemnibus conſuetudo fuit ejuſdem eccleſiæ epiſcopos uti pallio. Hujus eccleſiæ diaconus Adeodatus, cum me pro eadem cauſſa fortiter rogaret, jurejurando ſatisfecit, quia quater in anno uti in litaniis pallio ejuſdem loci epiſcopi ſolebant. Prædictus autem domnus Andreas in epiſtolis ſuis dicit, quia præterquam in quadrageſima omni tempore Ravennas epiſcopus in litaniis pallio utebatur: & ipſas aſſerit litanias ſolennes, quas non erubeſcit dicere quotidianas. Unde omnino miratus ſum. Sed tua experientia nullius perſonam, nullius verba conſideret, ſolum Dei timorem, & rectitudinem ante oculos habeat, & ſeniores perſonas, & ejuſdem eccleſiæ archidiaconum, quem non ſuſpicor pro alterius honore perjurare, & alios antiquiores, qui in ſacris ordinibus ante Joannis epiſcopi tempora fuerant, requirat; vel ſi qui maturiores ſunt extra ſacros ordines, & veniat ante corpus ſancti Apollinaris, & tacto ejus ſepulcro jurent quæ conſuetudo ante Joannis epiſcopi tempora fuerat: quia ſicut ſcis, idem vir multum præſumptor extitit, & multa ſibi per ſuperbiam conabatur arrogare. Et quidquid a fidelioribus viris & gravibus juratum fuerit, ſecundum indiculum, qui ſubter annexus eſt, hoc volumus in eadem eccleſia conſervari. Sed vide ne negligenter agas, ne quis fidem tuam aut devotionem tuam in hac cauſſa corrumpat; zelum enim tuum ſcio. Age ſolicite, ita tamen ut prædicta eccleſia contra juſtitiam non gravetur, ſed uſus qui ante Joannis epiſcopi tempora extitit ei conſervetur. Perſonas autem non duas vel tres ad ſatisfaciendum tibi, ſed quantas antiquiores & graviores inveneris, require, ut neque quod uſus fuit antiquior eidem eccleſiæ denegemus, neque quod novo auſu appetitum eſt concedamus. Sed omnia age blande & dulciter, ut & actio tua diſtricta ſit, & lingua mitis. Spatam quæ illic dimiſſa eſt, ſicut jam pridem ſcripſimus, tecum revoca, & hoc quod tibi filius noſter Bonifacius diaconus, & vir magnificus, Maurentius chartularius ſcripſit, ſolicite attende.

Joan. diac. lib. 4 c. 6.

*Formula juramenti.*

Juro * ergo per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, inſeparabilem divinæ potentiæ Trinitatem, & hoc corpus beati Apollinaris martyris, me pro nullius favore perſonæ, neque commodo aliquo interveniente teſtari: ſed hoc ſcio, & per memetipſum cognovi, quia ante tempora Joannis quondam epiſcopi, Ravennas epiſcopus præſente apocriſiario ſedis apoſtolicæ illo atque illo, illis atque illis diebus conſuetudinem utendi pallio habuit: & E non cognovi quia hoc latenter, vel abſente apocriſiario uſurpaſſet.

* fort. ego hoc in Tauriſ.

## XXXIV. AD ANTHEMIUM

### Subdiaconum.

De redemptione captivorum qui in Campania tenti ſunt.

*Gregorius Anthemio ſubdiacono.*

QUantus dolor, quantaque ſit noſtro cordi afflictio de his quæ in partibus Campaniæ contigerunt, dicere non poſſumus, ſed ex calamitatis magnitudine potes ipſe cognoſcere. Ea de re pro remedio captivorum qui tenti ſunt, ſolidos experientiæ tuæ per harum B portitorem Stephanum virum magnificum tranſmiſimus, admonentes ut omnino debes eſſe ſolicitus, ac ſtrenue peragas, & liberos homines, quos ad redemptionem ſuam ſufficere non poſſe cognoſcis, tu eos feſtines redimere. Qui vero ſervi fuerint, & dominos eorum ita pauperes eſſe compereris, ut eos redimere non aſſurgant, & hos quoque comparare non deſinas. Pariter etiam & ſervos eccleſiæ, qui tua negligentia perierunt, curabis redimere Quoſcumque autem redemeris, ſubtiliter notitiam, quæ nomina eorum, vel quis, ubi maneat, ſive quid agat, ſeu unde ſit contineat, facere modis omnibus ſtudebis, quam tecum poſſis afferre cum veneris. Ita autem C in hac re te ſtudioſe exhibere feſtina, ut ii qui redimendi ſunt, nullum te negligente periculum poſſint incurrere, & tu apud nos poſtea vehementer incipias eſſe culpabilis. Sed & hoc quam maxime age, ut ſi fieri poteſt, captivos ipſos minori poſſis pretio comparare. Subſtantiam vero ſub omni puritate atque ſubtilitate deſcribe, & ipſam nobis deſcriptionem cum celeritate tranſmitte.

*Menſe Majo, indictione decimaquarta.*

## XXXV. AD SECUNDINUM EPISCOPUM

### Taurominitanum.

De Sincero latore præſentis epiſtolæ.

*Gregorius Secundino epiſcopo Taurominitano.*

ET legum ratio & æquitas admonet naturalis, ut quiſquis hereditatem aut renuit, aut parentum ſucceſſione ſe abſtinet, hereditaria non debeat onera ſuſtinere. Quia ergo Sincerus lator præſentium Hilarum ſocerum ſuum omnino inopem defunctum innotuit, & uxorem ſuam filiamque ipſius in qualibet re ejus ſe ſubſtantiæ minime miſcuiſſe, & ad perſolvendum paternum debitum eam ab ejus creditoribus queritur perurgeri, idcirco fra- E ternitas veſtra diligenter inquirat, & ſi ea quæ ait veritate ſubſiſtunt, ſacerdotalem illis ſtudeat tuitionem impendere, nec eos contra rationis ordinem vexari, aut damnum permittat aliquod ſuſtinere. Nam valde durum eſt ut unde nullum ſenſit commodum, ſuſtineat injuſte diſpendium. Supradictus autem portitor, ſi huc cum uxore ſua venire voluerit, quia illic ſe dicit non poſſe ſubſiſtere, veſtris propter Deum ſolatiis potiantur, nec cujuſquam eos illic adverſitas pro ſua tantum voluntate A retineat, aut eis irrationabiliter moleſtus exiſtat, ſed liberam habeant quo voluerint eundi licentiam: quatenus vivendi ſubſidium alibi ſaltem Deo largiente reperiant.

*Menſe Junii, indictione decimaquarta.*

## XXXVI. AD COLUMBUM EPISCOPUM

### Numidiæ.

De Petro quodam epiſcopo & ne Donatiſtarum baptiſmo baptizari permittat.

*Gregorius Columbo epiſcopo Numidiæ.*

SCripta fraternitatis veſtræ ſacerdotali plena dulcedine præſentium portitore * Rogatiano diacono deferente ſuſcepimus. Et valde nos eorum lætificavit benigna locutio, præſertim quia per ea de veſtra, quod deſiderii noſtri eſt, incolumitate cognovimus. Devotionem vero ſanctitatis veſtræ & olim novimus, & nunc, ſicut ſcribitis, ſic habemus. Nam qualis erga nos ſinceritas fraternitatis veſtræ ſit, ſatisfactione non egemus, quia eam ex mentis noſtræ, quæ circa vos eſt, dilectione cognoſcimus. Supraſcripto autem latori, quem nobis epiſtolariter commendaſtis, ſcripta ad rectorem patrimonii Siciliæ dedimus, ut ad- C verſam partem facere quæ juſta ſunt urgeat, quatenus fruſtratoria excuſatione poſtpoſita, ad finem citius perducatur totius cauſſæ contentio. Indicamus itaque ſanctitati veſtræ veniſſe ad nos quemdam hominem Petrum nomine, qui ſe aſſerit fuiſſe epiſcopum, atque cauſſæ ſuæ a nobis remedium poſtulaſſe. Et prius quidem retulit quæ digna eſſe miſeratione potuiſſent; ſed requirentes, poſtea multo aliter quam indicavit invenimus, & vehementer nos ejus actio contriſtavit. Sed quia cauſſæ ipſius interna ſubtiliter nequaquam addiſcere tam longo itineris intervallo disjuncti potuimus, eam, incerti quippe, definire nequivimus. Nunc vero quoniam remeans ſupradi- D ctus diaconus ſecum eum relaxari popoſcit, & ipſe ad vos ſe petiit debere tranſmitti, ſcientes ſanctitatem veſtram, zelum, ſicut decet, fidei, & amorem habere juſtitiæ, nobis gratum fuit, & ea quæ petiverunt conceſſimus. Quia ergo præſentes cauſſam ſubtilius poteſtis ſcire, hortamur ut eidem Petro ita ſervare quidquid juſtum canonicumque fuerit debeatis, quatenus & rectitudinis vigor a vobis in omnibus impleatur, & cauſſa ipſius ſecundum Dei timorem, & eccleſiæ videatur regulas judicata Si quis vero conſcius vel particeps præfato Petro in his quibus accuſatur dicitur extitiſſe, ſubtiliter requirendum eſt, & veritate cognita, ſimiliter canonice judi- E candum. Præterea res ad nos omnino dura & rectæ fidei inimica pervenit, quia, quod dici nefas eſt, catholici homines, & religioſi quod eſt deterius, filios mancipiaque ſua, vel alios quos in poteſtate habent, in Donatiſtarum hæreſi baptizari conſentiunt. Et ideo, ſi verum eſt, fraternitas veſtra hoc ſummopere ſtudeat emendare, quatenus ſinceritas fidei veſtra ſolicitudine intemerata conſiſtat, & innocentes animæ, quæ catholico baptiſmate ſalvari poterant, hæreticorum infectione non pereant. Quiſquis ergo de his perſonis, quas ſu-

* al. Regatiano.

ſuperius memoravimus, quemquam ſuorum apud A Donatiſtas paſſus eſt baptizari, ad catholicam eos fidem omni virtute omnique inſtantia ſtudeat revocare. Si quis vero talium de cetero hoc fieri de ſuis qualibet excuſatione pertulerit, a clero ſit modis omnibus alienus.

## XXXVII, AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

Alexandriam relictam Vincomali commendat.

*Gregorius Anthemio ſubdiacono.*

QUanto viduæ bene viventes virorum ſunt B ſolatio deſtitutæ, tanto eis enixius eccleſiaſtica eſt impendenda tuitio. Atque ideo hujus tibi præcepti pagina deputamus, quatenus * Alexandriæ magnificæ feminæ relictæ quondam Vincomali omni inſtantia omnique ſolicitudine, ubi neceſſe fuerit, ſervata ſcilicet æquitate, tuitionem feſtines impendere, atque ejus utilitatibus ſtudioſe concurrere: nec eam a quoquam vexari permittas, aut moleſtia ſuſtinere; ſed ita, ſicut prædiximus, ubi cauſſa popoſcerit, ope tuæ ſolicitudinis potiatur, ut nullus ſe in afflictione oppreſſioneque ipſius te illic coram poſito tentet aliquatenus occupare

* Alexandra

## XXXVIII. AD CYPRIANUM DIACONUM.

Joannem religioſum commendat e ſchiſmate reverſum.

*Gregorius Cypriano diacono.*

JOannem religioſum præſentium latorem, qui ex Iſtricorum ſchiſmate ad ſinum ſanctæ eccleſiæ Deo revelante accepta ratione reverſus eſt, dilectionem tuam, æquitate ſervata, habere neceſſe eſt in omnibus commendatum, atque ei in quibus cauſſa popoſcerit eccleſiaſticam tuitionem impendere. Cui etiam pro * diſpendiorum ſuorum ſubſidio, ab hac D quartadecima præſentis anni indictione, annis ſingulis octo ſolidos dare te volumus, quos tuis per omnia noveris rationibus imputandos.

* Ripend. o. in Tar./.

## XXXIX. AD DONUM EPISCOPUM MESSANENSEM.

Georgium, ſi emendare ſe voluerit, commendat.

*Gregorius Dono epiſcopo Meſſanenſi.*

GEorgius præſentium portitor degere, ut ait, in civitate veſtra deſiderans, apud E fraternitatem veſtram noſtra ſe petiit epiſtola commendari. Cui, quoniam a prava ſe promiſit actione compeſcere, quod petebat prævidimus non negandum. Et ideo ſanctitas veſtra de anima ejus ſtudeat propter Deum eſſe ſolicita, atque eum adhortationibus ſuis ad viam Deo placitam revocare: & ſi adjuvante Domino, ut promiſit, ab omni ſe pravitate ſuſpendens vivere honeſte voluerit, fraternitas veſtra pro mercede ſua, ut proſpexerit, ejus ſuſtentationi ſubveniat, ne forſitan ad male agendum excuſationem ſibi ex neceſſitate videatur aſſumere. Quid autem fraternitas veſtra ex ejus importunitate ſit paſſura conſideret, qui ad vos cum noſtris epiſtolis venit, quem nós ſine auctoritate aliqua importunum valde in prece pertulimus.

## XL. AD RUFINUM EPISCOPUM VIVONENSEM.

De presbytero ordinando in eccleſia Maſſæ Nicoteranæ.

*Gregorius Ruſino epiſcopo Vivonenſi.*

EX habitatorum maſſæ Nicoteranæ, quorum epiſcopus pro quibuſdam culpis in pœnitentiam deputatus eſt, relatione comperimus, nullum illic eſſe presbyterum qui ſacra poſſit miſſarum ſolennia celebrare, intantum ut etiam filios ſuos ſine baptiſmate aſſerant remanſiſſe. Et quia hac pro cauſſa magnopere petiverunt ſibi in eadem eccleſia, cui fraternitas veſtra operam viſitationis impendit, debere presbyterum ordinari; eapropter ſcriptis vos præſentibus adhortamur, ut de clero ejuſdem eccleſiæ requirere debeatis, cujus vita & mores ad hoc poſſit officium convenire, ut eum illic presbyterum feſtinetis auxi- C liante domino conſecrare. Nam valde durum eſt, ut quouſque cauſſa epiſcopi eorum ſubtiliter requiratur, non habeat eccleſia illa presbyterum, qui ſacrum illic opus valeat celebrare.

*Menſe Julio, indictione decimaquarta.*

## XLI. AD VICTOREM EPISCOPUM PANORMITANUM.

Ut in monaſterio presbyterum ordinet.

*Gregorius Victori epiſcopo Panormitano.*

URbicus abbas monaſterii ſancti Hermæ, quod Panormi ſitum eſt, a nobis cum congregatione ſua magnopere poſtulavit in eodem monaſterio presbyterum, qui ſacra miſſarum ſolennia celebrare debeat, ordinari: & quia hujuſmodi non eſt differenda petitio, fraternitatem veſtram ſcriptis præſentibus neceſſario duximus adhortandam, ut eum qui ad hoc miniſterium de eadem congregatione electus fuerit, cujus vita, mores, & actio tanto poſſint miniſterio convenire, ſine mora auxiliante domino debeat conſecrari; quatenus nec ille de monaſterio ſuo hac pro cauſſa egredi, nec extraneum ſibi ad peragendum ſacrum opus cogatur adducere.

## XLII. AD VENANTIUM PATRICIUM.

De diſcordia inter ipſum & Joannem epiſcopum Syracuſanum.

*Gregorius Venantio patricio * exmonarcho.*

* exmonacho ita & in Pariſ. Joan. diac. lib. 3. cap. 8.

MUltum ea quam direxiſtis jam nos contriſtatos invenit epiſtola, quod inter vos & Joannem fratrem & coepiſcopum noſtrum, de quorum deſiderabamus gaudere con-

concordia, ſcandalum prodiiſſe cognovimus. A Quamvis enim cauſſa fuiſſet, non uſque ad hoc debuit furor erumpere, ut armati homines veſtri, ſicut audivimus, in epiſcopum irruerent, & diverſa hoſtili more mala committerent, atque vos haec res a paterna caritate interim divideret. Numquid non poterat qualibet contentio fuerit tranquille diſponi, ut nec partium utilitas detrimentum, nec ſentiret gratia laeſionem? Cujus autem gravitatis, cujus ſanctitatis, cujus manſuetudinis ſupradictus frater noſter ſit, non habemus incognitum. Ex qua re colligimus, quia niſi vis eum doloris nimia coegiſſet, ad hanc rem, de qua vos contriſtatos aſſeritis, ejus fraternitas nullatenus perveniſſet. Nos tamen ut hoc eo B ſcribente comperimus, illico ei ſcripſimus, admonentes & oblationes veſtras ſicut ante ſuſciperet, & miſſas in domo veſtra non ſolum celebrari permitteret, ſed ſi velitis etiam ipſe perageret, cauſſamque ſuam ſervata caritate exequi debuiſſet. Et quia nullos diſcordes vel fieri volumus vel manere, eamdem adhortationem iterandam eſſe proſpeximus Unde neceſſe eſt, cariſſime fili, ut & vos ſacerdotalem illi reverentiam exhibere, ſicut decet filios, debeatis, nec ejus ad iracundiam animos provocetis. Nam cum quo ſidam eſtis gratiam habituri, ſi vobis, quod abſit, cum ſacerdote fuerit diſcordia? Itaque animi tumore depoſito, ſic agere cauſſas quas habetis in- C vicem ſtudete, ut & caritas inter vos intemerata permaneat, & alterutra manſuete procuretur utilitas.

## XLIII. AD JOANNEM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

De diſcordia inter ipſum & Venantium patricium facta.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

QUamvis cauſſa fuerit quae fraternitatis veſtrae animos ad iracundiam non im D merito provocaret, ut nec oblationes domini Venantii voluiſſetis ſuſcipere, nec in domo ipſius ſacra miſſarum ſineretis ſolemnia celebrari, tamen quia ita terrena agi debet utilitas, ut nullum vos jurgium a caritatis valeat connexione disjungere; proinde caritatem veſtram, ſicut dudum ſcripſimus, adhortamur, quatenus & oblationes antedicti viri omnimodo in dulcedine & Deo placita debeatis ſinceritate ſuſcipere, & in domo ipſius miſſarum peragi myſteria permittatis, ut, ſicut ſcripſimus, ſi fortaſſe voluerit, per vos debeatis accedere, & celebrando apud eum miſſas priorem gratiam reformare. Oportet namque fillis ſacerdotalem in vos affectum impen- E dere, & in cauſſis prout ratio ſuffragatur, juriſdictionem eccleſiae veſtrae minime praeterire. Hoc ergo conſiderans, neceſſe eſt, ut ita ſe circa eos fraternitatis veſtra diſcreta moderatione exhibere ſtudeat, ut & quod negotii qualitas exigit, ſalubriter peragat, & a paternae caritatis gratia non recedat.

## XLIV. AD BONAM ABBATISSAM.

De monaſterio ejus in melius tranſmutando.

*Gregorius Bonae * abbatiſſae.*

ECcleſiaſtica damnum non ſentit utilitas, ſi res aliis competentes cognita veritate reſtituat: atque ideo cognovimus Joannem quondam presbyterum ſanctae Romanae eccleſiae, cui Deo auctore deſervimus, in domo juris ſui poſita in hac urbe Roma, juxta thermas Agrippinas, oratorium conſtruxiſſe; ibique quoſdam redditus legati titulo per teſta- B menti ſui ſeriem reliquiſſe. In quo etiam oratorium ſervorum Dei congregationem eſſe conſtituit, & haec omnia ut debuiſſent impleri, teſtamenti ſui pagina ſanctae memoriae deceſſori noſtro Pelagio noſcitur deputaſſe. Sed qui morte occupatus, necdum hoc occurrit implere, & domus ipſa cum horto ſuo ab actoribus noſtrae eccleſiae detinetur, & idcirco haſtenus necdum voluntas defuncti completa eſt, juſtitiae ratio nos vehementer incitat hujuſmodi piae diſpoſitionis arbitrium veſtra ſolicitudine, & hoc quod deceſſori noſtro injunctum eſt adimplere; ſed quoniam illic pro difficultate temporis nova ſervorum Dei congregatio adhiberi non potuit, feminarum ſal- C tem congregationem conſtituendam eſſe decernimus: atque ideo & locum ipſum ſolenniter dedicare. Et quia monaſterium, ubi tu prius fuiſti, in ruinae erat periculo conſtitutum, te illic cum congregatione tua conſiſtere per omnia debere, Deo annuente, perſpeximus, quatenus in ſupraſcriptae domus monaſterio juxta voluntatem defuncti, domino redemptori noſtro ſerviens eſſe congregatio potuiſſet, & imminens poſſes periculum evitare. Unde neceſſe eſt ut & nunc & in futuris temporibus Dei illic laudes per eam, quae modo eſt vel ſucceſſura eſt, congregationem modis omnibus celebrentur. Conſiderantes igitur antedicti presbyteri voluntatem, perpetuo D illic tempore monaſterium eſſe, atque ad id eamdem domum in integro cum horto ſuo, & rebus inferius deſignatis, quae a teſtatore relictae ſunt, proprietatis jure conſtituimus pertinere, id eſt, maſſam Magulianenſem cum appendiciis ſuis via Nomentana, millario plus minus undecimo, tabernam in hac urbe, quae eſt poſita juxta * Palacenas, & ſalgamum poſitum ante domum ſupraſcripti monaſterii. His igitur ita conceſſis atque diſpoſitis, oportet ut ita dilectio tua diligenter invigilet, ut & Dei illic, ſicuti praefati ſumus, laudes ſalubri ſtudio devote, ut moris eſt, celebrentur, & ſupraſcriptae res ad jus ipſius pertinentes nulla te negligente occaſione depereant. Hanc enim E ſolicitudinem non ſolum te, ſed etiam quae tuo loco ſucceſſerint in praedicto monaſterio & rebus ſuperius deſignatis conſtituimus nihilo minus exhibere

In Pariſienſi refertur ad indictionem XI.

* Palatinas. Vide l. 9. ep. 48.

A

## XLV. AD LEONTIUM EPISCOPUM ARIMINENSEM.

De eccleſia ſancti Stephani dedicanda.

*Gregorius Leontio epiſcopo Ariminenſi.*

BAſilicam beati Stephani martyris, quam fraternitas veſtra incendio aſſerit concrematam, quam etiam nuper inſtauratam eſſe commemorat, facultatem tribuimus dedicandi, in qua etiam reliquiarum ſanctuaria ejusdem beati Stephani martyris volumus collocari. Et ideo, frater cariſſime, ad prædictam te eccleſiam ire neceſſe eſt, & tam eccleſiæ quam etiam altaris noviter conſtructi dedicationem ſolenniter exhibere, ut expectantium de eadem conſecratione devotio domino valeat auxiliante compleri. Quidquid præterea eidem loco a fundatoribus olim conceſſum eſt in ea qua dimiſſum eſt voluntate ac firmitate volumus permanere.

## XLVI. AD FELICEM EPISCOPUM PISAURENSEM.

De miſſis publicis, cathedra in eccleſia poſita, in monaſterio a Joanne conſtructo non celebrandis.

*Gregorius Felici epiſcopo Piſaurenſi.*

MIramur fraternitatem veſtram, quod ſerie præcepti neglecta, quod ad vos ſanctæ memoriæ deceſſor noſter dederat, monaſterium a Joanne præſentium portitore conſtructum aliter quam antiquæ conſuetudinis uſus exigit conſecrares. Dum etiam in eodem præcepto inter alia mandatum ſit, ut locum ipſum abſque miſſis publicis dedicares; ut ad nos pervenit, cathedra poſita, ſacra illic publice miſſarum ſolennia celebrantur. Quod ſi verum eſt, his vos hortamur affatibus, ut omni excuſatione ceſſante cathedram veſtram exinde amoveri modis omnibus faciatis, nec denuo illic miſſas publicas peragatis. Sed & ſicut conſuetudo & præcepti tenor eloquitur, ſi miſſas ibidem ſibi celebrari voluerint, a te presbyter dirigatur. In eodem autem monaſterio congregationem ſervorum Dei, ſicut prædictus Joannes petiit, & nunc eſſe, & cum Dei gratia ſemper volumus permanere. Calicem vero, quem ſibi a fraternitate veſtra ablatum innotuit, ei, ſi ita eſt, reſtituere feſtinate. Hæc ergo ſanctitas veſtra ita ſtudeat adimplere, ut denuo ad nos prædictus portitor pro hac cauſſa neceſſitatem remeandi non habeat.

## XLVII. AD LEONEM EPISCOPUM FANENSEM.

De ſchiſmaticis ad unitatem eccleſiæ redeuntibus.

*Gregorius Leoni epiſcopo Fanenſi.*

SIcut * ſchiſmatici pravo ſtudio perdurantes objurgandi deteſtandique ſunt, ſic ad ſinum matris eccleſiæ redeuntes conſolandi, & nihilo minus refovendi. Quia igitur Joannes religioſus præſentium lator recepta ratione ad B unitatem ſanctæ eccleſiæ ab errore Iſtricorum Deo miſerante converſus eſt, eapropter fraternitatem veſtram hortari prævidimus, ut eum ſalva ratione habere debeat in omnibus commendatum, atque ſuo favore protegere. Cui etiam, ne poſſit poſt converſionem alicui neceſſitati ſuccumbere, aliquid de eccleſia illi prævidimus annis ſingulis conſulendum. Quia ergo veſtræ ſanctitati ſe ſummopere petiit commendari, providendum vobis pro veſtra mercede eſt, ut, ſicut diximus, veſtris in omnibus ſolatiis fulciatur.

* ſchiſmati

## XLVIII. AD JADERTINOS.

C Hortatur ut a Maximi prævaricatoris communione abſtineant, & ab illis ſacramenta percipiant qui Maximo non communicarunt.

*Gregorius presbyteris, diaconibus, & clero, nobilibus, ac populo, Jaderæ conſiſtentibus, & * militibus qui Maximo prævaricatori communicaverant.*

* militibus deeſt in Pariſ.

PErvenit ad me quoſdam veſtrum, ignorantia vel neceſſitate deceptos, his qui ab apoſtolica ſede, culpa, ſicut noſtis, exigente, communione privati ſunt communicaſſe; quoſdam vero ſe ſalubri diſcretione, protegente D domino, ſuſpendiſſe; & quantum de conſtantibus gaudeo, tantum de deviantibus ingemiſco; quoniam ſacræ communionis myſteria, quæ ad abſolutionem nobis divina pietate conceſſa ſunt, in detrimentum magis ſuæ animæ perceperunt. Et quia ſicut vobis omnipotens Deus innoteſcat vehementer, caritati veſtræ medullitus & ex toto corde compatior, paterno affectu obteſtor atque ſuadeo, ut ab illicita communione ſe quiſque ſuſpendat, & quos apoſtolica ſedes in communionis ſuæ conſortium non recipit omnino refugiat, ne inde reus ante conſpectum æterni judicis unde poterat ſalvari conſiſtat. Comperi autem quod quidam perverſæ mentis homines illic inſinua- E re conati ſunt, quia ego contra Maximum quodam odio movear, & non ea quæ canonica, ſed ea potius quæ furoris ſunt exequi concupiſcam. Sed abſit hoc, abſit a ſacerdotali animo, ut in qualibet cauſſa privato zelo moveatur. Ego vero populo in illis partibus conſiſtenti, ac meæ animæ providens, & omnipotentis Dei judicium pertimeſcens, cauſſas ejuſdem Maximi exquiri volo, & cum omni ſinceritate revelant domino quod eſt canonicum definire. Cui quoniam frequenter ſcripſimus, ut non prius ſacra miſſarum ſolennia cele-

Eadem fere in epiſt. 16. ejuſdem lib.

celebraret, quam cauſſam ejus potuiſſemus A agnoſcere, alioquin eſſet communione privatus, & ex hoc jam ſuperbiæ ipſius culpa in aperto monſtratur, quod ſæpius, ſicut dixi, admonitus ut ad nos veniret, diverſis excuſationibus renititur, refugit, metuit. Unde ergo trepidat, ſi eum de his quæ dicta ſunt conſcientia non accuſat? Hæc ergo cognoſcentes, poſtquam vobis nullam de ignorantia excuſationem aſſumere poteſtis; rogo, hortor & moneo, ut prohibitæ vos communionis conſortio per omnia ſuſpendátis, nec cuiquam ſacerdoti, ſupraſcripto Maximo communicanti, contra animam ſuam quiſquam veſtrum communicare præſumat. Quia tamen audio, ſicut præfatus ſum, quoſdem veſtrum ignorantia lapſos, quoſdam etiam ad communicandum violenter eſſe oppreſſos, omnipotentem dominum deprecor, ut & eos, qui huic pravitati minime conſenſerunt, perpetua gratiæ ſuæ protectione cuſtodiat, & optata eis largitate reſpondeat. Et illos quos aut ſtudium, aut ignorantia, aut alia quælibet cauſſa traxit in culpam, ab omni reatu peccatorum, atque ab omnibus vinculis alienæ obligationis abſolvat, omnibuſque in præſenti vita protectionis ſuæ gratiam tribuat, & nos de vobis in æterna patria gaudere concedat. Ut igitur hæc vobis interceſſio apud Deum ſalvatorem noſtrum proficiat, adhortationibus noſtris pro animæ veſtræ ſalute obedientiam exhibete, & ab illis C ſacram communionem percipite, quos ſe ab antedicti Maximi communione abſtinuiſſe vel abſtinere cognoſcitis.

Grat. 11 q. 3. c. Rogo.

## XLIX. AD URBICUM ABBATEM SANCTI HERMETIS.

De Agathone ſuſcipiendo, ſi ejus quoque uxor fieri monialis voluerit.

*Gregorius Urbico abbati monaſterii ſancti Hermetis, quod in Panormo ſitum eſt.*

QUiſquis divina aſpiratione compunctus re- D lictis ſæculi hujus actionibus ad Deum converti feſtinat, ita & cum caritate ſuſcipiendus eſt, & blandis per omnia conſolationibus refovendus, ut in ea quam elegit, Deo adjuvante, delectetur modis omnibus converſatione perſiſtere. Quia igitur Agatho præſentium lator in monaſterio dilectionis tuæ converti deſiderat, hortamur, ut cum omni eum dulcedine dilectioneque ſuſcipias, atque ad æternam vitam ejus deſiderium aſſidua adhortatione ſuccendas, & circa animæ ipſius ſalutem diligenter ſtudeas eſſe ſolicitus, quatenus dum in Dei noſtri ſervitio te admonente devota mente perſtiterit, & illi proſit ſæculum reliquiſſe, & tibi ejus converſio pro- E ficiat ad mercedem. Quem tamen ita ſuſcipiendum eſſe cognoſce, ſi & uxor ipſius ſimiliter converti voluerit. Nam dum unum utrorumque corpus conjugii copulatione ſit factum, incongruum eſt partem converti, & partem in ſæculo remanere.

Grat. 27. q. 2. c. Quia Agatho

## L. AD PALLADIUM EPISCOPUM SANTONENSEM.

Mittit reliquias ad dedicationem quatuor altarium in baſilica, quam Palladius conſtruxerat.

*Gregorius Palladio epiſcopo * Santonas.*

* Santonum vel de Santonas.

VEniens lator præſentium Leuparicus presbyter inſinuavit nobis fraternitatem veſtram eccleſiam in honorem beatorum Petri & Pauli apoſtolorum, nec non Laurentii atB que Pancratii martyrum, conſtruxiſſe, atque illic tredecim altaria collocaſſe, ex quibus quatuor necdum dedicata comperimus remanſiſſe, ob hoc quod ſupradictorum ſanctorum reliquias illic collocare Deo annuente diſponitis. Et quia reliquias ſanctorum Petri & Pauli, nec non Laurentii atque Pancratii martyrum, cum veneratione præbuimus, hortamur ut eas cum reverentia ſuſcipere, & collocare auxiliante domino debeatis; proviſuri ante omnia, ut ſervientibus ibidem non debeant alimoniarum deeſſe ſuffragia.

## LI. AD BRUNICHILDEM REGINAM FRANCORUM.

Reliquias mittit, quas poſtulabat. Hortatur ut eorum qui his deſervient quieti proſpiciat.

*Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.*

EPiſtolarum veſtrarum ſeries, quæ religioſum animum & piæ mentis ſtudium continebat, non ſolum voluntatis veſtræ fecit nos laudare propoſitum, ſed etiam libenter invitavit poſtulata concedere. Non enim nos negare decuit, quod Chriſtiana devotio, & recti cordis deſiderium flagitabat, præſertim dum illa poſtulari, & tota amplecti mente cognovimus, quæ & credentium fidem valde protegere, & animarum ſalutem operari nihilo minus poterunt ac ſervare. Atque ideo congruo honore veſtram excellentiam ſalutantes, indicamus latori præſentium Leuparico, quem vos eſſe presbyterum ſcripſiſtis, per quem eloquia veſtrarum ſuſcepimus litterarum, reliquias nos beatorum apoſtolorum Petri & Pauli juxta excellentiæ veſtræ petitionem cum ea veneratione qua dignum eſt præbuiſſe. Sed ut in nobis magis magiſque laudabilis & religioſa poſſit clarere devotio, providendum vobis eſt, ut ſanctorum beneficia cum reverentia & debito honore condantur; & ſervientes ibidem nullis oneribus nulliſque moleſtiis affligantur; ne forſitan neceſſitate exterius imminente in Dei ſervitio inutiles ſegneſque reddantur, & injuriam, quod abſit, neglectumque beneficia ſanctorum * collocata ſuſtineant. Quieti ergo eorum excellentia veſtra proſpiciat, quatenus dum veſtro beneficio liberi, & ab omni fuerint inquietudine cuſtoditi, & illi Deo noſtro ſecura mente laudes exolvant, & vobis in æterna vita merces accreſcat.

* reliquiæ. Po-ty

## LII. AD PALLADIUM, PELAGIUM,

### ET SERANUM EPISCOPOS,

Commendat Auguſtinum in Angliam euntem
cum ſociis, & Candidum rectorem
patrimonii.

* Deeſt in Pariſ. Palladio epiſcopo de Santonis.

*Gregorius* [1] * *Palladio epiſcopo de Santonis, Pelagio de Turonis, & Sereno de Maſſilia, epiſcopis Galliarum, a paribus.*

LIcet apud ſacerdotes habentes Deo placi-
tam caritatem religioſi viri nullius com-
mendationis indigeant; quia tamen aptum ſcri-
B bendi tempus ingeſſit, fraternitati veſtræ no-
ſtra mittere ſcripta curavimus, inſinuantes la-
torem præſentium Auguſtinum ſervum Dei,
de cujus certi ſumus ſtudio, cum aliis ſervis
Dei illuc nos pro utilitate animarum, auxi-
liante domino, direxiſſe. Quem neceſſe eſt,
ut ſacerdotali ſtudio ſanctitas veſtra adjuvare,
& ſua ei ſolatia præbere feſtinet. Cui etiam
ut promptiores ad ſuffragandum poſſitis exi-
ſtere, cauſſam vobis injunximus ſubtiliter in-
dicare, ſcientes quod ea cognita, tota vos pro-
pter Deum devotione ad ſolatiandum, quia
res exigit, commodetis. Candidum præterea
presbyterum communem filium, quem ad gu-
bernationem patrimonioli eccleſiæ noſtræ tranſ-
C miſimus, caritati veſtræ in omnibus commen-
damus. *

* Pariſ. add. data die X. Kal. Aug. indict. XIV.

### NOTÆ JACOBI SIRMONDI, S. J.

1 *Palladio de Santonis*) Palladius Santonum epiſcopus ante aliquot annos concilio Matiſconenſi II. interfuerat. Pelagius Gregorio epiſcopo in eccleſia Turonenſi ſucceſſerat. Serenus Theodoro in Maſſilienſi. Ceterum hoc eodem exemplo miſſa eſt etiam ad Ætherium epiſcopum Lugdunenſem epiſtola, quam recitat Beda libro 1. cap. 24. *Reverendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Ætherio coepiſcopo Gregorius ſervus ſervorum Dei. Licet apud ſacerdotes &c. Deus te incolumem cuſtodiat, reverendiſſime frater. Data die X. Kalendarum Auguſtarum, imperante domino noſtro Mauritio Tiberio piiſſimo Auguſto anno 14. poſt conſulatum ejuſdem domini noſtri anno 13. indictione XIV.*

D

## LIII. AD VIRGILIUM EPISCOPUM

### ARELATENSEM.

Commendat Auguſtinum, ac ſimul Candidum
presbyterum; monetque ut huic patrimonii
penſiones reſtituat, quas ipſius
deceſſor collegerat.

*Gregorius Virgilio epiſcopo Arelatenſi, metropolitano Galliæ.*

QUamvis fraternitatem veſtram bonis eſſe
intentam operibus, & ſponte ſe exhibe-
E re in cauſſis Deo placitis confidamus,
veruntamen utile eſſe fraterna vos alloqui ca-
ritate credidimus, ut ſolatia, quæ vos ultro
decet impendere noſtris quoque provocati epi-
ſtolis augeatis. Atque ideo indicamus ſancti-
tati veſtræ, Auguſtinum ſervum Dei præſen-
tium portitorem cujus zelus & ſtudium bene
eſt nobis cognitum cum aliis ſervis Dei pro
animarum nos illuc compendio tranſmiſiſſe, ſi-
cut ipſe vobis coram poſitus poterit indicare.
In qua re oratione vos eum & auxiliis adju-

A vare neceſſe eſt, atque ubi opus exegerit ſo-
latiorum veſtrorum ei præbere ſuffragia, &
paterna ac ſacerdotali illum conſolatione, ſi-
cut convenit, refovere: quatenus dum ſancti-
tatis veſtræ fuerit ſolamina conſecutus, ſi quid
Deo noſtro lucriſacere, ſicut optamus, value-
rit, & vos poſſitis pariter mercedem acquire-
re, qui ad bona opera ſuffragii veſtri devote
copiam miniſtratis. Candidum autem presby-
terum communem filium, & patrimoniolum
eccleſiæ noſtræ, fraternitas veſtra, quippe ut
unanimis nobis, ſtudeat habere commenda-
tum; ut aliquid inde pauperum alimoniis ſan-
ctitate veſtra valeat adjuvante proficere. Quia
igitur patrimoniolum ipſum per annos pluri-
B mos prædeceſſor veſter tenuit, & collectas apud
ſe penſiones ſervavit, fraternitas veſtra cujus
ſint res, vel * cui erogentur, conſideret; at-
que eas animæ ſuæ reſpectu ſupraſcripto filio
noſtro Candido presbytero nobis reſtituat di-
rigendas. Nam valde eſt execrabile ut quod
a regibus gentium ſervatum eſt ab epiſcopis
dicatur ablatum.

* quibus. Pariſ.

## LIV. AD DESIDERIUM ET SYAGRIUM

### EPISCOPOS.

Auguſtinum & Candidum commendat.

C *Gregorius Deſiderio Viennenſi, & Syagrio Auguſtodunenſi epiſcopis Galliæ, a paribus.*

DE fraternitatis veſtræ ſincera caritate be-
ne confidimus quod amore beati Petri
apoſtolorum principis hominibus noſtris veſtra
devota ſolatia commodetis; præſertim dum
cauſſæ qualitas exigat, ubi etiam ſponte con-
currere & laborare magis optetis. Indicamus
itaque ſanctitati veſtræ nos Auguſtinum ſer-
vum Dei præſentium portitorem, cujus zelus
& ſtudium bene nobis eſt cognitum, cum aliis
ſervis Dei pro animarum illuc cauſſa diſpo-
nente domino direxiſſe; cujus relatione quid
ſibi injunctum ſit ſubtiliter agnoſcens fraterni-
D tas veſtra ei modis omnibus, in quibus cauſ-
ſa popoſcerit, impendat ſolatia, ut boni ope-
ris adjutores, ſicut decet & convenit, poſſitis
exiſtere. Ita ergo fraternitas veſtra in hac re
ſe devotam ſtudeat demonſtrare, ut bona, quæ
de vobis opinione narrante didicimus, ver
eſſe opere comprobemus. Dilectiſſimum vero
communem filium Candidum, cui patrimonio-
lum eccleſiæ noſtræ commiſimus in illis par-
tibus conſtitutum, vobis per omnia commen-
damus.

## LV. AD PROTASIUM EPISCOPUM

### AQUENSEM.

Ut Virgilio epiſcopo Arelatenſi de penſionibus
eccleſiæ inſinuet, & Candidum habeat
commendatum.

*Gregorius Protaſio epiſcopo de Aquis Galliæ.*

E QUantus in vobis B. Petri apoſtolorum prin-
cipis amor excellat, non ſolum officii
veſtri prærogativa, ſed etiam devotio,
quam circa utilitates eccleſiæ ipſius geritis,
patefecit. Quæ quia Auguſtino ſervo Dei præ-
ſen-

ſentium latore cognovimus referente, de eſ- A
fectu & veritatis ſtudio quod in vobis eſt valde gaudemus, & gratias agimus, quia etſi corpore abſentes, mente tamen & animo nobiſcum vos eſſe monſtratis; quippe erga quos caritatem fraternam ut convenit exhibetis. Ut igitur bona, quæ de vobis prædicavit opinio, rerum poſſit veritas confirmare, Virgilio fratri & coepiſcopo noſtro dicite, ut penſiones, quas prædeceſſor ejus per annos plurimos de patrimoniolo noſtro percepit, & apud ſe retinuit ad nos, quia pauperum res ſunt, ſtudeat deſtinare. Qui ſi forte aliquo ſe modo, quod non credimus, excuſare voluerit; vos qui veritatem ipſam ſubtilius noſtis, revera qui in eccleſia ipſa tunc temporis curam vicedomini B
gerebatis, qualiter ſe habeat cauſſa diſſerite, & ne res ſancti Petri & pauperum ejus apud ſe retinere debeat imminere. Sed & ſi fortaſſe hominibus noſtris neceſſarium fuerit, veſtrum in cauſſa teſtimonium non negate; ut tam pro veritatis, quam pro voluntatis veſtræ devotione beatus Petrus apoſtolus, cujus amore hæc facitis ſua vobis & hic & in futura vita interceſſione reſpondeat. Candidum presbyterum communem filium, cui patrimoniolum ipſum commiſimus, ſanctitati veſtræ magnopere commendamus.

## LVI. AD STEPHANUM ABBATEM LIRINENSEM.

C

Ut ſolicitus ſit circa congregationem ſibi commiſſam.

*Gregorius Stephano abbati * de monaſterio Lirino Galliæ.*

LÆtos nos relatio Auguſtini ſervi Dei præſentium portitoris effecit, quod dilectionem tuam, ut oportet, vigilantem eſſe narravit: denique & presbyteros & diaconos, cunctamque congregationem unanimes vivere ac concordes affirmat. Et quoniam præpoſitorum bonitas ſubjectorum ſalubris eſt regula, omni- D
potentem dominum deprecamur, ut in bonis te ſemper operibus gratia ſuæ pietatis accendat, & commiſſos tibi ab omni diabolicæ fraudis tentatione cuſtodiat, & tecum cum caritate & placita ſibi vivere converſatione concedat. Quia vero humani generis inimicus inſidiari noſtris actibus non quieſcit, ſed aſſidua calliditate hoc nititur, ut Deo ſervientes animas in qualibet parte decipiat, ideo dilectiſſime fili, hortamur ut ſolicitudinem tuam vigilanter exerceas, & ita commiſſos tibi orationæ & cura providenti cuſtodias, ut lupus circumiens nullam dilaniandi occaſionem inveniat, quatenus dum Deo noſtro incolumes quorum ſuſcepiſti curam reddideris, & præ- E
mia labori tuo gratia ſua rependat & tibi æternæ vitæ deſideria multiplicet. Cochleares vero & circulos quos direxiſti ſuſcepimus, & caritati tuæ gratias agimus; quia qualiter pauperes diligas oſtendiſti, qui ad uſus eorum quæ ſunt neceſſaria tranſmiſiſti.

### NOTÆ JACOBI SIRMONDI S. J.

*De monaſterio Lirino*) Pro *Lirino*, ſcriptum eſt apud Gregorium [illegible]. certa eſt emendatio; Stephani enim abbatis, quem ad vigilantiam & ſolicitudinem hac [illegible] earlier, [illegible] perſtringitur in altera Gregorii epiſtola ad Cononem Abbatem Lirinenſem, Stephani ſucceſſorem.

## LVII. AD ARIGIUM PATRICIUM.

Commendat Auguſtinum & Candidum.

*Gregorius Arigio patricio de Galliis.*

QUanta in vobis bonitas quantaque manſuetudo cum Chriſto placita caritate reſplendeat, latore præſentium Auguſtino ſervo Dei referente comperimus; atque omnipotenti Deo gratias agimus, qui hæc vobis pietatis ſuæ dona conceſſit, per quæ inter homines valde laudabiles, & ante conſpectum ipſius, quod eſt veraciter utile, glorioſi poſſitis exiſtere. Oramus ergo omnipotentem dominum, ut hæc in vobis quæ conceſſit dona multiplicet, & ſua vos cum omnibus veſtris protectione cuſtodiat; & ita actionem gloriæ veſtræ in hoc ſæculo diſponat, ut & hic vobis, & in futura, quod magis optandum eſt, vita proficiat. Salutantes itaque gloriam veſtram paterna dulcedine petimus, ut lator præſentium, & ſervi Dei, qui cum eo ſunt, veſtra in quibus neceſſe fuerit ſolatia conſequantur, quatenus dum veſtrum favorem invenerint, injuncta ſibi melius adjuvante domino valeant adimplere. Præterea filium noſtrum Candidum presbyterum, quem ad gubernationem patrimonioli eccleſiæ noſtræ, quod illic eſt, tranſmiſimus, vobis per omnia commendamus, confidentes a Deo noſtro vos mercedis vicem recipere, ſi rebus pauperum ſolatia ſua gloria veſtra devota mente præſtiterit.

## LVIII. AD THEODORICUM ET THEODEBERTUM REGES FRANCORUM.

Commendat illis Auguſtinum, cui injunxit ut aliquos ſecum e vicino presbyteros in Angliam ducat, commendat item Candidum rectorem patrimonii.

*Gregorius * Theoderico & Theodeberto regibus Francorum, a paribus.*

POſtquam Deus omnipotens regnum veſtrum fidei rectitudine decoravit, & * inter gentes alias fecit eſſe conſpicuum, magnam de vobis materiam præſumendi concepimus, quod ſubjectos veſtros ad eam converti fidem per omnia cupiatis in qua eorum nempe reges eſtis & domini. Atque ideo pervenit ad nos Anglorum gentem ad fidem Chriſtianam Deo miſerante deſideranter velle converti, ſed ſacerdotes veſtros e vicino negligere, & deſideria eorum ceſſare ſua adhortatione ſuccendere. Ob hoc igitur Auguſtinum ſervum Dei præſentium portitorem, cujus zelus & ſtudium bene nobis eſt cognitum, cum aliis ſervis Dei illuc prævidimus dirigendum. Quibus etiam injunximus, ut aliquos ſecum e vicino debeant presbyteros ducere, cum quibus eorum poſſint mentes agnoſcere, & voluntates admonitione ſua, quantum Deus donaverit adjuvare. In qua re ut efficaces valeant atque idonei apparere, excellentiam veſtram paterna ſalutantes caritate quæſumus, ut hi quos di-

* [illegible] ad [illegible] chriſtianæ religionis [illegible], &c.

Queritur ſacerdotes Galliæ, Anglos negligere deſiderantes fieri Chriſtianos.

Reges ut Auguſtinum [illegible] [illegible] [illegible]

rexinnus favoris veſtri invenire gratiam merean- A
tur. Et quia animarum cauſſa eſt, veſtra eos
poteſtas tueatur & adjuvet, ut Deus omnipo-
tens, qui vos in cauſſas ſua devota mente, &
toto ſtudio ſolatiari cognoſcit, cauſſas veſtras
ſua protectione diſponat, & poſt terrenam po-
teſtatem ad cæleſtia vos regna perducat. Præ-
terea dilectiſſimum filium noſtrum Candidum
presbyterum, & patrimoniolum eccleſiæ no-
ſtræ, quod in illis partibus eſt conſtitutum,
ut commendatum excellentia veſtra habere de-
beat poſtulamus, quatenus beatus Petrus apo-
ſtolorum princeps ſua vobis interceſſione re-
ſpondeat, qui mercedis intuitu tuitionem in
rebus pauperum ejus impenditis.

### Notæ Jacobi Sirmondi, S. J.

1. *Theoderico & Theodeberto,* ) Childeberti regis fi-
lis. Ad Childebertum regem epiſtolam VII. ſcripſerat
Gregorius menſe Septembri, indictione 14. id eſt anno
Chriſti 595. Hanc ad filios reges ſcribit menſe Julio
ejuſdem indictionis, quæ nota eſt anni 596. Tempore
igitur interjecto mortuum eſt Childebertum, eique
filios ſucceſſiſſe neceſſe eſt. Errant proinde qui horum
regni exordium in anno Chriſti 690. conſtituunt, ut
Sigebertus in chronico.

## LIX. AD BRUNICHILDEM REGINAM FRANCORUM.

Ut ſuam Auguſtino in Angliam eunti, & Can-
dido rectori patrimonii, tuitionem &
auxilium impendat.

*Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.*

EXcellentiæ veſtræ Chriſtianitas ita nobis
veraciter olim innotuit, ut de bonitate
ejus nullatenus dubitemus; ſed magis certum
omnibus teneamus, quia in cauſſa fidei devo-
te & ſtudioſe concurrat, & religioſæ ſinceri-
tatis ſuæ ſolatia copioſiſſime ſubminiſtret. Ex
qua re bene confidentes, paterna caritate ſa-
lutantes indicamus ad nos perveniſſe Anglo-
rum gentem Deo annuente velle fieri Chri-
ſtianam, ſed ſacerdotes qui in vicino ſunt pa-
ſtoralem erga eos ſolicitudinem non habere.
Quorum ne animæ in æterna damnatione va-
leant deperire, curæ nobis fuit præſentium
portitorem Auguſtinum ſervum Dei cujus ze-
lus & ſtudium bene nobis eſt cognitum, cum
aliis ſervis Dei illuc dirigere, ut per eos po-
tuiſſemus ipſorum voluntates addiſcere, & de
eorum converſione, vobis quoque annitenti-
bus, inquantum eſt poſſibile cogitare. Quibus
etiam injunximus, ut ad agenda hæc e vici-
no ſecum debeant presbyteros ducere. Excel-
lentia ergo veſtra, quæ prona in bonis con-
ſuevit eſſe operibus, tam pro noſtra petitio-
ne, quam etiam divini timoris conſideratione
eum dignetur in omnibus habere commenda-
tum, atque ei tuitionis ſuæ gratiam vehemen-
ter impendat, & labori ejus patrocinii ſui fe-
rat auxilium; & ut pleniſſime poſſit habere
mercedem, ad ſupraſcriptam Anglorum gen
tem ſua tuitione ſecurum ire provideat; qua-
tenus Deus noſter, qui in hoc ſæculo vos bo-
nis ſibi placitis decoravit, hic & in æterna
requie cum ſuis vos ſanctis faciat gratulari.
Præterea dilectum filium noſtrum Candidum
presbyterum, & patrimoniolum eccleſiæ no-
ſtræ quod illic conſtitutum eſt, veſtræ Chri-

Anglos velle fieri Christianos, ſed ſacerdotes Galliæ non ſubvenire.

Auguſtinum igitur mitti, quem foveat, rogat.

ſtianitati commendantes petimus ut tuitionis
veſtræ gratiam in omnibus conſequatur.

## LX. AD EULOGIUM EPISCOPUM ALEXANDRINUM.

De laude caritatis, & perſecutione Longobar-
dorum, & de muneribus, quæ ab eo
tranſmiſſa ſuſceperat.

*Gregorius Eulogio epiſcopo Alexandrino.*

MAter & cuſtos bonorum omnium cari-
tas, quæ multorum corda uniendo con-
B ſtringit, abſentem non æſtimat eum, quem ocu-
lis mentis habeat præſentem. In hujus ergo
radice cum, frater cariſſime, teneamur, nihil
ſibi in nobis corporalis abſentia, nihil poterit
regionum vendicare longinquitas; quippe quia
ſcilicet longe a nobis non ſumus qui unum
ſumus. Hanc autem eſſe nobis cum ceteris
fratribus communem ſemper optamus. Eſt ta-
men aliquid quod nos erga Alexandrinam ec-
cleſiam quadam peculiaritate conſtringit, &
in ejus amore proniores exiſtere ſpeciali quo-
dammodo lege compellit. Nam ſicut omnibus
liquet quod beatus evangeliſta Marcus a ſan-
cto Petro apoſtolo magiſtro ſuo Alexandriam
ſit tranſmiſſus, ſic hujus nos magiſtri & di-
C ſcipuli unitate conſtringimur, ut & ego ſedi
diſcipuli præſidere videar propter magiſtrum,
& vos ſedi magiſtri propter diſcipulum. Ad
hanc autem unitatem cordium etiam veſtræ
ſanctitatis meritis ligamur, quos auctoris ſui
ſalubriter ſequi inſtituta cognoſcimus, & ſem-
per ad magiſtri ſui gremium unde illi prædi-
catio ſalutis exorta eſt, tota ſe conferre devo-
tione ſentimus. Atque ideo ſanctitatis veſtræ
ſuſceptis apicibus quantum cor noſtrum de
fraterna viſitatione gaviſum eſt, tantum de
indictis quæ ſignificaſtis oneribus mœſtitia pre-
mitur, & fraterna compaſſione vobiſcum ge-
mimus quod doletis. Sed quia in diverſa ſe
tendit ubique concuſſio, in communi neceſſi-
D tate minus eſt de propria dolendum, ſed ſtu-
dendum magis eſt ut patienter tolerando vin-
camus, quod omnino devitare non poſſumus.
Quanta autem nos a Longobardorum gladiis
in quotidiana noſtrorum civium deprædatione
vel detruncatione atque interitu patimur, nar-
rare recuſamus; ne, dum dolores noſtros lo-
quimur, ex compaſſione quam nobis impendi-
tis, veſtros augeamus. Præterea ante aliquan-
tum temporis communi filio Sabiniano diaco-
no reſponſa eccleſiæ in urbe regia facienti,
ſcripta noſtra tranſmiſimus, quæ veſtræ fra-
ternitati dirigere debuiſſet. Quæ ſi ſuſcepiſtis,
miramur cur nobis ad ea minime reſpondi-
ſtis. Et ideo quia cavendum eſt ne cujuslibet
E ſuperbia ſcandalum eccleſiis introducat, neceſ-
ſe eſt ut eadem ſcripta ſubtiliter relegentes,
omni ſtudio & tota intentione quæ ad hono-
rem veſtrum & pacem eccleſiæ pertinent con-
ſervetis. Omnipotens autem Deus, qui pieta-
tis ſuæ gratia ſacerdotalem vobis animum &
caritatem contulit, in ſuo vos ſervitio prote-
gat, atque ab omni adverſitate interius exte-
riuſque cuſtodiat, & converti ad ſe errantium
animas veſtra propitius prædicatione concedat.
Latorem autem præſentium Iſidorum diaco-
num communem filium cum ea qua oportuit
cari-

caritate ſuſcepimus, benedictionem nobis ſancti Marci evangeliſtæ deferentem. Et vos quidem bonæ vitæ merito reſplendentes, ea quæ paradiſo vicina ſunt bene olentia nobis ligna tranſmiſiſtis. Nos vero quia videlicet peccatores ſumus, ab occidente vobis ligna tranſmiſimus, quæ conſtruendis apta navibus, noſtræ mentis tumultum ſignantia, in marinis ſemper fluctibus agitantur; & quidem tranſmittere majora voluimus, ſed hæc navis anguſta non recepit.

*Menſe Auguſto, indictione decimaquarta.*

## LXI. AD GENNADIUM PATRICIUM AFRICÆ.

De Paulo epiſcopo qui impediebatur Romam proficiſci.

*Gregorius Gennadio patricio Africæ.*

EXcellentiam veſtram non ambigimus reminiſci, quia ante biennium pro Paulo fratre & coepiſcopo noſtro ſcripſimus, ut ei ad nos venire deſideranti, dignitatis veſtræ ſuffragia præberetis, ob hoc quod a Donatiſtis inſecutionis dicebatur moleſtiam ſuſtinere, quatenus, poſtquam dum contra eos nuntiatum eſt habere ſubſidium non poſſe, cognita veritate fraterna ei compaſſione potuiſſemus ferre conſultum, & ſalubri diſpoſitione quid contra peſtiferæ præſumptionis inſaniam debuiſſet fieri tractaremus. Et quantum nobis prædictus frater innotuit, non ſolum nullum meruit cujuſquam habere ſolatium, ſed ut * minime ad Romanam potuiſſet urbem accedere diverſo eſt impedimento prohibitus. Cui tamen dum veſtram relegi feciſſemus epiſtolam, reſpondit ſe non quorumdam odio, quia Donatiſtas prohibebat laborare, ſed magis pro defenſione catholicæ fidei, multorum perhibet ingratitudines ſuſtinere; multaque alia retulit, quæ quoniam aptum dicendi tempus non extitit, ſilentio reticere prævidimus. Quia ergo non de rebus terrenis, ſed de animarum ſalute tractatur, & veſtra atque illius diverſa exiſtit aſſertio, nihil indiſcuſſa veritate ſubtiliter reſpondere potuimus, quia tempore, quo excellentiæ veſtræ ſcripta ſuſcepimus, corporis ægritudine tenebamur. Sed dum nos omnipotens Deus, ſi ei placuerit, priſtinæ ſaluti reddiderit, veritatem diligenti, ut poſſumus, inquiſitione rimabimur. Et ſecundum ea quæ valuerimus addiſcere, ita cauſſam Deo miſerante diſponemus, ut animarum quarum vos curæ pro veſtra mercede ſtudere dignamini, ſalus non ſolum quæ ab errantibus jam amiſſa eſt reparetur, ſed etiam quæ in veræ fidei cultoribus eſt, redemptoris noſtri gratia diſponente, ſervetur. De ſupraſcripto autem epiſcopo, quem communione privatum eſſe aſſeritis, valde mirati ſumus, cur nobis hoc non primatis ejus, ſed excellentiæ veſtræ epiſtola indicavit.

* ne immune ad Acc. Pariſ.

## LXII. AD DOMINICUM EPISCOPUM CARTHAGINIS.

De laude caritatis, & cura paſtorali.

*Gregorius Dominico epiſcopo Carthaginis.*

VEre mirabilis caritas virtus eſt, dilecte frater, quæ adventu ſupernæ gratiæ, poſtquam ſpiritalia inclinavit ad infima, poſtquam ipſum ſibimet unumquemque carnalibus illecebris diſcordantes pacavit hominem, ita in humanis ſe dilatavit mentibus, ut ſublimia inclinaret, humilia ſublimaret, pacaret diſcordantia, ferocia manſueta faceret, diſſociata conglutinaret, ſciſſa ſarciret, diviſas tot aquarum terrarumque ſpatiis climatumque diverſitatibus hominum nationes compaginatis ad unum mentibus ſuæ vinculo ſuavitatis adſtringeret. Hujus amplitudinis præconia quando humanæ infirmitatis exponere lingua ſufficiat? Hujus autem laus in cælis perfecta eſt, in terris vero forma ejus oſtendenda potius eſt quam dicenda, ut qualis quantaque ſit, poſtquam ore noſtro plene non poteſt, ex noſtra magis compaſſione monſtretur. Quam & ſi utcumque laudamus ore, ſimul neceſſe eſt ut * faciamus manu; ne ſi laudator ejus tantum eſt quiſquam & non factor, ſententiam ſibi magis exacuat, quia in conſpectu judicis hoc laboribus exaggerat, quod omiſit. Hanc nos licet locorum intervallis disjuncti, atque corpore longe a vobis poſiti, auxiliante Dei potentia erga vos ſtudioſiſſime conſervamus: hanc vos non ſolum circa nos, ſed erga fratres filioſque veſtros paternis fraterniſque oportet viſceribus exhibere. Nam quomodo hoc non ſit ſtudioſiſſime faciendum, quando ejus non tam in fratrum filiorumque eſt, quam in inimicorum quoque dilectione perfectio? Quamobrem, cariſſime, nos, quos paſtoralis curæ conſtringit officium, diligamus fratres. Ipſos quoque adverſarios noſtros propter mandatum dominicum noſtro circa nos copulemus affectu. Pacem ſequamur cum omnibus & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum. In piis verſemur operibus, virtutibus polleamus, fulgeat in noſtro pectore rationale judicii cum ſuperhumeralis actione conjunctum. Ita procedamus in conſpectu Dei atque totius Iſrael. Hujuſmodi commiſſo nobis gregi præbeamus exempla, *ut videant noſtra opera bona, & glorificent Patrem noſtrum qui in cælis eſt*. Sit in lingua ſermo, ſit zeli fervor in animo, ut vere de illorum dicamur numero, de quibus legitur: *Apparuerunt illis diſpartitæ linguæ ſicut ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum*. Vere enim in nobis igneæ linguæ reſident, ſi in fratrum filiorumque exhortatione divini fervore Spiritus accendamur. Creditum nobis agrum dominicum exerceamus dum licet, ſeminemus in timore dum tempus eſt, bonum facientes non deficiamus; tempore enim ſuo metemus non deficientes. Simus de illis, de quibus Pſalmiſta dicit: *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua*. Ad cujus rei fructum nos provocans ſubdidit: *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos*. Vigilemus itaque, & relinquentes terrena negotia cæleſtibus annectemus. Et quæ retro ſunt obliviſcentes, in ea quæ

* laudemus Pariſ.

quæ ante ſunt noſmetipſos enixius extenda- A
mus . Mens noſtra in ſæculari varietate non
diffluat, ſed tota in unum currat atque con-
fluat finem, quem mira ſuavitate David reſ-
pexerat cum dicebat: *Unam petii a domino, hanc* [Pſal. 26.]
*requiram, ut inhabitem in domo domini omnibus*
*diebus vitæ meæ*. Hoc amore liqueſiant boni
corda rectoris. In his ſe mens tota ſuſpendat.
Dum adhuc in terris ſumus poſiti, frequens
a nobis lacrymarum imber in cœlo compun-
ctionis nube fructificet. Tunc enim bene at-
que vere. dilecte mi frater, ad proximorum
dilectionem deſcendimus, ſi in dilectione Dei
ex toto corde, ex tota anima & mente, at-
que ex totis viribus perſiſtimus. Xenia vero
temporalia a vobis directa, licet nos talibus B
non egeamus, tamen cum debita caritate ſu-
ſcepimus. Egemus autem de veſtra debita ca-
ritate atque commiſſi vobis regiminis ſolicitu-
dine gratulari. Multo enim nobis hæc dulciſ-
ſima fiunt, cum ſacerdotum mentes, piæ con-
verſationis fuerint ſuavitate conditæ.

## LXIII. AD MAURITIUM AUGUSTUM.

De neglectis imperatoris legibus, quæ adverſus
Donatiſtas latæ erant: & de epiſcopis ad
eum tranſmiſſis.

*Gregorius Mauritio Auguſto.*

INter armorum curas & innumeras ſolicitu-
dines, quas indefeſſo ſtudio pro Chriſtia-
næ reipublicæ regimine ſuſtinetis, magna mihi
cum univerſo mundo lætitiæ cauſſa eſt, quod
pietas veſtra cuſtodiæ fid . . qua dominorum
fulget imperium, præcipua ſolicitudine ſemper
invigilat. Unde omnino confido quia ſicut vos
Dei cauſſas religioſæ mentis amore tuemini,
ita Deus veſtras majeſtatis ſuæ gratia tuetur
& adjuvat. Qualiter autem pietatis veſtræ ſe-
renitas contra Donatiſtarum flagitioſiſſimam
pravitatem conſideratione juſtitiæ, & ſinceriſſi-
mæ religionis zelo commota ſit, directarum
lucidiſſime tenor inſinuat juſſionum. Sed ve-
nientes viri reverendiſſimi ex Africana provin- D
cia epiſcopi, aſſerunt ita eſſe incauta diſſi-
mulatione poſtpoſitas, ut nec Dei illic judi-
cium habeatur in metu, nec principales ha-
ctenus juſſiones ſortirentur effectum; hoc etiam
ſubjungentes, quod in præfata provincia Do-
natiſtarum præmiis prævalentibus, fides catho-
lica publice venumdetur. At contra glorioſus
vir Gennadius de uno eorum mihi ſimilia
queſtus eſt qui talia querebatur: cui etiam
duo alii certi in re eadem teſtimonium fere-
bant. Sed quia cauſſa ipſa ſæcularis judicis in-
tererat, eoſdem epiſcopos ad pietatis veſtræ
exiſtimavi eſſe veſtigia dirigendos; ut per ſe-
metipſos ſereniſſimis auribus ſuggerant quæ ſe
fatentur pro fide catholica pertuliſſe. Eapro- E
pter obſecro ut dominorum Chriſtianitas pro
ſalute animæ & vita piiſſimæ ſobolis ſuæ eos,
quos tales eſſe cognoſcit, diſtricta ulciſci juſ-
ſione præcipiat, & ruinam pereuntium ere-
ptionis manu ſuſpendat, atque in ſanis menti-
bus correptionis medicinam adhibeat, & erro-
rum ab eis * morbos expellat; quatenus dum [* morbos. Pariſ.]
piæ proviſionis veſtræ remedio, peſtiferæ pra-
vitatis fuerit caligo depulſa, & vera illic fides
radios ſuæ ſerenitatis aſperſerit, cæleſtis vos
ante redemptoris noſtri oculos triumphus ex-
pectet; quia quos exterius ab hoſte defendi-
tis, etiam interius a diabolicæ fraudis vene-
no, quod eſt glorioſius, liberatis.

## LXIV. AD ANASTASIUM PRESBYTER

### DE ISAURIA.

Abſolvit illum de hæreſi ſuſpectum.

*Gregorius * Anaſtaſio presbytero de Iſauria.* [* Athanaſio Pariſ.]

SIcut de eis, quos ab unitate eccleſiæ hære-
ticæ pravitatis error abſcidit, affligimur
& dolemus; ita his, quos intra ſinum ſuum
B catholicæ fidei profeſſio continet, congaude-
mus. Et ut paſtorali ſolicitudine illorum nos
oportet impietatibus obviare, ſic piis horum
profeſſionibus congruit ſavorem impendere,
& ſincera eſſe quæ ſapiunt declarare. Atque
idem * dum de te Athanaſio presbytero mo- [* dum ille Pariſ.]
naſterii ſancti Mile, cui eſt vocabulum Tam-
naco, quod in Lycaonia eſt provincia conſti-
tutum, contraria integræ fidei ſuiſſet orta ſu-
ſpicio, ut profeſſionis tuæ potuiſſet integritas
apparere, ad apoſtolicam ſedem cui præſide-
mus elegiſti recurrere, aſſerens etiam te cor-
poraliter verberatum aliqua injuſte ac violen-
ter feciſſe. Et quamquam ea quæ vi impul-
ſionis fiunt canonum minime cenſura reci-
C piat, & jure habeantur infirma, quia ipſe ea
diſſolvit qui injuſtum fateri fierique compel-
lit; ſed magis illa ſuſcipienda eſt & ample-
ctenda confeſſio, quæ ex ſpontanea voluntate
monſtratur procedere, ſicut apud nos feciſſe
dignoſceris; ne quid tamen nobis ambiguum
potuiſſet exiſtere, ſanctiſſimo Joanni quondam
fratri & coepiſcopo noſtro Conſtantinopolita-
næ civitatis antiſtiti de te prævidimus ſcri-
bendum, ut ſuis nos quid actum eſſet epiſto-
lis informaret. Qui ſæpe a nobis admonitus,
reſcribens innotuit, codicem apud te fuiſſe
inventum, in quo plurima continebantur hæ-
retica; & ob hoc ſe adverſus dilectionem
tuam fuiſſe commotum. Quem quia ad nos
D ſtuduit pro ſatisfactione tranſmittere, priores
ejus partes ſolicita lectione percurrimus. Et
quoniam manifeſta in eo hæreticæ pravitatis
venena reperimus, ne denuo debuiſſet legi
vetuimus. Sed quia hunc te ſimpliciter teſta-
tus es legiſſe, & ad amputandam ambiguæ
ſuſpicionis materiam libellum nobis manu tua
porrexiſti per ſcriptum, in quo fidem tuam
exponens omnes generaliter hæreſes, vel quid-
quid adverſus catholicæ fidei vel profeſſionis
integritatem eſt, apertiſſime condemnaſti; &
cuncta quæ ſanctæ quatuor univerſales ſynodi
recipiunt te ſemper recepiſſe ac recipere, &
quæ condemnant condemnaſſe condemnareque
profeſſus es; eam quoque ſynodum, quæ Ju-
E ſtiniani imperatoris temporibus de tribus ca-
pitulis ſacta eſt, & ſuſcipere & cuſtodiri pro-
miſiſti, & prohibitus a nobis codicem ipſum
legere, in quo peſtiferæ fraudis virus inne-
xum eſt, libentiſſime conſenſiſti, reprobans
etiam atque condemnans ea omnia quæ con-
tra catholicæ fidei integritatem in eo dicta
vel latenter inſerta ſunt, nec eum te legere
denuo promiſiſti. Hac ratione permoti, poſt-
quam etiam ex probata a te libelli pagina fi-
des tua nobis catholica Deo cuſtodiente per-
claruit, ab omni te hæreticæ perverſitatis ma-
cula

cula juxta profeſſionem tuam verum eſſe decernimus atque catholicum, & ſinceræ fidei in omnibus profeſſorem atque ſequacem Chriſti Jeſu ſalvatoris gratia claruiſſe pronunciamus: liberam quoque tribuimus licentiam ad tuum monaſterium in tuo te loco vel ordine nihilo minus remeare. De hoc quoque & dilecto fratri noſtro Conſtantinopolitanæ civitatis antiſtiti, qui in ſupradicti Joannis loco ordinatus eſt, noſtra volumus ſcripta tranſmittere. Sed quia conſuetudo non eſt, ut prius quam ad nos ejus ſynodica deferatur, debeamus ſcribere; idcirco diſtulimus. Sed poſtquam ea nobis delata fuerit, ei hæc, dum opportunum fuerit, indicabimus.

## GREGORII MAGNI PAPÆ I.

### EPISTOLARUM LIBER VI.

*Indict. XV. anno ordinationis ejus VII.*

### I. AD FORTUNATUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

De muliere quadam viro jungenda.

*Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano.*

Grat. 27 q. 2. c. Cujus rei cauſſa.

CUjus rei cauſſa cum matre ſua huc compulſa anno præterito præſentium venerit latrix; fraternitas veſtra cautius novit. Quia ſcilicet maritus ſuus veſter clericus, ob hoc quod de ſervili fuerat conditione pulſata a ſuo noſcitur eam removiſſe conſortio, voſque hic poſitos aſſerunt promiſiſſe, ut ſi probare ſe liberam adjuvante domino valuiſſet, ſuo eam vos conjugi reformare. Fraternitas * igitur veſtra cognoſcat quod revelante Deo libertatis auctore approbata ſit libera; nullaque ſervilis in ea macula inventa eſt. His ergo cognitis, ſine mora aliqua ſuo per eam volumus marito reſtitui, nec ulterius idem vir ejus argumenta ſibi aliqua occaſione exquirat, quibus eam poſſit abjicere. Nam ſi a vobis, quod non credimus, minime fuerit adimpletum, eamque recipere forte diſtulerit, nos illum cognoſcatis cum diſtricta vindicta correcturos.

* Deeſt in Paris. igitur.

### II. AD COLUMBUM EPISCOPUM NUMIDIÆ.

De Paulo epiſcopo Gennadii calumniis expoſito.

*Gregorius Columbo epiſcopo Numidiæ.*

EPiſtolam fraternitatis veſtræ harum latore diacono veſtro deferente ſuſcepimus, in qua nobis de perſona Pauli epiſcopi, quæ apud vos acta ſunt indicaſtis. Quod tam ſero factum eſt, ut perſona ipſa hic jam valuiſſet minime reperiri. Nam & vir excellentiſſimus filius noſter Gennadius patricius ſuum ad nos pro cauſſa eadem cancellarium deſtinavit. Sed dum feciſſemus inquiri, utrum cum eo nobis coram poſitis vellet inire conflictum, reſpondit ad hæc ſe minime fuiſſe tranſmiſſum, ſed ſolummodo tres quaſdam huc de ejus eccleſia ſeduxiſſe, qui contra eum plurima dicere debuiſſent. Dum ergo neque illum ad inferendas actiones paratum invenimus, neque perſonarum illarum nos qualitas movit, quod in accuſatione epiſcopi valuiſſent idonei reperiri, ſuſpecto Paulo epiſcopo ad urbem ſe regiam relaxari debuiſſe precibus ſperanti non potuimus contradictionis moras afferre, ſed mox eum ſecundum petitionem ſuam cum aliis duobus ſecum deductis epiſcopis ambulare permiſimus. Si qua ergo fuere, quæ contra eum dici rationabiliter poterant, mox eo huc veniente, veſtra debuit, quod nunc fecit, fraternitas cuncta ſubtiliter indicare. Quod enim multorum vos inimicitias ob hoc quod noſtris vos frequentius viſitamus epiſtolis pati ſignaſtis, dubium non eſt, reverendiſſime frater, bonos pravorum odia ſuſtinere, diviniſque intentos operibus perverſorum adverſitatibus lacerari. Sed quanto hæc quæ ſunt prava circumſtant, tanto in commiſſi vobis cura regiminis debetis inſtantius occupari, & circa gregis Chriſti vigilare cuſtodiam, quantoque aliquorum vos contrarietas premit, tanto alacriores, ac de promiſſa remuneratione certiſſimos, paſtoralis ſollicitudinis cura debet accendere, quatenus paſtori ſummo lucrum de injuncto vobis opere valeatis offerre.

### III. AD GENNADIUM PATRICIUM DE AFRICA.

Ruſerium & Anaſtaſium per literas commendat.

*Gregorius Gennadio patricio de Africa.*

HIs qui ſe apud excellentiam veſtram noſtris deſiderant epiſtolis commendari, ſecuri de veſtra benignitate facimus quod petimus. Ruſerius ſiquidem comes cum aliis concivibus ſuis a vobis, ut cognovimus, ad Africanam evocati provinciam, petiverunt ſcriptorum noſtrorum apices, ſperantes ſibi apud vos prodeſſe ſuffragia. Quapropter excellentiam veſtram paterno ſalutantes affectu petimus ut eos in nullo a quoquam patiamini apud veſtros animos contra juſtitiam prægravari, ſed ſicut circa commiſſos vobis quia diſcretaque vos novimus invigilare cautela, ita & de his tranquille diſponere, inſpirante vobis domino debeatis, atque de inſulæ ipſius ſolicitius tractare cautela; ne, ſi illuc exercitus ſine perſona utili quæ hunc gubernare valeat incauta diſpoſitione tranſmittitur, adjumentum hoſtibus præbeatur. Quia autem Anaſtaſium tribunum, quem illic excellentia veſtra ordinaverat, bene ſecum egiſſe, atque in nulla læſione eum aſſerunt miſcuiſſe ſe provinciæ, quem etiam nunc & remotum graviter ferunt, præcipiat excellentia veſtra illuc eum iterum deſtinari, ſuiſque adhortationibus firmari, ut qui de bona actione jam placuit, nullius ad male agendum ſuaſionibus incitetur, ne tantorum judicium, quod ex bona adminiſtratione habere meruit, deterius perdat, quod non optamus agendo contraria. Ita ergo petimus, ut veſtra excellentia faciat quatenus bonum veſtrum, quod teſtatur Africa, etiam Corſica cognoſcat.

IV.

## IV. AD CYRIACUM EPISCOPUM

### Constantinopolitanum.

De cuſtodienda caritate & unitate ſanctæ ecclesiæ. De paſtoralis muneris difficultatibus: & de univerſalis nomine rejiciendo.

*Gregorius Cyriaco epiſcopo Conſtantinopolitano.*

COmmunes filios Georgium presbyterum & Theodorum diaconum veſtrum ea qua decuit caritate ſuſcepimus voſque ab eccleſiaſticarum rerum cura ad animarum regimen veniſſe gaudemus, quia juxta veritatis vocem, B qui in modico fidelis eſt, & in majori fidelis erit. Et bene miniſtranti ſervo dicitur: *Quia in pauca fidelis fuiſti, ſupra multa te conſtituam.* Cui etiam mox de æterna retributione ſubjungitur: *Intra in gaudium domini tui.* In ſcriptis autem veſtris vos magnopere requiem quæſiſſe narratis. Sed per hoc ad paſtoralem ſolicitudinem vos congrue veniſſe oſtenditis, quia ſicut locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, ita fugientibus offerendus eſt. Et ſicut ſcriptum eſt: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Et rurſus idem prædicator egregius dicit: *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt; & * unus pro omnibus mortuus eſt* C *Chriſtus. Supereſt ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro eis mortuus eſt & reſurrexit.* Et paſtori ſanctæ eccleſiæ dicitur: *Simon Joannis amas me? Paſce oves meas.* Ex quibus verbis colligitur, quia ſi is, qui valet, omnipotentis Dei oves renuit parcere, oſtendit paſtorem ſummum minime amare. Si enim Unigenitus Patris pro explenda utilitate omnium de ſecreto Patris egreſſus eſt ad publicum noſtrum, nos quid dicturi ſumus, ſi ſecretum noſtrum præponimus utilitati proximorum? Quies itaque nobis & ex corde appetenda eſt, & tamen pro multorum lucro aliquando poſtponenda. Nam ſicut toto deſiderio debemus occupationem fugere, ita ſi de- D ſit qui prædicet, occupationis onus libenti neceſſe eſt * humero ſubire. Quod ex duorum prophetarum opere docemur, quorum unus prædicationis officium vitare conatus eſt, & alter appetiit. Nam mittenti ſe domino Jeremias reſpondit, dicens: *A, a, a, domine Deus, neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Et cum omnipotens Deus perſonam ad prædicandum quæreret, dicens: *Quem mittam, & quis ibit * ex vobis?* ultro ſe Iſaias obtulit, dicens: *Ecce ego, mitte me.* En ab utriſque exterius diverſa vox prodiit, ſed non a diverſo fonte dilectionis emanavit. Duo quippe ſunt præcepta caritatis, Dei videlicet amor, & proximi. Per activam igitur vitam prodeſſe proximis E cupiens Iſaias, officium prædicationis appetiit, per contemplativam vero Jeremias amori conditoris ſui ſedulo inhærere deſiderans, ne mitti ad prædicandum debeat contradicit. Quod ergo laudabiliter unus appetiit, hoc laudabiliter alter expavit. Iſte, ne tacitæ contemplationis lucra loquendo perderet; ille, ne damna ſtudioſi operis tacendo ſentiret. Sed hoc in utriſque eſt ſubtiliter intuendum, quia & is qui recuſavit plene non reſtitit, & is qui mitti voluit ante ſe per altaris calculum pur-

Matth. 25. — Hebr. 5. — * Dict. in Pa. ... unus ... 2 Cor. 5. — Joan. 21. — * a. animo — Jer. 1. — Iſai. 6. — * nob. Pari.

A gatum vidit; ne aut non purgatus adire quiſquam ſacra miniſteria audeat, aut quem ſuperna gratia eligit, ſub humilitatis ſpecie ſuperbe contradicat. Magno autem deſiderio vos in epiſtolis veſtris invenio ſerenitatem mentis quærere, & repulſa perturbatione ad tranquillitatem cogitationis anhelare. Sed qua ratione ad hoc veſtra fraternitas pertingere poſſit ignoro. Qui enim regendam navem ſuſcipit, tanto amplius neceſſe eſt vigilet, quanto amplius litus relinquit, ut aliquando futuras procellas ex ſignis prævideat, aliquando venientes aut directo clavo, ſi parvæ ſint, ſuperet, aut, ſi vehementer intumeſcunt, dato in obliquum latere, irruentes declinet; & ſæpe ſolus vigilet, cum cuncti illi quibus nulla navis cura commiſſa eſt quieſcant. Quomodo autem ſuſcepto paſtorali onere habere ſerenitatem cogitationum poteſtis, cum ſcriptum ſit: *Ecce gigantes gemunt ſub aquis?* Juxta Joannis etenim vocem, aquæ populi ſunt. Et gigantes ſub aquis gemere eſt; quia quiſquis in hoc mundo quaſi quadam corporis mole, ordine poteſtatis excreverit, tanto pondera majoris tribulationis ſentit, quanto ſuper ſe regendorum populorum curam ſuſceperit. Sed ſi ſancti Spiritus virtus afflictam mentem afflaverit, protinus hoc quod Iſraelitico populo corporaliter factum eſt, nobis ſpiritaliter contingit. Scriptum quippe eſt: *Filii Iſrael ambulaverunt per ſiccum & medium mare.* Et per prophetam dominus pollicetur, dicens: *Cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te.* Illos enim flumina operiunt, quos actiones hujus ſæculi mentis perturbatione confundunt. Nam qui ſancti Spiritus gratiam tenet in mente, tranſit aquas, & tamen fluminibus non operitur: quia etiam inter medias populorum turmas ſic peragit greſſus ſui itineris, ut non ſubmittat actionibus ſæculi caput mentis. Ego quoque qui indignus ad locum regiminis veni, infirmitatis meæ conſcius, ſecretiora loca petere aliquando decreveram, ſed ſuperna mihi judicia adverſari conſpiciens, jugo conditoris ſubdidi cervicem cordis, hoc præcipue perpendens, quia quælibet occulta loca ſine Dei gratia animam ſalvare non poſſunt; quod aliquando in ipſis quoque conſpicimus erratibus electorum. Nam Lot in ipſa perverſa civitate fuit juſtus, in monte peccavit. Sed iſta cur dicimus, cum majora noverimus? Quid enim paradiſo jucundius? quid cœlo ſecurius? & tamen homo ex paradiſo, & angelus de cœlo peccando cecidit. Illius ergo nobis virtus quærenda eſt & gratia poſtulanda, ſine quo nuſquam * abſque periculo & culpa, cum quo nuſquam ſine juſtitia * eſſe poſſumus. Curandum ergo eſt, ut perturbatio cogitationum non exuperet animum, nam repelli funditus nullatenus poteſt. Quiſquis enim eſt in loco regiminis, aliquando neceſſe eſt habeat etiam terrena cogitare, & exteriorum quoque curam gerere, ut grex commiſſus valeat ad ea quæ ſibi ſunt explenda ſubſiſtere. Sed magnopere ſemper providendum eſt, ne hæc eadem cura modum tranſeat, ut cum ad cor licenter admittitur, nimis excreſcere non permittatur. Unde recte per Ezechielem prophetam dicitur: *Sacerdotes caput ſuum non radant, neque comam ſuam nutriant, ſed tondentes attondeant capita ſua.* Quid enim per ſignificatio-

Exod. 14. — * abſque culpa. Pariſ. — * eſſe poſſumus. Deeſt in Pariſ. — Ezech. 44.

tionem ſunt capilli in capite, niſi cogitationes in mente? qui dum ſuper cerebrum inſenſibiliter oriuntur, curas vitæ præſentis deſignant, quæ ex ſenſu negligenti quia importune aliquando prodeunt, quaſi a nobis non ſentientibus procedunt. Quia igitur cuncti qui præſunt habere quidem ſolicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere; ſacerdotes recte & caput prohibentur radere, & comam nutrire, ut cogitationes carnales de vita ſubditorum, nec a ſe funditus amputent, nec rurſus ad creſcendum nimis relaxent. Ubi & bene dicitur: *Tondentes tondeant capita ſua*; ut videlicet curæ temporalis ſolicitudines, & quantum neceſſe eſt prodeant, & tamen recidantur citius, ne immoderatius excreſcant. Dum igitur & per adminiſtratam exteriorem providentiam corporum vita protegitur, & rurſus per immoderatam cordis intentio * non impeditur; capilli in capite ſacerdotis & ſervantur ut cutem cooperiant, & reſecantur ne oculos claudant. Præterea epiſtolas veſtras directas plenas fide ſuſcepimus, atque omnipotenti Deo gratias agimus; qui inconſutilem tunicam deſuper contextam, videlicet eccleſiam ſuam vicaria confeſſione fidelium in unitate gratiæ ab omni erroris ſciſſione cuſtodit, & contra pereuntis mundi, ut ita dicam, tot culparum diluvium, ex multis lignis arcam conſtruit, in qua omnipotentis Dei electi ſerventur ad vitam. Nam cum viciſſim nobis fidei noſtræ confeſſionem tranſmittimus, & caritatem noſtram erga nos oſtendimus, quid aliud in ſancta eccleſia agimus, niſi arcam bitumine linimus, ne unda erroris intret, & vel ſpiritales quoſque tamquam homines, vel carnales tamquam animalia occidat? Sed cum ſapienter a vobis recta fides prolata ſit, reſtat ut procul dubio debeatis pacem cordium prudentius cuſtodire, propter hoc quod veritas dicit: *Habete ſal in vobis, & pacem habete inter vos*: Et Paulus apoſtolus admonet, dicens: *Soliciti ſervate unitatem Spiritus in vinculo pacis*. Qui curſus ait: *Pacem ſequimini cum omnibus & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum*. Quam videlicet pacem tunc vobiſcum veraciter habebitis, ſi profani nominis ſuperbiam declinetis, juxta quod idem magiſter gentium dicit: *O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates*. Nimis quippe iniquum eſt, ſi hi, qui prædicatores humilitatis facti ſunt, de vani nominis elatione glorientur, cum verus prædicator dicat: *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce domini noſtri Jeſu Chriſti*. Ille ergo vere glorioſus eſt, qui non de temporali potentia, ſed pro Chriſti nomine de ſua paſſione gloriatur. In hoc itaque vos medullitus amplectimur. In hoc ſacerdotes vos eſſe recognoſcimus, ſi repulſa vanitate verborum ſanctitatis locum cum ſancta humilitate teneatis. Ecce enim in nefandi appellatione nominis ſcandalizati ſumus, & non minimas querelas ſervamus in mente, & promimus in voce. Veſtra autem fraternitas novit quia veritas dicit: *Si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*. Qua in re penſandum eſt quia cum omnis culpa oblato ſacrificio deleatur, tantum eſt malum ſcandali

Ibidem.

* Deeſt in Vatic. non

Marc. 9.

Ephes. 4.

Hebr. 12.

1. Tim. 6.

Galat. 6.

Matt. 5.



alieno corde generari, ut ab eo qui peccaverit nec ipſum ſacrificium dominus accipiat, quod delere peccatum ſolet. Curate ergo cordis veſtri ſcandalum feſtine detergere, ut poſſit omnipotens Deus oblationis veſtræ ſacrificium acceptabile habere. Præterea cum recta a vobis fides veraciter & ſubtiliter ſit prolata, inter eos quos per ſanctiſſimas generales ſynodos damnandos eſſe cenſuiſtis, Eudoxium * quemdam vos damnaſſe reperimus, cujus nomen in Latina lingua neque in ſynodis, neque in libris beatæ memoriæ epiſcoporum Epiphanii, Auguſtini, & Philaſtrii, quos contra hæreticos præcipue diſputaſſe novimus, poſitum reperimus. Quod ſi quis eum veraciter de catholicis patribus damnat, ejus procul dubio ſententiam ſequimur. Vos tamen ſi in ſynodica veſtra epiſtola eos quoque nominatim damnare voluiſtis, qui extra ſancta ſynodos per patrum ſcripta damnantur, multos ſcriptis ſuis veſtra fraternitas minus poluit, ſi autem eos quos generales ſynodi reſpuunt, hunc unum amplius. Sed inter hæc ſciendum eſt, quia ut nobis liceat rectam fidem libere fateri, & cuncta quæ agenda ſunt concorditer in pace diſponere, pro ſereniſſimorum dominorum vita, propria quoque ſobole inceſſanter orandum eſt, ut omnipotens Deus eorum pedibus barbaras nationes ſubjiciat, longa eis & felicia tempora concedat, quatenus per Chriſtianum imperium ea quæ eſt in Chriſto fides regnet.

* Semiarianorum princeps [illegible]

## V. AD EUMDEM.

### De conſervanda pace ſanctæ eccleſiæ.

*Gregorius Cyriaco epiſcopo Conſtantinopolitano.*

DUdum dum in urbe regia reſponſa ſedis apoſtolicæ facerem, bona veſtræ ſanctitatis agnovi. Et quia vobis animarum nunc cura commiſſa eſt valde gaudeo. Et quamvis indignus omnipotentem dominum quibus valeo precibus exoro, ut in vobis ſuam gratiam ſemper augeat, voſque ad æternam patriam faciat animarum lucra congregare. Quia vero ad hoc opus ad quod perducti eſtis infirmos vos eſſe dicitis, ſcimus quia prima virtus eſt cognitio infirmitatis, atque ex eo colligimus poſſe vos bene ſuſceptum miniſterium implere, quia vos videmus infirmitatem propriam ex humilitate cognoſcere. Omnes enim infirmi ſumus, ſed ille eſt infirmior qui ſuam conſiderare non valet infirmitatem. Vos vero * beatiſſimi fratres, ideo fortes eſtis, quia de fortitudine propria diffidentes, in omnipotentis Dei virtute confiditis. Quantum vero mens mea caritati veſtræ ligata ſit, verbis epiſtolaribus explere non poſſum. Sed oro ut omnipotens Deus, eamdem quæ inter nos eſt caritatem, ex gratiæ ſuæ dono multiplicet, omnemque occaſionem ſcandali auferat, ne ſancta eccleſia confeſſione veræ fidei unita, & conjunctis fidelium cordibus conſtipata, detrimentum aliquod, quod abſit, ſacerdotibus inter ſe diſcrepantibus ſentiat. Quamvis ego in omne quod loquor, in omne quod ſuperbis quorumdam actibus contradico, ex omnipotentis domini largitate caritatis intimæ cuſtodiam numquam relinquo, ſed ſic ea quæ ſunt juſtitiæ foris exequor, ut ea quæ intus amoris &

* beatiſſime frater.

D dile

dilectionis ſunt minime poſtponam. Vos au- A tem ſemper mihi amoris mei vicem reddite, & ea quæ pacis & dilectionis ſunt cuſtodite; ut unum in mente permanentes, quo nullam diſſenſionem inter nos intrare permittimus, ea obtinere quæ petimus apud dominum ex ipſa melius cordium noſtrorum unitate valeamus. Præterea Joannem Chalcedonenſem preſbyterum, & Athanaſium Lycaoniæ ſanctitati veſtræ commendo, ut nullus vobis contra eos falſidica locutione ſurrepat, quia eorum fidem ſubtiliter diſcuſſi, eoſque rectos in ſuis confeſſionibus, quæ & ſcripto datæ ſunt, inveni. Sancta autem trinitas ſua vos manu protegat, & circa animarum cuſtodiam ſemper vos vigilantes & ſolicitos reddat, quatenus in æter- B na retributione valeatis non ſolum de veſtro opere, ſed etiam de ſubditorum veſtrorum meliorationе coronari.

## VI. AD MAURITIUM AUGUSTUM.

De electione Cyriaci epiſcopi gratias agit.

*Gregorius Mauritio Auguſto.*

OMnipotens Deus, qui pietatem veſtram pacis eccleſiaſticæ fecit eſſe cuſtodem, in ipſa vos fide ſervet, quam vos ſacerdotali unitate ſervatis; cumque ſupernæ pietatis jugo cor humiliter ſubditis, cæleſti gratia C agitur, ut hoſtes veſtros pede fortitudinis prematis. Non enim parvæ potuit eſſe mercedis, quod Joanne ſanctæ memoriæ de hac luce ſubtracto, ad ordinandum ſacerdotem pietas veſtra diu hæſitavit, tempus paulo longius diſtulit, cum metu omnipotentis domini conſilium quæſivit, ut videlicet cauſa Dei cum magno debuiſſet timore diſponi. Unde & aptum valde exiſtere in paſtorali regimine fratrem atque conſacerdotem meum Cyriacum exiſtimo, quem ad eumdem ordinem pietatis veſtræ conſilia longa genuerunt. Qui in adminiſtrandis dudum rebus eccleſiaſticis quam ſolicitus, & quo modo fuerit exercitatus, cuncti novimus. Unde & ſuperna geſtum diſpoſitione non ambigo, ut qui bene minima geſſerat, congrue majora ſuſciperet, atque a cura rerum ad animarum regimina tranſiret. D Pro qua re totis precibus deprecamur, ut bonum hoc omnipotens Deus ſerenitati dominorum, piæque eorum ſoboli & in præſenti ſæculo atque in perpetua remuneratione retribuat, & prædicto fratri & conſacerdoti meo, qui dominico gregi prælatus eſt, animarum curam plena ſolicitudine exhibere concedat, ut irreprehenſibiliter poſſit ſubjectorum ſuorum & prava corrigere, & recta ad creſcendum fovere; quatenus de eo pietatis veſtræ judicium, non ſolum ante homines, ſed etiam ante ſupernæ quoque majeſtatis oculos E convaleſcat. Venerabiles autem viros Georgium presbyterum, & Theodorum diaconum pro juſſione dominorum atque pro imminentia hiemalis temporis in hac urbe moras perpeti non permiſi.

## VII. AD MAURITIUM PATRICIUM.

Reprehendit eos qui in Cyriaci ordinatione clamarunt: *Hæc dies quam fecit dominus.* Demonſtrat præterea ex culpa præſidentium deteriores fieri ſubditos. Pſalm. 117.

*Gregorius * Mauritio patricio, Petro Domitiano, & Elpidio epiſcopis, &c.* * Deeſt in Vatic. Mauritio patricio.

ORdinationem viri ſanctiſſimi Cyriaci fratris & conſacerdotis mei cum magna vos lætitia ſuſcepiſſe vehementer exulto, & quia Paulo apoſtolo prædicante didicimus: *Si gaudet unum membrum, congaudent cetera membra;* 1. Cor. 12. penſare vos neceſſe eſt, quanta vobis hac in re exultatione congaudeo, in qua non unum membrum, ſed multa Chriſti membra gaviſa ſunt. Sicut tamen ſcripta fraternitatis veſtræ potui tranſcurrendo perpendere, magna lætitia in immoderatam ejuſdem fratris mei laudem vos rapuit. Nam hunc ſicut ſolem in eccleſia apparuiſſe dicitis, ita ut cuncti clamaretis: *Hæc dies quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea.* Pſalm. 117. Et certe ſequentis vitæ promiſſio eſt, qua dicitur: *Fulgebunt juſti ſicut ſol.* Matth. 13. Nam in hac vita adhuc quiſque poſitus quantalibet virtute polleat, quomodo ſicut ſol fulget, in qua corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem? In qua videmus aliam legem in membris noſtris repugnantem legi mentis noſtræ, & captivos nos ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris noſtris, in qua & in nobiſmetipſis reſponſum mortis habemus, ut non ſimus fidentes in nobis. Rom. 7. In qua etiam propheta clamat: *Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ.* Pſalm. 54. Nam & quod ſcriptum eſt: *Sapiens ut ſol permanet, ſtultus ut luna mutatur;* Eccleſ. 27. non ad claritatis fulgorem, ſed ad perſeverantiam boni operis comparatio eſt ſolis deducta. Bonum vero ordinationis ejus initium * potuit videri, ſed nondum potuit de perſeverantia a vobis laudari. * accedum a vobis potuit de perſeverantia laudari. Quod &c. Pariſ. Quod autem *Hæc dies quam fecit dominus* clamaſſe vos dicitis, de quo hoc dictum ſit penſare debuiſtis: præmiſſum quippe eſt: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris.* Pſal. 117. Atque de hoc eodem lapide protinus ſubditur: *Hæc dies quam fecit dominus.* Ipſe enim qui pro fortitudine conſtructionis dicitur lapis, pro illuminationis gratia appellatus eſt dies, qui etiam factus eſt, quia incarnatus eſt. In quo exultare & lætari præcipimur, quia erroris noſtri tenebras ſuæ in nobis virtutis luce ſuperavit. In creaturæ autem laudem vox illa dari non debuit, quæ ſoli convenit creatori. Sed cur iſta reprehendo, qui quantum gaudia mentem rapiunt ſcio? Caritas etenim veſtra magnam vobis lætitiam genuit, quam videlicet mentis lætitiam in favore lingua ſecuta eſt. Quod cum ita ſit, laus iſta culpa jam dici non poteſt, quam caritas invenit. Mihi vero de ſanctiſſimo fratre meo dici breviter debuit, quod ſufficienter acciperem, quia ſcirem quis eſſet qui hanc mihi præcipue dudum ſuæ magnitudinis probationem dedit; quod in tam multis diſpenſationis eccleſiaſticæ cauſſis occupatus tranquillum cor inter turbolentas frequen-

quentias tenuit, ſeque ipſum ſemper ſub manſuetudine reſtrinxit. Quod videlicet non parva laus magni & inconcuſſi eſt animi, inter cauſſarum turbas non fuiſſe turbatum. Præterea aſſiduis inſiſtere fraternitas tua precibus debet, ut omnipotens Deus in prædicto fratre & conſacerdote noſtro bene cœpta cuſtodiat, & ſemper ad meliora perducat. Hoc ſanctiſſimis vobis, hoc ſubjecto ei populo ſemper orandum eſt. Nam ita ſibi regentium merita connectuntur & plebium, ut ſæpe ex culpa præſidentium deterior fiat vita ſubjectorum, & ſæpe ex merito plebium delinquat vita paſtorum. Quia enim mala actio præſidentis valde noceat ſubditis teſtantur Phariſæi, de quibus ſcriptum eſt: *Clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis introire*: Et quia culpa plebium multum noceat vitæ paſtorum, in David facto cognoſcimus. Ille enim Deo atteſtante laudatus, ille ſupernorum myſteriorum conſcius, tumore repentinæ elationis inflatus, populum numerando peccavit, & tamen vindictam populus Davide peccante ſuſcepit. Cur hoc? quia videlicet ſecundum meritum plebium diſponuntur corda regentium. Juſtus vero judex peccantis vitium & ipſorum animadverſione corripuit, ex quorum cauſſa peccavit. Sed quia ipſe ſua ſcilicet voluntate ſuperbiens, a culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam ipſe ſuſcepit. Nam ira ſæviens, quæ corporaliter populum perculit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore proſtravit. Hæc itaque conſiderate invicem, & ſicut is qui vobis plebibuſque prælatus eſt intercedere pro omnibus, ita pro ejus converſatione & moribus orare omnes debetis, ut apud omnipotentem Deum & vos illius valeatis imitatione proficere, & ille meritis veſtris adjuvetur. Cuncti autem concorditer pro sereniſſimis dominis, eorumque pia ſobole cum magnis inquantum poſſumus aſſidue fletibus oremus, ut eorum vitam gratia protegens ſuperna cuſtodiat, & Chriſtiano imperio gentium colla ſubſternat.

## VIII. AD STEPHANUM EPISCOPUM.

De Maria patricia converſa, & Conſtantinum præfectum commendat.

*Gregorius Stephano epiſcopo.*

SCripta veſtræ ſanctitatis medullata mihi caritatis verba locuta ſunt; ita ut per calamum, ſic in epiſtolis animus tranſiret, ac ſi mihi per ſemetipſum mens ipſa loqueretur. Qua de re magnas omnipotenti Deo gratias refero, quia & diviſis corporibus, nobiſque a vobis recedentibus longe, caritas inter nos permanet indiviſa. Et quidem multum mihi, & ultra quam indignus audire debui, favorem in epiſtolis demonſtratis. Et ſcriptum eſt: *Ne laudes hominem quamdiu vivit*. Tamen etſi audire talia dignus non fui, orationibus veſtris peto, ut dignus efficiar, ut ſi bona in me non ideo dixiſtis quia ſunt, ideo ſint quia dixiſtis. De glorioſa autem Maria patricia valde lætatus ſum, quia in ſancto Dei ovili aggregata eſt, quod ex veſtra factum aſſidua prædicatione non dubito; quia ex ipſo fructu oſtenditis quantum pro fide catholica laboratis. Multos etiam per illam venire ad eccleſiam ſuſpicor, quod totum veſtræ laudi pro-

Joan. diac. lib. 4. c. 61.

Eccl. 11.

ficit; quia ſcriptum eſt: *Ubi plurimæ ſegetes, ibi * maxima fortitudo boum*. Manifeſtatur enim virtus prædicantium, ubi ſurgit ſeges animarum. Communem vero filium excellentiſſimum virum domnum Conſtantinum præfectum quantum plus diligitis, tantum exhortari continue debetis, ut in cauſſis, in quibus mixtus eſt, ſemper omnipotentis Dei judicium ante oculos cordis habeat, eique ſoli placere ſtudeat, qui & in præſenti vita valet protegere, & cæleſtis patriæ præmia compenſare.

* Prov. 14. manifeſta Parif.

## IX. AD JOANNEM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

Gratias agit de bonitate eleemoſynarum, & præcipit ne ſua ſcripta ad menſam legeret.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

BEnedictionem quam pauperibus fraternitas veſtra tranſmiſit, lator præſentium homo veſter Candidus nobis diſpenſantibus ſuis manibus erogavit; quod vobis ſecundum animum veſtrum fortaſſe parum viſum eſt. Nos tamen ſecundum modum veſtræ ſubſtantiæ eſſe nimium & ultra modum æſtimamus, ut qui illic apud vos innumeros pauperes habetis, pro explenda largitate miſericordiæ, etiam loca alia & longe poſita requiratis. De cauſſis vero aliis a vobis ſcriptis prioribus jam reſpondiſſe memini, & nihil aliud quærere debetis, niſi ut ſub conſideratione ſolius omnipotentis Dei cuncta faciatis, & nullius perſona vos a vigore diſciplinæ emolliat, neque vehemens indignatio in rigore, quod abſit, aliquo immoderatæ dictionis obduret. Præterea audio quod aliqua de his quæ ſcripſiſſe me memini, fraternitas veſtra ad menſam ſuam coram extraneis legi faciat; quod mihi non videtur eſſe faciendum; quia hoc quod vos pro caritate facitis, poſſunt quidam, quantum ad me eſt, vanæ gloriæ deputare. Ideoque coram extraneis antiquorum dicta legite, ex quorum auctoritate valeant qui audierint informari.

## X. AD AGNELLUM EPISCOPUM DE ARIMINO.

De præpoſito ordinando, & cura monaſterii.

*Gregorius Agnello * epiſcopo de Arimino.*

* al. Agello Parif.

FIlio noſtro * Secundino ſervo Dei renuntiante didicimus, quod dilectio tua præpoſitum non habens omnino in regendis fratribus elaboret. Si ergo qui vos ex ordine ſequitur talis eſt ut circa cellæ ordinationem fratrumque cuſtodiam, nec non & in lucrandis animabus ſolers valeat inveniri, is debet ad hunc locum incunctanter accedere. Si vero talis non eſt, qualem locus expoſcit, de quolibet etiam ultimo gradu, ſi talis inter fratres, domino protegente, fuerit repertus, qui vitæ meritis dignum converſationis tuæ præbeat documentum, divinique in eo timoris vigor invigilet, hujus non locus, ſed utilitas profecto providenda, ut tali exemplo ad bonæ imitationis normam cuncti ſe fratres extendant, nec eos adhuc locus inferior ad bene ope-

* Secundo Par.

operandum tepidos reddat, dum in illo qui A
profecerit, de præſenti, quod imitentur, aſpi-
ciunt. Dilectioni quapropter tuæ in hac or-
dinatione ſit nulla dubietas, quod non locus,
ſed actio apta perquiritur; quia & ante Deum
ille prioris obtinet locum, qui in ejuſdem ocu-
lis etiamſi hic abjectus ſit, bonæ actionis in-
ſtrumento placuerit. Circa fratres namque ſo-
licita vos, ſicut confidimus, decet invigilare
cuſtodia, ne a recto converſationis itinere per
illicitas evagando cogitationes exorbitent, at-
que inimico per inertem cuſtodiam irruptionis
aditum præſtent. Sed eos orationi decet in-
ſtantias adhærere, quatenus pia cœpta ſo-
rum, ſuæ propitiationis * dono perficiant, &
imperfecta ad cumulum faciant perfectionis B
aſcendere.

* dominus do- no Paris.

## XI. AD RUFINUM EPISCOPUM EPHESI.

Commendat clericum quemdam literas
neſcientem.

*Gregorius Rufino episcopo* *.

* Paris addit Epheſi.

AMicitiarum veſtrarum antiqua nos caritas
monuit fraternitatem veſtram ſcriptis præ-
ſentibus viſitare. Magno etenim ſumus gau-
dio relevati, quod de veſtræ ſalutis indicio
proſpera cuncta cognovimus; ſed in his om-
nipotentem dominum deprecamur, ut ſicut C
vos in præſenti vita, quæ quodammodo um-
bra futuræ eſt, de tranſitoria præſtitit corpo-
ris incolumitate gaudere, ita in illa cæleſti
patria, in qua vita vera eſt, de perfecta ani-
mæ ſalute gratulari, communique faciat exul-
tatione gaudere. Harum itaque lator noſtris
ſe apud vos deſiderans epiſtolis commendari,
a nobis inquiſitus utrum ſicut decet clericum,
literas didiciſſet, eas ſe ignorare reſpondit,
Quid ergo commendationis de eo apud frater-
nitatem veſtram amplius agamus ignoro, niſi
ut de ejus anima debeatis eſſe ſoliciti, ac cir-
ca eum paſtorali invigilare cuſtodia, ut qui
neſcit legere, lingua veſtra illi ſit codex, ut
in bono prædicationis veſtræ vel operis quod D
imitetur aſpiciat. Solet enim plerumque ſtri-
ctius cor viva vox trahere quam lectio dicta
per tranſitum. Sed dum hæc ei interius ſpiri-
talis a vobis magiſterii doctrina tribuetur,
exterior quoque ſolicitudo non deſit, ut ejus
adjumento ad ſpiritalia appetenda perveniat.
(Tranſitoria quoque percipiat) ne ſi hoc de-
ſpicitur, deſit cui prædicatio miniſtretur.

* [illegible] Paris.

## XII. AD RESPECTAM ABBATISSAM

MASSILIENSEM.

Præceptum de privilegiis ejus monaſterio
conceſſis

*Gregorius Reſpectæ abbatiſſæ de Galliis, Maſſiliæ.*

PIæ poſtulatio voluntatis effectu debet pro-
ſequente compleri; quatenus & devotionis
ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & utilitas po-
ſtulata vires indubitanter aſſumat. Proinde
monaſterio, quod in honorem ſancti Caſſiani
eſt conſecratum, in quo præeſſe dignoſceris,
juxta petitionem filiorum noſtrorum Dynamii
atque * * Aureliani, qui id religiola devotio-
A ne domui tui juris injunctis uniiſſe ædificiis
comprobantur, hæc privilegia prævidimus in-
dulgeri. Conſtituentes ut obeunte antedicti *
monaſterii abbatiſſa, non extranea, ſed quam
congregatio ſibi de ſuis elegerit, ordinetur;
quam tamen ſi digna huic miniſterio judicata
fuerit, ejuſdem loci epiſcopus ordinet. In re-
bus autem, vel in diſpoſitione monaſterii
ejuſdem, nec epiſcopum, nec eccleſiaſticorum
quemquam aliquam habere decernimus pote-
ſtatem; ſed hæc ad ſolicitudinis tuæ, vel quæ
poſt te in eodem loco fuerit abbatiſſa, cu-
ram ſtatuimus per omnia pertinere. Die ſiqui-
dem natalis vel dedicationis ſupradicti mona-
ſterii epiſcopo illic miſſarum ſacra conveniat
B ſolemnia celebrare. A quo tamen ita eſt hoc
officium exolvendum, ut cathedra ejus niſi
prædictis diebus, dum illic miſſarum ſolennia
celebrat, non ponatur. Quo diſcedente, ſimi-
liter etiam cathedra illius de eodem oratorio
auferatur. Ceteris vero diebus per presbyte-
rum, qui ab eodem epiſcopo fuerit deputatus,
miſſarum officia peragantur. Præterea erga vi-
tam actuſque ancillarum Dei, ſive abbatiſſæ,
quæ in ſupraſcripto fuerit monaſterio conſti-
tuta, epiſcopo ſecundum Dei timorem ſolici-
tudinem ſtatuimus adhibere; ut ſi aliquam de
illic habitantibus exigente culpa oportuerit ul-
tioni ſubmitti, ipſe juxta ſacrorum canonum
vigorem modis omnibus debeat vindicare. His
C ergo a nobis ſtatutis atque conceſſis, ita te
in congregationis tuæ diſpoſitione cuſtodiam
ſtude ſolicitiorem enixius in omnibus exhibe-
re, ut iniqui hoſtis malitia nihil ibi quod
maculari poſſit inveniat. Hæc igitur omnia,
quæ hujus pagina præceptionis amplectitur,
monaſterio tuo in omnibus & ab omnibus in
perpetuum ſervari Chriſto protegente cenſe-
mus, quatenus indultorum privilegiorum be-
neficia in ſua ſemper inviolabiliter firmitate
permaneant.

* Aureli ſive Aurelia de

quo infra ep. 33 ejuſdem libri.

* Aureliana Paris.

*Menſe Novembri, indictione decimaquinta.*

## XIII. AD FORTUNATUM EPISCOPUM

FANENSEM.

Scribit ſacra vaſa pro redemptione captivorum
venumdanda.

*Gregorius Fortunato epiſcopo Fanenſi.*

SIcut reprehenſibile & ultione dignum eſt
ſacrata quæpiam vaſa, præterquam in his
quæ lex & ſacri canones præcipiunt, venum-
dare, ita nulla eſt objurgatione vel vindicta
plectendum, ſi pietatis cauſſa pro captivorum
fuerint redemptione diſtracta. Quia ergo fra-
ternitate veſtra indicante comperimus ad re-
E demptionem captivorum mutuam ſe feciſſe pe-
cuniam, & eam unde ſolvere poſſitis non ha-
bere, atque ob hoc cum noſtra vos auctorita-
te ſacrata velle vaſa diſtrahere; in hac re,
quia & legum & canonum decreta conſentiunt,
noſtrum conſenſum præbere curavimus, & in
diſtrahendis ſacratis vaſis vobis licentiam in-
dulgemus. Sed ne eorum venditio ad veſtram
poſſit invidiam pertinere, oportet ut in Joan-
nis defenſoris noſtri præſentia uſque ad quan-
titatem debiti diſtrahi & eorum ſolvi pretium
creditoribus debeat; quatenus dum hæc res
hujuſ-

hujuſmodi fuerit obſervatione completa, nec creditores mutuatæ pecuniæ damna ſentiant, nec fraternitas veſtra invidiam nunc vel quandoque ſuſtineat.

## XIV. AD CONSTANTIUM EPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

### De non curandis obtrectationibus malorum.

*Gregorius Conſtantio epiſcopo Mediolanenſi.*

Grat. 11. q. 1. cap. In cunctis.

ANtiquus humani generis inimicus, quibus vos linguarum jaculis, & malorum cordium inſidiis exiſtimavit impetendos, relatione multorum jamdudum me audiſſe cognoſcite. Sed in cunctis, quæ in hac vita adverſa proveniunt, ſola eſt, ſicut noſtis, omnipotentis Dei diſtrictio penſanda atque ad cor ſemper proprium recurrendum, ut nullius nos ibi lingua implicet, ubi conſcientia non accuſat. Quem conſcientia defendit, & inter accuſationem liber eſt, & liber vel ſine accuſatione eſſe non poteſt, ſi ſola quæ interius addicit, conſcientia accuſat. De veſtra igitur ſanctitate abſit a Chriſtianorum judicio, ut ea quæ maledicorum hominum rumoribus conficta ſunt, credamus in qualicumque modulo ſuſpicionis adducere: quia & ſacri eloquii teſtimonium tenemus, ut majora mala cum forſitan dicuntur, niſi probata credi non debeant, ſed probata citius ulciſci. Nam ipſe qui omnia creavit, & cuncta quæ condidit intuetur Deus malorum gravium ultione commotus ait: *Clamor Sodomæ & Gomorrhæ aſcendit ad me,* * *deſcendam ut videam utrum clamorem quem audivi, opere compleverint, & ulciſcar: an non eſt ita ut ſciam?* Quo enim deſcenderet Deus, ut quæ eſſent facta cognoſceret? Aut quid non is qui ubique eſt ſciret? Sed ut noſtræ ignorantiæ exemplum diſcretionis daret, quatenus deberemus mala gravia audita non credere, ipſe ſe dicit ad cognoſcendum deſcendere, de quo omnibus liquet quia & non deſcendens omnia ſciret. Hæc igitur dixi, ut nimiæ eſſe levitatis oſtenderem, ſi quis mala gravia credere ſtudeat, quæ probari non poſſunt. Unde ſanctitas veſtra debet mentem ſuam a maledicorum hominum rumoribus atque obtrectatione disjungere, & ſola quæ æternæ vitæ ſunt, atque ad utilitatem ſubditorum proficiunt, cogitare; quia & ad hoc fortaſſe antiquus hoſtis tali cura implicari vos voluit, ut dum fraternitatis veſtræ animus erga ea quæ ſua ſunt indeſinenter occupatur, aliena minus cogitet, & nullum verbi ſolatium ſubditis inferat, atque perverſe agentibus nulla diſtrictione contradicat. Sic namque in corporali prælio fieri ſolet, ut is qui in certamine vexillum portat, ipſum hoſtis vehementer impetat, quatenus ſi ipſe qui a ceteris attenditur, vulnus acceperit, multitudo omnis citius diſperſa capiatur. Hoc igitur opinionis illatæ vulnus ſentire veſtra fraternitas non debet, ſed vitam atque meliorationem ſibi commiſſorum curare, quatenus venturo judici bonam poſſitis & de veſtra innocentia, & de ſubjectorum melioratione ponere rationem. Cetera autem quæ ad utilitatem temporis congruunt, per * Marianum defenſorem noſtrum vobis verbo intimandam mandavimus. Illum vero epiſcopum quem a fraternitate tua invenimus eſſe depoſitum, poſtquam ſacri canones, ſicut noſtis, ultra tres menſes eccleſiam præcipiant non vacare, ſi manifeſtum in eo crimen apparuit, loco ejus epiſcopum ſtudii veſtri ſit modis omnibus ordinare, quia diu ſine proprio rectore eſſe non debet eccleſia.

Gen. 18
* deſcendo. Pariſ.
* Marinianum ac veſtrum. Pariſ.

*Menſe * Majo, indictione decimaquinta.*

* Martio. Pariſ.

## XV. AD GEORGIUM ET THEODORUM.

### Dominum deſcendentem ad inferos illos ſecum aſſumpſiſſe ac liberaſſe, qui in illum crediderant, & ejus præcepta ſervaverant.

*Gregorius Georgio presbytero, & Theodoro diacono eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.*

MEmor bonitatis veſtræ atque caritatis, memetipſum valde reprehendo, quod vos ad remeandum citius relaxavi: ſed quia ſemel ac ſecundo importune mihi de relaxatione veſtra vos inſiſtentes vidi, perpendi ne grave eſſet, ſi veſtra apud nos dilectio moraretur. Poſtquam vero cognovimus vos propter hiemis tempus tam longo tempore in itinere remanſiſſe, fateor, citius dimiſſos eſſe vos dolui. Si enim iter propoſitum veſtra dilectio peragere non valebat, melius fuerat ut apud me moram quam extra me faceret. Præterea poſt diſceſſum veſtrum dilectiſſimis filiis meis diaconis narrantibus agnovi, quod dilectio veſtra dixiſſet: omnipotentem dominum ſalvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum ad inferos deſcendentem omnes, qui illic confiterentur eum Deum ſalvaſſe, atque a pœnis debitis liberaſſe. De qua re volo ut fraternitas veſtra longe aliter ſentiat. Deſcendens quippe ad inferos, ſolos illos per ſuam gratiam liberavit, qui eum & venturum eſſe crediderant, & præcepta ejus vivendo tenuerant. Conſtat autem quia poſt incarnationem domini nullus etiam ex his ſalvari poteſt, qui fidem illius tenent, & vitam fidei non habent; quia ſcriptum eſt: *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Et Joannes ait: *Qui dicit quia novit eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt.* Jacobus quoque frater domini ſcribit, dicens; *Fides ſine operibus mortua eſt.* Si ergo fideles nunc * bonis operibus non ſalvantur, & infideles ac reprobi ſine bona actione domino ad inferos deſcendente ſalvati ſunt, melior illorum ſors fuit qui incarnationem domini minime viderunt, quam horum qui poſt incarnationis ejus myſterium nati ſunt. Quod quantæ fatuitatis ſit dicere vel ſentire, ipſe dominus teſtatur diſcipulis, dicens: *Multi reges & prophetæ cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Sed ne dilectionem veſtram in mea diſputatione immorer, quid de hac hæreſi Philaſter libro quem de hæreſibus ſcripſit dixerit, cognoſcat. Cujus hæc verba ſunt: *Sunt hæretici qui dicunt dominum in infernum deſcendiſſe, & omnibus poſt mortem ſuam etiam * ibidem ſe nuntiaſſe, ut confitentes ibidem ſalvarentur, cum hoc ſit contrarium dicenti prophetæ David: In inferno autem quis confitebitur tibi? Et apoſtolus: Quotquot ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.* Cujus verbis beatus quoque Auguſtinus in eo libro concordat quem de hæreſibus ſcripſit. Hæc itaque omnia per-

Tit. 1
Joan. 1
Jacob. 2
* ſine. Pariſ.
Matth. 13
* ibi ibidem. Pariſ.
Pſal. 6
Rom. 2

tra-

tractantes, nihil aliud teneatis, niſi quod vera A
fides per catholicam eccleſiam docet: quia
deſcendens ad inferos dominus illos ſolum-
modo ab inferni clauſtris eripuit, quos viven-
tes in carne per ſuam gratiam in fide & bo-
na operatione ſervavit. Quod enim per evan-
gelium dicit: *Cum exaltatus fuero a terra, om-* Joan. 12.
*nia traham ad meipſum*, omnia videlicet ele-
cta: nam trahi ad Deum poſt mortem non
potuit, qui ſe Deo male vivendo ſeparavit.
Omnipotens Deus ſua vos protectione cuſto-
diat, ut ubicumque eſtis, & in anima & in
corpore gratiæ ejus auxilium ſentiatis.

## XVI. AD AGNELLUM EPISCOPUM TERRACINENSEM.

De obitu Bacaudæ, & viſitatione eccleſiæ ejus.

*Gregorius Agnello epiſcopo Terracinenſi.*

OBitum Bacaudæ antiſtitis directa relatio
patefecit, quapropter viſitationis eccleſiæ
deſtitutæ fraternitati tuæ operam ſolenniter
delegamus: quam ita te convenit exhibere,
ut nihil de provectionibus clericorum, reditu,
vel ornatu, miniſteriiſque, vel quidquid illud
eſt in patrimonio ejuſdem, a quoquam præſu-
matur. Et ideo fraternitas tua ad prædictam
eccleſiam ire properabit, & aſſiduis adhorta- C
tionibus clerum plebemque ejuſdem eccleſiæ
admonere feſtinet, ut remoto ſtudio, uno
eodemque conſenſu talem ſibi præficiendum ex-
petas ſacerdotem, qui tanto miniſterio dignus
valeat reperiri, & a venerandis canonibus nul-
latenus reſpuatur. Qui dum fuerit poſtulatus,
cum ſolennitate decreti omnium ſubſcriptioni-
bus roborati, & dilectionis tuæ teſtimonio li-
terarum ad nos ſacrandus occurrat: commo-
nentes etiam fraternitatem tuam ut nullum de
altera eligi permittatis eccleſia, niſi forte in-
ter clericos ipſius civitatis, in qua viſitationis
impendis officium, nullus ad epiſcopatum di-
gnus, quod evenire non credimus, potuerit
inveniri. Proviſurus ante omnia, ne ad hoc D
cujuſlibet converſationis * meritum laicæ per-
ſonæ aſpirare præſumant, & tu periculum or- * vel meriti. Pariſ.
dinis tui, quod abſit, incurras.

## XVII. AD SABINIANUM EPISCOPUM JADERTINUM.

De non communicando Maximo prævaricatori.

*Gregorius Sabiniano epiſcopo Jadertino.*

SI diſpenſationis eccleſiaſticæ regulam & anti-
quæ conſuetudinis ordinem ſolicita ſtuduiſ- E
ſes conſideratione penſare, nec tibi aliqua il-
licitæ præſumptionis culpa ſubreperet, nec alii
occaſione tui peccati diſcrimen incurrerent.
Itaque cognoviſſe te non eſt ambiguum, quia
dum ad nos quædam de Maximo perveniſ-
ſent, quæ ſacerdotii provectum non leviter
impedirent, noſtrum in ejus perſona non fuiſ-
ſe conſenſum, nec prius eum nos voluiſſe ad
hoc quod nitebatur accedere, quam digna de
his quæ dicta erant ſatisfactio proveniret. Quod
cum ſervare & tu omnino debuiſſes, actum

A magis eſt ut antedictus Maximus cæcus mentis
ſuæ aviditate epiſcopatum arripiens, ad ſuam
te incaute voluntatem contra noſtrum veti-
tum inclinaret. Sed ne vel tunc irrequiſita
quæ ad nos perlata fuerant permanerent, no-
ſtris ut huc veniret epiſtolis eſt accerſitus.
Quem etiam pravo ſtudio differentem, cum
nobis fuit ſub interdictione communionis ite-
ratis epiſtolis admonere, ut ad nos pro ſui
purificatione venire excuſatione poſtpoſita pro-
peraret: ſed elegit excommunicationi ſuccum-
bere, quam obedientiam exhibere. Unde con-
tigit ut perverſæ ipſius mentis pravitas in ſuam
alios ſecum, quod dici nefas eſt, perditionem
convolveret. Nunc autem quia ab ejus te ne-
B quitia cognovimus diſſentire, denique ut nec
ei communices, nec nominis ipſius facias in-
ter ſacra miſſarum ſolennia mentionem, ut
animæ tuæ vel ſero te ab eo diſcordaſſe pro-
ficiat, ſcriptis te præſentibus adhortamur, qua-
tenus ad nos mora ſubmota venire non diffe-
ras, ſed & alios tecum, quos tamen potueris,
epiſcopos ceteroſque religioſos feſtines adduce-
re, ut causſa ſubtilius examinata, & * noſtra, * veſtra. Pariſ.
ſi res exegerit, congrue decenterque debeat
abſolutio provenire, & hi qui in peccato ejuſ-
dem temeritate collapſi ſunt, ad viam ſalutis,
auxiliante beato Petro apoſtolorum principe,
diſpoſitione Deo placita revocentur. Sciat au-
tem quiſquis ad nos epiſcopus vel religioſus
C venerit, nullum ſe præjudicium vel injuſtitiam
ſuſtinere, ſed ita interim cognita veritate quæ
redemptori noſtro placuerint ordinari, quate-
nus ex ipſa noſtra diſpenſatione domino ſuf-
fragante cunctis appareat non nos proprio odio
contra aliquem, ſed Dei zelo & eccleſiaſtici
ordinis libramine commoveri.

## XVIII. AD MARTINUM DIACONUM ET ABBATEM.

De abſolutione ejus.

*Gregorius Martino diacono & abbati.*

SIcut veraciter adverſus religioſos dicta cri-
mina digna ſunt ultione plectenda, ita ab * * al. Michis.
illatis ſunt nihilo minus abſolvendi, quando
nullus eos culpæ reatus adſtringit. Quia igi-
tur aliqua nobis de te fuerant nuntiata, quæ
officii tui propoſitum non leviter macularent,
curæ nobis fuit ea diu ac ſubtili inveſtigatio-
ne perquirere. Et quoniam nil quod tibi no-
ceret invenimus, ne qua de his quæ dicta fue-
rant ſuſpicio remaneret, ad pleniſſimam te ſa-
tisfactionem, ſi ab eis inſons extiteris, ad ſa-
cratiſſimum corpus beati Petri apoſtolorum
principis diſtricta fecimus ſacramenta præbere.
Et ideo poſtquam nobis ut oportuit ſatisfactum
E eſt: dilectionem tuam prævidimus modis om-
nibus abſolvendam, atque ad tuam te eccle-
ſiam, in eo videlicet quo fuiſti loco & ordi-
ne per omnia ſtatuimus remeare, & nullam
te a quoquam contradictionem vel inquietudi-
nem de his quæ ad nos perlata fuerant ſuſti-
nere: admonentes ut ita de cetero te cautum ſo-
licitumque debeas exhibere, quatenus & offi-
cio tuo moribus & actione reſpondeas, ut omnis
contra te penitus adverſæ opinioni dicendi ſub-
trahatur occaſio.

Mox-

*Menſe Majo, indictione decimaquinta.*

## XIX. AD CYPRIANUM DIACONUM.

Ut epiſcopi Siciliæ Romam accedant ſine prætoris impedimento, & de conſolatione Libertini.

*Gregorius Cypriano diacono.*

NOvit dilectio tua hanc olim conſuetudinem tenuiſſe, ut fratres & coepiſcopi noſtri Romam ſemel in triennio de Sicilia convenirent; ſed nos eorum labori conſulentes, conſtituiſſe ut ſuam hic ſemel in quinquennio præſentiam exhiberent. Et quia jam diu eſt quod huc minime convenerunt, eos hortari te volumus, ut natalem ſancti Petri hic Deo perducente nobiſcum debeant celebrare. Sed ne forte prætori aliqua poſſit naſci ſuſpicio, ſi eos huc admonitos venire cognoverit; voluntatem noſtram intelligens, ita hoc ex te facere ſtude, ut & ipſi ſicut prædiximus, ad diem conſtitutum huc veniant, & nulla de eis prætori poſſit eſſe ſuſpicio: Liparitanum vero & Regitanum epiſcopos ut huc veniant pariter commonebis. Circa Libertinum vero virum magnificum eſto ſolicitus, ut nullus illum dolus decipiat, quia aliqua nobis de Ravennati urbe ſcripta ſunt, ipſamque ad te epiſtolam miſimus, ut ex ea qualiter te erga eum debeas exhibere poſſis addiſcere. Conſolare autem eum, ut ſe non affligat; quia credimus quod nos dilectiſſimus atque excellentiſſimus filius noſter exarchus non contriſtet. Nam de perſona ipſius ſcribere non diſtulimus. Sed quia in Pado idem exarchus occupatus eſt, minime ſcripta ejus ſuſcepimus.

## XX. AD FORTUNATUM ET ANTHEMIUM.

Deſponſatam in monaſterio converſam nullo damno mulctandam.

*Gregorius Fortunato epiſcopo & Anthemio defenſori.*

CAtellus præſentium lator nobis innotuit ſororem ſuam, quæ Stephano cuidam fuerat deſponſata, divinæ propitiationis inſtinctu Neapoli in monaſterio fuiſſe converſam, atque eumdem Stephanum domum & res ejus aliquas indebite detinere. Et quia decreta legalia deſponſatam, ſi converti voluerit, nullo omnino cenſuerunt damno mulctari, fraternitas tua una cum Anthemio ſubdiacono veritatem diligenti curioſitate ſtudeat perſcrutari. Et ſi, ut edocti ſumus, domum, vel quid aliud ſupraſcriptum Stephanum injuſte tenere cognoſcitis, eum adhortatio veſtra inſtanter admoneat, ut quæ indebite detinet, ſine aliqua mora vel altercatione reſtituat, ne rerum alienarum reſtitutionem ſub qualibet excuſationis ſpecie differat. Quem ſi adhortationem veſtram negligere fortaſſe cognoſcitis, nobis tam hoc quam etiam qualiter ſe cauſſæ veritas habeat ſubtiliter indicate, quatenus cognito negotii merito, aliter cogatur æquitate ſuadente reſtituere, quod facere propria ſponte honeſta-

A [illegible] præſentium fraternitati tuæ commendantes hortamur, ut eum illic moras pati hac pro cauſſa diutius non permittat.

## XXI. AD CANDIDUM PRESBYTERUM.

Ut Chriſtianos redimat, qui in Judæorum ſervitio Narbonæ detinebantur

*Gregorius Candido presbytero noſtro per Gallias.*

DOminicus præſentium portitor lacrymabiliter nobis innotuit quatuor fratres ſuos de captivitate a Judæis redemptos eſſe, atque B eos nunc Narbonæ in eorumdem Judæorum ſervitio detineri. Et quia omnino grave execrandumque eſt Chriſtianos eſſe in ſervitio Judæorum, dilectionem tuam ſcriptis præſentibus adhortamur; ut cum omni ſubtilitate & ſolicitudine ſtudeat perſcrutari; & ſi revera ita eſt, atque manifeſta tibi veritate conſtiterit, quia neque ipſi unde ſe redimant, neque ſupraſcriptus portitor habet, eos ſtudii tui ſit redimere, ſciens quia quidquid in eis dederis tuis ſine dubio rationibus imputabitur.

Vide l. 6. … 33 ad Fortunatum ep. Neap.

*Menſe Junio, indictione decima quinta.*

## XXII. AD GREGORIAM

C

CUBICULARIAM AUGUSTÆ.

De eo quod ſcriptum eſt: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa*, aliiſque teſtimoniis multis. De miſericordia Dei.

Luc. 7.

*Gregorius Gregoriæ cubiculariæ Auguſtæ.*

DEſiderata dulcedinis veſtræ ſcripta ſuſcepi, in quibus vos omnino de peccatorum multitudine ſtuduiſtis accuſare, ſed ſcio quia omnipotentem dominum ferventer diligitis, atque in ejus miſericordia confido, quia illa de vobis ſententia ex ore veritatis procedit, quæ D de quadam ſancta muliere dicta eſt; *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quomodo autem fuerint dimiſſa, in hoc etiam monſtratum eſt quod poſtmodum eſt ſecutum, quia ad pedes domini ſedebat, & verbum ex ore illius audiebat. In contemplativa enim vita ſuſpenſa, jam activam tranſcenderat, quam adhuc Martha illius ſoror tenebat. Sepultum quoque dominum requiſivit, ſtudioſe ad monumentum inclinata corpus illius non invenit. Sed etiam recedentibus diſcipulis ipſa ante januam monumenti plorans perſtitit, & quem mortuum quærebat, viventem videre meruit, & reſurrexiſſe dominum diſcipulis nuntiavit. Et hoc quidem mira diſpenſatione pietatis Dei F fuit, ut ex ore mulieris nuntiaretur vita, quia ex ore mulieris mors fuerat in paradiſo propinata. Quæ alio quoque tempore cum Maria altera dominum poſt reſurrectionem vidit, & accedens, pedes ejus tenuit. Duc rogo ante oculos, quæ manus, cujus tenuerunt pedes? Illa mulier quæ fuerat in civitate peccatrix, illæ manus quæ fuerant iniquitate pollutæ, illius tetigerunt pedes qui ad Patris dexteram ſuper angelorum verticem ſedet. Penſemus ſi poſſumus quæ ſunt iſta ſupernæ pietatis viſcera, ut mulier, quæ in profundo voraginis fuerat

rat

rat demerſa per culpam, ex amoris penna ſic in altum levaretur per gratiam. Impletum eſt, dulciſſima filia, impletum quod de hoc ſanctæ eccleſiæ tempore prophetica nobis voce promiſſum eſt: *Et in die illo erit domus David fons patens in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ.* (Zach. 13) Domus enim David nobis peccatoribus fons patens in ablutionem eſt, quia ab iniquitatum noſtrarum ſordibus per David filium ſalvatorem noſtrum aperta jam miſericordiâ lavamur. Quod vero dulcedo tua in ſuis epiſtolis ſubjunxit, importunam ſe mihi exiſtere, quoadusque ſcribam mihi eſſe revelatum, quia peccata tua dimiſſa ſunt; rem & difficilem etiam, & inutilem poſtulaſti. Difficilem quidem, quia ego indignus ſum cui revelatio fieri debeat: inutilem vero, quia ſecura de peccatis tuis fieri non debes, niſi cum jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quæ dies quouſque veniat ſemper ſuſpecta, ſemper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. Certe Paulus apoſtolus jam ad tertium cœlum aſcenderat, in paradiſum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret, & tamen adhuc trepidans dicebat: *Caſtigo corpus meum, & ſervituti ſubjicio, ne forte aliis prædicans, ipſe reprobus efficiar.* (1 Cor. 9.) Adhuc timet qui jam ad cœlum ducitur, & jam timere non vult qui adhuc in terra converſatur? Perpende, dulciſſima filia, quia mater negligentiæ ſolet eſſe ſecuritas. Habere ergo in hac vita non debes ſecuritatem, per quam negligens reddaris. Scriptum eſt enim: *Beatus vir qui ſemper eſt pavidus.* (Prov. 28) Et rurſus ſcriptum eſt: *Servite domino in timore, & exultate ei cum tremore.* (Pſal. 2) In pauco ergo hujus vitæ tempore mentem veſtram neceſſe eſt ut tremor teneat, quatenus per ſecuritatis gaudium ſine fine poſtmodum exultet. Omnipotens Deus ſancti Spiritus ſui gratia mentem veſtram repleat, & poſt fletus, quos quotidie in oratione funditis, ad gaudia vos æterna perducat.

## XXIII. AD THEOTISTAM ET ANDREAM.

De duobus generibus compunctionis. Nec non gratias agit de pecunia in redemptionem captivorum collata. Et de miraculo per clavem ſancti Petri facto.

*Gregorius Theotiſtæ* pariter & Andreæ.*

* Par. . . Q. d. . . Par.

QUod in tanto tumultu cauſſarum veſtra excellentia poſita ſacri verbi ubertate plena eſt atque ad æterna inceſſanter gaudia ſuſpirat, magnas omnipotenti Deo gratias ago, quia hoc in vobis eſſe impletum video, quod de electis patribus ſcriptum eſt: *Filii autem Iſrael ambulaverunt per ſiccum per medium maris.* (Exod. 15) At contra: *Ego veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* (Pſal. 68) Vos vero ad repromiſſionis patriam inter undas cauſſarum ſæcularium ſiccis, ut video, greſſibus ambulatis. Agamus ergo gratias ei Spiritui, qui corda quæ implet levat, qui inter tumultus hominum, ſolitudinem in mente facit. In cujus præſentia nullus locus compunctæ animæ eſt ſecretus. Æternæ enim ſuavitatis odorem

A trahitis, atque ideo ſponſum animæ ardenter amatis; ita ut cum cæleſti ſponſa ei dicere poſſitis: *Trahe me poſt te, in odore unguentorum tuorum currimus.* (Cant. 1) In epiſtolis autem excellentiæ veſtræ hoc minus reperi, quia mihi de ſereniſſima domina indicare noluit quam ſtudioſe legat, vel in lectione qualiter compungatur. Prodeſſe quippe ei multum debet veſtra præſentia, ut inter cauſſarum fluctus, quos aſſidue patitur, ex quibus velit nolit foras trahitur, ſemper ad amorem cæleſtis patriæ interius revocetur, & hoc quoque inveſtigare debetis, quotiens ei pro ſua anima lacrymæ dantur, utrum adhuc ex timore, an jam ex amore compungatur. Duo quippe ſunt B compunctionis genera, ſicut ſcitis, unum quod æternas pœnas metuit, aliud quod de cæleſtibus præmiis ſuſpirat; quia Deum timens anima prius timore compungitur, poſt amore. Ante enim ſemetipſam in lacrymis afficit, quia dum malorum ſuorum memoriam recolit pro his perpeti ſupplicia æterna pertimeſcit. At vero cum longa mœroris anxietate fuerit formido conſumpta, quædam jam de præſumptione veniæ ſecuritas naſcitur, & in amore cæleſtium gaudiorum animus inflammatur. Et qui prius flebat ne duceretur ad ſupplicium, poſtmodum flere amariſſime incipit, quia differtur a regno. Contemplatur etenim mens, qui ſint illi angelorum chori, quæ ipſa ſocietas beato- C rum ſpirituum, quæ viſio internæ claritatis Dei, & amplius plangit, quia a bonis perennibus deeſt, quam flebat prius cum mala æterna metuebat; ſicque fit ut perfecta compunctio formidinis trahat animum ad compunctionem dilectionis. Quod bene in ſacra veracique hiſtoria figurata narratione deſcribitur, quæ ait: *Axa filia* Caleph ſedens ſuper aſinam ſuſpiravit. Cui dixit pater ſuus: Quid habes? At illa reſpondit: Da mihi benedictionem. Terram Auſtralem & arentem dediſti mihi, junge & irriguam. Et dedit ei pater ſuus* irriguum inferius, & irriguum ſuperius.* (Joſ. 15) (* Caleb.) (* Irriguum ſuperius, & irriguum inferius. Pariſ.) Axa quidem ſuper aſinum ſedet, cum irrationabilibus carnis ſuæ motibus anima præſidet. Quæ D ſuſpirans a patre terram irriguam petit: quia a creatore noſtro cum magno deſiderio quærenda eſt lacrymarum gratia. Sunt namque nonnulli qui jam in dono percipiunt libere pro juſtitia loqui, oppreſſos tueri, indigentibus propria tribuere, ardorem fidei habere, ſed adhuc gratiam lacrymarum non habent. Hi nimirum terram Auſtralem & arentem habent, ſed adhuc irrigua indigent. In bonis enim operibus poſitis, in quibus magni atque ferventes ſunt, oportet valde ut aut timore ſupplicii, aut amore regni cæleſtis peccata ſine quibus vivere non poſſunt quotidie plorent. Sed quia, ut dixi, duo ſunt compunctionis genera, dedit ei pater ſuus irriguum E ſuperius, & irriguum inferius. Irriguum quippe ſuperius accipit anima, cum ſe in lacrymis regni cæleſtis deſiderio affligit. Irriguum vero inferius accipit, cum inferni ſupplicia flendo pertimeſcit. Et quidem prius inferius, & poſt irriguum ſuperius datur. Sed quia compunctio amoris magna dignitate præeminet, neceſſe fuit ut prius irriguum ſuperius, & poſt irriguum inferius diceretur. Vos ergo quæ operante omnipotente domino utraque compunctionis genera experimento noſtis, quantum per verba ſereniſſimæ dominæ veſtræ prodeſtis,

ſtis, quotidie ſolicite perſcrutari debetis. Peto autem ut parvulos dominos quos nutritis, præcipue moribus inſtruere curetis, & glorioſos eunuchos qui eis deputati ſunt admonete, ut ea illis loqui debeant, quæ eorum mentes in caritate circa ſe invicem & erga ſubjectos in manſuetudinem * compungant, ne ſi quid odii modo inter ſe conceperint, in aperto poſtea erumpat. Verba ſi quidem nutrientium aut lac dant ſi bona ſunt, aut venenum ſi mala. Talia ergo nunc eis ſuggerant, quæ poſtmodum oſtendant quam bona fuerint, quæ a nutritorum ſuorum ore ſuxerunt. Præterea triginta auri libras dilectus filius meus Sabinianus diaconus ab excellentia veſtra tranſmiſſas in redemptionem captivorum dandas, atque pauperibus erogandas detulit, de quibus vobis gaudeo, ſed mihi pertimeſco; quia apud tremendum judicem non ſolum de ſancti Petri apoſtolorum principis ſubſtantia, ſed etiam de veſtris rebus rationem redditurus vado. Vobis autem omnipotens Deus pro terrenis cæleſtia, pro temporalibus æterna reſtituat. Indico vero quia ex Crotonenſi civitate, quæ ſuper Adriaticum mare in terra Italiæ poſita tranſacto anno a Longobardis capta eſt, multi viri ac multæ mulieres nobiles in prædam ductæ ſunt, & filii a parentibus, parentes a filiis, & conjuges a conjugibus diviſi, ex quibus aliqui jam redempti ſunt. Sed quia gravia pretia eis indicunt, multi apud nefandiſſimos Longobardos hactenus remanſerunt. Mox autem medietatem pecuniæ quam tranſmiſiſtis, in eorum redemptionem tranſmiſi. De medietate vero ancillis Dei, quas vos Græca lingua monaſtrias dicitis, lectiſternia emere diſpoſui, quia in lectis ſuis gravi nuditate in hujus hiemis vehementiſſimo frigore laborant; quæ in hac urbe multæ ſunt. Nam juxta notitiam qua diſpenſantur, tria millia reperiuntur. Et quidem de ſancti Petri apoſtolorum principis rebus octoginta annuas libras accipiunt. Sed ad tantam multitudinem iſta quid ſunt, maxime in hac urbe, ubi omnia gravi pretio emuntur? Harum vero talis vita eſt, atque intantum lacrymis & abſtinentia diſtricta ut credamus quia ſi ipſæ non eſſent, nullus noſtrum jam per tot annos in loco hoc ſubſiſtere inter Longobardorum gladios potuiſſet. Præterea benedictionem ſancti Petri apoſtoli clavem a ſacratiſſimo ejus corpore tranſmiſi, de qua videlicet clavi hoc eſt geſtum quod narro miraculum. Dum eam quidam Longobardorum civitatem ingreſſus in Tranſpadanis partibus inveniſſet, quia ſancti Petri clavis eſſet deſpiciens; ſed pro eo quod eam auream vidit, facere ſibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum ut eam incideret. Qui mox cultellum cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per ſpiritum, ſibi in gutture defixit, eademque hora extinctus cecidit. Et dum illic rex Longobardorum Autharith atque alii multi ejus homines adeſſent, & is qui ſe percuſſerat ſeorſum mortuus, clavis vero hæc ſeorſum jaceret in terra, factus eſt omnibus vehementiſſimus timor, ut eamdem clavem de terra levare nullus præſumeret. Tunc quidam Longobardus catholicus, qui ſciebatur orationi & eleemoſynis deditus, Minulfus nomine, vocatus eſt, atque ipſe hanc levavit de terra. Autharith vero pro eodem miraculo aliam clavem auream fecit, atque cum ea pariter ad ſanctæ memoriæ deceſſorem meum tranſmiſit, indicans quale per eam miraculum contigiſſet. Ipſam ergo veſtræ excellentiæ tranſmittere ſtudui, per quam omnipotens Deus ſuperbientem & perfidum hominem peremit, ut per eam vos, qui eum timetis & diligitis, & præſentem ſalutem & æternam habere valeatis.

* compungant,

## XXIV. AD ANASTASIUM EPISCOPUM

### ANTIOCHENUM.

De Cyriaco epiſcopo Conſtantinopolitano & profano vocabulo univerſalis, quo temere utebatur.

*Gregorius Anaſtaſio epiſcopo Antiocheno.*

DEſideratam ſuaviſſimæ veſtræ ſanctitatis epiſtolam communi filio meo Sabiniano diacono deferente ſuſcepi, in qua non linguæ ſed animæ verba profluebant. Et non mirum ſi bene loquitur qui perfecte vivit. Quia enim per magiſtrum Spiritum in ſchola cordis præcepta vitæ didiciſtis terrena cuncta deſpicere, ad cæleſtem patriam feſtinare, quantum vos in bono profeciſtis, tantum bona etiam de aliis ſentitis. Dum vero in ſcriptis veſtræ beatitudinis multa de me dici laudabilia audirem, intellexi ſtudium, quia commemorare voluiſtis non quid ſum, ſed quid eſſe debeam. Illud vero quod me dicitis morum meorum debere reminiſci, & maligno ſpiritui quærenti animas cribrare pro nulla cauſſa locum dare: ego quidem me ſemper malis moribus fuiſſe recolo, atque eoſdem in me mores ſi poſſum vincere ac delere ſummopere feſtino. Si tamen ut vos creditis, aliquid boni habui, in omnipotentis Dei adjutorio confido, quia oblitus non ſum. Sed ſanctitas veſtra, ut video, in præmiſſis verbis dulcedinis, & ſubſequenti hoc verbo epiſtolam ſuam api eſſe ſimilem voluit, quæ mel ſimul & aculeum portat, ut me & melle ſatiaret, & aculeo pungeret. Sed inter hæc ego ad meditandam Salomonis vocem redeo: *Quia meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oſcula.* Quod vero dicitis pro nulla cauſſa dare nos locum ſcandalo debere, hæc mihi & piiſſimus dominus filius noſter, pro cujus vita inceſſanter orandum eſt, jam ſæpius ſcripſit. Et quod ille ex poteſtate, ſcio quia hoc vos ex amore dicitis. Nec miratus ſum vos in veſtris epiſtolis imperialia verba poſuiſſe, quia habent inter ſe maximam cognationem amor & poteſtas. Nam utraque principaliter * præſunt, utraque per auctoritatem ſemper loquuntur. Et quidem ſuſcipiens fratris & conſacerdotis noſtri Cyriaci ſynodica epiſtola dignum non fuit ut pro cauſſa profani vocabuli moras facerem, ne unitatem ſanctæ eccleſiæ perturbarem, ſed tamen de eodem ſuperſtitioſo & ſuperbo vocabulo eum admonere ſtudui, dicens, quia pacem nobiſcum habere non poſſet, niſi elationem prædicti verbi corrigeret, quam primus apoſtata invenit. Vos tamen eamdem cauſſam nullam eſſe dicere non debetis, quia ſi hanc æquanimiter portamus, univerſæ eccleſiæ fidem corrumpimus. Scitis enim quanti non ſolum hæretici, ſed etiam hæreſiarchæ de Conſtantinopolitana eccleſia ſunt egreſſi. Et ut de

ħonoris veſtri injuria taceam, ſi unus epiſco- A
pus vocatur univerſalis, univerſa eccleſia cor-
ruit: ſi unus, univerſus cadit. Sed abſit
hæc ſtultitia, abſit hæc levitas ab auribus
meis. In omnipotente autem domino cón-
tido, quia quod promiſit citius impleturus
eſt. *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur*. Hæc (Luc. 14. & 18.)
occupatus in multis ad epiſtolarum veſtra-
rum dicta in brevitate reſpondi: nam quæ mo-
do loqui per ſcripta non debeo, in animo
ſignata manent. Peto ut me beatitudo veſtra
in ſuis ſanctis orationibus ſemper ad memo-
riam reducat, quatenus a malis me tempora-
libus & æternis veſtræ interceſſiones eripiant.
Pro ſereniſſimo autem domino imperatore ſtu-
dioſe & ferventer orare, quia valde eſt ejus
vita mundo neceſſaria. Ceſſo autem amplius
dicere, quia & vos non dubito ſcire.

## XXV. AD THEODORUM MEDICUM.

Largitatem eleemoſynarum ejus plurimum laudat.

*Gregorius Theodoro Medico Conſtantinopolitano.*

DIlectiſſimus filius meus Sabinianus diaco-
nus ad me reverſus, nulla mihi gloriæ
veſtræ ſcripta detulit: ſed ea quæ tranſmiſſa
ſunt, captivis & pauperibus deportavit, unde
& intellexi cauſſam. Ideo enim homini loqui C
per epiſtolas noluiſtis, quia omnipotenti Deo
verbum in bona operatione feceratis. Habet
enim hæc eadem veſtra operatio vocem pro-
priam, quæ ad aures Dei ſecretas clamat, ſic-
ut ſcriptum eſt: *Abſconde eleemoſynam in ſinu*
*pauperis & hæc pro te orabit*. Et quidem mihi (Eccli. 29.)
fateor, triſte eſt aliena expendere, & ſuper eas
quas de ſubſtantia eccleſiaſtica habeo, adhuc
etiam de rebus * ſuaviſſimi filii domni Theo- (* al. ſanct. Theo.)
dori rationes ponere. Veſtræ tamen benigni-
tati congaudeo, quia ſolicite attenditis, atque
cuſtoditis hoc quod veritas dicit: *Date eleemo-*
*ſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*. Et (Luc. 11.)
quod ſcriptum eſt: *Sicut aqua extinguit ignem*, (Eccli. 3.)
*ſic eleemoſyna extinguit peccatum*. Paulus quo- D
que apoſtolus ait: *Veſtra abundantia illorum*
*inopiam ſuppleat, ut & illorum abundantia ve-* (2. Cor. 8.)
*ſtra ſit inopiæ ſupplementum*. Tobias filium ad-
monet, dicens: *Si multum tibi fuerit, abundan-* (Tob. 4.)
*ter tribue: ſi autem parum, etiam de exiguo li-*
*benter impertire*. Vos itaque hæc omnia præ-
cepta ſervatis, ſed pro nobis ut oretis peti-
mus, ne laborum veſtrorum fructus indiſcre-
te, & non ſicut neceſſe eſt diſpenſemus, ne
unde vos peccata minuitis, nos inde cumule-
mus. Omnipotens autem Deus ſua vos prote-
ctione cuſtodiat, ſicque vobis in terreno pala-
tio humanam gratiam tribuat, ut poſt longa
vos tempora ad cæleſtis palatii gaudia æterna
perducat. Benedictionem vero ſancti Petri apo- E
ſtolorum principis, quem multum diligitis, cla-
vem a ſacratiſſimo ejus corpore vobis tranſmi-
ſimus, in qua ferrum de catenis ejus clauſum
eſt; ut quod illius collum ligavit ad marty-
rium, veſtrum ab omnibus peccatis ſolvat.

## XXVI. AD ANDREAM SCHOLASTICUM.

De contemnendo hoc ſæculo, ut cæleſtibus ſtudiis vacare poſſit.

*Gregorius Andreæ * ſcholaſtico.* (* Deeſt in Pariſ. Scholaſtico.)

MAgnitudinis veſtræ ſcripta ſuſcipiens, co-
gnita ſalute veſtra gaviſus ſum, & de
benignitate piiſſimæ domnæ, quæ erga vos ſuam
gratiam oſtendere dignata eſt, valde lætatus.
Et quod domna * Conſtantina clariſſima puel- (* al. Conſtantia.)
la priuſquam nuptias faceret ab hujus mundi
illecebris eſt erepta, vehementer exulto. Illud
B autem quod vos in militiam ſponſi ejus intraſ-
ſe dixiſtis, & quod sereniſſimo domno impe-
ratori commendari voluiſtis, ut vobis aliqua
injungat, ubi vos utiles eſſe exiſtimat, men-
tem meam non modico mœrore tetigit, quia
ego bonitatem morum veſtrorum ad aliud ten-
dere ſemper exiſtimavi. Multos autem novi,
qui in ſervitio reipublicæ poſiti vehementer af-
fliguntur, quia eis non licet vacare, & pec-
cata ſua plangere, & vos quare, neſcio, oc-
cupari deſideratis. Cur enim, magnifice fili,
non conſideras, quia mundus in fine eſt?
Omnia urgentur quotidie, ad reddendas ra-
tiones æterno & tremendo judici ducimur.
Quid ergo aliud niſi de adventu illius cogita-
re debemus? Vita enim noſtra naviganti eſt
ſimilis. Is namque qui navigat * ſtat, ſedet, (* Stet, ſedeat, jaceat. Vadit quia &c. Pariſ.)
jacet, vadit: quia impulſu navis ducitur. Ita
ergo & nos ſumus, qui ſive vigilantes, ſive
dormientes, ſive tacentes, ſive loquentes, ſive
ambulantes, ſive volentes, ſive nolentes, per
momenta temporum quotidie ad finem tendi-
mus. Cum igitur finis noſtri dies advenerit,
ubi nobis erit omne quod modo cum tanta
cura quæritur, & cum ſolicitudine congrega-
tur? Non ergo honor, non divitiæ quærendæ
ſunt, quæ dimittuntur: ſed ſi bona quærimus,
illa diligamus quæ ſine fine habebimus: ſi au-
tem mala pertimeſcimus, illa timeamus quæ
a reprobis ſine fine tolerantur. Hoc ipſum ve-
ro eſſe in obſequio piiſſimi principis, quanta
eſt mentis occupatio in appetitu terrenæ gra-
tiæ, & quantus eſt timor ne hæc eadem gra-
tia perdatur ſi adepta fuerit? Perpende ergo
quæ pœna ſit aut proſperitatis deſiderio fati-
gari, aut adverſitatis timore paveſcere. Unde
magis ſuadeo ut magnitudo veſtra in ſuo pro-
poſito quondam, in pauco tempore delectabili
receptaculo peregrinationis vivere ſtudeat, &
quietam ac tranquillam vitam ducere, ſacris
lectionibus vacare, cæleſtia verba meditari, in
æternitatis amore ſe accendere, de terrenis re-
bus ſecundum vires bona opera agere, & re-
gnum perpetuum in eorum remuneratione ſpe-
rare. Sic autem vivere, jam in æternitatis vi-
ta partem habere eſt. Hæc, magnifice fili, lo-
quor, quia multum te diligo. Et quia in pro-
cellas & fluctus * cordis tendis, verborum meo- (* cordis. deeſt in Pariſ.)
rum funibus te ad litus revoco: & ſi trahen-
tem ſequi volueris, quæ pericula evaſeris,
quæ gaudia inveneris, in ipſo quietis tuæ
litore poſitus agnoſces. Præterea gratias ago,
quia me de duabus perſonis, quæ cum glo-
rioſo * Gallitio venerunt, cautum reddere (* Callicino. Pariſ.)
ſtuduiſtis; quamvis perſonæ ejus, quam
prius magnitudo veſtra nominavit, jam in ma-
lis non modicum experimentum tenemus. Sed
quia

quia mala ſunt tempora, omnia cum gemitu portamus. Omnipotens autem Deus ſua vos protectione cuſtodiat, detque vobis & hic bene agere, & apud ſe in perpetuum in æterna vita gaudere.

## XXVII. AD NARSEM RELIGIOSUM.

De perſecutione non timenda, & ſalute plurimorum amicorum acquirenda.

*Gregorius Narſi Religioſo.*

CUm Romanum defenſorem ad urbem regiam mitterem, diu ſcripta veſtra * requiſivi, ſed inveniri minime potuerunt: poſtmodum vero inter multas aliorum epiſtolas ſunt inventa, in quibus mihi dulcedo veſtra ſuas afflictiones & tribulationes ſpiritus indicat, & adverſitates malorum hominum manifeſtat. Sed rogo in his omnibus revoca ad mentem hoc quod credo, quia nunquam obliviſceris, *quia omnes qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutione patiuntur*. Qua in re ego fidenter dico, quia minus pie vivis, ſi minus perſecutionem pertuleris. Idem quoque doctor gentium quid aliud diſcipulis dicat audiamus: *Ipſi ſcitis, fratres, introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit, ſed ante paſſi & contumeliis affecti*. Ecce, dulciſſime fili, prædicator ſanctus ingreſſum ſuum vacuum fuiſſe perhibuit, ſi contumelias non pertuliſſet: & tua caritas dicere bona vult ſed mala perpeti recuſat. Unde neceſſe eſt, ut inter adverſa ſe diſtrictius accingat, ut deſiderium ad amorem Dei atque ſtudium bonæ operationis ipſa plus adverſitas augeat. Sic ſemina meſſium gelu cooperta fertilius germinant. Sic ignis flatu premitur ut creſcat. Scio quidem quia ex tot malarum linguarum ſermonibus perverſis tempeſtatem validam pateris, in mente contradictionum fluctus ſuſtines. Sed redeat ad animum quod per pſalmiſtam dominus dicit: *Exaudivi te in abſcondito tempeſtatis, probavi te ad aquas contradictionis*. Si enim inter contradicentes quæ Dei ſunt egeris, tunc verus cooperator probaris. Dulciſſima autem veſtra caritas mihi ſcripſit, ut monaſteriis quæ per orationes & magiſterium veſtrum a filio noſtro domno Paulo inſtituta ſunt aliquid admonendo ſcriberem. Sed ſi Dei ſunt vaſa, ſcio quia per compunctionis gratiam fontem ſapientiæ intus habent, & meæ ſiccitatis guttas parvulas ſuſcipere non debent. Perfecta vero veſtra ſapientia recolit, quia in paradiſo pluvia non fuit, ſed fons aſcendebat de medio paradiſi, qui irrigaret faciem terræ. Illæ ergo animæ quæ per compunctionis gratiam fontem in ſemetipſis habent, de aliena lingua pluviam neceſſariam non habent. Per ſcripta autem veſtra mihi tranſitum domnæ Heſychiæ nuntiaſtis: & magna exultatione gaviſus ſum, quia illa bona anima feliciter ad ſuam patriam pervenit, quæ in patria laborabat aliena. Glorioſas autem filias meas domnam Dominicam, & domnam Eudochiam mea vice ſalutate. Sed quia prædictam domnam Dominicam jam diu eſt quod audio præpoſitam factam, in hoc circa eam veſtra caritas vigilet, ut quia jam ſervire in labore terreni palatii non compellitur, omnes mundi hujus ſtrepitus perfecte fugiat, totam ſe Deo conferat, nihil de ſe extra ſe



A relinquat: ſed & quantas valet animas in creatoris ſui ſervitium colligat, ut earum mentes per verbum ejus gratiam compunctionis accipiant, & tanto celerius ipſa ab omnibus peccatis ſuis abſoluta ſit, quanto per ejus vitam & linguam etiam aliarum animæ e peccatorum ſuorum nexibus eruperint. Quia autem nemo hominum in hoc mundo ſine peccato eſt, & quid eſt aliud peccare niſi a Deo fugere? fiducialiter dico etiam eamdem filiam meam peccata aliqua habere. Ut ergo dominæ ſuæ, id eſt, æternæ ſapientiæ perfecte ſatisfaciat, quæ ſola fugit, cum multis redeat. Averſionis enim ſuæ culpa nulli imputabitur, qui revertens lucrum reportat. Domnum autem AleB xandrum & domnum Theodorum mea per vos peto vice ſalutari. Quod vero ſcribitis, ut excellentiſſimæ filiæ meæ domnæ Gurdiæ, & ſanctiſſimæ filiæ ejus domnæ Theoctiſtæ, & magnificis earum hominibus domno Marino & domno Chriſtiodoro ſcribere debeam, eiſque aliquid de anima ſua admonere, bene ſcit dulciſſima veſtra magnitudo, quia hodie in Conſtantinopolitana civitate, qui de Græco in Latinum, & de Latino in Græcum dictata bene transferant, non ſunt. Dum enim verba cuſtodiunt, & ſenſus minime attendunt, nec verba intelligi faciunt, & ſenſus frangunt. Pro qua re prædictæ filiæ meæ domnæ Gurdiæ breviter ſcripſi: nam ceteris tacui. Duas autem C camiſias, & quatuor oraria vobis tranſmiſi, quæ prædictis viris ex benedictione ſancti Petri peto humiliter offerri. Præterea quidam moriens unum mihi puerulum dimiſit: de cujus anima cogitans, eum dulcedini veſtræ tranſmiſi, ut in ejus vivat in hac terra ſervitio, per quem ad libertatem cæli valeat pervenire. Dilectiſſimum autem filium meum Anatolium diaconum, quem ad facienda reſponſa eccleſiæ in urbem regiam tranſmiſi, peto ut frequenter dulciſſima veſtra caritas viſitet: ut poſt labores quos in cauſſis ſæcularibus patitur, in verbo Dei vobiſcum requiem inveniat, & quaſi quodam candido linteo ejuſdem laboris terreni ſudorem detergat. Quem perſonis omnibus D quæ vobis notæ ſunt commendate: quamvis ſcio quia, ſi perfecte cognoſcitur, commendatione non eget. Vos autem quantum ſanctum Petrum apoſtolum, quantum me diligitis, in ipſo modo monſtrate. Omnipotens autem Deus dulciſſimam mihi caritatem veſtram ab interioribus hoſtibus exterioribuſque cuſtodiat, & quando ei placuerit ad cæleſtia vos regna perducat.

## XXVIII. AD CYRIACUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

E De ſubmovendo profano vocabulo, ut pax eccleſiæ conſervetur, & ſcandala multorum auferantur.

*Gregorius Cyriaco epiſcopo Conſtantinopolitano.*

SCripta beatitudinis veſtræ ſuſcepimus, quæ nobis non linguæ ſed animæ verba loquebantur. Aperiebant etenim mentem, quæ tamen mihi clauſa non erat, quia per memetipſum ſuavitatis ipſius experimentum tenebam. Unde omnipotenti Deo inceſſanter gratias refero, quia ſi erga nos in corde veſtro virtu-

E 2 tum

* requiſivit. Pariſ.

2. Tim. 3.

1. Theſſ. 2.

Pſal. 80.

tum mater caritas permanet, bonorum operum A
jamos nunquam amittitis, quia ipſam bonita-
tis radicem tenetis. Oportet ergo ut mihi at-
que omnibus fratribus veſtris ejuſdem caritatis
pulcritudinem in hoc primum opere monſtre-
tis, ut verbum ſuperbiæ, per quod grave ſcan-
dalum in eccleſiis generatur, auferre feſtine-
tis, hoc modis omnibus implentes quod ſcri-
ptum eſt: *Solicite ſervare unitatem Spiritus*
*in vinculo pacis*. Et rurſus: *Nullam occaſio-*
*nem dare adverſario maledicti gratia*. Tunc enim
ſocietá caritas vera, ſi per typhum ſu- [Ephes. 4]
perbiæ inter nos ſchiſma non fuerit. Ego [1 Timot. 5]
nam Jeſum teſtem invoco in anima mea,
quia a ſummo uſque ad ultimum nulli homi-
num dare ſcandali occaſionem volo. Omnes B
magnos eſſe & honorabiles cupio, quorum ta-
men honor honori omnipotentis Dei non de-
trahat. Nam quiſquis ſe contra Deum hono-
rari appetit, mihi honorabilis non eſt. Sed ut
cognoſcatis quam erga veſtram beatitudinem
habeam voluntatem, dilectiſſimum filium meum
Anatolium diaconum ad piiſſimorum domino-
rum veſtigia tranſmiſi, qui eorum pietati ac
veſtræ fraternitati ſatisfaciat, quia nulli in hac
cauſſa nocere appeto, ſed humilitatem Deo
placitam, & ſanctæ eccleſiæ concordiam cuſto-
dire. Et quia hoſtis omnipotentis Dei anti-
chriſtus juxta eſt, ſtudioſe cupio ne proprium
quid inveniat, non ſolum in moribus, ſed et-
iam nec in vocabulo ſacerdotum. Ea ergo quæ C
novo modo introducta ſunt, ipſo ordine quo
illata ſunt auferantur, & pax nobis illibata in
Domino permanebit. Nam quæ erit inter nos
dulcedo, quæ caritas, ſi noſmetipſos voce re-
fovemus, & rebus pungimur? Hoc ergo veſtra
ſanctitas agat, ut bona quæ dicitis, nos in
cordis medulla ſentiamus, quatenus dum in
unanimitate corda fuerint ſacerdotum, pro
piiſſimorum dominorum vita deprecantes tanto
citius exaudiri mereamur, quanto & orationes
veſtras ante Dei oculos pax illuminat, & di-
ſcordiæ macula non obſcurat.

## XXIX. AD ANASTASIUM

### Presbyterum Isauriæ.

De contentione tollenda, quæ inter patrem mo-
naſterii quod Neas dicitur, & Hieroſoly-
morum epiſcopum exorta erat.

*Gregorius Anaſtaſio presbytero* * *Iſauriæ*. [* Iſauriæ acc. in Par.]

QUia bonus homo de bono theſauro cordis
ſui bona profert, hoc tua caritas & * ſpi- [Matth. 12] [* Semper Par.]
ritualiter vivendo, & modo mihi in epiſtola
tua loquendo monſtravit: in qua inveni duos
quoſdam de virtutibus litigantes, te videlicet
pro caritate, atque alium pro timore & hu-
militate contendere. Et quamvis in multis oc-
cupatus, quamvis Græcæ linguæ neſcius, in
contentione tamen veſtra judex reſedi, ſed re-
quiſita veritate, in meo judicio contradictorem
tuum ipſe viciſti per apoſtolicam ſententiam,
quam vobis contendentibus protuli: quia, *ti-*
*mor non eſt in caritate, ſed perfecta caritas fo-* [1 Joan. 4]
*ras mittit timorem: quoniam timor pœnam ha-*
*bet: qui autem timet, non eſt perfectus in cari-*
*tate*. Tua itaque fraternitas, quantum in ca-
ritate perfecta ſit, ſcio. Et quia omnipoten-
tem Deum multum diligit, oportet ut de pro-
ximo multum præſumat. * Non enim loca vel [* Grat. diſt. 40 cap. 4. Polyc. lib. 3. tit. 7. Joann. diac. lib. 4. c. 61.]
ordines creatori noſtro nos proximos faciunt,
ſed ei nos merita bona jungunt, aut mala
disjungunt. Quia ergo adhuc incertum eſt quis
interius qualis ſit, cur non audebas ſcribere,
dum inter me & quis ſit ſuperior ignores? Et
quidem bene te vivere ſcio, me autem multis
oneratum peccatis novi. Sed etſi ipſe peccato-
res, me tamen multo melior: quia tu tua
tantummodo, ego vero & eorum qui mihi
commiſſi ſunt peccata porto. In hoc ergo te
altum, in hoc te magnum aſpicio, quia ante
humanos oculos in magno atque in alto loco
minime profeciſti; in quo ſæpe dum exterius
ab hominibus honor tribuitur, ad ima animus
mergitur, quia curis diſcerpentibus gravatur.
Tibi autem omnipotens Deus, juxta hoc quod
ſcriptum eſt, *aſcenſus in corde diſpoſuit, in* [Pſalm. 83.]
*convalle lacrymarum*. Multo autem me altior,
multo ſublimior videri poteras, ſi neque du-
catum monaſterii, quod Neas dicitur, ſuſce-
piſſes: quia in eodem monaſterio, ſicut audio,
monachorum quidem ſpecies tenetur, multa
vero ſub ſanctitatis habitu ſæcularia aguntur.
Sed etiam ad hoc te exiſtimabo cæleſti gratia
perveniſſe, ſi ea quæ in loco illo omnipotenti
Deo diſplicent, te fuerint duce correcta. Sed
quia inter patrem ejuſdem monaſterii & paſto-
rem Hieroſolymorum eccleſiæ ſemper eſſe jur-
gia conſueverunt, credo quod omnipotentes
Deus idcirco dilectionem tuam & ſanctiſſimum
fratrem & conſacerdotem meum Amos eſſe
uno tempore Hieroſolymis voluit, ut ea quæ
prædixi jurgia tollerentur. Nunc ergo oſten-
dite quantum vos prius amaſtis. Scio quia utri-
que abſtinentes, * utrique humiles eſtis, unde [* utrique deeſt Parif. addunt]
neceſſe eſt ut ſalvatoris noſtri gloria in vobis
juxta vocem pſalmiſtæ reſonet, & in tym-
pano & choro laudetur. In tympano et- [Pſalm. 149]
enim ſonus ex pelle ſicca eſt, in choro ve-
ro vocum concordia. Quid igitur per tym-
panum, niſi abſtinentia; quid per chorum,
niſi unanimitas deſignatur? Quia ergo per ab-
ſtinentiam dominum laudatis in tympano, pe-
to ut per unanimitatem laudetis in choro. Per
D ſemetipſam quoque veritas dicit: *Habete ſal* [Marc. 9.]
*in vobis, & pacem habete inter vos*. Quid per
ſal niſi ſapientia deſignatur? Paulo atteſtante
qui ait: *Sermo veſter in gratia ſemper ſale ſit* [Coloſſ. 4.]
*conditus*. Quia ergo per doctrinam verbi cæle-
ſtis ſal habere vos novimus, reſtat ut per ca-
ritatis gratiam etiam inter vos pacem toto cor-
de teneatis. Hæc, cariſſime frater, dico, quia
utroſque vos multum diligo, atque omnino
pertimeſco ne orationum veſtrarum ſacrificia
ex aliqua inter vos diſſenſione maculentur. Be-
nedictionem vero quam & prius per Exhila-
ratum ſecundicerium, & poſtmodum per Sa-
binianum diaconum tranſmiſiſtis, cum gratia-
rum actione ſuſcepi; quia de ſancto loco de-
E cuit vos ſancta tranſmittere, & cui aſſidue mi-
niſtratis, ex veſtro ipſo munere demonſtrare.
Omnipotens Deus ſua vos dextera protegat,
atque a malis omnibus ſervet illæſos.

XXX.

## XXX. AD MAURITIUM AUGUSTUM.

Defendit ſe temere indiſcretum nominatum fuiſſe, quod Cyriacum epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui univerſalem ſe nominat, reprehenderit.

*Gregorius Mauritio Auguſto.*

DOminorum pietas provida, ne quid fortaſſe ſcandali in unitate ſanctæ eccleſiæ ex ſacerdotum diſſenſione generari potuiſſet, ſemel ac bis me admonere dignata eſt, ut reſponſales fratris & conſacerdotis mei Cyriaci benigne ſuſciperem, eoſque ad remeandum citius relaxarem: B & licet, piiſſime domne, apte & provide cuncta præcipiatis, ego tamen invenio quia eorum judicio indiſcretus eſſe ex hac tali admonitione reprehendor. Numquid nam ſi ex ſuperbo ac profano vocabulo meus non in modico eſt animus vulneratus, tantæ indiſcretionis eſſe potui, qui neſcirem quid unitati fidei, quid concordiæ eccleſiaſticæ deberem, & fratris mei reſponſales & ſynodicam epiſtolam ſuſcipere cujuslibet cauſſæ amaritudine interveniente recuſarem? Abſit hoc. Nimis mihi fuerat deſipuiſſe ſic ſapere. Aliud namque eſt, quod conſervandæ unitati fidei, atque aliud quod debemus comprimendæ elationi. Diſtinguenda ergo erant tempora, ne C prædicti fratris mei ex quolibet articulo * caritas turbaretur. Unde & reſponſales ejus cum magno affectu ſuſcepi. Quidquid debui caritatis exhibui, meliuſque eos quam conſuetudo priſca fuerat honoravi, & mecum feci eos ſacra miſſarum ſolemnia celebrare: quia ſicut meus diaconus ad exhibenda ſancta myſteria illi non debet miniſtrare qui elationis culpam aut commiſit, aut commiſſam ab aliis ipſe non corrigit, ita miniſtri illius in celebratione miſſarum mihi adeſſe debuerunt, qui cuſtodiente Deo, in ſuperbiæ errorem non cecidi. Eamdem vero fratrem & conſacerdotem meum ſtudioſe admonere curavi, ut ſi habere pacem omnium concordiamque deſiderat, ab ſtulti vocabuli ſe appellatione compeſcat. De qua re mihi in ſuis juſſionibus dominorum pietas præcepit, dicens; ut pro appellatione frivoli nominis inter nos ſcandalum generari non debeat. Sed rogo, ut imperialis pietas penſet, quia alia ſunt frivola valde innoxia, atque alia vehementer nociva. Numquid non cum ſe antichriſtus veniens Deum dixerit, frivolum valde erit? ſed tamen nimis pernicioſum. Si quantitatem ſermonis attendimus, duæ ſunt ſyllabæ: ſi vero pondus iniquitatis, univerſa pernicies. Ego autem fidenter dico, quia quiſquis ſe univerſalem ſacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua antichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo ſe ceteris præponit. Nec diſpari ſuperbia ad errorem ducitur; quia ſicut perverſus ille Deus videri vult ſuper omnes homines, ita quiſquis iſte eſt, qui ſolus ſacerdos appellari appetit, ſuper ceteros ſacerdotes ſe extollit. Sed quoniam veritas dicit; *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur*; ſcio quia quælibet elatio tanto citius rumpitur, quanto amplius inflatur. Illis ergo pietas veſtra præcipiat, ne quod per appellationem frivoli nominis ſcandalum gignant, qui in ſuperbiæ typhum ceciderunt. Nam pecA cator ego, qui auctore Deo humilitatem teneo, admonendus ad humilitatem non ſum. Omnipotens autem Deus ſereniſſimi domni noſtri vitam & ad pacem ſanctæ eccleſiæ, & ad utilitatem reipublicæ Romanæ per tempora longa cuſtodiat. Certi etenim ſumus quia ſi vos vivitis, qui cœli dominum timetis, nullam contra veritatem ſuperbiam prævalere permittetis.

* novitas, Taif.

Luc. 14. v. 11.

## XXXI. AD EULOGIUM

### ET ANASTASIUM EPISCOPOS.

De reſponſalibus Cyriaci epiſcopi in cauſſa fidei admiſſis. De ſuo diacono cum eo non proceſſuro. De damnatione Eudoxii ſibi incognita. De hiſtoria Sozomeni ab apoſtolica ſede reprobata. De anima Adæ, quod in peccato mortua eſt. Dicit quoque eum per pœnitentiam ſalvatum. Et quod diabolus cor hominis ingreditur.

*Gregorius Eulogio Epiſcopo Alexandrino, & Anaſtaſio epiſcopo Antiocheno.*

CAritas qua vobis valde conſtrictus ſum, tacere me minime permittit, ut ſanctitas veſtra quæcumque apud nos aguntur agnoſcat, & falſis rumoribus non decepta, ſuæ juſtitiæ atque rectitudinis viam, ſicut perfecte cœpit, perfectius teneat. Reſponſales ſiquidem fratris & coepiſcopi noſtri Cyriaci venientes, ejus ad me ſynodicam detulerunt epiſtolam. Et quidem inter nos & ipſum, ſicut veſtra beatitudo novit, propter appellationem profani nominis eſt gravis diſcordia: ſed in cauſſa fidei tranſmiſſos reſponſales ejus exiſtimavi eſſe ſuſcipiendos, ne culpa elationis, quæ in Conſtantinopolitana eccleſia pene contra omnes ſacerdotes exorta eſt, diſſentionem fidei & rixam eccleſiaſticæ faceret unitati. Eoſdem vero reſponſales, quia hoc omnino humiliter precabantur, miſſarum ſolemnia mecum celebrare D feci; quia ſicut & ſereniſſimo domno imperatori noſtro intimare ſtudui, reſponſales fratris & conſacerdotis noſtri Cyriaci mihi communicare debuerunt, quia auctore Deo in elationis errorem non cecidi. Meus vero diaconus cum prædicto fratre noſtro Cyriaco miſſarum ſolennia celebrare non debet; quia per profanum vocabulum culpam ſuperbiæ aut commiſit, aut ſequitur; ne ſi, quod abſit, procedit, ei in tali elatione poſito, vanitatem ſtulti nominis confirmare videamur. Eumdem vero fratrem admonere ſtudui, ut ſeſe a tali elatione corrigat; quia ſi hanc non correxerit, pacem nobiſcum nullo modo habebit. Præterea idem frater noſter omnia in ſuis ſynodicis catholice, E Deo auctore, locutus eſt. Quemdam vero Eudoxium damnavit, quem neque in ſynodis damnatum invenimus, neque a deceſſoribus ejus in ſuis ſynodicis reprobatum. Et canones quidem Conſtantinopolitani concilii Eudoxianos damnant; ſed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minime dicunt. Romana autem eccleſia eoſdem canones vel geſta ſynodi illius hactenus non habet, nec * accepit; in hoc autem eamdem ſynodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum. Reliquas vero hæreſes, quæ illic memoratæ ſunt, ab aliis jam patribus damnatas reprobat. De Eudoxianis vero nihil hactenus agnovit. In hiſtoria autem

* accep. Taif.

rem Sozomeni, de quodam Eudoxio qui Conſtantinopolitanæ eccleſiæ epiſcopatum arripuiſſe dicitur, aliqua narrantur. Sed ipſam quoque hiſtoriam ſedes apoſtolica ſuſcipere recuſat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopſueſtiæ nimium laudat, atque uſque ad diem obitus ſui magnum doctorem eccleſiæ fuiſſe perhibet. Reſtat ergo ut ſi quis illam hiſtoriam recipit, ſynodo quæ piæ memoriæ Juſtiniani temporibus de tribus capitulis facta eſt contradicat. Qui vero huic contradicere non valet, illam hiſtoriam neceſſe eſt ut repellat. In latina vero lingua de hoc Eudoxio nunc uſque, neque in Philaſtro, neque in beato Auguſtino, qui multa de hæreſibus conſcripſerunt, neque in aliis patribus aliquid invenimus. Caritas igitur veſtra, ſi quis apud Græcos probatorum patrum de eo ſermonem fecit, ſuis mihi epiſtolis innoteſcat. Præterea ante triennium, cogente cauſſa monachorum Iſauriæ, qui hæretici accuſabantur, ſatisfaciens mihi quondam frater & conſacerdos meus domnus Joannes literas miſit, quibus nitebatur oſtendere eos Epheſinæ ſynodi diffinitionibus contradixiſſe, & velut ex eadem ſynodo certa nobis quibus ipſi obſiſterent capitula deſtinavit. Inter alia autem ſcriptum illic continebatur de Adæ anima, quia in peccato mortua non fuerit, eo quod diabolus in cor hominis non ingrediatur, & ſi quis hoc dixiſſet, anathema eſſet. Quæ cum mihi relecta fuiſſent, valde contriſtatus ſum. Si enim Adæ, qui primus peccavit, anima in peccato mortua non eſt, quomodo de ligno vetito ei dictum eſt: *In quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini?* Et certe comedit Adam & Eva de ligno vetito, & tamen in carne ſua ultra nongentos annos poſtmodum vixerunt. Conſtat itaque quia in carne non eſt mortuus. Si ergo in anima mortuus non eſt, quod dici nefas eſt, falſam ſententiam de illo protulit Deus qui dixit, quia qua die comederet, moreretur. Sed abſit hic error, abſit a vera fide. Nos enim primum hominem, qua die peccavit, anima mortuum dicimus, atque per hunc omne genus humanum in hac mortis & corruptionis pœna damnatum. Per ſecundum vero hominem & modo a morte animæ, & poſtmodum ab omni corruptione carnis in æterna reſurrectione liberari nos poſſe confidimus. Sic autem & prædictis reſponſalibus diximus: Adæ animam in peccato mortuam dicimus, non a ſubſtantia vivendi, ſed a qualitate vivendi. Quia enim aliud eſt ſubſtantia, atque aliud qualitas, non eſt ejus anima ita mortua, ut non eſſet; ſed ait mortua, ut beata non eſſet. Qui tamen Adam poſtmodum per pœnitentiam ad vitam rediit. Quod vero diabolus cor hominis ingrediatur, ſi evangelio creditur, non negatur: ibi enim ſcriptum eſt: *Et poſt buccellam introivit in eum Satanas.* Et rurſus ibi dicitur: *Cum diabolus jam ſe miſiſſet in cor Judæ, ut traderet eum Judas.* Hoc autem qui negat, in Pelagianam hæreſim cadit. Quia ergo perſcrutantes Epheſinam ſynodum, nihil in ea tale invenimus contineri, de Ravennati quoque eccleſia vetuſtum valde codicem ejuſdem ſynodi ad nos deferri fecimus, & ſynodo quam habemus eum ita concordare invenimus, ut nullo diſcreparet, & nihil aliud contineret in definitione anathematis & reprobationis, niſi quod duodecim capitula beatæ memoriæ Cyrilli reprobant. Hanc autem totam rationem multo latius ſubtiliuſque prædictis reſponſalibus ejus in præſenti poſitis reddidimus, atque eis pleniſſime ſatisfecimus. Igitur ne vel hæc, vel alia ſimilia illic ſurrepant, quæ ſanctam eccleſiam ſcandalizent, neceſſe nobis fuit hæc ipſa ſanctitati veſtræ indicare. Et quamvis fratrem & coepiſcopum noſtrum Cyriacum noverimus orthodoxum, tamen propter alios cauti eſſe debemus, ut antequam ad publicum prodeant, errorum ſemina conculcentur. Scripta autem veſtræ ſanctitatis communi filio Sabiniano diacono veniente ſuſcepi. Sed quia harum lator jam ad egrediendum paratus retineri non potuit, ad hæc reſponſali meo diacono veniente reſpondebo.

Marginal notes: [illegible] epiſt. 14. — [illegible] 18

## XXXII. AD DOMINICUM EPISCOPUM CARTHAGINENSEM.

Ut monachi contra abbates inſurgentes ab epiſcopis corrigantur.

*Gregorius Dominico epiſcopo Carthaginenſi.*

LIcet fraternitatem tuam erga monaſteriorum curam paſtorali vigilantia credamus eſſe ſolicitam; ea tamen quæ de monaſterio in Africana provincia poſito cognovimus, vobis neceſſario providimus indicare. Queritur autem * Cumquodeus abbas lator præſentium, quia ſi quando monachos, quibus præeſſe dignoſcitur, ſub regulari voluerit diſciplina reſtringere, monaſterium temere deſerant, & licite quocumque voluerint vagantes exiſtant. Quia ergo hoc & ipſis omnino perniciosum eſt, & aliis perditionis monſtrat exemplum, hortamur fraternitatem veſtram, ut ſi ita eſt, eccleſiaſticam in illos correptionem exerceat, & congrua eos ultione a tali procul dubio præſumptione * compeſcat, atque ita ad obediendum ſalubri proviſione ſuperbientes animos jugo diſciplinæ ſubjiciat, ut quos ad hujus pravitatis exceſſum eorum poterat imitatio provocare, emendatio a culpa revocet, & ſuis, ut dignum eſt, doceat præpoſitis obedire. Quia vero a quibuſdam epiſcopis excedentes monachos perhibet defenſari, fraternitas veſtra in hoc ſtudeat eſſe ſolicita, & eos a tali defenſione ſua modis omnibus interminatione compeſcat.

* Concordius.

* ſuſpendat. Pariſ.

*Menſe Julio, indictione decimaquinta.*

## XXXIII. AD DYNAMIUM ET AURELIAM.

Ut ad meliora orationi ſemper intenti proficiant, & de codice tranſmittendo.

*Gregorius Dynamio & Aureliæ per Franciam.*

SCriptorum veſtrorum pagina lectione percurſa, magnam nobis ſtudio veſtro contulit indicato lætitiam; quia per hoc quod vos ſacræ lectionis pabula quærere, & ſupernæ patriæ deſiderare gaudia nuntiavit, dilectionem veſtram religioſam converſationem non ſolum amare nomine, ſed etiam tenere vita monſtravit. Et quoniam deſiderata vos adepturos eſſe confidimus, vehementi vobis cor noſtrum exultatio-

A tatione congaudet. Nam quia hujuſmodi deſiderium gratia divina non deſerat, ipſa nos veritas teſtimonio ſuæ vocis informat dicens: *Omnis qui quærit invenit, qui petit accipit, & pulſanti aperietur.* Hac itaque fulti certitudine, de ejuſdem redemptoris noſtri miſericordia nihil ambigere, ſed ſpe debemus indubitata præſumere. Nec enim muneris ſui largitate fruſtrabitur, ſed vires obtinendi prorſus indulget, qui velle conceſſit. Nam jam hoc ipſum deſideranter appetere, donum eſt. Quia tamen ita de gratia debemus ſuperna præſumere, ut non ſimus negligentes in oratione vel opere, voce item ejuſdem veritatis exprimitur: *Oportet ſemper orare, & non deficere.* B Petamus igitur orando, quæramus legendo, pulſemus operando. Sit igitur mens vigilans, ſit undique ſuſpecta, ſit ubique ſolicita, ut inſidiantis poſſit ſemper laqueos præcavere. Sed quia quanto hoſtis noſter cautum contra ſe unumquemque cognoſcit, tanto corda ſibi reſiſtentium ſubtili molitur arte ſubvertere, omnipotentem dominum aſſiduis lacrymis & deprecatione poſcamus, ut nos veneni ejus non ſinat infectione corrumpi; ſed contra certamina, & latentes ſuggeſtiones quas ingerit, potentiæ ſuæ nos ſcuto circumtegat, in quo jacula illius illiſa frangantur, & cor noſtrum percuſſionis ipſius contactu non * vulneretur, ſed gratiæ ſuæ dono ejus nobis inſidias & intelligere donet, & vincere. C Codicem vero quem dirigeremus, talem, qui vos ut petiſtis inſtrueret, minime paratum habuimus, ſed in ſubſequenti tranſmittemus.

Matth. 7. Luc. 11.

Luc. 18.

* Vulneret. Paris.

## XXXIV. AD DOMINICAM.

Hortamur ut ad virum ſuum Romæ occupatum veniat.

*Gregorius Dominicæ uxori Joannis.*

LÆtos nos veſtræ nimis epiſtolæ reddiderunt, quos vos unitati eccleſiæ ſociatam, Deo protegente, cognovimus. Et quidem ſicut & ipſa ſcribis ante hoc facere debuiſti, D quia talis viri conjugem nec ad modicum eſſe decuit a communionis unitate disjunctam. Conſiderare enim debuiſti, glorioſa filia, quanta multitudo fidelium in matris eccleſiæ ſinu conſiſtat, quantiſque virtutibus ſacerdotes, qui in iſta fide defuncti ſunt, coruſcarunt, vel quanta * adhuc corpora ſua miracula faciant, atque eos non dijudicare, ſed plus tantis viris ac ſacerdotibus quam tibi credere debuiſti. Inter hæc tamen omnipotenti Deo gratias agimus, qui ita cordi veſtro lumen ſuæ veritatis infundit, ut erroris ſui pulſa caligine, rectam vobis viam, quam ſequi & tenere debeatis, oſtenderet. Glorioſum autem conjugem veſtrum, quouſque vivimus, a nobis dimittere E noluimus; & ideo eum ad vos reverti nullatenus confidatis. Et quidem ipſe ad vos venire deſiderat, ſed poſtquam in civitate Romana eſt, non poteſt, non ei licet; quia amoris noſtri omnino tenetur vinculis alligatus. Melius eſt ergo ut vos ad eum venire modis omnibus feſtinetis; quia caput ſuum potius membra & ſequi debent, & quocumque iverit comitari.

* ad corpora. Paris.

## XXXV. AD BONUM EPISCOPUM MESSANENSEM.

De vaſis ſacris pro redemptione captivorum diſtrahendis.

*Gregorius * Bono epiſcopo Meſſanenſi.*

ET ſacrorum canonum, & legalia ſtatuta permittunt, miniſteria eccleſiæ pro captivorum eſſe redemptione vendenda. Et ideo quoniam Fauſtinus lator præſentium, ut filias ſuas de jugo potuiſſet captivitatis exuere, trecentorum triginta ſolidorum probatur debitum contraxiſſe, ex quibus triginta redditis, ad reliquæ quantitatis reſtitutionem eum certum eſt non poſſe ſufficere; fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut de argento * Merienſis eccleſiæ, cujus miles eſſe dignoſcitur, quod apud vos eſt, quindecim ei libras, accepto ab eo * de ſuſcepto, dare modis omnibus debeatis; ut eo venundato, & reſtituto debito, neceſſitate valeat obligationis abſolvi. Sed & illud fraternitas veſtra debet eſſe ſolicita, ut ſi quidem de prædicta eccleſia uſuale argentum eſt, ſupraſcriptam quantitatem accipiat: alioquin de ſacratis vos vaſis hac in re eam quam prædiximus quantitatem præbere neceſſe eſt. Nam ſicut omnino grave eſt fruſtra eccleſiaſtica miniſteria venumdare; ſic iterum culpa eſt imminenti hujuſmodi neceſſitate res maxime deſolatæ eccleſiæ captivis ſuis præponere, & in eorum redemptione ceſſare.

* Dono ſeu Domnino in Paris. Dono.

* Milenſis.

* Id eſt accepto pro chirographo de argento tradito.

## XXXVI. AD JOANNEM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

Ut contentiones monaſteriorum ob agri fines exortas terminentur.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

NE religioſorum virorum corda ſæcularium rerum * contentio a mutua, quod abſit, caritate disjungat, magna eſt ſolicitudine ſtudendum, ut faciliimum finem res poſſit in altercationem deducta percipere. Quia ergo indicante Cæſario abbate monaſterii ſancti Petri, quod in loco eſt qui Baias dicitur conſtitutum, comperimus inter eum & Joannem abbatem monaſterii ſanctæ Luciæ, in Syracuſana civitate conſtituti, gravem eſſe exortam de quibuſdam finibus quæſtionem; ne ipſa inter eos valeat contentio prolongari, certamina eorum agrimenſoris definitione proſpeximus finienda. Et ideo ſcripſimus Fantino defenſori, ut Joannem agrimenſorem, qui de Romana E urbe Panormum profectus eſt, illuc ad fraternitatem veſtram debeat deſtinare. Hortamur ergo ut cum eo ad loca de quibus eſt contentio debeatis accedere, & utraque parte cominus conſtituta, per loca quæ in lite ſunt, veſtra faciatis præſentia terminari, quadraginta tamen annorum utrique parti præſcriptione ſervata. Quæcumque vero definita fuerint, ita ſervari fraternitas veſtra ſolicite ſtudioſeque provideat, ut denuo nec jurgium exinde aliquod excitari, nec querela aliqua ad nos valeat pervenire. Cæſarius abbas venerabilis quia

noſter

* intentio. Paris.

noſter olim fuerit, fraternitatem veſtram cre-dimus non latere, & ideo eum vobis ſalva æquitate in omnibus commendamus. Et quia in ſæcularibus cauſſis omnino inexpertus eſt, veſtra eum ſolicitudine neceſſe eſt adjuvari: ſic tamen ut in cunctis, ſicut decet, rationem & juſtitiam conſervetis.

## XXXVII. AD EULOGIUM EPISCOPUM ALEXANDRINUM.

De tribus apoſtolicis ſedibus, & de lignis tranſmiſſis.

*Gregorius Eulogio epiſcopo Alexandrino.*

SUaviſſima mihi ſanctitas veſtra multa in epiſtolis ſuis de ſancti Petri apoſtolorum principis cathedra locuta eſt, dicens quod ipſe in ea nunc uſque in ſuis ſucceſſoribus ſedeat. Et quidem ego indignum me eſſe non ſolum in honore præſidentium, ſed etiam in numero ſtantium agnoſco. Sed cuncta quæ dicta ſunt, in eo libenter accepi, quod ille mihi de Petri cathedra locutus eſt, qui Petri cathedram tenet. Et cum me ſpecialis honor nullo modo delectet, valde tamen lætatus ſum, quia vos ſanctiſſimi quod mihi impendiſtis, vobiſmetipſis dediſtis. Quis enim neſciat ſanctam eccleſiam in apoſtolorum principis ſoliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur? cui veritatis voce di-
Matt. 16. citur: *Tibi dabo claves regni cælorum*: cui rur-
Luc. 22. ſus dicitur; *Et tu aliquando converſus, confir-*
Joann. 21. *ma fratres tuos*: iterumque: *Simon Joannis amas me? Paſce oves meas*. Itaque cum multi ſint apoſtoli, pro ipſo tamen principatu ſola apoſtolorum principis ſedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius eſt. Ipſe enim ſublimavit ſedem, in quo etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt. Ipſe decoravit ſedem, in qua evangeliſtam diſcipulum miſit. Ipſe firmavit ſedem, in qua ſeptem annis, quamvis diſceſſurus, ſedit. Cum ergo unius atque una ſit ſedes, cui ex auctoritate divina tres nunc epiſcopi præſident, quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo. Si quid de me boni creditis, hoc veſtris meritis imputate: quia in illo unum ſumus,
Joann. 17. qui ait: *Ut omnes unum ſint, ſicut & tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint*. Debitum autem ſalutationis alloquium perſolvens, indico quia magno gaudio exulto, quod vos contra hæreticorum latratus aſſidue laborare cognovi: atque omnipotentem dominum deprecor, ut beatitudinem veſtram ſua protectione adjuvet, quatenus per linguam veſtram de ſinu ſanctæ eccleſiæ omnem radicem amaritudinis evellat, ne rurſum ger-
E minans impediat multos, & per illam coinquinentur multi. Accepto enim talento cogitatis
Luc. 19. quod præceptum eſt: *Negotiamini dum venio*. Ego autem etſi negotiari non valeo, lucris tamen negotii veſtri congaudeo; hoc videlicet ſciens, quia etſi me participem operatio non facit, laboris veſtri me participem caritas facit. Quia, ſicut æſtimo, bonum proximi etiam otioſo commune fit, qui de alterius actibus gaudere communiter ſcit. Præterea ligna tranſmittere volui, ſed beatitudo veſtra ſi eſſent neceſſaria non indicavit, & majora multo mit-
A tere poſſumus, ſed nequaquam talis navis huc mittitur, quæ hæc capere valeat. Minora autem mittere verecundum puto. Quid tamen facere debeam, beatitudo veſtra ſuis mihi epiſtolis innoteſcat. Parvulam vero benedictionem de amatoris veſtri ſancti Petri eccleſia ſex minora Aquitanica pallia, & duo oraria tranſmiſi, quia eum multum diligo, etiam de parvis præſumo. Habet enim ipſa dilectio auctoritatem ſuam, & omnino certa eſt, quia injuria non erit in omne quod amando præſumpſerit. Suſcepi aptem benedictionem ſancti evangeliſtæ Marci, juxta breve veſtris epiſtolis inſertum. Sed quia colatum ac * juritheum non * Erythræum.
libenter bibo, præſumens * cognidium requi- * Paris. edit. Cnidium.
B ro, quod in hac urbe poſt multa tempora veſtra innoteſcere tranſacto anno ſanctitas facit. Nam nos hic a negotiatoribus nomen cognidii & non ſubſtantiam comparamus. Peto autem ut contra omnes amaritudines quas in hac vita patior, veſtræ me ſanctitatis oratio fulciat, atque ab his apud omnipotentem dominum ſuis interceſſionibus defendat.

## XXXVIII. AD CYPRIANUM RECTOREM SICILIÆ.

De epiſcopo Locrenſi eccleſiæ ordinando.

C *Gregorius Cypriano rectori noſtro per Siciliam.*

HAbitatores Locrenſis civitatis quemdam ad nos presbyterum adduxerunt, qui eis debuiſſet epiſcopus ordinari. Sed quia minime dignus inventus eſt, nec diu ſine proprio poſſunt conſiſtere ſacerdote, a nobis admoniti in ſcrinio promiſerunt alium ſtudioſe ſe quærere, & ad nos conſecrandum Deo adjuvante perducere. Et ideo ad dilectionem tuam latore præſentium veniente Marcianum presbyterum diœceſeos Taurinienſis eccleſiæ, qui nunc habitat in eccleſia quæ eſt in Maſſalargia conſtituta, diœceſis Catanenſis eccleſiæ, ad te tacito modis omnibus evocari, atque eum ſtudii
D tui ſit de criminibus, quæ ad epiſcopatum accedere non permittunt, cum omni ſubtilitate requirere. Et ſi eorum ſe expertem eſſe reſponderit, cum præſentium portiore eum feſtina dirigere, ut facto in eum decreto ad nos veniat Deo adjuvante ordinandus. Si vero eſt aliquid quod ei poſſit obſiſtere, hunc qui ad dilectionem tuam venit cum omni cura & celeritate dimitte, ut, eo ad loca ſua remeante, alter ſecundum ea quæ præmiſſa ſunt requiratur. Data menſe Auguſti, indict. xv.

## XXXIX. AD MARINIANUM EPISCOPUM RAVENNÆ.

De ordinando epiſcopo in Cornelienſi eccleſia loco alterius lapſi.

*Gregorius Mariniano epiſcopo Ravennæ.*

FRaternitatis veſtræ epiſtola nuntiante comperimus, Cornelienſis eccleſiæ filios aſſidua ſupplicatione in loco lapſi quondam epiſcopi ſui conſecrandum ſibi a vobis poſcere ſacerdotem, atque vos quid de ea re fieri debeat dubitare, & noſtrum evidens expectare manda-

* Grat. diſt. 50. cap. 11. Anſelm. lib. 8. cap. 25.

mandatum. Poſtquam ergo q: -mquam crimi- A naliter abſcedentem in locum de quo lapſus eſt nulla permittit ratio revocari, & ultra tres menſes eccleſiam vacare pontifice ſtatuta ſacrorum canonum non permittunt, ne cadente paſtore, dominicum gregem antiquus, quod abſit, noſtis inſidiando dilaniet, fraternitas veſtra deprecationi eorum conſentire, & in loco lapſi debet epiſcopum ordinare. Nam dum non petentes eos etiam ante veſtris ad hoc debueratis abhortationibus admonere, poſtulantes nulla vos oportet excuſatione differre: quia eccleſia Dei diu viduata proprio epiſcopo remanere non debet.

## XL. AD EUMDEM.

### De ſubmovendo clericorum dominio in monaſteriis.

*Gregorius Mariniano epiſcopo Ravennæ.*

* Joann. diac. lib. 2. c. 50.

* Grat. 8. q. 1. cap. 87.

* Grat. 16. q. 1. cap. Ne pro cujuslibet.

DUdum ad nos multorum relatione pervenerat, monaſteria in Ravennæ partibus conſtituta omnino clericorum veſtrorum dominio prægravari, ita ut occaſione quaſi regiminis, ea quod dici grave eſt, velut in proprietate poſſideant. Quibus non modicum condolentes, deceſſori veſtro epiſtolas miſimus, ut hoc emendare per omnia debuiſſet. Sed quoniam vitæ eſt termino citius occupatus, ne hoc onus monaſteriis remaneret, fraternitati veſtræ hæc eadem nos ſcripſiſſe recolimus. Et C quia, ut comperimus, in hujus rei hactenus correctione ceſſatum eſt, hæc ad vos iterum prævidimus ſcripta dirigere. Hortamur ergo, ut omni mora omnique excuſatione ſubmota, ita monaſteria ipſa ab hujuſmodi ſtudeatis gravamine relevare, quatenus nullam deinceps in eis clerici vel hi qui in ſacro ſunt ordine conſtituti, ob aliud habeant niſi orandi tantummodo cauſſa accedendi licentiam, aut ſi forte ad peragenda ſacra miſſarum fuerint invitati myſteria. Sed ne pro cujuslibet monachi aut abbatis promotione aliquod onus monaſteria fortaſſe ſuſtineant, ſtudendum vobis eſt, ut ſi quiſpiam abbatum aut monachorum ex quocumque monaſterio ad clericatus officium vel D ordinem ſacrum acceſſerit, non illic aliquam habeat ulterius, ut diximus, poteſtatem, ne monaſteria hujus occaſionis velamine ea quæ prohibemus ſuſtinere onera compellantur. Hæc itaque omnia vigilanti cura emendare jam ſecundo commonita ſanctitas veſtra non differat, ne ſi poſt hæc negligentes vos eſſe, quod non credimus, ſenſerimus, aliter monaſteriorum quieti proſpicere compellamur. Nam vobis notum ſit, quia tantæ neceſſitati ſervorum Dei congregationem amplius ſubjacere non patimur. Ne vero aliqua vobis excuſatio de monachis oriatur, perſonam huc quam prævideri utilem ex opere fraternitas veſtra tranſmittat, & ei nos, qui cum eo ad vos venire poſſint, mona E chos deputabimus, quos, ut proſpexeritis, debeatis in monaſteriis ordinare, ſi tamen talia loca ſunt, ut ſit unde ſibi ſubſiſtere valeant.

## XLI. AD CYPRIANUM DIACONUM PER SICILIAM.

### De Paula, & quodam Judæo malefico.

*Gregorius Cypriano diacono * per Siciliam.*

* al. in Ta...

QUeſta nobis eſt Paula præſentium latrix, quemdam Theodorum ex Judæo ſibi nimis fruſtra inimicum exiſtere, in tantum ut, quod dici nefas eſt, iniquitate maleficiorum eam lædere moliatur, atque ab hominibus eccleſiæ Meſſanenſis eumdem Theodorum con- B tra hoc facinus fortius * inſtigari. Dilectio igitur tua ſtudeat, ut nullus eccleſiaſticorum prædictæ mulieri in hac cauſſa tentet adverſus exiſtere. Sed ad inveſtigandum hoc ipſe, ut potueris, eſto ſolicitus. Et ſi ſupraſcriptus Theodorus tantæ iniquitati obnoxius eſſe patuerit, ita hoc diſtricta ultione per hos quorum intereſt facias vindicari, ut & Deus placari poſſit, & aliis exemplum coerctionis ſit.

* vindicari Vat.

## GREGORII MAGNI PAPÆ I EPISTOLARUM LIBER VII.

### Indictione I. Anno ordinationis ejus VIII.

*De cauſſa Maximi prævaricatoris, ejuſque ſatisfactione, & pœnitentia.*

LEvatus eſt Maximus præſumptor in Dalmatia contra votum domni papæ Gregorii a militibus, per indictionem XI. & in contumacia vel præſumptione fuit annis VII. poſt hæc, poſt caſtigationem & flagella beatiſſimi atque apoſtolici papæ Gregorii egreſſus Dalmatias, venit in civitatem Ravennatem ad beatiſſimum Marinianum archiepiſcopum, & jactavit ſe tenſus intra civitatem in media ſilice, clamans & dicens: Peccavi Deo, & beatiſſimo papæ Gregorio. Et acta pœnitentia per tres horas, cucurrit exarchus Gallinicius, Caſtorius chartularius eccleſiæ Romanæ cum archiepiſcopo Mariniano, & elevatus cœpit ampliorem pœnitentiam coram eis agere. Tunc duxit eum ad ſanctum corpus beati Apollinaris, & juravit de omnibus quæ adverſus eum dicta de mulieribus vel ex ſchiſmate ſimoniaco fuerant, mixtum ſe non eſſe. Tunc revertens Caſtorius chartularius adduxit ſecum diaconum ejuſdem Maximi, nomine Stephanum, relatorem omnium quæ a Maximo ſatisfacta eſſent. Tunc motus ad miſericordiam beatiſſimus papa Gregorius, direxit pallium ad confirmationem ejuſdem epiſcopi, id eſt VII. Kalendas Septembris, indictione ſecunda.

## I. AD SABINIANUM DIACONUM.

Dolet Maximum prævaricatorem contra conſuetudinem ordinatum ſcripta ſedis apoſtolicæ abſcidiſſe.

*Gregorius * Sabiniano diacono.*

DE cauſſa Maximi prævaricatoris quid actum ſit cognoviſti. Sed-poſtquam ſereniſſimus domnus imperator juſſiones tranſmiſit ut ordinari minime debuiſſet, tunc ad altiorem ſuperbiam erupit, Nam homines glorioſi viri patricii Romani ab eo præmia acceperunt, eumque ita ordinari fecerunt; ut Antonium ſubdiaconum & rectorem patrimonii niſi fugiſſet occiderent. Ego autem epiſtolas tranſmiſi, poſtquam eum ordinatum contra rationem cognovi, & contra conſuetudinem, ut miſſarum ſolennia celebrare non præſumeret, niſi prius a ſereniſſimis dominis cognoſcerem, quid de ejus perſona juſſiſſent. Quæ ſcripta mea publice * relecta, vel in civitate poſita, publico ſcindi fecit, atque in contemptum ſedis apoſtolicæ apertius exiliit. Quod ego qualiter patiar ſcis, qui ante paratior ſum mori, quam beati Petri apoſtoli eccleſiam meis diebus degenerare. Mores etiam meos bene cognitos habes, quia diu porto: ſed ſi ſemel delibera-vero non portare. contra omnia pericula lætus vado. Unde neceſſe eſt cum Dei auxilio periculo ſuccurrere, ne cogatur excedendo peccare, Vide quæ dico, & penſa ex quanto dolore ſunt. Pervenit vero ad me quia tranimiſit neſcioquem clericum, qui diceret quia Malchus epiſcopus in cuſtodia pro ſolidis occiſus ſit. De qua re unum eſt quod breviter ſuggeras ſereniſſimis dominis noſtris, quia ſi ego ſervus eorum in morte Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens, nec regem. nec duces, nec comites haberet, atque in ſumma confuſione eſſet diviſa. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miſcere formido. Malchus autem epiſcopus neque in cuſtodia fuit, neque in aliqua afflictione, ſed die qua cauſſam dixit, & addictus eſt. neſciente me, a Bonifacio notario in domum ejus ductus eſt, cui & prandium factum eſt, ibique prandit, & honoratus eſt ab eo, & nocte ſubito mortuus eſt, quod jam dilectionem tuam arbitror cognoviſſe. Exhilaratum autem noſtrum pro ea re dirigere volui. Sed quia jam eamdem cauſſam actam exiſtimavi, idcirco me retinui. Domno autem Romano dilectio tua dicat, quia pro Pelice, ſicut ſcripſit, ad virum excellentiſſimum magiſtrum epiſtolas, ſi Deus juſſerit, facio, & per hominem meum tranſmitto. Nam modo poſtquam nulli alteri ſcribo, durum mihi fuit ſoli magiſtro ſcribere. Cui etiam dicendum eſt, quia Catellus palatinus ſubſtantiam ejus, quantum Virigantinus dicit, male exterminat. Cui vix potui imponere, ut expenſas eidem Virigantino in monaſterio quo lectioni vacat, & laborare non poteſt, parum aliquid de ſubſtantia matris ſuæ dare debuiſſet.

* In Pariſ. transferri ad indictionem XII.

* Imlata. Pariſ.

* Gen. 4. 1 10

## II. AD PETRUM EPISCOPUM CORSICÆ.

De convertendis ab idolorum cultura; & de quinquaginta ſolidis baptizandis tranſmiſſis.

*Gregorius * Petro Epiſcopo * Corſicæ.*

SUſceptis epiſtolis fraternitatis veſtræ magnas omnipotenti Deo gratias retulimus, quia de congregatione multarum animarum nos dignatus es relevare. Et ideo fraternitas veſtra ſolicite ſtudeat opus quod cœpit, auxiliante domino, ad perfectionem deducere. Et ſive eos qui aliquando fideles fuerunt, ſed ad cultum idolorum negligentia aut neceſſitate faciente reverſi ſunt, feſtinet cum indicta pœnitentia aliquantorum dierum ad fidem reducere, ut reatum ſuum plangere debeant, & tanto firmius teneant hoc ad quod Deo adjuvante revertuntur, quanto illud perfecte defleverint unde diſcedunt: ſive eos qui necdum baptizati ſunt admonendo, rogando, de venturo judicio terrendo, rationem quoque reddendo, quia ligna & lapides colere non debent, feſtinet fraternitas tua omnipotenti domino congregare, ut in adventu ejus, cum diſtrictus dies judicii venerit, in numero ſanctorum poſſit tua ſanctitas inveniri Quod enim opus utilius & ſublimius acturus es, quam ut de animarum vivificatione & collectióne cogites, & tuo domino, qui tibi locum prædicandi dedit, immortale lucrum reportes? Tranſmiſimus autem faternitati tuæ quinquaginta ſolidos pro veſtimentis eorum qui baptizandi ſunt comparandis, presbytero quoque eccleſiæ, quæ in * Negeugno monte ſita eſt. poſſeſſionem quam tua fraternitas petiit dari fecimus, ita ut quantum præſtat, tantum de ſolidis, quos accipere conſueverat, minus accipiat. Veſtra autem fraternitas petiit, ut ſibi epiſcopum in eccleſia, quæ non longe ab eodem monte eſt, facere debeat; quod omnino libenter accepi, quia quantum vicina fuerit, tantum prodeſſe animabus illic conſiſtentibus amplius poterit. Latorem vero præſentium per interceſſionem ſanctitatis veſtræ acolythum fecimus, quem ad obſequia veſtra retranſmiſimus, ut ſi in lucrandis animabus amplius ſervierit, proficere amplius poſſit.

* al. Chryſantho ep Spoletino.

* Aleriend. vide Grat. & Joann. diac. II. 49.

* Nigeuno.

## III. AD ANASTASIUM EPISCOPUM ANTIOCHENUM.

Conſolatoriam ſcribit epiſtolam de adverſitatibus hujus mundi, de barbarorum gladiis, ac diverſis adverſitatibus.

*Gregorius Anaſtaſio epiſcopo * Antiocheno.*

SUſcepi epiſtolas ſuaviſſimæ beatitudinis veſtræ, quæ pro verbis lacrymas pluebant. Vidi namque in eis nubem more ſuo in altum volantem, ſed quamdam caliginem triſtitiæ ferentem, nec penetrare in ipſo exordio facile valui. unde & quo iret, quia pro ipſa quam dixi caligine ad plenum cauſſas non intellexi. Hoc tamen ſanctiſſimos vos ſemper, ſicut & facitis, reducere ad mentem decet, quod prædica-

* patriarchæ. Pariſ.

2. Tim. 3. dicator gentium dicit: *In noviſſimis temporibus* A *inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati,* & cetera, quæ mihi labor eſt dicere, & vobis non eſt neceſſarium audire. Ecce in ſenectute veſtra ſancta beatitudo multis tribulationibus laborat, ſed perpendat cujus ſedem * teneat. Numquid non illius, cui voce veritatis dictum eſt: *Cum ſenueris, alius te cinget, & ducet quo non vis?* Sed hæc dicens recolo quod ſanctitas veſtra in multis adverſitatibus etiam a juventute deſudavit. Cum bono ergo rege dicat: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Sunt autem multi qui delectationem ſuam, ſicut ſcribitis, de noſtris ſibi vulneribus faciunt: ſed ſcimus qui dixit: *Plorabitis & flebitis vos; mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini*: ubi & protinus adjunxit: *Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Quia vero jam prædicta patimur, reſtat ut etiam promiſſa ſperare debeamus. Hi enim de quibus dicitis, quia ipſi addunt onera qui ſublevare debuerant, ſcio quia illi ſunt, *qui veniunt in veſtitu ovium, & intus ſunt lupi rapaces.* Sed tanto magis tolerandi ſunt, quanto nos non ſolum per malitioſam mentem, ſed etiam per religioſum habitum perſequuntur. In hoc autem quod ſoli præ aliis habere appetunt, quod dignum non fuerat ut vel cum fratribus haberent, nullo modo turbamur; quia in omnipotenti Deo confidimus, quod hi qui aliena appetunt, et- C iam ſuis citius privantur. Scimus enim qui dixit. *Quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur.* Et rurſum ſcriptum eſt: *Ante ruinam exaltatur cor.* His autem diebus, ſicut invenio, nova hæreticorum bella conſurgunt, de quibus veſtræ beatitudini jam antea ſcripſi, ita ut prophetas, evangelia, & dicta patrum omnia evacuare moliantur. Sed permanente vita veſtræ ſanctitatis, in protectoris noſtri gratia ſperamus, quod eorum ora citius obmuteſcant, quæ contra ſoliditatem veritatis aperta ſunt, quia & quamlibet acuti gladii immittantur, cum ſaxum feriunt, fracti reſiliunt. Hoc autem magna Dei omnipotentis eſt gratia, quod in ipſis qui a ſanctæ eccleſiæ doctrina diviſi D ſunt, unitas non eſt: *Quoniam omne regnum in ſe diviſum non ſtabit.* Et ſancta eccleſia ſubtilius in ſua ſemper eruditione inſtruitur, dum hæreticorum quæſtionibus impugnatur, ita ut aperte impleatur quod per pſalmiſtam contra hæreticos de Deo dictum eſt: *Diviſi ſunt ab ira vultus ejus, & appropinquavit cor illius.* Nam dum ipſi in ſuo pravo errore dividuntur, cor nobis Deus appropiat; quia eruditi adverſitatibus, intellectum ejus ſubtilius invenimus. Quæ autem mala a barbarorum gladiis, quæ a perverſitate judicum patimur, beatitudini veſtræ narrare refugio, ne ejus gemitum augeam, quem minuere conſolando debueram. Sed in his omnibus auctoris no- E ſtri me præcepta conſolantur dicentis: *Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis.* Penſo enim quibus dictum eſt: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Si ergo poteſtas lucis poſtea erit, quia electis dictum eſt: *Vos eſtis lux mundi*: & ſicut ſcriptum eſt: *Obtinebunt eos juſti in matutino*: omne quod in hora & poteſtate tenebrarum patimur, lugendum non eſt. Indicat autem mihi ſuaviſſima ſanctitas veſtra, quod mecum, ſi potuiſſet fieri, ſine charta &

Marginal references: * ſedem. Parif. — Joann. 21. — Pſal. 38. — Joann. 16. — Matth. 7. — Luc. 14. — Prov. 16. — Luc. 11. — Pſal. 54. — Joann. 16. — Luc. 22. — Matth. 5. — Pſalm. 48.



A calamo loqui voluiſſet, & dolet quod nobis orientis pene & occidentis ſpatium interjacet. Sed hoc quod ſentio, verum dico, & in charta mihi mens veſtra ſine charta loquitur, quia in verba veſtræ ſanctitatis ſola caritas ſonat, & diviſi locis non ſumus, qui ex dono omnipotentis domini dilectionis vinculo conjuncti ſumus. Cur igitur accipere pennas columbæ deargentatæ quæritur, quas jam habetis? Pennæ quippe ejus ſunt caritas Dei & proximi. Per ipſas enim ſancta eccleſia evolat, per ipſas terrena omnia tranſcendit; quas ſi veſtra ſanctitas non haberet, ad me cum tanta caritate per epiſtolas non veniſſet. Rogo autem ut pro mei cordis infirmitate enixius oretis, qua- B tenus omnipotens Deus mentem meam a malis omnibus pro veſtra interceſſione tueatur, & citius me de tot procellis hujus tempeſtatis eripiat, atque in æternæ quietis litore perducat. Benedictiones vero locupletiſſimas omnes quæ directæ ſunt ſuſcepi, quas mihi vir Dei pauper ſpiritu tranſmiſiſti, de quibus dicitis: Quid enim debet pauper, niſi ea quæ paupera ſunt? Sed niſi vos per humilitatis ſpiritum pauperes eſſetis, benedictiones veſtræ locupletes non fuiſſent. Omnipotens Deus ſua vos a malis omnibus protectione cuſtodiat, & quoniam vita veſtra bonis omnibus valde eſt neceſſaria, poſt longa adhuc tempora vos ad cæleſtis patriæ gaudia perducat.

## IV. AD BONUM EPISCOPUM MESSANENSEM.

De pretio pro ſepultura aliqua nunquam recipiendo, ubi proponit exemplum Abrahæ, & Sichimitarum.

*Gregorius * Bono epiſcopo Meſſano.* (* Dono Parif.)

Filius noſter Fauſtinus vir eloquentiſſimus ad nos veniens queſtus nobis eſt, quod pater ejus quondam Peltraſius aliqua veſtræ eccleſiæ ſepulturæ ſuæ gratia juris alieni reliquerit. Et quidem quid de hac re ſæculi leges D habeant & * ipſi noſtis, & nos audivimus: quia hæres ad ſolvendum cogitur, ſi auctor ejus * vel teſtator aliena legaverit. Sed quia fraternitatem veſtram lege Dei, non autem lege ſæculi novimus vivere; valde mihi injuſtum videtur, ut calix electrinus, & puer qui cujuſdam eccleſiæ, in poſſeſſione ejus poſitæ, diœceſeos * Conſentiæ eccleſiæ eſſe perhibetur, a tua fraternitate teneatur. Cum enim vir reverendiſſimus Palumbus, nunc epiſcopus, tunc vero archidiaconus, ita fuiſſe teſtatus eſt, vos omnino ejus fidei credere, & aliena reſtituere debuiſtis. * Tabulam vero auream quam prædictus vir moriens pariter re- E liquit conſiderare, ut arbitror, debuiſtis, quæ eſſet ſumma ejus ſubſtantiæ, ſi quid eſſet unde hi quos reliquerat ſuſtentari debuiſſent, & tunc pro ſepultura ejus accipere: * cum ſecundum noſtrum inſtitutum noveris nos * illicitam antiquam conſuetudinem a noſtra eccleſia omnino vetuiſſe, nec cuiquam aſſenſum præbere, ut loca humandi corporis pretio poſſint adipiſci. Nam ſi gentiles, ut arbitramur, viri Sichimitæ, Abrahæ pro Sara mortua, atque in loco proprio humanda ſepulturam gratis obtulerunt, & vix magna ejus importunitate

Marginal notes: * Ipſe noſti. Parif. — * vel teſtator deeſt in Parif. — * Conſentino Parif. — * al. Fabulam . . . in Parif. — * quoniam . . . Parif. — * illicitam deeſt in Parif. — Geneſ. 23.

coacti ſunt, ut pretium de loco ſepulturæ per- A
cipereat, nos qui epiſcopi dicimur, de hu-
mandis fidelium corporibus penſa quid facere
debemus. Hoc ergo fraternitatis veſtræ judi-
cio committimus. Et hoc quoque nobis præ-
dictus eloquentiſſimus vir queſtus eſt, Silinium
defenſorem eccleſiæ tuæ irrationabiliter juri
ſuo mancipia competentia detinere. De qui-
bus etiam judicio ſanctæ memoriæ Maximia-
ni epiſcopi, ut ea detentor redderet, eſſe aſ-
terit definitum: ſed eorum reſtitutionem ha-
ctenus voluntarie diſtuliſſe. Hortamur ergo
fraternitatem tuam, ut ſi manifeſte cauſſa jam
judicata eſt, quæ ſtatuta ſunt compleantur.
Alioquin deputato * defenſore ad fratris & coe-
piſcopi Secundini noſtri partes fac judicium B
convenire, ut dum cujus ſint juris mancipia,
de quibus quæſtio vertitur, ejus fuerit ſenten-
tia declaratum, nec hic præjudicium, nec ille
videatur * injuriam ſuſtinere.

* [illegible] Paris.

* invidiam Paris.

## V. AD BRUNICHILDEM REGINAM

### FRANCORUM.

Pallium Syagrio epiſcopo concedit. De ſacris
ordinibus præmio vel gratia non conferen-
dis, & ne ex laicis repente fiant epiſcopi.
Laudat ejus erga Auguſtinum caritatem,
hortaturque ut ſchiſmaticos ad concordiam
revocare, atque idololatriæ reliquias, & alia C
in regno ſuo vitia coercere ſtudeat, & de
codice tranſmiſſo.

*Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.*

QUanta in omnipotentis Dei timore excel-
lentiæ veſtræ mens ſoliditate firmata ſit,
inter alia bona quæ agitis, etiam in ſa-
cerdotum ejus laudabiliter dilectione monſtra-
tis: & magna nobis fit de Chriſtianitate ve-
ſtra lætitia, quoniam quos venerantes ut fa-
mulos revera Chriſti diligitis, augere honori-
bus ſtudetis. Decet enim vos, excellentiſſima
filia, decet tales exiſtere, ut ſubjectæ poſſitis
eſſe dominatori. In eo enim regnum poteſta- D
tis veſtræ & ſubjectis gentibus confirmatis, in
quo timori omnipotentis domini mentis colla
ſubjicitis: & unde vosmetipſas ſervitio creato-
ris ſubjicitis, inde vobis veſtros ſubditos ad
ſervitium devotius obligatis. Suſceptis itaque
epiſtolis veſtris, valde nobis excellentiæ veſtræ
ſtudium placuiſſe * ſignamus, atque fratri &
coepiſcopo noſtro Syagrio pallium dirigere ſe-
cundum poſtulationem veſtram volumus. Pro-
pter quod & sereniſſimi domni imperatoris,
quantum nobis diaconus noſter, qui apud eum
reſponſa eccleſiæ faciebat, innotuit, prona vo-
luntas eſt, & concedi hoc omnino deſiderat.
Atque multa de prædicto fratre noſtro tam
vobis, quam etiam aliis teſtificantibus, ad nos E
bona perlata ſunt, maxime vitam ejus Joanne
regionario ad nos remeante cognovimus. Et
quid in fratre noſtro Auguſtino fecerit audien-
tes, redemptorem noſtrum benedicimus, quia
eum ſacerdotis nomen etiam operibus imple-
re ſentimus. Sed res plurimæ reſtiterunt, quæ
nos hoc interim facere minime permiſerunt.
Primum ſiquidem * quia pallium ipſum vene-
rat acceptu[r]us, ſchiſmaticorum errore tenetur
implicitus. Deinde quod non id ex veſtra pe-
titione, ſed ex nobis tranſmiſſum voluiſtis in-

* ſignificamus

* quia is, qui Paris.

telligi. Extra hoc autem, quia nec is qui eo
uti deſiderat directa ad nos hoc ſibi largiri
ſpeciali petitione popoſcerat, & tantam cauſ-
ſam nullo modo præbere ſine ejus poſtulatio-
ne debuimus; maxime quia & priſca conſue-
tudo obtinuit, ut honor pallii niſi exigenti-
bus cauſſarum meritis, & fortiter poſtulanti
dari non debeat. Nos tamen, ne veſtræ ex-
cellentiæ deſiderium ſub prætextu cujuſquam
excuſationis forſitan videremur velle differre,
dilectiſſimo filio noſtro Candido presbytero
pallium prævidimus dirigendum, injungentes
ei, ut vice noſtra congrua id debeat obſerva-
tione tribuere. Unde neceſſe eſt, ut ex opere
ſuo ſupraſcriptus frater & coepiſcopus noſter
Syagrius, facta cum aliquantis epiſcopis ſuis
petitione hoc ſperare, atque eam prædicto de-
beat dare presbytero; quatenus digne ejuſdem
pallii uſum cum Dei gratia valeat adipiſci.
Ut ergo hæc vobis cura ante oculos creatoris
noſtri in fructu ſit, Chriſtianitatis veſtræ ſo-
licitudo diligenter invigilet, & nullum, qui
ſub regno veſtro eſt, ad ſacrum ordinem ex
donatione pecuniæ, vel quarumlibet patroci-
nio perſonarum, ſeu proximitatis jure patiatur
accedere; ſed ille ad epiſcopatus, vel alterius
ſacri ordinis officium eligatur, quem dignum
& vita & mores oſtenderint; ne ſi, quod non
optamus, honor venalis fuerit ſacerdotii, ſi-
moniaca in illis partibus hæreſis, quæ prima
in eccleſia prodiit, & Petri ſententia eſt dam-
nata, conſurgat; & regni veſtri, quod abſit,
vires imminuat. Nam grave omnino, & ultra
quam dici poteſt, facinus eſt, Spiritum ſan-
ctum, qui omnia redemit, venumdari. Sed &
hoc [illegible] vobis ſit, ut quia, ſicut noſtis, neo-
phy[illegible] egregius prædicator ad ſacerdotii re-
gimen omnino vetat accedere, nullum ex lai-
co patiamini epiſcopum conſecrari. Nam qua-
lis magiſter erit, qui diſcipulus non fuit? aut
quemadmodum ducatum gregi dominico præ-
beat, qui diſciplinæ paſtoris ſubditus ante non
fuerit? Si cujus ergo talis vita conſtiterit, ut
ad hunc dignus ſit ordinem promoveri, prius
miniſterio debet eccleſiæ deſervire; quatenus
longæ exercitationis uſu videat quod imitetur,
& diſcat quod doceat: ne forte onus regimi-
nis converſionis novitas non ferat, & ruinæ
occaſio de provectus immaturitate conſurgat.
Qualiter autem ſe excellentia veſtra erga fra-
trem & coepiſcopum noſtrum Auguſtinum ex-
hibuerit, quantamque illi ſibi Deo aſpirante
caritatem impenderit, diverſorum fidelium re-
latione cognovimus; pro qua gratias referen-
tes, divinæ potentiæ miſericordiam depreca-
mur, & ut hic vos ſua protectione cuſtodiat,
& ſicut inter homines, ita quoque & poſt
multorum annorum tempora in æterna faciat
vita regnare. Præterea hos quos ab unitate ec-
cleſiæ ſchiſmaticorum error diſſociat, ad uni-
tatem pro veſtra mercede ſtudeat revocare con-
cordia. Nam non ob aliud in ignorantiæ ſuæ
hactenus cæcitate volvuntur, niſi ut eccleſia-
ſticam fugiant diſciplinam, & perverſe ha-
beant, ut voluerint, vivendi licentiam; quia
nec quid defendant, nec quid ſequantur intel-
ligunt. Nos autem Chalcedonenſem ſynodum,
de qua illi ſibi peſtiferæ nebulas excuſationis
aſſumunt, per omnia veneramur & ſequimur;
& ſi quis de fide ejus minuere aut addere ali-
quid præſumpſerit, anathematizamus. Sed ita
illos erroris labes imbibit, ut ignorantiæ ſuæ
cæ-

Grat. dist. 100. cap. 1. Anſel. lib. 6. cap. 91. Joan. diac. lib. 3. c. 5.

Ivo part. 5 cap. 90.

credentes univerſam eccleſiam, atque omnes quatuor patriarchas, non ratione, ſed malitioſa mente tantummodo refugiant; ita ut is qui ad nos a veſtra excellentia miſſus eſt, cum quæreretur a nobis, cur ab univerſali eccleſia ſeparatus exiſteret, ſe ignorare profeſſus ſit. Sed neque quid diceret, neque quid aliud audiret, valuit ſcire. Hoc quoque pariter hortamur, & ceteros ſubjectos veſtros ſub diſciplinæ debeatis moderatione reſtringere, ut idolis non immolent, cultores arborum non exiſtant, de animalium capitibus ſacrificia ſacrilega non exhibeant; quia pervenit ad nos quod multi Chriſtianorum & ad eccleſias occurrant, &, quod dici nefas eſt, a culturis dæmonum non abſcedant. Quoniam vero omnino Deo noſtro hæc diſplicent, & diviſas mentes non poſſidet; providete ut ab his debeant illicitis ſalubriter coerceri, ne quod abſit, non eis ad ereptionem ſed pœnam, ſacri fiat baptiſmatis ſacramentum. Si quos igitur violentos, ſi quos adulteros, ſi quos fures, vel aliis pravis actibus ſtudere cognoſcitis, Deum de eorum correctione placare feſtinate; ut ſuper vos flagellum perfidarum gentium, quod quantum videmus ad multarum nationum vindictam excitatum eſt, non inducat, ne ſi, quod non credimus, divinæ ultionis iracundia ſceleratorum fuerit actione commota, belli peſtis interimat quos delinquentes ad rectitudinis viam Dei præcepta non revocant. Neceſſe eſt ergo ut omni ſtudio & oratione aſſidua ad redemptoris noſtri converti miſericordiam feſtinemus, ubi tutus omnibus locus eſt, & magna ſecuritas. Nam illic quemquam ſolide perſiſtentem, nec periculum conterit, nec metus exagitat. Codicem vero, ſicut ſcripſiſtis, prædicto dilectiſſimo filio noſtro Candido presbytero vobis offerendum tranſmittimus, quia boni veſtri ſtudii eſſe participes feſtinamus. Omnipotens Deus ſua vos protectione cuſtodiat, atque à perfidis gentibus regnum veſtrum ſui brachii extenſione defendat, voſque poſt longa annorum curricula ad gaudia æterna perducat. Data menſe Octobri, indictione prima.

## VI. AD VENANTIUM EPISCOPUM LUNENSEM.

De monaſterio ſuo conſecrando.

*Gregorius Venantio epiſcopo Lunenſi.*

FRaternitatis veſtræ inſinuatione didicimus, quæ habentur in ſubditis, intra civitatem Lunenſem in domo te propria monaſterium ancillarum Dei pro veſtra devotione fundaſſe, quod in honore beati Petri apoſtolorum principis, & ſanctorum martyrum Joannis & Pauli, atque Hermæ & Sebaſtiani deſideras conſecrari. Et ideo, frater cariſſime, ſi nullum corpus ibidem conſtat humatum, data primitus a fraternitate tua donatione legitima, id eſt, calicem argenteum unum habentem uncias ſex, patenam argenteam habentem libras duas, ſyndones duas, coopertorium ſuper altare unum, lecta ſtrata numero decem, in æramentis capita viginti, in ferramentis capita triginta, in ceſpite fundum Faborianum, & lumbricate in integro conſtitutum in territorio Lunenſi milliario ab urbe eadem plus minus ſecundo, juxta fluvium Macram, cum ſervis duobus, id eſt Mauro & Joanne, & boum * parium undecim tantum, geſtiſque municipalibus alligatis prædicti monaſterii oratorium abſque miſſis publicis ſolenniter conſecrabis, & cetera ſecundum morem.

* paria duo Vat.

*Menſe Novembri, indictione prima.*

## VII. AD AMOS EPISCOPUM HIEROSOLYMITANUM.

De Petro acolytho fugitivo.

*Gregorius Amos epiſcopo Hieroſolymitano.*

CUm fraternitatem veſtram confidamus canonum ſtatuta & vigorem diligere diſciplinæ, ne clerici noſtri vobis ad evitandam diſtrictionem eccleſiaſtici ordinis falſitas ſubrepere valeat, ejus culpam ſanctitati veſtræ indicare proſpeximus, ut ſolicitudine veſtra diſciplinæ poſſit ſubmitti quam refugit. Comperimus autem quod Petrus acolythus, quem dilectiſſimo filio noſtro Sabiniano diacono reſponſa eccleſiaſtica facienti obſervare in urbe regia feceramus, fugiens ad veſtram eccleſiam venerit. Quod ſi verum eſt, in tuto eum ſacere fraternitas veſtra, & inventa huc ſtudeat occaſione remittere. Aut ſi forte huc metuens a veſtra diſceſſerit eccleſia, & per diverſa loca, ne comprehendi valeat, latitet, in omnibus parochiis veſtris ut diligenter requiratur injungite, & inventum ad nos, ſicut præfati ſumus, tranſmittite: quem etiam volumus per vos, quia ſit communione privatus, agnoſcere, nec dominici corporis ac ſanguinis, quouſque ad nos redeat, audeat myſteria ſumere, niſi forte vicino mortis inſiſtente periculo.

## VIII. AD LEONEM EPISCOPUM CATANENSIUM

De portionibus clericorum.

*Gregorius Leoni epiſcopo Catanenſium*

AD hoc locorum gradus rationis ordo diſtinxit, & judicia eſſe conſtituit, ut nec præpoſiti in opprimendo ſe fruſtra valeant occupare ſubjectos, nec ſubjectis * iterum contra ſuos præpoſitos effrenata ſit reſultandi licentia. Et ideo quia poſt decimamquintam nuper indictionem elapſam, eccleſiæ tuæ acolythi, dato contra te capitulari, quædam conqueſti ſunt; ne aut in tuæ fraternitatis invidia remanerent, aut illos in ſuis videremur petitionibus non audire, dilectiſſimo filio noſtro Cypriano diacono ea ſubtiliter inquirenda mandavimus. Qui injuncta cognoſcens, quid de capitulo unoquoque decreverit, inquiſitioni noſtræ eſt ſubtilius patefactum. Et quia inter alia de quarta portione clerus hoc tenendum ſtatuit, ut unam portionem hi qui in ſacro loco ſunt poſiti, & reliquas duas clerus accipiat, & latores præſentium Donatus presbyter, nec non & Theodoſianus atque Viator diaconi, aliorum quoque qui in ſacrato ſunt ordine conſtituti, relationem ad nos deferen-

* item

ſerentes conqueſti ſunt, hoc contra antiquam A
conſuetudinem in ſuo gravamine præjudiciali-
ter ſtatutum, quippe quia de eadem quarta
ſemper ſe duas partes, & tertiam clerum per-
hibent conſecutum, & petiverunt ne hæc diſ-
finitio in ſuo præjudicio permaneat; nos hoc
fraternitatis tuæ diſpoſitioni oportere prævidi-
mus committendum. Volumus ergo, ut quid-
quid eccleſiæ tuæ ex reditu vel quolibet alio
titulo fortaſſis acceſſerit, quartam exinde por-
tionem ſine diminutione aliqua debeas ſegre-
gare, atque eam ſecundum Dei timorem preſ-
byteris, diaconis, ac clero, ut tibi viſum fue-
rit, diſcrete dividere: ita ſane ut unicuique,
ſicut meritum laboris exegerit, libera tibi ſit,
juxta quod prævideris, largiendi licentia; qua- B
tenus & hi qui merentur etiam temporali ſe
ſentiant hoc commodo conſolari, & alii adju-
vante domino eorum ad melius contendant
imitatione proficere.

## IX. AD VITALIANUM EPISCOPUM SIPONTINUM.

De filia Tulliani magiſtri militiæ ad priſtinum habitum revocanda, & in monaſterio detrudenda.

*Gregorius Vitaliano epiſcopo Sipontino.*

Ivo part. 7 cap. 96. Grat. 27. q. 1. c. 18.

SI cuſtos religioſi habitus, aut eſſe noſſes
epiſcopus, filiam glorioſæ memoriæ Tul-
liani magiſtri militiæ, te illic poſito, nec pro-
jectis religioſis veſtibus ad ſæcularem reverti
habitum, nec ad nos licuiſſet perverſam epi-
ſtolam deſtinare. Sed quia nimia deſidia ac
torpore deprimeris, in tuo dedecore res ad
præſens illicita impune commiſſa eſt. Nam
ſi, ut præfati ſumus, ſolicitius extitiſſes, prius
ad nos ultio mulieris praviſſimæ quam culpa
debuit pervenire. Quia ergo tantum habes,
tantumque es negligens, ut niſi canonicam
in te fueris coërctionem expertus, in aliis di-
ſtrictionem & diciplinam neſcias cuſtodire;
qualiter debeas eſſe ſolicitus, congruo tibi, ſi D
domino placuerit, tempore demonſtrabimus.
Præſentia igitur ſcripta ſuſcipiens evigila, &
excitatus ſaltem exequere quod preſſus uſque
nunc ignavia diſtuliſti. Inſtantiæ ergo tuæ ſit
prædictam mulierem una cum Sergio defenſo-
re noſtro comprehendere, & ſtatim non ſo-
lum ad male contemptum habitum ſine ali-
qua excuſatione revocare, ſed etiam in mona-
ſterium, ubi omnino diſtricte valeat cuſtodiri,
detrudere: & ita omnem circa illam ſolicitu-
dinem exhibere, ut quam ſit nefarium quod
commiſit, ex tua poſſit diſtrictione cognoſce-
re. Qua in re ſi quis, quod non credimus, *
clericorum vel laicorum aliquo tibi ingenio
tentaverit obſiſtendum, a ſacratiſſimæ eum E
communionis participatione ſuſpendere, no-
biſque renuntiare feſtina: ut quantum ſit exe-
crabile quod præſumpſerit, poſtquam conſide-
ratione propria non advertit, emendationis
qualitate cognoſcat. In his autem omnibus
ita te cautum ſtude ac vigilantem oſtendere,
ut culpam tuam non geminare neglectus, ſed
aliquantiſper valeat ſolicitudo minuere.

* clericorum vel deeſt in Pariſ.

## X. AD SERGIUM DEFENSOREM.

De filia Tulliani magiſtri militiæ.

*Gregorius Sergio defenſori.*

Grat. 27. q. 1. c. Si homo.

SI homo eſſes, aut * diſcretionem aliquam
habuiſſes, ita regularis diſciplinæ debuiſti
cuſtos exiſtere, ut ea quæ illicite illic commit-
tuntur, ante vindicta corrigeret, quam ad nos
eorum nuntius perveniret. Sed dum nimia te
facit ſtultitia negligentem, non ſolum de illis
offendimur, ſed etiam ad ulciſcendam deſi-
diam tuam nihilo minus provocamur. Omni
B ergo dilatione omnique excuſatione poſtpoſita,
filiam glorioſæ memoriæ Tulliani magiſtri mi-
litiæ, quæ projectis, quas ſponte aſſumpſerat,
religioſis veſtibus, indumentis ſe laicis deturpa-
vit, una cum fratre & coepiſcopo noſtro Vi-
taliano feſtina comprehendere, atque ad reli-
gioſum rurſus habitum revocare, ac in mo-
naſterium mittere, ubi ſtricte omnino valeat
cuſtodiri. Nec ejus cuſtodiam aliquatenus re-
levari permittas, quouſque noſtra denuo ſcri-
pta ſuſceperis. Nam ſi quolibet modo in hac
re negligens vel lentus extiteris, ita in te no-
veris diſtrictiſſime vindicandum, ut quod ex
te neſcis, pœna poſſis * reſerante cognoſce-
re: quia, ſicut diximus, ſi intellectum homi-
C nis habuiſſes, hæc quæ modo facere præcipe-
ris a te debueramus etiam cum ultione facta
cognoſcere.

* diſtrictionem. Pariſ.

* al. reſecante ita in Pariſ.

## XI. AD EUSEBIUM, URBICIUM, &c.

De lege imperatoris: & quod ex militari habitu nullus niſi ante triennium probatus ſuſcipiendus ſit.

*Gregorius Euſebio Theſſalonicenſi, * Urbico Dyrrachitano, Conſtantio Mediolanenſi, Andreæ Nicopolitano, Joanni Corinthi, Joanni primæ Juſtinianæ, Joanni Cretenſi * Scoritano, Joanni Lariſſæo, Mariniano Ravennati Joanni Calaritano Sardiniæ, & omnibus epiſcopis Siciliæ.*

* Urbicio Dirachiano.

* Coritano.

Ivo part. 10. cap. 114. Grat. diſt. 53 cap. 1.

LEgem quam piiſſimus imperator dedit, ne
fortaſſe hi qui militiæ vel rationibus ſunt
publicis obligati dum cauſſarum ſuarum peri-
culum fugiunt, ad eccleſiaſticum habitum ve-
niant, vel in monaſteriis convertantur, ve-
ſtræ ſtudui fraternitati tranſmittere: hoc ma-
xime exhortans, quod hi qui ſæculi actioni-
bus implicati ſunt, in clero eccleſiæ præpro-
pere ſuſcipiendi non ſunt: quia dum in ec-
cleſiaſtico habitu non diſſimiliter quam vixe-
rant vivunt, nequaquam ſtudent ſæculum fu-
gere, ſed mutare. Quod ſi etiam tales quo-
que monaſterium petunt, ſuſcipiendi nullo
E modo ſunt, niſi prius a rationibus * publicis
abſoluti fuerint. Si qui vero ex militaribus *
numeris in monaſteriis converti feſtinant, non
ſunt temere ſuſcipiendi, niſi eorum vita fue-
rit ſubtiliter inquiſita. Et juxta normam re-
gularem debent in ſuo habitu per triennium
probari, & tunc monachicum habitum Deo
auctore ſuſcipere. Qui ſi ita ſunt probati at-
que ſuſcepti, & pro anima ſua pœnitentiam
de perpetratis culpis agere ſtudent, pro eo-
rum vita & lucro cæleſti non eſt eorum con-
verſio renuenda. Qua de re etiam ſereniſſimus
& Chri-

* a ratiociniis.

* viris.

& Chriſtianiſſimus imperator, mihi credite, A omnimodo placetur, & libenter eorum converſionem ſuſcipit, quos in rationibus publicis implicatos non eſſe cognoſcit.

*Menſe Decembri, indictione prima.*

## XII. AD SABINIANUM EPISCOPUM JADERTINUM.

De pœnitentia ejus acta propter communionem Maximi prævaricatoris, & Florentino epiſcopo.

*Gregorius Sabiniano epiſcopo Jadertino.*

Joan. diac. lib. 3. c. 11.

SIcut perſeveranti culpæ debetur jure vindicta, ita reſipiſcentibus eſt venia concedenda. Nam ut res illa contra ſe merito iracundiam excitare, ſic hæc in ſua prorſus dilectione ſolet concordiam propagare. Et ideo quia fraternitatem tuam a conſortio & communione Maximi, ubi te prius neglectus impulerat, intantum poſtea gravitas ſacerdotii ad animum reducta ſuſpendit, ut ejus ſola nullatenus patereris eſſe ſegregatione contentus, niſi & in monaſterii te clauſtra recipiens dudum commiſſa defleres; eapropter in noſtra te gratia ad communionem receptum eſſe non dubites: nam quantum nos prius culpa tuæ C caritatis offenderat, tantum pœnitentia mitigavit. Hortor igitur, dilectiſſime frater, ut gregi dominico paſtoralem ſolicitudinem inſtanter impendas, lucrumque de commiſſis ovibus facere diligenter invigiles, ut tantum tibi copioſæ retributio mercedis exuberet, quantum in adventum æterni judicis multiplices laboris fructus obtuleris. Stude itaque in culpa lapſos erigere, ſtude errantibus regrediendi viam oſtendere, ſtude communione privatos ad communionis ſalubriter gratiam revocare. Sit ceteris caritatis veſtræ reverſio * ereptionis officium, ſit ſalutis exemplum; quatenus dum errantes greſſus ovium ad ſepta ſummi paſtoris ſolicitudinis veſtræ cura direxerit, nec D ipſæ luporum dentibus relinquantur expoſitæ, & te in æterna vita, quod ſummopere petendum eſt, digna compenſatio retributionis excipiat. De cauſſa vero quam nobis ſcripſiſtis, ut debeamus, ne in urbe regia contra vos ſurripiatur, eſſe ſoliciti, animos veſtros res iſta non turbet. Nam reſponſali noſtro omnino ſtudioſe mandavimus, ut ſolicitum cautumque ſe debeat exhibere. Et confidimus de Dei noſtri potentia, quia id agitur, ut vos nullius contra rationem aut turbare quoquomodo aut premere poſſit adverſitas. Præterea habitatores Epidaurienſis civitatis Florentium, quem ſuum eſſe dicunt epiſcopum, ſibi a nobis reſtituendum ſtudioſiſſime popoſcerunt, aſ- E ſerentes fruſtra eum ad ſolam tantummodo voluntatem Natalis * quondam epiſcopi detruſum exilio. Et ideo quid de ejus cauſſa fraternitas veſtra cognovit, nobis ſuis ſubtiliter epiſtolis innoteſcat. Si autem necdum cognovit, requirat, nobiſque renuntiet, ut quidquid de eo ſtatuendum ſit certi deliberare adjutore domino valeamus.

* erectionis

* quondam. deeſt in Turiſ.

*Menſe Februario, indictione prima.*

## XIII. AD CANDIDUM ABBATEM SANCTI ANDREÆ.

Confirmat concordiam & tranſactionem inter monaſterium ſancti Andreæ, & Maurentium magiſtrum militiæ.

*Gregorius Candido abbati monaſterii ſancti Andreæ ad clivum Scauri.*

B SIcut loci noſtri conſideratio providere nos admonet, ut monaſteriorum negotia pacis intentio ſalubri fine diſtinguat, ſic iterum ratione conſtringimur, conſenſus noſtri auctoritate quæ utiliter deciſa fuerint roborare: ne forte cujuſquam excuſationis objectu, quod a religioſo propoſito, & æquitate valde diſſentit, aliquid in dubium contentio recidiva perducat, & gignat ex pace litigium. Proinde quoniam inter te & Candidum abbatem monaſterii ſancti Andreæ apoſtoli politi in hac urbe Romana in clivo Scauri, agentem utilitates ejuſdem monaſterii, & Maurentium glorioſum magiſtrum militiæ, cauſſa ſucceſſionis hereditatiſque Joannis fratris conſanguinei prædicti viri, qui in ſupraſcripto monaſterio conC verſus eſt ac defunctus, cum noſtro quoque conſenſu commoda ſolicitæque tranſactionis pagina interveniente deciſa eſt: denique quia * cum fidei memorati glorioſiſſimi magiſtri militiæ ſinceritas olim nobis veraciter nota ſit & bene comperta, ad ſatisfactionem poſſet omnino ſufficere etiam dato corporaliter ſacramento, firmaret nihil ſe in fraude verſatum, aut aliquid occultaſſe, ſed omnia integre prodidiſſe: idcirco cujus decreti præceptique noſtri ſerie tranſactionem deciſionemque inter te & præfatum Maurentium glorioſum habitam, ratam habentes, per omnia confirmamus, nec in totum partemve aliqua ratione convelli, ſed eam habere perpetuam decernimus firmiD tatem. Cui rei ſi quis, quod non credimus, contrariam afferre quoquo modo tentaverit voluntatem; ille quidem reum ſe ante Deum eſſe noverit, qui nititur ea quæ utiliter ſunt finita reſcindere: nam eidem deciſioni tranſactionique nihil ſe derogare cognoſcat. Ut ergo & ſæpe dicti glorioſi Maurentii maneret illibata ſecuritas, & tu nihil de his quæ deciſa ſunt valeas dubitare, ſimile ei præceptum pro utraque partium munitione conceſſimus.

* ut cum. Po-ſſ.

## XIV. AD ADEODATUM ET MAURENTIUM EPISCOPOS.

Perſeverantiam boni operis commendat laudatque.

*Gregorius Adeodato & Maurentio epiſcopis Africæ a paribus.*

MUltum, frater cariſſime, ſinceritatis tuæ bono congaudeo, quod gravitatem jus præditum te dudum audieram, præſentium portitoris Pauli fratris & coepiſcopi noſtri teſtificatio confirmavit. Qui tanto lætius quanta in nobis ſolicitudo eccleſiaſtici ordinis, quantaque cura ſit rectitudinis indicavit, quanto hoc & præ-

& præſens compeiit, & in ſua amplius defen- A ſione cognovit. Quia ergo magnum, ſicut noſtis, coram Deo noſtro eſt in bonis quemquam indeſinenter operibus permanere, fraternitatis veſtræ ſe ſolicitudo ad fovendas partes juſtitiæ decenter exacuat, & contra eccleſiaſtici vigoris moderamina, prout poſſibile fuerit *, proviſionis ſuæ ſolatio fieri nihil permittat. Nec vos res aliqua ab hujuſmodi intentione removeat; ſed ſi qua ſunt quæ dilectionis veſtræ ſinceritatem offendunt, & regulas canonicæ diſcretionis excedunt, vigilantem ſtudete curam impendere, atque ea hortando, ſuadendo, terrendo emendare, caritatis * unitatem ſervare, inquantum vires ſuppetunt, Deo adjuvante contendite, & exceſſus aucto- B rem * coërctionis freno ſacerdotali conſtringite, atque eum ab invio itinere lingua * ducite, & actione reducite, & ita veſtram in omnibus efficaciam exhibete, ut Deus omnipotens, qui bonæ voluntatis auctor & intentionis inſpector eſt, velle veſtrum & hic adjuvet, & in futura vita remuneret. Supradictum vero Paulum fratrem & coepiſcopum noſtrum fraternitati veſtræ commendantes hortamur, ut idonee caritatem veſtram debeat experiri quam prædicat.

* fieri nihil permittat. Nec hæc Paris.

* unitate ſervata Paris.

* correctionis freno ſacerdotalis.

* duce Paris.

## XV. AD VICTOREM ET COLUMBUM.

De contentione parochiarum dirimenda. C

*Gregorius Victori & Columbo epiſcopis * Numidiæ a partibus.*

* Africæ Paris.

QUanto cordi noſtro lætitiam eccleſiæ ordo inculpabiliter cuſtoditus infundit, tanto reiculus tædium doloris imponit, quod pravitatis temeritas everſionem diſciplinæ tentat & quæ ſunt olim laudabiliter ſtatuta diſſolvere, & quæ fortius punienda præſumere. Præſentium itaque portitoris Creſconii fratris & coepiſcopi noſtri querela ad nos inſinuante pervenit, quod nulla exigente culpa, vel concilii definiente ſententia, eccleſiæ ejus parochiæ antiquitus deputatæ a Valentione fratre D & coepiſcopo noſtro ante fere quindecim annos ſint irrationabiliter occupatæ, atque eum inſuper res deceſſoris ipſius ad ſuum, quod dici grave eſt, arbitrium abſtuliſſe. Quod ſi ita veritas ſe habet, quam perverſum, quamve ſit execrandum: præcipue religioſo propoſito, dicere non valemus. Hac igitur in re, quia nec * lenitas, nec aliqua debet eſſe dilatio, fraternitatem veſtram præſenti epiſtola commonemus, ut ſolicitius requiratis: & ſi querela ejus manifeſta eſſe conſtiterit, ablatarum rerum & occupatarum parochiarum reſtitutione dilectio veſtra ſine mora ſuccurri provideat, & ita omnia vobis ſolatiantibus ceſſante excuſatione, juſtitia favente recipiat; ut E nec hunc labor obſervationis afficiat, nec de ejus damno aliquid lucri invaſor acquirat. Accendat ergo vos zelus æquitatis, accendat juſtitiæ rectitudo. Ad cuſtodiendam in cunctis antiquam eccleſiaſtici ordinis diſpoſitionem, operam inſtanter impendite, diſtrictos ſoliciroſque vos inter culpas & innocentiam exhibete; quatenus & * juſtitiæ cauſſam habentibus magna de rectitudinis veſtræ ſit zelo fiducia, & inquietis de futuro omnis excedendi amputetur occaſio.

* lenitas.

* juſtitiam habentibus Paris.

## XVI. AD COLUMBUM EPISCOPUM NUMIDIÆ.

Paulum epiſcopum commendat.

*Gregorius Columbo epiſcopo Numidiæ.*

QUaliter de fraternitatis veſtræ debeamus caritate præſumere, ex mentis noſtræ quam circa vos habemus, qualitate colligimus. Nec aliter vos apoſtolicam ſedem diligere quam ipſa vos diligit arbitramur. Unde neceſſe eſt ut eos quos in eccleſia beati Petri apoſtolorum principis, ut oportet, devotos eſſe cognoſcimus, vobis, cujus vitam & actio ſacerdotis ornat & dignitas, peculiarius commendamus, de cujus ſcilicet ſinceritate firmum experimentum de præteritis jam tenemus. Frater igitur & coepiſcopus noſter Paulus præſentium portitor, quantis illic fluctibus quantiſque adverſitatibus quatiatur, ſanctitatem veſtram memorat non latere. Qui quoniam querelas quas de eo ad vos perveniſſe ſignaſtis, non veras eſſe, ſed inſtigatione adverſantium contra ſe aſſerit excitari, & omnia ſe fidit patrocinante veritate, vobis cognoſcentibus, adjutore poſſe domino ſuperare: hortamur, dilectiſſime frater, ut ei, in quibus fuerit juſtitiæ ratio manifeſta, manum decenter præbere ſolatii, atque ſacerdotali eum compaſſione debeas adjuvare. Nulla ergo vos res ab æquitatis ſtudio, nulla ſuſpendat potentia perſonarum. Sed innitens præceptis dominicis, omnia quæ ſunt rectitudini adverſa contemne. In defendendis partibus juſtitiæ conſtanter inſiſte. Odia pro veritate, ſi qua ſunt, ſuſtinere non renuas; ut tanto majorem in adventu redemptoris noſtri fructum mercedis invenias, quanto ejus mandata non negligens, in favorem juſtitiæ & defenſionem impenderis.

*Menſe Martio, indictione prima.*

## XVII. AD BONIFACIUM PRIMUM DEFENSOREM.

Ut defenſores ſeptem exiſtant, qui regionariorum, notariorum & ſubdiaconorum privilegiis utantur.

*Gregorius Bonifacio primo defenſori.*

ECcleſiaſticis utilitatibus fideliter inſudantes congruæ remunerationis ſunt beneficio proſequendi, ut & nos reſpondiſſe eorum diſe obſequiis videamur, & illi ex indulta congne ſolationis gratia utiliores exiſtant. Quia igitur defenſorum officium in cauſſis eccleſiæ & obſequiis noſcitur laborare pontificum, hac eos conceſſa proſpeximus recompenſationis prærogativa gaudere; conſtituentes, ut ſicut in ſchola notariorum atque ſubdiaconorum per indultam longe retro pontificum largitatem deſunt regionarii conſtituti, ita quoque in defenſoribus ſeptem qui oſtenſa ſuæ experientiæ utilitate placuerint, honore regionario decorentur. Quos quolibet per abſentiam pontificis & ſedendi in conventu clericorum habere licen-

licentiam, honoris ſui privilegia in omnibus ſtatuimus obtinere. Præterea ſi quis ad prioris locum veniens in alia fortaſſe provincia propter utilitatem propriam degat, hunc neceſſe eſt primatus locum per omnia curare, ut ille prior defenſorum omnium poſſit exiſtere, qui & ante prioratus locum in eccleſiaſticis utilitatibus obſequiiſque pontificis non deſtitit per ſedulam præſentiam permanere. Hæc itaque conſtitutionis noſtræ decreta, quæ pro defenſorum ſunt privilegiis & ordinatione diſpoſita, perpetua ſtabilitate & ſine aliqua conſtituimus refragatione ſervari; ſive quæ ſcripto decrevimus, ſeu quæ in eis in noſtra præſentia videntur eſſe diſpoſita: nec a quoquam pontificum in totum partemve ea qualibet occaſione convelli decernimus vel mutari. Nam nimis eſt aſperum & præcipue bonis ſacerdotum moribus inimicum, niti quempiam quacumque rationis excuſatione, & quæ bene ſunt ordinata reſcindere, & exemplo ſuo docere ceteros ſua quandoque poſt conſtituta diſſolvere.

*Menſe Aprili, indictione prima.*

## XVIII. AD MARINIANUM EPISCOPUM RAVENNATEM.

Concedit privilegia monaſterio ſanctorum Joannis & Stephani in urbe Claſſitana conſtituto.

*Gregorius Mariniano epiſcopo Ravennati.*

Grat. 18. q. 2. c. Quam ſit. QUam ſit neceſſarium monaſteriorum quieti proſpicere, & de eorum perpetua ſecuritate tractare, anteactum vos officium, quod in regimine monaſterii exhibuiſtis, informat. Et ideo quia monaſterium beatorum Joannis & Stephani, quod in Claſſitana eſt civitate conſtitutum, cui communis filius Claudius abbas præeſſe dignoſcitur, multa a prædeceſſoribus veſtris præjudicia atque gravamina pertuliſſe cognovimus; oportet ut fraternitatis veſtræ proviſio eorum de futuro quietem ſalubri ordinatione diſponat; quatenus converſantes illic in Dei ſervitio, ipſius quoque gratia ſuffragante, mente libera perſeverent. Sed ne ex ea quæ magis emendanda eſt conſuetudine quiſquam illic quolibet tempore quidquam moleſtiæ præſumat inferre; neceſſe eſt ut hæc quæ inferius enumeranda curavimus, ita fraternitatis veſtræ ſtudio debeant cuſtodiri, ut ex eis non poſſit ulterius inferendæ inquietudinis occaſio reperiri. Interdicimus igitur, ut nullus (epiſcoporum aut ſecularium) ultra audeat de reditibus, de rebus vel * chartis prædicti monaſterii, vel de loco aliquo qui ad id pertinet, quocumque modo qualibet occaſione minuere, nec immiſſiones doloſas aliquas facere. Sed ſi qua forte cauſa inter Ravennatem eccleſiam & præfatum monaſterium evenerit, & pacifice non potuerit ordinari apud electos a partibus, timentes Deum, ſine voluntaria dilatione, mediis ſacroſanctis evangeliis finiatur. Defuncto vero abbate, (cujuſcumque congregationis) non extraneus niſi de eadem * converſatione, quem ſibi propriæ voluntate concors fratrum ſocietas elegerit, & qui electus fuerit, ſine dolo vel venalitate aliqua ordinetur, quod ſi aptam inter ſe perſonam invenire nequiverint, ſolerter de aliis monaſteriis ſibi ſimiliter eligant ordinandum. Neque viventi abbati quæcumque perſona qualibet occaſione in ſuo monaſterio præponatur, niſi forte extantibus, quod abſit, criminibus, quæ ſacri canones punire monſtrantur. Pariter autem cuſtodiendum eſt, ut invito ejuſdem monaſterii abbate ad ordinanda alia monaſteria, aut ad ordines ſacros vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant. Sed ſi abundantes fuerint, & ad celebrandas Deo laudes vel utilitates monaſteriorum complendas ſufficiant, abbas cum devotione de his qui ſuperfuerint offerat, quos dignos coram Deo invenire potuerit. Quod ſi ſufficienter habens dare noluerit, tunc Ravennas epiſcopus ad ordinanda alia monaſteria de his qui ſuperſunt tollat. Ad eccleſiaſticum tamen officium nullus exinde producatur, niſi quem abbas loci admonitus propria voluntate obtulerit. Quiſquis autem ex prædicto monaſterio ad eccleſiaſticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec aliquam poteſtatem, nec licentiam habeat habitandi. Obſervandum quoque eſt, ut deſcriptio rerum, aut chartarum ejuſdem monaſterii ab eccleſiaſticis fieri non debeat, ſi quando res exigit, ſed abbas loci cum abbatibus aliis rerum inventarum atteſtationem faciat. Quoties autem pro utilitate monaſterii ſui ad Romanum pontificem abbas venire vel tranſmittere forte voluerit, ei modis omnibus liceat. Præterea cum epiſcoporum adventus deſideranter a monaſteriis debeant expectari, quia tamen hoſpitandi occaſione prædictum monaſterium temporibus deceſſoris veſtri nobis fuiſſe nuntiatum eſt prægravatum; oportet ut hoc ſanctitas veſtra decenter debeat temperare, ut viſitandi exhortandique gratia ad monaſterium, quotiens placuerit, ab ejuſdem civitatis antiſtite accedatur. Sed ſic caritatis officium illic epiſcopus impleat, ut gravamen aliquod monaſterium non incurrat. Veſtram quoque fraternitatem prædictus abbas non ſolum non metuat ad monaſterium frequenter accedere, ſed etiam deſiderabiliter concupiſcat, ſciens quod per vos ſubſtantia monaſterii omnino gravari non poſſit. Data menſe Aprili, indictione prima.

## XIX. AD EUMDEM.

Claudium abbatem commendat.

*Gregorius Mariniano epiſcopo Ravennati.*

QUod communem filium Claudium abbatem latorem præſentium longa apud nos hactenus mora retinuit, res illa fecit, quod magnum nobis, ſicut noſtis, erat in verbo Dei ſolatium: quem etiam ei adhuc volueramus diutius retinere, niſi & ipſum ad ſuum monaſterium feſtinare, & nos congregationi fratrum ejus præſentiam eſſe omnino neceſſariam ſciremus. Et ideo quia illum, ſicut petiit & exigebat utilitas relaxandum eſſe proſpeximus, commendantes eum, hortamur, ut ſanctitas veſtra ſacerdotali eum affectione ſuſcipiat, paternam illi * monaſterioque ipſius caritatem, ſicut decet, impendat; benignitatis ſuæ eum conſolatione refoveat, in ejus ſe tuitionem

*Ansollis inclusa desunt in Parif.*
* carribus
*sol. inclusa desunt in Parif.*
* congregatione & infra congregatio. Parif.
* monasteriis que Parif.

inſtanter accommodet, & præſidii ſui benefi- A cio liberum ab omni inquietudine redditum, quieti & utilitatibus fratrum vacare permittat, atque peculiariter, ſicut a nobis eum ſcit diligi, diligat; quatenus & caritatis veſtræ affectum, quem olim expertus eſt, in ſe multiplicius recognoſcat, & nos in vobis inveniſſe ſe gaudeat.

## XX AD AGNELLUM EPISCOPUM.

### TARRACINENSEM.

De his qui idola colebant & arbores.

*Gregorius Agnello epiſcopo Tarracinenſi.*

PErvenit ad nos quoſdam illic, quod dici nefas eſt, arbores colere, & multa alia contra Chriſtianam fidem illicita perpetrare. Et miramur cur hoc fraternitas veſtra diſtricta emendare ultione diſtulerit. Eapropter ſcriptis vos præſentibus adhortamur, ut hos diligenti inveſtigatione perquiratis, & veritate cognita, talem in eis faciatis exerceri vindictam, quatenus & Deus placari poſſit, & aliis eorum ultio correptionis exemplum ſit. Scripſimus autem & Mauro * nunc vicecomiti ut fraternitati veſtræ in hac re debeat adhibere ſolatia, dummodo ad comprehendendos eos invenire excuſationem aliquam non poſſitis. C Quia vero comperimus multos ſe a murorum vigiliis excuſare, ſit fraternitas veſtra ſolicita, ut nullum neque per noſtrum vel eccleſiæ ſuæ nomen, aut quolibet alio modo defendi a vigiliis patiatur, ſed omnes generaliter compellantur; quatenus cunctis vigilantibus, melius auxiliante domino civitatis valeat cuſtodia procurari.

* [illegible]

## XXI. AD MARINIANUM

### EPISCOPUM RAVENNÆ.

Commendat uxorem Joannis, quæ in controverſiam ſuæ conditionis vocabatur.

*Gregorius Mariniano epiſcopo Ravennæ.*

JOannes præſentium portitor queritur uxorem ſuam, moleſtias * Gregorii cujuſdam refugientem, diu in ſeptis venerabilibus reſidere, & nullum hactenus inveniſſe ſolatium. Cujus quia de conditione eſſe controverſiam aſſerit, & veſtræ eam fraternitati petiit commendandam, his vos hortamur afflatibus, ut eidem mulieri, ſervata æquitate, debeatis tuitionem impendere, & a nullo eam contra rationis ordinem gravari aliquo modo permittatis. Sed ſi de ſtatu ejus quæſtio perſeverat, ſtudii veſtri E ſit, ut ſine oppreſſione aliqua, legali modo ad judicium veniatur; quatenus dum veritate cognita quod juris ordo ſuaſerit fuerit definitum, neutra te pars aliquod doleat præjudicium pertuliſſe.

* al. Georgii

*Menſe Maio, indictione prima.*

## XXII. AD JOANNEM EPISCOPUM

### SYRACUSANUM.

De Felice quodam Chriſtiano a Samaræi ſervitio liberato

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

FElix præſentium portitor queſtus nobis eſt, cum ſit de Chriſtianis natus parentibus, a quodam Chriſtiano Samaræo ſe, quod dici B ſcelus eſt, eſſe donatum. Et dum hujuſmodi ſuperſtitionis homines Chriſtiana quolibet modo mancipia poſſidere nec ratio legis nec reverentia religionis admittat; ſe tamen per decem & octo annos in ejus aſſerit ſervitio permanſiſſe. Sed cognoſcente hoc ſanctæ memoriæ deceſſore veſtro Maximiano, ab eo ſe, zelo, ſicut decuit, ſacerdotali commoto, de Samaræi ſervitio nefario dicit liberatum. Sed quia ejuſdem Samaræi filius poſt quinque annos factus dicitur Chriſtianus, & ſupradictum Felicem in ejus ſervitium, quantum ipſe dicit, quidam nituntur redigere, ſanctitas veſtra hæc quæ edocti ſumus diligenter inquirat: & ſi ita ei eſſe conſtiierit, eum tueri ſtudeat, & a nullo ſub qualibet occaſione gravari permittat; quia * dum ſuperſtitioſæ ſectæ mancipia dominos ſuos ad fidem præcedentia ſervitio eorum aperte redigi jura prohibeant, quanto magis hic de Chriſtianis parentibus natus, & factus a parvulo Chriſtianus, hanc non debet quæſtionem aliquo modo ſuſtinere, maxime quia nec patris ejus eſſe ſervus potuit, quem liquet ex prava potius præſumptione pœnam poſſe venientem de legibus ſuſtinere. Et ideo, ſicut diximus, ita eum ſanctitatis veſtræ defenſio rationabiliter tueatur, ut nulli eum ſub quolibet argumento ſit aliquatenus affligendi licentia.

Ivo part. 13. cap. 103. Joann. diac. lib. 4. c. 48

* cum.

## D XXIII. AD RUSTICIANAM.

Hortatur ut Romam veniat. Et de pretio in captivos expenſo.

*Gregorius Ruſticianæ patriciæ.*

JAmdudum veſtræ excellentiæ me ſcripſiſſe, & ſæpius monuiſſe reminiſcor, ut beati Petri apoſtolorum principis limina revidere feſtinet. Et quæ tanta ſit Conſtantinopolitanæ civitatis delectatio, quæve Romanæ urbis oblivio, ignoro: obtinere apud vos hac re nunc uſque nihil merui. Quantum enim ad colligendas æternæ vitæ mercedes veſtræ animæ expedire poſſit, quantum etiam glorioſæ veſtræ filiæ domnæ Euſebiæ in omnibus congruat, & nos ſubtiliter attendimus, & vos conſiderare ſubtilius poteſtis. Filium vero meum Petrum hominem veſtrum, quem ultra ætatem ſuam ſapere, & maturitati ſtudere cognovi, ſi requiſitis, invenietis quantus hic omnium habitantium circa excellentiam veſtram amor ſit, quantumque deſiderium, ut vos revidere mereantur. Et ſi præcipiente domino ſacris eloquiis admonemur, ut etiam inimicos diligere debeamus, penſandum nobis eſt quantæ culpæ ſit

ſit etiam amantes minime errare. At ſi forte A dicitur quod amemur, nos certiſſime ſcimus, quia nemo poteſt diligere quos non vult videre. Sin vero gladios Italiæ ac bella formidatis, ſolicite debetis aſpicere quanta beati Petri apoſtolorum principis in hac urbe protectio eſt, in qua ſine magnitudine populi, & ſine adjutoriis militum, tot annis inter gladios illæſi, Deo auctore ſervamur. Hæc nos, quia amamus vos, dicimus. Sed omnipotens Deus quidquid animæ veſtræ in perpetuum, quidquid opinioni domus in præſenti conſpicit expedire, concedat. Decem vero auri libras, quas in captivorum redemptionem excellentia veſtra tranſmiſit, præfato filio meo deferente ſuſcepi. Sed peto ut ſuperna gratia, quæ vo- B bis conceſſit eas pro animæ veſtræ mercede tribuere, mihi etiam concedat ſine aliquo peccati contagio diſpenſare, ne unde vos peccata detergitis, nos inde maculemur. Omnipotens Deus qui debilitatem corporis veſtri & peregrinationem veſtram conſpicit, de ſua ſemper gratia & dulciſſimi filii mei domni Strategii vos vita & ſalute conſoletur, quatenus eum & vobis per longa tempora, & ſibi ad æternitatem nutriat, voſque cum omni domo veſtra, & bonis præſentibus repleat, & ſupernam gloriam habere concedat. Glorioſum vero domnum Eudoxium noſtra petimus vice ſalutari.

## XXIV. AD FAUSTINUM

### DEFENSOREM.

De converſione Judæorum in Agrigentino territorio.

*Gregorius* * *Fauſtino defenſori.*

DOmina abbatiſſa monaſterii ſancti Stephani, quod in Agrigentino eſt territorio conſtitutum, indicante comperimus, multos Judæorum ad Chriſtianam fidem divina gratia inſpirante velle converti, ſed eſſe neceſſarium ut aliquis illuc ex noſtro mandato debeat proficiſci. Proinde hujus tibi auctoritatis tenore præcipimus, ut omni excuſatione ſubmota, ad prædictum locum pergere, & deſiderium eorum tuis, Deo propitio, adhortationibus adjuvare feſtines. Quibus tamen ſi longum vel triſte videtur ſolennitatem ſuſtinere paſchalem, & eos nunc ad baptiſma feſtinare cognoſcis, ne, quod abſit, longa dilatio eorum retro poſſit animos revocare, cum fratre noſtro epiſcopo loci ipſius loquere, ut pœnitentia ac abſtinentia quadraginta diebus indicta, aut die dominico, aut ſi celeberrima feſtivitas fortaſſis occurrerit, eos omnipotentis Dei miſericordia protegente baptizes: quia & temporis qualitas propter eam quæ ſibi imminet cladem, impellit ut deſideria eorum nulla debeant dilatione differri. Quoſcumque vero ex eis pauperes, & ad veſtem ſibi emendam non ſufficere poſſe cognoſcis, te eis veſtem, quam ad baptiſma habeant, comparare volumus ac præbere: in quibus pretium quod dederis tuis noveris rationibus imputandum. Si vero ſanctum paſcha elegerint expectare, iterum cum epiſcopo loquere, ut modo quidem catechumeni fiant, atque ad eos frequenter accedat, geratque ſolicitudinem, & animas eorum admonitione A ſuæ adhortationis accedat: ut quanto * expectatur eis longa feſtivitas, tanto ſe præparare & eam deſiderio ferventi debeant ſuſtinere. Præterea cum omni ſtudio ac diligentia ſtudii tui ſit perſcrutari, utrum ſupradictum monaſterium, cui ante dicta Domina præeſt, ſufficiens ſibi ſit, an neceſſitatem aliquam patiatur. Et quidquid in veritate cognoveris, vel quid de his qui baptizari deſiderant actum fuerit, nobis ſubtiliter indicare feſtina.

*Menſe Junio, indictione prima.*

## XXV. AD SABINIANUM EPISCOPUM

### JADERTINUM.

Obedientiam ejus laudat, & ob contumaciam Maximi turbari non debere ſuadet.

*Gregorius Sabiniano epiſcopo Jadertino.*

SAtis, frater cariſſime, de ſinceritate tua lætificor, quod eam ſoliciti diſcretione judicii & ubi obediendum eſt obedire, & ubi reſiſtendum eſt reſiſtere, ſtudio ſacerdotali cognoſco. Cum quanta namque te devotionis alacritate ſubmiſeris his quæ ob culpam præteriti exceſſus indiximus, literarum tuarum, quas per latorem præſentium direxiſti, pagi- C na * ſervavit. Nec enim poterat aliter a dilecto fratre ſuſcipi, quam a diligente mandatum eſt. Unde in omnipotentis Dei miſeratione confido, quia ita eum te gratia protegit, ut per hoc etiam ab aliis abſolutus ſalubriter paruiſſe te gaudeas. De hoc vero quod ſe contriſtari caritas tua Maximi prævaricatoris & excommunicati æmulatione ſignavit, turbari non debet, ſed decet ut ad modicum tumentes inaniter fluctus patienter tolerando ſuſtineas: & undarum ſpumas perſeverantiæ virtute ſubſternas. Novit enim patientia levigare quod grave eſt, & conſtantia ſuperare quod ſævit. Animos ergo tuos adverſitas non dejiciat, ſed accendat. Audaciorem te in omnibus D vigor ſacerdotalis oſtendat. Nam vera documenta * veritatis ſunt, promptiorem in duris, & fortiorem ſe quemquam in contrariis exhibere. Ut igitur rectitudinis robur a bono deliberationis ſuæ nulla valeat impulſione convelli, mentis greſſus in ejus petræ ſoliditatem, ſicut cœpiſtis, dirigite, in qua redemptorem noſtrum per totum mundum fundaſſe noſti eccleſiam, quatenus recta ſinceri cordis veſtigia in devio itinere non offendant. Ea vero quæ nobis ſcripſiſtis, vel præſentium lator coram poſitus explicavit, nos non credatis negligenter omittere, ſed de his omnino ſolicite cogitamus. Dilectiſſimo autem filio noſtro Anatolio diacono jam & prius & nunc iterum E omnia ſubtiliter indicavimus, hortantes ut quidquid ad utilitatem ac quietem caritatis veſtræ vel filiorum veſtrorum pertinet, creatoris noſtri auxilio ſuffragante * augere ſtrictè ac ſtudioſe feſtinet. Et ideo fraternitatem veſtram nec mœror afficiat, nec inimicitia cujuslibet affligat. Nam divinitatis gratia opitulante in proximo adeſſe confidimus, ut præfati prævaricatoris & excommunicati præſumptio diſtrictius reprimatur, & veſtra quies, ſicut deſideratis, adveniat. Excellentiſſimo quoque filio noſtro exarcho, qui nobis cum ſtudet com-

* Fauſtino. Ita in Pariſ. Joann. diac. lib. 2. c. 40.

* quo expectatur, elongetur feſtivitas Pariſ.

* celeravit. Pariſ.

* vincula

* agere Pariſ.

mendare, de pravitate ipſius ſcribere nequa- A
quam omiſimus. Presbyterum vero, de quo
nos fraternitas tua latoris præſentium relatio-
ne conſuluit, nulla ratione in ſacro ordine
poſt lapſum aut permanere aut revocari poſſe
cognoſcas. Circa quem tamen mitius agendum
eſt, propterea quod commiſſum facinus facili
dicitur profeſſione confeſſus. Præterea pariter
hic portitor quædam eccleſiæ veſtræ privilegia
a noſtris conceſſa prædeceſſoribus intimavit.
De quibus ſcriptis caritatis veſtræ nos ſubtilius
volumus informari, vel ſi qua ex eis ſcripta
in eccleſiæ veſtræ ſcrinio rejacent, eorum huc B
exemplaria tranſmitti neceſſe eſt, ut quidquid
ad honoris veſtri reverentiam vel gentium
præfatæ eccleſiæ pertinet, libenti animo parare
poſſimus. Glorioſo autem communi filio do-
mno Marcello, ſi huc venire voluerit, inſtan-
tius ſuadere, quia omnino eum videre deſide-
ro. Si vero illic ſtare elegerit, ita vos ei in
caritate qua convenit exhibete, ut affectui
ipſius quem circa vos habet reſpondere, ſicut
condecet, valeatis. Omnipotens Deus gratiæ
ſuæ dono vos & cuſtodia protegat, & cor ve-
ſtrum in ea quæ ei ſunt placita ſemper accendat.

## XXVI. AD VICTOREM EPISCOPUM

### PANORMITANUM.

De Judæis non opprimendis injuſte.

*Gregorius Victori epiſcopo Panormitano.*

SIcut Judæis non debet eſſe licentia quidquam
in ſynagogis ſuis ultra quam permiſſum eſt
lege præſumere: ita in his quæ eis conceſſa
ſunt, nullum debent præjudicium ſuſtinere.
Quæ autem nobis in hac urbe Romana habi-
tantes Hebræi pro his qui Panormi degunt
conqueſti ſunt, data vos ab eis petitio, quæ
in ſubditis tenetur, informat. Si igitur queri- D
monia eorum veritate fulcitur, oportet ut fra-
ternitas veſtra, legis ſerie diligenter inſpecta;
ita eis quidquid hac de re decretum eſt cuſto-
dire debeat ac ſervare, ut nec ipſa aliquid in-
juſtum facere, nec illi pati præjudicium videan-
tur. Si vero eſt aliquid quod ad reſtituendum
ea quæ ſunt poſtulata rationabiliter poſſit ob-
ſiſtere, judices a partibus eligantur, qui ea
quæ æquitati conveniunt valeant definire. Quod
ſi forte illic contentio ipſa finiri nequiverit,
ad nos venire cauſſam neceſſe eſt; quatenus
ſine veſtra invidia quæ amica juſtitiæ viſa fu-
erint decernantur. Quouſque ergo cauſa ipſa
finem accipiat, a conſecratione locorum quæ E
ablata dicuntur fraternitas ſe veſtra ſuſpendat.

## XXVII. AD JOANNEM EPISCOPUM

### SYRACUSANUM.

De clericis ſacra vaſa vendentibus.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

QUia pervenit ad nos, quod quidam ex Ita-
liæ * eccleſiis clerici vaſa ſacra in Sici-
lia venumdarunt, idcirco Pantaleonem nota-
rium noſtrum direximus, ut eadem vaſa ſoli-
cita * inveſtigatione requireret. Qui poſtquam
in veſtræ ſanctitatis eſt obſequio occupatus,
eamdem cauſſam eum cognovimus neglexiſſe.
Oportet ergo ut fraternitas veſtra congrua de-
beat ſolicitudine providere, ut tempore quo
utile eſſe crediderit, eum ad peragenda ea ipſa
debeat relaxare; quatenus & ipſa de illo poſ-
ſit habere ſolatium, & ipſe ſalubriter va-
leat quæ ſibi ſunt mandata Deo adjuvante per-
agere: quia neceſſe eſt ut indictione ſubſequen-
ti huc veniat, & ſubtiliter nos coram poſitus
de cunctis informet.

* eccleſiis Pa...

## XXVIII. AD JOANNEM EPISCOPUM

### SYRACUSANUM.

De præſumptione clericorum Catanenſium,
qui in eccleſia campagis calceati
incedebant.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

ECcleſiaſtici vigoris ordo confunditur, ſi aut
temere illicita præſumantur, aut impune
non conceſſa tententur. Pervenit itaque ad nos
diaconos eccleſiæ Catanenſis calceatos campa-
gis procedere præſumpſiſſe: quod quia nulli
hactenus per totam Siciliam licuit; niſi ſolis
tantummodo diaconis eccleſiæ Meſſanenſis,
C quibus olim a prædeceſſoribus noſtris non du-
bitatur eſſe conceſſum, bene recolitis. Quia
ergo tantæ temeritatis auſus non eſt leviter at-
tendendus, cum omni hoc fraternitas veſtra ſub-
tilitate perquirat: & ſi ita ſicut ad nos per-
venit, invenerit, * verum eſſe, utrum vel a.
ſe, vel alicujus hoc auctoritate præſumpſerint,
nobis ſubtiliter innoteſcat; ut cognita verita-
te, quid fieri debeat diſponamus. Nam ſi ne-
gentur ea quæ male uſurpantur omittimus, ex-
ceſſus viam aliis aperimus.

* Deeſt in Vat. nis verum eſſe.

*Menſe Junio, indictione prima.*

D

## XXIX. AD EULOGIUM EPISCOPUM.

### ALEXANDRINUM.

De libris Euſebii, & lignis tranſmiſſis.

*Gregorius Eulogio epiſcopo Alexandrino.*

UTilis ſemper eſt docti viri allocutio; quia
aut diſcit audiens quod neſcire ſe nove-
rat, aut cognoſcit, quod eſt amplius, id quod
ſe & neſciſſe neſciebat. Quia in re ex audien-
tium numero ego nunc factus ſum, cui ſan-
ctiſſima veſtra beatitudo ſcribere ſtuduit, ut
E cunctorum martyrum geſta, quæ piæ memoriæ
Conſtantini temporibus ab Euſebio Cæſarienſi
collecta ſunt, tranſmittere debeamus. Sed hæc
neque ſi collecta * ſint, neque ſi ſint, ante ve-
ſtræ beatitudinis ſcripta cognovi. Ago ergo
gratias, quia ſanctiſſimæ veſtræ doctrinæ ſcri-
ptis eruditus cœpi ſcire quod neſciebam. Præ-
ter illa enim quæ in ejuſdem Euſebii libris de
geſtis ſanctorum martyrum continentur, nulla
in archivo hujus noſtræ eccleſiæ, vel in Ro-
manæ urbis bibliothecis eſſe cognovi, niſi pau-
ca quædam in unius codicis volumine collecta.
Nos autem pene omnium martyrum, diſtin-
ctis per dies ſingulos paſſionibus, collecta in
uno codice nomine habemus, atque quotidia-
nis diebus in eorum veneratione miſſarum ſo-
lemnia

* ſint, neque ſi non ſint &c. Pariſ.

lennis agimus. Non tamen in eodem volumi-
ne quis qualiter ſit paſſus indicatur, ſed tan-
tummodo nomen, locus & dies paſſionis po-
nitur. Unde fit ut multi ex diverſis terris at-
que provinciis per dies, ut prædixi, ſingulos
cognoſcantur martyrio coronati. Sed hunc ha-
bere vos beatiſſimos credimus. Ea vero quæ
Ioann. diac. lib. 3. c. 26.
tranſmitti voluiſtis, quærentes quidem non in-
venimus, ſed adhuc non invenientes quæri-
mus, & ſi potuerint inveniri tranſmittemus.
De lignis autem, quod ſcribitis quia brevia
fuerint, navis per quam tranſmiſſa ſunt quali-
tas fecit: quia ſi major navis veniſſet, potui-
mus ligna etiam majora tranſmittere. Quod B
autem dicitis, quia ſi majora tranſmittimus,
pretium dabitis; largitati quidem gratias agi-
mus, ſed accipere pretium, evangelio interdi-
cente, prohibemus. Nos enim ea quæ tranſ-
mittimus ligna non emimus, & quomodo poſ-
ſumus pretium accipere, cum ſcriptum ſit:
*Gratis accepiſtis, gratis date?* Nunc ergo juxta
Matth. 16.
modum navis per nauclerum parva ligna tranſ-
miſimus, quorum notitia ſubter annexa eſt.
Sequenti vero anno, ſi omnipotenti Deo pla-
cuerit, majora præparabimus. Benedictionem
ſancti Marci evangeliſtæ, imo, quod eſt ve-
rius, ſancti Petri apoſtoli in ea dulcedine qua
eſt tranſmiſſa ſuſcepimus, & ſalutationis allo-
quium perſolventes, petimus ut beatitudo ve-
ſtra pro nobis orare dignetur, quatenus & a
malis præſentibus mereamur citius eripi, & a C
futuris gaudiis non excludi.

## XXX. AD EULOGIUM EPISCOPUM

### ALEXANDRINUM.

Agit de converſione gentis Anglorum, comme-
moratque in ſancta Chalcedonenſi ſynodo pa-
pam Romanum univerſalem appellatum fuiſſe.

*Gregorius Eulogio epiſcopo Alexandrino.*

COmmunis filius præſentium lator ſanctita- D
tis veſtræ ſcripta deferens, ægrum me re-
perit, ægrum reliquit: qua ex re contigit ut
ad largum veſtræ beatitudinis fontem brevis
epiſtolæ meæ vix parva potuiſſet aqua reſunda-
re. Superni autem muneris fuit, ut in dolore
corporis poſitus ſuaviſſima veſtræ ſanctitatis
ſcripta ſuſciperem, quæ me de doctrina Ale-
xandrinæ * eccleſiæ, de converſione hæretico-
rum, de concordia fidelium ſublimiter lætifi-
* urbis hæreticorum, & de concordia &c. Pariſ.
caret, quatenus ipſa mentis lætitia immanita-
tem mihi moleſtiæ temperaret. Et quidem de
bonis veſtris nova ſemper exultatione gaude-
mus, ſed tamen ita vos perfecte agere, nova
De Anglorum converſione.
eſſe nullo modo deputamus. Quod enim cre-
ſcit ſanctæ eccleſiæ populus, quod ad cœleſte
horreum ſpiritales ſegetes multiplicantur, hoc E
de omnipotentis Dei gratia, quæ in beatiſſi-
mis vobis large influit, nunquam habuimus
incertum. Gratias itaque omnipotenti Deo ſol-
vimus, quia impletum videmus in vobis eſſe
quod ſcriptum eſt: *Ubi plurimæ ſegetes, ibi ma-
nifeſta eſt fortitudo boum.* Si enim bos fortis
Prov. 14.
aratrum linguæ in terram cordis audientium
Eulogium fuiſſe in cauſa miſſionis Auguſtini. Is in Germania factus eſt epiſcopus.
non traxiſſet, tanta fidelium ſeges minime ſur-
rexiſſet. Sed quoniam vere in bonis quæ agitis
* accreſcit quod & aliis congaudetis, veſtræ vobis
* icio quod ec. Pariſ.
gratiæ vicem reddo, & non diſſimilia nuntio:
quia dum gens Anglorum in mundi angulo
A poſita, in cultu lignorum ac lapidum perfidia
nunc uſque remaneret, ex veſtræ mihi oratio-
nis adjutorio placuit, ut ad eam monaſterii
mei monachum in prædicationem tranſmittere
Deo auctore debuiſſem. Qui data a me licen-
tia, a Germaniarum epiſcopis epiſcopus factus,
cum eorum quoque ſolatiis ad prædictam gen-
tem in finem mundi perductus eſt, & jam nunc
de ejus ſalute & opere ad nos ſcripta perve-
nerunt; quia tantis miraculis vel ipſe vel hi
Auguſtini & aliorum miracula. Plus quam decem Angli uno die baptizati.
qui cum eo tranſmiſſi ſunt in gente eadem
coruſcant, ut apoſtolorum virtutes in ſignis
quæ exhibent imitari videantur. In ſolennita-
te autem dominicæ nativitatis quæ hac prima
indictione tranſacta eſt, plus quam decem mil-
lia Angli * ab eodem nuntiati ſunt fratre & co-
* Anglorum
epiſcopo noſtro baptizari. Quod idcirco narra-
vi, ut cognoſcatis quid in Alexandrino populo
loquendo, & quid in mundi finibus agitis
orando. Veſtræ enim orationes ſunt in eo lo-
co ubi non eſtis, quorum operationes ſanctæ
monſtrantur in eo loco in quo eſtis. Præter-
ea de Eudoxii hæretici perſona, de cujus er-
Eudoxii [illegible]
rore in Latina lingua nihil reperi, mihi a ve-
ſtra beatitudine largiſſime gaudeo ſatisfactum.
Virorum quippe fortiſſimorum Baſilii, Grego-
rii, atque Epiphanii teſtimonia protuliſtis, &
Hæreſes Conſtantinopolitanæ ſuppreſſæ.
manifeſte peremptum cognoſcimus eum in quem
heroes noſtri tot jacula dederunt. De his ve-
ro erroribus qui nunc in Conſtantinopolitana
eccleſia probantur exorti, doctiſſime omnia,
& ut judicium tantæ ſedis proferre decuit, reſ-
pondiſtis. Unde omnipotenti Deo gratias agi-
mus, quia adhuc arcæ Dei inſunt tabulæ te-
ſtamenti. Quid eſt enim ſacerdotale cor niſi arca
teſtamenti? in qua quia ſpiritalis doctrina viget,
proculdubio tabulæ legis jacent. Indicare quo-
que veſtra beatitudo ſtuduit, jam ſe quibuſ-
dam non ſcribere ſuperba vocabula, quæ ex
vanitatis radice prodierunt, & mihi loquitur
dicens: Sicut juſſiſtis. Quod verbum juſſionis
peto a meo auditu removete; quia * quis ſum,
* ſic qui ſum Pariſ.
qui eſtis. Loco enim mihi fratres eſtis, mori-
bus patres. Non ergo juſſi, ſed quæ utilia vi-
Iubendi & univerſalis papæ titulum rejicit Gregorius
ſa ſunt indicare curavi. Non tamen invenio
veſtram beatitudinem, hoc ipſum quod me-
moriæ veſtræ intuli, perfecte retinere voluiſſe.
Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri
tale aliquid ſcribere debere. & ecce in præfa-
tione epiſtolæ, quam ad meipſum qui prohi-
bui direxiſtis, ſuperbæ appellationis verbum,
univerſalem me papam dicentes, imprimere
curaſtis. Quod peto dulciſſima mihi ſanctitas
veſtra ultra non faciat; quia * nobis ſubtra-
* vobis Pariſ.
hitur quod alteri plus quam ratio exigit præ-
betur. Ego enim non verbis quæro proſpera-
ri, ſed moribus. Nec honorem eſſe deputo,
in quo fratres meos honorem ſuum perdere
cognoſco. Meus namque honor eſt honor uni-
verſalis eccleſiæ. Meus honor eſt, fratrum meo-
rum ſolidus vigor. Tunc ergo vere honoratus
ſum, cum ſingulis quibuſque honor debitus
non negatur. Si enim univerſalem me papam
veſtra ſanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe quod
me fatetur univerſum. Sed abſit hoc. Rece-
dant verba quæ vanitatem inflant, & carita-
tem vulnerant. Et quidem in ſancta Chalce-
donenſi ſynodo, atque poſt a ſubſequentibus
patribus hoc deceſſoribus meis oblatum veſtra
ſanctitas novit. Sed tamen nullus eorum uti
hoc unquam vocabulo voluit, ut dum in hoc
mundo honorem ſacerdotum diligerent om-
nium,

nium, apud omnipotentem Deum cuſtodirent ſuum. Proinde debitum ſalutationis alloquium ſolvens peto, ut in ſanctis orationibus veſtris mei memores eſſe dignemini, quatenus a peccatorum meorum nexibus, quia meis meritis non valeo, veſtris interceſſionibus me dominus abſolvat.

## XXXI. AD SECUNDUM EPISCOPUM TAUROMINITANUM.

De querimonia monachorum monaſterii Caſtellienſis.

*Gregorius Secundino epiſcopo Tauromnitano.*

QUerimoniam monachorum monaſterii Caſtellienſis oblata ab eis petitio, quæ tenetur in ſubditis, patefecit. Proinde fraternitas veſtra hæc quæ aſſerunt ſolicita perſcrutari cura ſtudeat. Et ſi ea invenerit veritate ſubſiſtere, rationem tuitionis illis impendat, & monaſterium, quod monaſterio eorum unitum eſt, ſecundum conſuetudinem deputatis de congregatione eorum illic monachis provideat ordinari: quia rationis ordo non patitur ut monaſterium ipſum & maxime contra voluntatem fundatorum, ab eorum diſpoſitione ad arbitrium ſuum præſertim laica perſona ſubducat, aut aliquis ſibi in id jus debeat vendicare.

## XXXII. AD DOMINICUM EPISCOPUM CARTHAGINENSEM.

De laude caritatis.

*Gregorius Dominico epiſcopo Carthaginenſi.*

SCripta ſanctitatis veſtræ, quæ latore præſentium deferente ſuſcepimus, ita ſacerdotalem modeſtiam loquebantur, ut auctoris ſui corporalem nobis quodammodo præſentiam blandirentur. Nec enim ſermo rarus aliquid officit, ubi manet in animis continuus dilectionis affectus. Magna autem caritas virtus eſt, dilecte frater, ſinceritatis ſuæ vinculo alterna mutuo affectu corda conſtringit, & ea gratiæ non ſinit compage diſſolvi, disjuncta conjungit, unita cuſtodit, & ignotos ſibi imagine reddit cognitos per amorem. Quiſquis igitur in hujus cardine mentem figit, cum de ſupernæ patriæ habitaculo cujuslibet adverſitatis impulſio non evellit; quoniam quocumque ſe verterit a mandatorum limite non excedit. Unde & in ejuſdem caritatis laude per egregium prædicatorem dicitur: *Quæ eſt vinculum perfectionis*. Quantæ itaque ſit laudis aſpicimus, quæ perfectionem non ſolum in mente generat, ſed etiam ligat. Quia igitur hujus virtutis igne ſuccenſum tuarum te prodit locutio literarum, uberi in domino exultatione lætificor, atque opto ut hæc in te magis magiſque reſplendeat; quia lux gregis flamma eſt paſtoris. Decet enim * paſtorem, decet dominicum ſacerdotem moribus, & vita clareſcere; quatenus in eo tanquam in vitæ ſuæ ſpeculo plebs commiſſa & eligere quod ſequatur, & videre poſſit quod corrigat. Scientes præterea unde in Africanis partibus ſumpſerit ordinatio ſacerdotalis exordium, laudabiliter agitis quod ſedem apoſtolicam diligendo ad officii veſtri originem prudenti recordatione recurritis, & probabili in ejus affectum conſtantia permanetis. Certum quippe eſt, quia veſtro honori additis, * quidquid reverentiæ ac devotionis ordini ſacerdotali exhibetis; quia per hoc ut vicaria erga vos dilectione adſtringi debeat invitatis. Quod ſupereſt, cariſſime frater, omnipotentem dominum aſſiduis oratione poſcamus; quatenus cordis noſtri greſſus in veritatis ſuæ tramitem dirigat, & ut ad cæleſtia regna perducat, nominis officium protectionis ſuæ gratia operibus nos exhibere concedat.

Coloſſ. 3.

* paſtorem deeſt in Pariſ.

* quidquid ei reverentiæ, ac devotionis ſacerdotaliter exhibetis. Pariſ.

*Menſe Auguſto, indictione prima.*

## XXXIII. AD JOANNEM EPISCOPUM SQUILLATINUM.

De oppreſſione monachorum Caſtellienſis monaſterii.

*Gregorius Joanni epiſcopo * Squillatino.*

* Scyllaceno.

GRave nimis & contra ſacerdotale conſtat eſſe propoſitum, velle cujuſquam monaſterii privilegia olim indulta confundere, & ad irritum quæ ſunt pro quiete diſpoſita niti deducere. Queſti itaque nobis ſunt monachi Caſtellienſis monaſterii, quod in fraternitatis veſtræ civitate eſt conſtitutum; quia eidem monaſterio quædam contra ea quæ a prædeceſſoribus veſtris * promiſſa ac conſuetudine longa ſervata ſunt feſtinetis ſuperinducere, & antiquam ordinationem quadam præjudicii novitate turbare. Proinde his fraternitatem veſtram hortamur affatibus, ut, ſi ita eſt, ab ejus moleſtia ſe ſine aliqua excuſatione contineat, & quæ ei ſunt diutius cuſtodita, nullius occaſionis tentet uſurpatione convellere: ſed cuncta illibate, & ſine aliqua ſtudeat refragatione ſervare, & plus ſibi in eodem monaſterio, quam prædeceſſoribus ſuis licuit, noverit non licere. Quia vero pariter queſti ſunt fraternitatem tuam quædam de monaſterio ſub xenii quaſi ſpecie abſtuliſſe: neceſſe eſt ut ſi quid te indecenter recolis accepiſſe, ſine dilatione reſtituas, ne avaritiæ te graviter culpa redarguat, quem largum erga monaſteria ſacerdotalis magis debuerat munificentia demonſtrare. Servatis itaque omnibus, quæ a tuis, ſicut diximus, prædeceſſoribus * promiſſa ſunt ac ſervata, curæ tuæ ſit circa actus ac vitam conſiſtentium illic monachorum te vigilantem inſiſtere; & ſi quempiam illic prave converſari, aut in aliquam immunditiæ, quod abſit, culpam inveneris incidiſſe, diſtricta ac regulari emendatione corrigere. Nam ſicut ab iis quæ incongrue uſurpantur fraternitatem veſtram volumus abſtinere, ita in his quæ ad diſciplinæ rectitudinem vel animarum cuſtodiam pertinent, eſſe ſolicitam modis omnibus admonemus. Indicaverunt etiam prædicti monaſterii monachi, caſtrum quod Squillitanum dicitur, in ſolo juris monaſterii eorum eſſe ſundatum, atque ob hoc habitantes illic ſactis libellis ſolatium annis ſingulis ſpopondiſſe perſolvere, ſed poſtea contempſiſſe, & ab eadem ſe præſtatione ſupervacue ſuſpendiſſe. Fraternitas ergo veſtra ſubtiliter veritatem curet addiſcere, & ſi ita repe-

* permiſſa Pariſ.

* permiſſa Pariſ.

reppererit, inſtanter ſtudeat ut ea quæ promi-ſerunt, quia & ratio exigit, præbere non dif-ferant; quatenus & illi quiete quod tenent poſ-ſideant, & monaſterii jura præjudicium non incurrant. Præterea queſti nobis ſunt prædicti monaſterii monachi, abbatem ſuum terram in-tra Squillitanum caſtrum, quæ in ſexcentos pedes extenditur, ſub prætextu fabricandæ ec-cleſiæ fraternitati tuæ donationis titulo conceſ-ſiſſe, & ideo volumus, quantum parietes poſ-ſunt ædificatæ eccleſiæ circumdare, juri eccle-ſiæ vendicari. quidquid vero extra parietes ejuſdem eccleſiæ eſſe potuerit, ad jura mona-ſterii ſine difficultate aliqua revertatur; quia nec mundanarum legum, nec ſacrorum cano-num ſtatuta permittunt res monaſterii de jure ejus quolibet titulo ſegregari. Eapropter dona-tionem ejuſdem terræ, quæ contra rationem facta eſt, ſine aliqua dilatione reſtitue.

## XXXIV. AD LEONTIUM

### EXCONSULEM.

De cæleſti Jeruſalem & Babylone.

*Gregorius Leontio exconſuli.*

2. Tim. 2. QUia in magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam; quis ignoret quod & in univerſæ eccleſiæ ſinu alii velut vaſa contumeliæ rebus deputantur infirmis, alii vero ut honoris vaſa rebus aptantur mundis? Et tamen plerumque contingit, ut & cives Babyloniæ in angaria ſerviant Jeruſalem, & cives Jeruſalem, id eſt, cæleſtis patriæ, in angaria deputentur Babyloniæ. Cum enim electi Dei magnis moribus præditi, modeſtia ornati, lucra propria non quærentes, terrenis deputantur rebus, quid aliud quam ſanctæ Jeruſalem cives in Babyloniæ opere ſerviunt? Et cum quidam in pravis moribus effrenati locum ſancti honoris tenent, atque in ipſis quæ benefacere videntur propriam laudem quærunt, quid aliud quam cives Babyloniæ ſupernæ Jeruſalem angarias exolvunt? Sic enim Judas apoſtolis admixtus diu redemptorem humani generis prædicavit, ſigna cum ceteris fecit. Sed quia Babyloniæ civis fuerat, Jeruſalem cæleſti opus ſuum in angaria perſolvit. At contra Joſeph in Ægyptum ductus terreno palatio ſervivit, curam miniſterii in rebus temporalibus geſſit, quidquid juſte regno tranſitorio debebatur, exhibuit. Sed quia ſanctæ Jeruſalem civis extitit, ſervitium Babyloniæ in ſola, ut prædictum eſt, angaria miniſtravit. Hujus ergo, bone vir, eſſe te ſequacem credo, quem terrenis actibus implicatum, manſueto ſpiritu agere, humilitatis arcem per omnia cuſtodire, & ſingulis quæ juſta ſunt tribuere cognoſco. Tanta enim de veſtra gloria a multis bona referuntur, ut mihi hæc non libeat audire, ſed cernere; ejus tamen, quem videre non licet, bona me paſcit opinio. Sanctæ autem eccle-

Matth. 26. ſiæ, id eſt, omnium electorum typum tenens mulier, quæ alabaſtrum fudit, domum replevit * unguento. Et nos quotiens de bonis aliquid audimus, ſuavitatis auram quaſi per naſ-

* odore unguenti.

2. Cor. 2. rem trahimus. Et Paulus apoſtolus cum diceret, *Chriſti bonus odor ſumus Deo*, patenter * datur intelligi, quia ſaporem ſe quidem præſentibus, ſed odorem abſentibus exhibebat. Nos itaque qui per præſentiæ ſaporem non poſſumus, per odorem veſtræ abſentiæ nutrimur. De hoc etiam valde gaudemus, quod munera quæ tranſmiſiſtis veſtris moribus diſſimilia non fuerint. Oleum quippe ſanctæ Crucis & aloes lignum ſuſcepimus: unum quod tactu benedicat, aliud quod incenſum bene redoleat. Decebat igitur ut bonus vir ea tranſmitteret, quæ iram nobis domini placare potuiſſent. Alia quoque in cellariis multa miſiſtis; quia ſicut & mente & carne ſubſiſtimus, neceſſarium fuit, ut a vobis nunc in utroque contineri debemus. De quibus tranſmiſſis cur dulciſſima mens veſtra valde ſe erubeſcere fatetur, atque eidem verecundiæ ſcutum caritatis opponere? Sed in his ego verbis omnimodo gaudeo quia in tali mentis atteſtatione cognoſco, quod nunquam poſſit aliena tollere, qui & hoc ipſum erubeſcit, quod propria largitur: Parva vero appellatis munera veſtra, quæ magna ſunt: ſed credo ut adhuc amplius ex ipſa gloriæ veſtræ humilitate proficiant. Et petitis ut hæc bona mente ſuſcipiam. Sed inter iſta ad memoriam cujuſdam viduæ duo minuta reducite. Si enim illa Deo placuit, quæ bono animo pauca obtulit, cur non hominibus placeat, qui mente humili multa dedit? Præterea benedictionem vobis ſancti Petri apoſtolorum principis, clavem ſacratiſſimi ſepulchri ejus, in qua benedictio de catenis illius eſt inſertas, tranſmiſimus, ut quod ejus collum ligavit ad martyrium, hoc veſtrum ab omnibus peccatis abſolvat.

* dat intelligi.

## LIBRI SEPTIMI PARS ALTERA.

*Menſe Septembri, indictione II.*

## I. AD JANUARIUM EPISCOPUM

### CALARITANUM.

De exarata meſſe cujuſdam ante miſſarum ſolennia dominicorum die, & terminis eradicatis poſt miſſarum ſolennia.

*Gregorius Januario epiſcopo Calaritano.*

PRædicator omnipotentis domini Paulus apoſtolus dicit. *Seniorem ne increpaveris* Sed hæc ejus regula tunc in eo ſervanda eſt, cum culpa ſenioris exemplo ſuo non trahit ad interitum corda juniorum. Ubi autem ſenior juvenibus exemplum ad interitum præbet, ibi diſtricta increpatione feriendus eſt. Nam ſcriptum eſt: *Loquens juvenum omnes vos*. Et rurſus propheta dicit: *Et * puer centum annorum maledictus eſt*. Tanta autem nequitia ad aures meas de tua ſenectute pervenit, ut eam, niſi adhuc humanitus penſaremus fixa jam maledictione feriremus. Dictum quippe mihi eſt, quod dominico die, priuſquam miſſarum ſolennia celebrares, ad exarandam meſſem latoris præſentium perrexiſti, & poſt exarationem ejus miſſarum ſolennia celebraſti. Poſt miſſarum ſolennia etiam terminos poſſeſſionis illius eradicare minime timuiſti. Quod factum quæ pœna debeat inſequi omnes qui audiunt ſciunt. Dubii autem de tanta hac perverſitate fueramus, ſed filius noſter Cyriacus abbas a nobis requi-

* peccator Pauſ.

requiſitus, dum eſſet Calaris, ita ſe cognoviſſe A perhibuit. Et quia adhuc canis tuis parcimus, hortamur ut aliquando reſipiſcas, miſer ſenex, atque a tanta te levitate morum & operum perverſitate compeſcas. Quanto morti vicinior efficeris, tanto fieri ſolicitior atque timidior debes. Et quidem pœnæ ſententia in te fuerat jaculanda, ſed quia ſimplicitatem tuam cum ſenectute novimus, interim tacemus, eos vero, quorum conſilio hæc egiſti, in duobus menſibus excommunicatos eſſe decernimus; ita tamen ut, ſi quid eis intra duorum menſium ſpatium humanitus evenerit, benedictione viatici non priventur. Deinceps autem ab eorum conſiliis cautus exiſte, te quoque ſolicite cuſtodi, ne ſi eis in malo diſci- B pulus fueris, quibus in bono magiſter eſſe debuiſti, nec ſimplicitati tuæ ulterius, nec ſenectuti parcamus.

## * II. AD EUMDEM. * XXXVI.

De pace facta cum rege Longobardorum, & de meſſe die dominicorum exarata.

*Gregorius Januario epiſcopo * Calaritano.*

* Sardiniæ. Pariſ.

QUid in Sardinia hoſtes noſtri fuerint operata, priuſquam fraternitatis veſtræ epiſtola ad nos perveniret, agnovimus. Et C quia hoc futurum dudum metuimus eveniſſe, quod prævidimus; nobiſcum nunc gemimus. Quod ſi ſecundum ea, quæ tam vobis, quam excellentiſſimo filio noſtro Gennadio hoc fore nuntiantes ſcripſimus, ſolicitudo fuiſſet adhibita, inimici illuc aut non accederent, aut accedentes periculum quod fecerunt incurrerent: vel nunc ergo ea quæ contigerunt vigilantiam veſtram in futuris exacuant. Nam & nos quidquid prodeſſe poſſumus, facere, domino auxiliante, nequaquam omittimus. Cognoſcatis autem abbatem quem ad Agiulphum ante multum jam tempus tranſmiſimus, pacem cum eo, Deo propitio quantum nobis ab excellentiſſimo exarcho ſcriptum D eſt, ordinaſſe. Et ideo quouſque pacta de confirmatione pacis ipſius conſcribantur, ne forte hoſtes noſtri in hac dilatione ad partes illas iterum velint accedere, murorum vigilias & ſolicitudinem in locis facite omnibus adhiberi. Et confidimus in redemptoris noſtri potentia, quia adverſariorum vobis incurſus vel inſidiæ denuo non nocebunt. Hoc vero quod ſcibitis, multos contra vos nobis querelas deponere, verum eſt: ſed inter diverſas non nos ſic res alia contriſtavit, quomodo id quod nobis dilectiſſimus filius noſter Cyriacus abbas retulit: quia die dominico ante miſſas meſſem de agro quem Donatus poſſidebat feceris exarari. Quod ne parum eſſet, expleto ſacrificio, per temet- E ipſum illuc accedens terminos effodiſſes. Ob quam rem hortor, ut officium quod geris ſolicita mente conſideres, & quidquid gravare poteſt aut opinionem tuam aut animam omnino refugias, & te committere illud nullius ſuaſione conſentias. Nam non terrenarum rerum curam, ſed animarum te ducatum ſuſcepiſſe cognoſce. Ibi ergo cor figere, ibi ſolicitudinem, ibi totum debes ſtudium adhibere, atque de earum lucro diligentius cogitare, ut dum venienti domino multiplicata quæ tradidit talenta reddideris, retributionis ab eo fructum conſequi, & inter fideles famulos in æterna merearis gloria exaltari. Hoc autem quod objurgo vel increpo, non ex aſperitate, ſed ex fraterna ſcito dilectione deſcendere: quia ſacerdotem te apud omnipotentem Deum non nomine, quod ſolum ad pœnam eſt, ſed etiam meritis, quod ad mercedem reſpicit, inveniri deſidero. Nam dum unum in redemptoris noſtri corpore membrum ſumus, ſicut in culpa tua dilaceror, ita quoque & in bona actione lætificor. Illud præterea quod vultis, ut perſonam a noſtro latere deputemus, cui cauſſas veſtras inſinuare nobis referendas ſubtiliter debeatis, dilectiſſimo filio Petro & Theodoro conſiliario quæcumque vultis ſcribite, ut per eos nobis inſinuata, quidquid de his ratio ſuaſerit domino valeat revelante diſponi. De fratre autem & coepiſcopo noſtro Mariniano, dum pax cum prædicto Agiulpho perfecte fuerit confirmata, erit cognitio, & fiet quidquid rationis ordo dictaverit.

## * III. AD MARCELLINUM * XXXVII.

PROCONSULEM.

Redarguit de favore Maximo prævaricatori præſtito.

*Gregorius Marcellino proconſuli Dalmatiæ.*

EPiſtolam magnitudinis veſtræ ſuſcepimus, in qua vos noſtram incurriſſe ingratitudinem indicaſtis, atque ob hoc per directam ſatisfactionem habere noſtram velle vos gratiam. Et quidem tanta ad nos de veſtra magnitudine pervenerunt, quanta a fideli viro minime committi debuerant. Vos enim tanti mali de cauſſa Maximi omnes aſtruunt auctores exiſtere, per quos ſpoliatio illius eccleſiæ, vel tantarum animarum perditio, atque inauditæ præſumptionis audacia ſumpſit initium. Et quidem quod noſtram vos velle gratiam habere petitis, convenit ut redemptori noſtro pro his talibus ſatisfacere tota intentione mentis, ut dignum eſt, cum lacrymis debeatis: quia ſi illi ſatisfactum non fuerit, quid noſtra relaxatio vel gratia poterit certe conferre? Dum tamen adhuc in præſumptorum ruinis vel errantium defenſionibus ineſſe vos cernimus, qualis vel Deo vel hominibus veſtra ſit ſatisfactio non videmus. Tunc enim Deo & hominibus ſe ſatisfacere magnitudo veſtra patenter evidenterque cognoſcat, * & devia ad rectitudinem, & præſumptiva ad humilitatis normam reducat. Quod ſi factum fuerit, per hoc vos & Dei percepturos & hominum gratiam cognoſcatis.

* a eſt &c. Pariſ.

## * IV. AD ANDREAM SCHOLASTICUM. * XXXVIII.

* In Pariſ. refertur ad Indict. XIII.

Caſtorium chartularium commendat.

*Gregorius Andreæ ſcholaſtico.*

QUaliter de gloriæ veſtræ debeamus ſinceritate præſumere, cognitæ devotionis qualitas, quam beato Petro apoſtolorum principi olim exhibuiſtis, oſtendit. Cujus licet cauſſis mente vos adeſſe promptiſſima confidamus, non tamen ab re eſt, ſi ea quæ ſponte egiſtis,

noſtra

noſtra ex abundanti epiſtola depoſcamus. Atque ideo ſalutantes paternæ caritatis affectu petimus, ut quia latorem præſentium Caſtorium chartularium noſtrum pro neceſſariis illic cauſſis direximus, veſtra eum ope in omnibus adjuvetis, atque illi bonitatis veſtræ conſilio quocumque neceſſe fuerit concurratis; quatenus ſaltus Chriſtianitatis veſtræ ſolatio, ad explenda quæ ſibi injuncta ſunt ſolers & idoneus poſſit inveniri. Sic etenim & vos quæ veſtra ſunt facitis, & nos pro vobis enixius orare compellitis. Omnipotens Deus gratiæ ſuæ vos tuitione præmuniat, & ita actus veſtros in ſuo ſicut deſideratis propitius timore diſponat, ut & a malis omnibus hic exuat, & ad gaudia vos æterna perducat.

* XXXIX.

## * V. AD JANUARIUM EPISCOPUM CALARITANUM.

Scribit ut exceſſum Petri neophyti contra Judæos emendet diligenter, & ſynagogam a Judæis vi ablatam reſtitui jubeat.

*Gregorius Januario epiſcopo Calaritano.*

JUdæi de civitate veſtra huc venientes queſti nobis ſunt, quod ſynagogam eorum, quæ Calaris ſita eſt, Petrus, qui ex eorum ſuperſtitione ad Chriſtianæ fidei cultum Deo volente perductus eſt, adhibitis ſibi quibuſdam indiſciplinatis, ſequenti die baptiſmatis ſui, hoc eſt dominico, in ipſa feſtivitate paſchali, cum gravi ſcandalo ſine veſtra occupaverit voluntate, atque imaginem illic genitricis Dei dominique noſtri, & venerandam crucem, & birrum album, quo de fonte reſurgens indutus fuerat, poſuiſſet. De qua re filiorum noſtrorum Eupaterii glorioſi magiſtri militum, atque magnifici pii in domino præſidis, aliorumque nobilium civitatis veſtræ ad nos hæc eadem ſcripta atteſtantia cucurrerunt. Qui etiam adjecerunt a vobis hoc * prædictum Petrum ne hoc auderet fuiſſe prohibitum. Quod cognoſcentes, omnino laudavimus: quia ſicut revera bonum decuit ſacerdotem, nihil fieri unde juſta eſſet reprehenſio voluiſtis. Sed quia per hoc quod minime vos in his quæ prava acta ſunt miſcuiſtis, diſplicere vobis quod factum eſt demonſtraſtis, conſiderantes hac de re veſtræ voluntatis intentum, ac magis judicium, his hortamur affatibus, ut ſublata exinde cum ea qua dignum eſt veneratione imagine atque cruce, debeatis quod violenter ablatum eſt reformare: quia ſicut legalis diffinitio Judæos novas non patitur erigere ſynagogas, ita quoque eos ſine inquietudine veteres habere permittit. Ne ergo ſupradictus Petrus, vel alii qui ei in hac indiſciplinationis pravitate præbuere ſolatium, * ſine conſenſu hoc zelo fidei ſe feciſſe reſpondeant, ut per hoc quaſi eis neceſſitas fieret convertendi, admonendi ſunt, atque ſcire debent, quia hac circa eos temperantia magis utendum eſt, ut trahatur ab eis velle non reniti, non ut adducantur inviti, quia ſcriptum eſt: *Voluntarie ſacrificabo tibi:* * id eſt, ex voluntate mea confitebor * tibi. Sanctitas ergo veſtra gratiam inter civitatis ſuæ habitatores, adhibitis ſibi filiis ſuis, quibus una * vobis hæc diſplicent, ſacerdotali adhortatione, ſicut eam decet, ſtu-

* præſenſum & prædictum ac. Pariſ.

* ſive conſenſum.

Pſal. 53.

* [illegible] ac. Pariſ.

* illis. Pariſ.

* vobiſcum. Pariſ.



deat facere: quia in hoc maxime tempore quando de hoſte formido eſt, diviſum habere populum non debetis. Quia vero non minorem de vobis quam de nobis ſolicitudinem gerimus, hoc quoque pariter indicandum curavimus, quod ſinita hac pace Agiulphus Longobardorum rex pacem non faciet. Unde neceſſe eſt ut fraternitas veſtra dum licet, civitatem ſuam vel alia loca fortius muniri provideat, atque immineat ut abundanter in eis condita procurentur, quatenus dum hoſtis illuc Deo ſibi irato acceſſerit, non inveniat quod lædat, ſed confuſus abſcedat. Sed & nos pro vobis quantum poſſumus cogitamus, & iis quorum intereſt, ut ſe ad obſiſtendum Deo adjutore præparare debeant, imminemus: quia ſicut vos noſtras tribulationes veſtras attenditis, ita quoque nos veſtras afflictiones noſtras ſimiliter reputamus.

## * VI. AD EUSEBIUM ARCHIEPISCOPUM THESSALONICENSEM. * XL.

De pacis laudibus. Et de Luca & Petro hæreticis, qui concilium Chalcedonenſe rejiciebant.

*Gregorius Euſebio archiepiſcopo Theſſalonicenſi.*

SI quam magna ſit, frater cariſſime, pacis virtus attendimus, quo a nobis ſtudio ſit colenda agnoſcimus. Hanc quippe dominus & redemptor noſter in magno munere diſcipulis ſuis relinquere ac dare dignatus eſt, ut eos qui firmitate ei fidei cohærebant, per hanc ſibi pia faceret participatione conſortes. Scriptum namque eſt: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Quiſquis ergo patris heres eſſe deſiderat, filius exiſtere, hanc cuſtodiendo non renuat. Nam qui locum præbet diſcordiæ, ipſe profecto tanti ſe muneris exortem eſſe conſtituit. Cum igitur fidei tuæ ſinceritas catholica nobis, ut oportuit, Deo propitio ſit rectitudine declarata; magna nimis admiratione ſuſpendimur, ut eos quos bene credere, & recte ſentire cognoſcis, fruſtra quorumdam ſcandalizari vitio patiaris; ut aliorum culpa fraternitatis tuæ ſuſcetur opinio. Nam quomodo ſine erroris ſuſpicione ſit qui patientiam præſtat erranti? Aut quam de ſe æſtimationem præbeat, ſi ea quæ fervor fidei poſtulat, aperta purgari ſatisfactione non prævidet? Fertur ſiquidem Lucam presbyterum tuum & Petrum Chalcedonenſem ſynodum nolle ſuſcipere, atque ex hoc filiorum tuorum orthodoxorum corda non levi ſcandalo perturbari. Quorum quia zelus non ſolum laudandus, verum etiam omnino fovendus eſt, hortamur te ut cum omni vivacitate ac ſolicitudine fraternitatis hoc veſtræ rimari cura non deſinat. Et ſi * in hac eos fontes pravitate repererit; ſcandalum de filiorum ſuorum mentibus habita eorum ſatisfactione removeat, atque inter omnes hæreſes ſpecialiter Severum ac Neſtorium anathematizent, ut quibus ſiniſtra de eis ſuſpicio genuit diſceſſionem, amor fidei removeat, gignatque purificatio caritatem. Et ſalubriter unus concordiæ nectat affectus, quos catholicæ ſincera & una tenet confeſſio veritatis. Nec ſatisfactio dubitantibus æſtimetur indigna, quia dominica voce præcipitur: *Ne contemna-*

In Pariſ. [illegible] ad [illegible] III.

Matth. 5.

* ab hac fontes. [illegible]

Matth. [illegible]

*tis unum ex his minimis.* Qui ergo non deſpi- A ci a præcipiente deſiderat, præceptoris verba non renuat: quia & is quem vas electionis redemptor ſibi noſter teſtatus eſt eſſe, ſervare nos unitatem ſpiritus in vinculo pacis admonuit. Unde quiſquis hoc ſe teneri ſalutis vinculo non recuſat, quæ ſunt pacis ſtudeat, & locum hoſti non præbeat, ut facta fortius valeat unitate calcari, qui in fratrum ſæva poterat diviſione graſſari. Si vero, quod non optamus, erroris hujus deprehenduntur jaculo vulnerati, eccleſiaſticæ adhortationis eſt eis adhibenda curatio, ut aut inter oves dominicas, ſi ſanati fuerint, permaneant, aut ab unitate eccleſiaſtici corporis excidantur; quatenus & magnum ex damno modico lucrum fiat, & B totum faciat liberum pars amiſſa. Nam & providi ſolicitudo paſtoris ovem languidam quæ curationem non recipit, ne alias languoris ſui labe contaminet, a ſanarum conſortio non differt ejicere, ſciens ceterarum ſe ſanitatem non aliter niſi hujus poſſe ejectione ſervare. Proinde iterum fraterna caritate commoneo, ut ſumma hoc vigilantia perſcrutari, & ſummo quæ ſcripſimus ſervare ſtudio debeatis, ne rectam fidem quam geritis, dubiam aliorum conſortio faciatis. Nam qui non corrigit reſecanda, committit. Itaque magna vobis ſolicitudine, magna omnino proviſione penſandum eſt, ut nec aliis eorum perſona ſcandalum, nec vobis opinio ſit nociva, quatenus tanto fraternitati veſtræ de commiſſis ovibus paſtoris lucra proficiant, quanto vos ad earum C cuſtodiam & ſincera dilectio & credita fecerit cura ſolicitos.

Ephes. 4.

## * VII. AD JANUARIUM EPISCOPUM CALARITANUM.

* XLI.

De Graviniæ abbatiſſæ ſacramento.

*Gregorius Januario epiſcopo Calaritano.*

QUia ingredientibus monaſterium convertendi gratia ulterius nulla ſit teſtandi licentia, ſed res eorum ejuſdem monaſterii juris fiant, aperta legis definitione decretum eſt. Quod cum pene omnibus notum ſit, in magnam nos Graviniæ abbatiſſæ monaſterii ſanctorum Gravini atque Luxorii inſinuatio admirationem perduxit. * Quæ Siricam monaſterii ſui abbatiſſam, poſtquam regendi ſuſcepit officium, condito teſtamento legata quibuſdam aſſeruit reliquiſſe. Et dum de ſanctitatis veſtræ ſolicitudine quæreremus, cur res monaſterio competentes ab aliis pertulerit detineri, communis filius Epiphanius archipreſbyter veſter præſens inventus reſpondit, præmemoratam abbatiſſam uſque ad diem obitus indui ſe monachica veſte noluiſſe, ſed in ve- E ſtibus quibus loci illius utuntur presbyteræ permanſiſſe. Ad hæc replicabat prædicta Gravinia hoc pene ex conſuetudine licuiſſe, ideo ut abbatiſſam quæ ante ſupraſcriptam Siricam fuerat, talibus uſam fuiſſe veſtibus allegaret. Cum ergo de qualitate veſtium nec nos mediocriter cœpiſſemus ambigere, neceſſarium viſum eſt nobis, tam cum conſiliariis noſtris, quam cum aliis hujus civitatis doctis viris, quid eſſet agendum de lege tractare. Qui tractantes reſponderunt: Poſtquam ſolenni more abbatiſſa ab epiſcopo ordinata eſt, & in monaſterii regimine per annos plurimos uſque ad vitæ ſuæ tranſitum præfuit; veſtis qualitatem ad culpam forte epiſcopi reſpicere, qui eam ſic eſſe permiſerit, non tamen potuiſſe monaſterio præjudicium irrogare, ſed res ipſius eidem loco, * ex eo quo illuc ingreſſa & abbatiſſa conſtituta eſt, manifeſto jure competere. Et ideo quia ex dimiſſis illicite rebus xenodochium poſſeſſionem aſſerit indebite retinere; his vos hortamur affatibus, ut quia & monaſterium & xenodochium ipſum in veſtra eſt civitate poſitum, omni cura ac ſtudio providere debeatis, quatenus ſi poſſeſſio ipſa ex nullo præcedenti contractu, ſed ex memoratæ Siricæ legato deſcendit, antedicto monaſterio poſtpoſito ſtrepitu vel excuſatione reddatur. Si vero ex alio forte dicitur obveniſſe contractu, aut fraternitas veſtra, inter partes cognita veritate, quod legalis ſuaſerit ordo definiat, aut mutuo ſibi conſenſu arbitros eligant, qui earum valeant allegationes * diſcindere. A quibus quidquid fuerit ſtatutum, ita * vera proviſione ſervetur, ut nullum inter venerabilia loca jurgium remaneat, quæ magnopere alterna pacis ſunt fovenda concordia. Alia igitur omnia quæ ex teſtamento prænominatæ Siricæ detinentur, quippe quod nullum eſſe legali ſanctione permittitur, neceſſe eſt ut juri monaſterii fraternitatis veſtræ ſolicitudine ſacerdotali per omnia ſtudio reparentur: quia imperiali conſtitutione aperte ſancitum eſt, ut ea quæ contra leges fiunt, non ſolum inutilia, ſed etiam pro infectis habenda ſint.

Grat. 19. q. 3. c. Quia ingredientibus

* Quod Pariſ.

* ex quo. Pariſ.

* diſtinguere. Pariſ.

* veſtra. Pariſ.

## * VIII. AD INNOCENTIUM, MARINIANUM &c.

* XLII.

De tempore paſchæ requirendo a metropolitano, & de licentia abeundi a provincia ab eodem poſtulanda.

*Gregorius * Innocentio, Mariniano, Libertino, Agathoni & Victori Sardiniæ epiſcopis.*

* Vincentio. Innocentio. Pariſ.

D COgnovimus quod mos veſtræ ſit inſulæ poſt paſchalem feſtivitatem, vobis euntibus, aut directis reſponſalibus veſtris ad metropolitanum veſtrum, utrum ſciatis, an minime, ipſe vobis de venturo paſcha ſcripta debeat denuntiatione mandare. Et quantum dicitur quidam veſtrum hoc facere ſecundum conſuetudinem poſtponentes, aliorum quoque ad non obediendum corda pervertunt. Additur etiam quod ex vobis aliqui pro eccleſiæ ſuæ emergentibus cauſſis tranſmarina petentes, ſine prædicti metropolitani ſui cognitione, vel epiſtolis, ſicut canonum ordo conſtituit, audeant ambulare. Hortamur ergo fraternitatem veſtram, ut antiquam eccleſiarum veſtrarum conſuetudinem exequentes, tam de ſuſcipienda paſchali denuntiatione, quam etiam ſi quemdam veſtrum pro cauſſis propriis ubicumque compulerit ambulare neceſſitas, ab eodem metropolitano veſtro ſecundum indictam vobis regulam petere licentiam debeatis, nec eum poſtponere in aliquo præſumatis; excepto ſi, quod non optamus, contra eumdem metropolitanum veſtrum habere vos aliquid cauſſæ contingat, * ut ob hoc ſedis apoſtoli-

* In Pariſ. aliis verbis idem dicitur.

ſtolicæ judicium requiratis. Nam iis qui pe- A tere feſtinant licentiam, quod ſcitis, per canones etiam antiquorum patrum inſtitutione habere permiſſum eſt.

## * IX. AD GALLINICUM EXARCHUM ITALIÆ. * XLIII.

De ſchiſmaticis, & de perverſo conſilio Juſtini.

*Gregorius * Gallinico exarcho Italiæ.*

* al. Baſilio Gallinico. Pariſ.

INter hæc quod mihi de *Sclavis victorias nuntiaſtis, magna me lætitia relevatum eſſe B cognoſcite, quod latores præſentium de * Capritana inſula, unitati ſanctæ eccleſiæ conjungi feſtinantes, ad beatum Petrum apoſtolorum principem ab excellentia veſtra tranſmiſſi ſunt. In hoc enim contra hoſtes veſtros amplius prævaletis; ſi eos quos Dei eſſe hoſtes agnoſcitis ſub jugo veri domini revocatis; tantoque veſtras cauſſas apud homines fortiter agitis, quanto Dei cauſſa in hominibus ſincera ac devota mente feceritis. Quod autem exemplar juſſionis quæ ad vos pro ſchiſmaticorum defenſione tranſmiſſa eſt mihi oſtendi voluiſtis, penſare ſolicite dulciſſima mihi veſtra excellentia debuit; quia quamvis juſſio ipſa ſubrepta eſt, non tamen in ea vobis præ- C ceptum eſt, ut venientes ad unitatem eccleſiæ repellatis, ſed ut venire nolentes hoc incerto tempore minime compellatis. Unde neceſſe eſt ut hæc ipſa piiſſimis imperatoribus noſtris ſuggerere feſtine debeatis; quatenus cognoſcant quod eorum temporibus ſchiſmatici cum omnipotentis Dei ſolatio & labore * noſtro ſua ſponte reverti feſtinant. Quæ autem de inſulæ Capritanæ ordinatione decreverim, per reverendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Marinianum veſtra excellentia agnoſcet. Illud vero cognoſcite, quia me non modice contriſtavit, quod major domus veſtræ, qui petitionem epiſcopi volentis reverti ſuſcepit, eam ſe perdidiſſe profeſſus eſt, & D poſtmodum ab adverſariis eccleſiæ tenebatur. Quod ego non negligentia, ſed venalitate ejus factum arbitror. Unde miror quia in eo culpam hanc minime veſtra excellentia vindicavit. Sed tamen quia hoc miratus ſum, memetipſum citius reprehendi. Nam ubi domnus Juſtinus conſilium præbet, qui pacem cum catholica eccleſia non habet, ibi non poſſunt hæretici * adduci. Præterea ſancti Petri apoſtolorum principis natalitium diem in Romana civitate vos facere velle perhibetis. Et oramus omnipotentem dominum ut ſua vos miſericordia protegat, & vota veſtra implere concedat. Sed prædictus vir eloquentiſſimus peto ut ſimul veniat: qui ſi non venerit, a E veſtris obſequiis recedat. Vel certe ſi veſtra excellentia fortaſſe emergentibus cauſſis venire nequiverit, ipſe aut ſanctæ eccleſiæ unitati communicet, aut peto ut veſtrorum conſiliorum particeps non ſit: bonum enim virum audio, ſi peſſimi non eſſet erroris. De cauſſa vero Maximi, quia importunitatem dulcedinis veſtræ jam ferre non poſſumus, quid decrevimus, Caſtorio notario ſuggerente, cognoſcetis.

* alias eſt a Caprulo & a Capraria.

* veſtro Pariſ.

* addici. Pariſ.

## * X. AD MARINIANUM EPISCOPUM RAVENNÆ. * XLIV.

De epiſcopis Iſtriæ, ſcilicet Novano & Caprulenſi.

*Gregorius Mariniano epiſcopo Ravennæ*

LAtores ad nos præſentium viri clariſſimi vicedominus atque defenſor venerunt, aſſerentes quod in caſtello quod Novas dicitur, epiſcopus quidam, Joannes nomine, de Pannoniis veniens fuerit conſtitutus; cui caſtello eorum inſula, quæ Capritana dicitur, erat quaſi per diœceſim conjuncta. Adjungunt autem * quod eodem epiſcopo violenter ab Iſtrico epiſcopo expulſo, alius illic fuerit ordinatus. De quo tamen hoc placuiſſe referunt, ut non in prædicto caſtro, ſed in ſua inſula habitare debuiſſet. Qui cum illic cum eis degeret, in errore ſe ſchiſmatis detinere noluit, atque cum omni plebe ſua excellentiſſimo filio noſtro Callinico exarcho petitionem dedit, ut catholicæ eccleſiæ cum omnibus qui cum ipſo erant, ſicut prædiximus, uniri debuiſſet. Qui, ut ajunt, a ſchiſmaticis perſuaſus poſt ſemetipſum rediit, & nunc omnis ille populus qui in prædicta inſula conſiſtit, ſacerdotis protectione privatus eſt; quia dum ſanctæ eccleſiæ uniri deſiderat, illum jam recipere non poteſt qui ad ſchiſmaticorum errorem reverſus eſt, & petunt ſibi ordinari alium debere. Sed nos, quia cuncta neceſſe eſt diſtricte ac ſubtiliter perſcrutari, hoc ordinandum eſſe prævidimus, ut fraternitas tua * ad epiſcopum mittat, eumque reverti ad eccleſiæ catholicæ unitatem & ad propriam plebem admoneat. Qui ſi jam monitus redire contempſerit, grex Dei decipi non debet in errore paſtoris. Et idcirco ſanctitas tua illic epiſcopum ordinet, eamdemque inſulam in ſua diœceſi habeat, quouſque ad fidem catholicam Iſtrici epiſcopi revertantur: ut & unicuique eccleſiæ ſuæ diœceſeos jura ſerventur, & deſtituto a paſtore populo non deſit protectio & cura regiminis. In his tamen omnibus fraternitatem tuam decet ſolicite vigilare, ut plebs eadem quæ ad eccleſiam venit ſtudioſius admoneatur, quatenus conſtanter in ſua reverſione fixa ſit, ne vagis cogitationibus in erroris iterum foveam relabatur. Excellentiſſimum vero exarchum petere ſtudeat, ut hæc ipſa ſuis ſuggeſtionibus piiſſimis imperatorum auribus innoteſcat: quia quamvis juſſio quæ ad eum delata eſt ſubrepta eſſe videatur, non tamen in ea juſſione ei præceptum eſt, ut volentes ad eccleſiam redire non permittat, ſed ut invitos hoc interim tempore minime compellat. Hujus ergo cauſſæ ordinationem in ſuam curam prædictus filius noſter ſuſcipiat; quatenus ſuis reſponſis agat, ut quidquid ordinaverit dubium non fiat. Quod tamen & nos communi filio Anatolio ſcripſimus, ut hæc piiſſimis principibus ſubtiliter innoteſcat. Excellentiſſimi filii mei domni Callinici exarchi aſſidue & importune pro perſona Maximi ſcripta ſuſcepi. Cujus importunitate victus, nihil habui quod amplius facere debuiſſem, niſi ejuſdem Maximi cauſſam tuæ fraternitati committerem. Si igitur ad fraternitatem veſtram venerit idem

* quod ab eodem abſtracto epiſcopo & expulſo &c. Pariſ.

* ad eumdem epiſcopum Pariſ.

Maximus, deducatur & Honoratus ejus ec- A
cleſiæ archidiaconus, ut cognoſcat ſanctitas
tua ſi recte ordinatus eſt, ſi in ſimoniacam
hæreſim lapſus non eſt, ſi ei de criminibus
corporalibus nihil obviavit, ſi ſe non cogno-
vit excommunicatum quando miſſas facere
præſumpſit, & quidquid ſub timore Dei tibi
viſum fuerit decerne, ut nos diſpoſitioni tuæ
conſenſum Deo auctore præbeamus. Si autem
tuam fraternitatem ſuſpectam prædictus filius
noſter habuerit, etiam reverendiſſimus vir
frater noſter Conſtantius Mediolanenſis epiſco-
pus Ravennam veniat, tecum reſideat, & de
eadem cauſa pariter decernite, & quod utrit-
que vobis placuerit, mihi placiturum eſſe cer-
tum tenete. Sicut enim obſtinati eſſe humili- B
bus non debemus, ita diſtricti exiſtere ſuper-
bis debemus. Veſtra ergo fraternitas ſicut in
ſcripturæ ſacræ paginis didicit, quidquid ju-
ſtum perpenderit, in ejus negotio decernat.

XLV. • XI. AD JOANNEM SURRENTINUM,

AGNELLUM, &c.

De reliquiis concedendis Gregorio
expræfecto.

*Gregorius Joanni epiſcopo Surrentino, Agnello epi-
ſcopo Tarracinenſi, Felici epiſcopo Portuenſi,* C
*Fortunato epiſcopo Neapolis, Primerio epiſco-
po Nuceriæ, Glorioſo epiſcopo Oſtienſi, Albino
epiſcopo Formiæ.*

GLorioſus filius noſter Gregorius expræfe-
ctus ſanctuaria beatorum martyrum in diœ-
ceſis veſtræ locis quieſcentium ſibi poſtulat de-
bere concedi, in quorum honorem baſilicam
propriis ſumptibus ædificari deſiderat. Et ideo,
fratres cariſſimi, præfati viri deſideriis ex no-
ſtra vos præceptione convenit obedire, ut de-
votionis ſuæ in conſecratione quam poſtulat
potiatur effectu.

*Menſe Novembri, indictione ſecunda.*

XLVI. • XII. AD CHRYSANTHUM EPISCOPUM

SPOLETANUM.

De reliquiis collocandis in eccleſia
ſanctæ Mariæ.

*Gregorius Chryſantho epiſcopo Spoletano.*

PAulus eccleſiæ Reatinæ diaconus petitoria
nobis inſinuatione popoſcit, ut ad fontes
in baſilica beatæ Mariæ ſemper virginis geni-
tricis Dei & domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ
eſt intra civitatem Reatinam poſita, reliquiæ
beatorum martyrum Hermetis & Hyacinthi &
Maximi debeant collocari. Et ideo, frater ca-
riſſime, ſi in eodem loco nullum corpus con-
ſtat humatum, ſanctuaria prædictorum marty-
rum cum reverentia ſine ambiguitate ſuſcepta
diligenter conſecrabis.

• XIII. AD SEVERUM EPISCOPUM • XLVII.

ANCONITANUM.

De argento eccleſiæ apud Serenum diaconum
depoſito requirendo.

*Gregorius Severo epiſcopo Anconitano.*

VIr reverendiſſimus Paſſivus frater & coe-
piſcopus noſter ad nos veniens indicavit,
argentum eccleſiæ ſuæ a deceſſore ſuo Fabio
apud Serenum diaconum tuum pro temporis
qualitate eſſe depoſitum. Cujus parte aliqua
B reſtituta, partem apud eum aſſerit rejacere,
& reſtituere eam quadam excuſatione differ-
re. Proinde his fraternitatem tuam hortamur
affatibus, ut eum admonere ſtudeat, quatenus
quæ accepit, ſine contentione reſtituat. Aut
ſi forte ab ejus reſtitutione aliqua ſe excuſari
ratione confidit, neceſſe eſt ut inter eum &
actores Firmanæ eccleſiæ una cum Armenio
fratre & coepiſcopo noſtro cognoſcere debea-
tis, & ſubtiliter veritate diſcuſſa ita huic cauſ-
ſæ finem imponere, ut nec antedictus diaco-
nus pati præjudicium, nec præfata injuſte da-
mnum videatur eccleſia ſuſtinere.

• XIV. AD DEMETRIANUM • XLVIII.

ET VALERIANUM.

De pecunia expenſa ab eccleſia pro eorum
redemptione.

*Gregorius Demetriano & Valeriano clericis
Firmanis.*

ET ſacrorum canonum ſtatuta, & legalis Grat. 12. q. 2. c. 15. Ivo p. 3. c. 141.
permittit auctoritas licite res eccleſiaſticas
in redemptionem captivorum impendi. Et ideo
quia edocti a vobis ſumus, ante annos fere de-
cem & octo, virum reverendiſſimum quon-
dam Fabium epiſcopum eccleſiæ Firmanæ pro
D redemptione veſtra, ac patris veſtri Paſſivi
fratris & coepiſcopi noſtri, tunc vero clerici,
nec non matris veſtræ, libras undecim argen-
ti de eadem eccleſia hoſtibus impendiſſe, at-
que vos ex hoc quamdam habere formidinem,
ne hoc quod datum eſt, a vobis quolibet tem-
pore repetatur; hujus præcepti auctoritate ſuſ-
picionem veſtram prævidimus auferendam,
conſtituentes nullam vos exinde heredeſque
veſtros quolibet tempore repetitionis moleſtiam
ſuſtinere, nec a quoquam vobis aliquam objici
quæſtionem; quia ratio æquitatis expoſcit, ut
quod ſtudio pietatis impenſum eſt, ad redem-
ptorum onus vel afflictionem non debeat per-
tinere
E
• XV. AD FORTUNATUM EPISCOPUM • XLIX.

NEAPOLITANUM.

Quod conſecret eccleſiam ſancti Petri apoſtoli, • In Pariſ. transfertur ad indictionem XIII.
& ſancti Michaelis archangeli

*Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano.*

THeodoſius abbas monaſterii ſancti Marti-
ni petitoria nobis inſinuatione ſuggeſſit,
quæ

quæ habetur in ſubditis, in domo quondam A Martini, ex ejus voluntate d. ceſſorem ſuum Andream abbatem monaſterium, in quo monachi habitare debeant, conſtruxiſſe. Et quia id in honorem beati Petri apoſtolorum principis & ſancti archangeli Michaelis poſtulat dedicari, dilectionem tuam præſentibus apicibus duximus adhortandam, quatenus ad prædictum locum, cum poſtulaverit, ingravanter accedas, venerandæ ſolennia dedicationis impendens. Et quotiens neceſſe fuerit, a presbyteris eccleſiæ tuæ in loco ſancto deſervientibus celebrentur ſacrificia veneranda miſſarum, ita ut in eodem monaſterio nec fraternitas tua, nec presbyteri, præter diligentiam diſciplinæ, aliquid moleſtiarum inferant, aut ſi B quid illic pro diverſorum devotione commoditatis acceſſerit, ſibi exiſtiment vendicari, cum monachis in eodem loco deſervientibus debeat proficere quidquid a fidelibus offerri contigerit.

L · XVI. AD ROMANUM DEFENSOREM.

De monaſterio in Sicilia conſtruendo.

*Gregorius Romano defenſori.*

FIlius noſter Theodoſius abbas monaſterii a Liberio quondam patricio in Campaniæ parte conſtructi, nobis noſcitur intimaſſe, Ru- C ſticam quondam illuſtrem feminam ante nos fere viginti & uno annis condito teſtamento Felicem jugalem ſuum heredem inſtituiſſe, eique de conſtruendo illic in Sicilia monaſterio hac conditione interpoſita delegaſſe, ut ſi intra anni ſpatium omnia libertis dimiſſa legata non ſolveret, vel prædictum monaſterium ita ut voluit minime ordinaret, tunc ſancta Romana eccleſia portionem quam in fundo Cumas habere viſa eſt ſibi deberet ſine dubio vendicare, & ipſa ad perſolvenda eadem legata, vel conſtructionem ipſius monaſterii ſolatia commodare. Unde quia, quantum dicitur, dimiſſa res hactenus minime ipſi monaſterio eſt completa, atque ab ejus nuncuſque D heredibus poſſeſſionis pars aliqua detinetur; cum omni ſubtilitate experientia tua cauſſam exquirat atque diſcutiat. Et primum quidem ſi in conditione teſtamenti heres incidit, per quod noſtra habeat cauſſas eccleſia, inveſtigare te volumus atque evidenter addiſcere, & utilitatem pauperum, ſicut rei ordo popoſcerit, exequi: & tunc pro ordinatione cellæ illius, vel redintegratione dimiſſæ rei inſtanter eſſe ſolicitum; quatenus pia teſtatricis voluntas in utroque valeat adimpleri, & detentores injuſti culpam retentionis indebitæ ex juſta amiſſione cognoſcant. Cum omni ergo vivacitate cauſſam hanc & exquirere, & ad effectum te volumus, domino auxiliante, per- E ducere, ut pia ordinantis devotio tandem ſortiatur effectum. Sed & monaſterio ipſi in omnibus, ſalva juſtitia, ſolatiari te volumus, ut laicæ perſonæ quaſi ex conditoris nomine, quæ juvaminis debuerunt ferre ſolatium, lædendi non habeant, ſicut aſſeritur, facultatem.

· XVII. AD EUMDEM. · LI.

Patrimonium eccleſiæ in Sicilia commendat.

*Gregorius Romano defenſori.*

PRopoſiti noſtri cura nos admonet eccleſiaſticas utilitates ſtrenuis agendas mandare perſonis. Et ideo, quia te Romanum defenſorem fidelem ſolicitumque probavimus extitiſſe, patrimonium ſanctæ Romanæ, cui Deo miſerante deſervimus eccleſiæ, in partibus Syracuſanis, Catanenſibus, Agrigentinis, vel Milenſibus conſtitutum, a præſenti ſecunda indictione gubernationi tuæ prævidimus committendum. Unde neceſſe eſt te illuc indifferenter accedere, ut divini conſiderationе judicii, noſtræ quoque admonitionis memoria te efficaciter ac fideliter ſtudeas exhibere, ut nullius neglectus vel fraudis, quod abſit, inveniaris ſuſtinere periculum. Magis autem id agas, quatenus de fide & induſtria tua divinæ poſſis gratiæ commendari. Ad familiam vero ejuſdem patrimonii ſecundum morem præcepta direximus, ut nihil ſit quod te ad peragenda ea, quæ tibi injuncta ſunt, in aliquo valeat impedire.

· XVIII. AD COLONOS PATRIMONII · LII.

SYRACUSANI.

Ut obediant Romano defenſori.

*Gregorius colonis patrimonii Syracuſani.*

COgnoſcatis volo, quia ad ſolicitudinem vos defenſoris noſtri diſpoſitio noſtra pertinere conſtituit. Et ideo præcipimus, ut ea quæ vobis peragenda pro utilitatibus eccleſiaſticis præviderit, & injunxerit, ſine aliqua debeatis difficultate obedire. Cui talem dedimus poteſtatem, ut eos qui inobedientes, vel attentaverint contumaces exiſtere, diſtricta ultione corripiat. Pariterque illi demandavimus, ut mancipia quæ foris latitant, vel a quoquam aliqui fines invaſi ſunt, ſolicitudinis ſuæ inſtantia jure eccleſiaſtico revocare non differat. Noveritis etenim cum periculo ſuo fuiſſe commonitum, ut nullam aliquando violentiam rebus alienis, vel raptum qualibet excuſatione facere præſumat.

· XIX. AD PETRUM SICILIENSEM. · LIII.

Quod Romano patrimonium eccleſiæ commendaſſet.

*Gregorius Petro Sicilienſi.*

SCientes devotionis affectum paternis commendationibus ampliari, neceſſe eſt ut ea quæ agere vos ſponte confidimus, gloriæ veſtræ in his favorem noſtris augere epiſtolis feſtinemus. Indicamus itaque Romano defenſori latori præſentium, patrimonium eccleſiæ noſtræ, quod in Syracuſanis, Catanenſibus & vicinis locis noſcitur eſſe conſtitutum, Dei protegente gratia credidiſſe. Et propterea ſalutantes paterno affectu petimus, ut veſtra eum fovere providentia debeatis, atque ei in omni-

omnibus veſtrum, ſicut de vobis confidimus, A
auxilium commodetis; ut dum in gloriæ ve-
ſtræ ſolatio, vel favore ſubſidium conſolatio-
nis habuerit, & vos qualem circa nos carita-
tem geritis manifeſtius oſtendatis, & nos vo-
luntati veſtræ reſpondere, dum neceſſe fuerit,
per omnia feſtinemus.

## * XX. AD LIBERTINUM * LIV.

### EXPRÆFECTUM.

De patrimonio in Sicilia Romano commendato.

*Gregorius Libertino expræfecto.*

GLoriæ veſtræ & experta & cognita nos
devotio provocat epiſtolari vos alloquio
cauſſis eccleſiaſticis exhibere adjutores. Et
ideo quia Romano defenſori præſentium por-
titori curam patrimonii eccleſiæ noſtræ, quod
in Syracuſano atque Catanenſi territorio ſitum
eſt, Deo auctore commiſimus, ſalutantes glo-
riam veſtram petimus, ut concurrere illi, ac
ferre ſolatium in omnibus debeatis. Et ne
forſan de novitate minus aliqua quæ ſunt uti-
lia comprehendat, veſtris eum ſubtiliter con-
ſiliis informate, atque ad agenda hæc veſtram
illi, ſicut conſueviſtis, operam adhibete; qua-
tenus dum vobis opitulantibus utiliter quæ C
ei injuncta ſunt peregerit, & vos de bono
veſtro mercedem recipere valeatis, & nos pro
gloriæ veſtræ vita omnipotentis Dei miſericor-
diam exorare enixius invitemur. De capitulo
autem de quo mihi lator præſentium eſt lo-
cutus, vel reverendiſſimus frater noſter Joan-
nes epiſcopus ſcripſit, interim vel tentari vel
agi nil potuit: quia perſona apud quam agi
poterat, necdum eſt in poteſtate aliqua con-
firmata.

## * XXI. AD LIBERTINUM CIRIDANUM. * LV

Romanum defenſorem commendat.

*Gregorius * Libertino Cyridano.* * Al. in Paris. Cyrida-no.

GLoriæ veſtræ bonitas, nuntio veraci dif-
fuſa, tantam nobis de ſe certitudinem
præbet, ut in nullo de ea diffidere, ſed ma-
gis ſicut revera ſapienti filio eccleſiæ noſtræ
debeamus ſpecialiter cauſſam commendare. Et
ideo Romanum defenſorem noſtrum præſen-
tium portitorem, ad gubernationem patrimo-
nii eccleſiæ noſtræ in Catanenſibus ac Syra-
cuſanis partibus conſtituti, Deo protegente
tranſmiſimus. Salutantes igitur paterna dile-
ctione gloriam veſtram, petimus ut in cun-
ctis affectum veſtræ caritatis inveniat, & fa-
voris veſtri ſolatiis quocumque neceſſe fuerit E
potiatur: ut vobis præſentibus nos abſentes
eſſe non ſentiat; quatenus cum injuncta ſibi
ſalubriter veſtra ope expleverit, & nos vobis
gratiarum poſſimus exiſtere debitores, & bea-
tus Petrus apoſtolorum princeps, in cujus
cauſſis vos impenditis, hic vobis & in futuro
compenſet.

## * XXII. AD JOANNEM EPISCOPUM * LVI.

### SYRACUSANUM.

De querimonia Leontii contra Leonem epiſcopum.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

FIlius noſter glorioſus vir Leontius excon-
ſul de fratre & coepiſcopo noſtro Leo-
ne graviter eſt queſtus, noſque ejus querela
omnimodo turbavit: quia ita præcipitanter &
leviter ab epiſcopo agi non debuit. Quam
B cauſſam ſubtiliter exequendam venienti Ro-
mano defenſori commiſimus. De veſtra au-
tem fraternitate is qui ab eo directus eſt
queritur, quod * Marchilai viri clariſſimi me- * Archelai
dici defenſione fratris & coepiſcopi noſtri Do-
mitiani metropolitæ utilitas gravetur. Et qui-
dem tueri juſte filios ſuos, vel, ſicut eſt for-
te, ſanctæ eccleſiæ negotia fraternitas veſtra
debet, & nullam occaſionem dare adverſariis
maledicti gratia. Quod tamen vos per omnia
cuſtodire etiam iſta loquendo non ambigo:
eidem tamen Romano venienti etiam de hac
cauſſa injunximus, ut vobiſcum debeat quæ
ſunt recta diſponere.

## * XXIII. AD ROMANUM * LVII.

### DEFENSOREM.

De Stephania & Calixeno filio ejus.

*Gregorius Romano defenſori.*

QUamquam ea quæ ad eccleſiæ jura perve-
niunt alienari legis ratio non permittat,
temperanda tamen interdum eſt cenſura diſtri-
ctionis, ubi miſericordiæ reſpectus invitat: ma-
xime quando tanta eſt quantitas, quæ nec dan-
tem onerat, & accipientis pauperiem juxta ali-
quid conſolatur. Et ideo quia Stephania præ-
D ſentium latrix cum Calixeno filio ſuo parvu-
lo, quem de Petro quondam viro ſuo ſe ſu-
ſcepiſſe & nimia aſſerit pauperie laboraſſe, huc
veniens aſſidua obſecratione & lacrymis a no-
bis exegit, ut domum poſſeſſionis in civitate
Catanenſium, quam Ammonia quondam ſo-
crus ejus * eccleſiæ noſtræ titulo donationis * Callixeni aviæ eccleſiæ ac. Parif.
obtulerat, eidem Calixeno reſtitui faceremus,
memoratam Ammoniam aſſerens alienandi eam
non habere licentiam, ſed antefati Calixeni fi-
lii ſui per omnia juris eſſe. Cui rei dilectiſſi-
mus filius noſter Cyprianus diaconus, qui cauſ-
ſam cognitam habuit, contradictor exiſtit, in-
quiens quod prædictæ mulieris querimonia non
haberet juſtitiam, nec poſſet rationabiliter ad
E filii ſui nomen domum ipſam vendicare ſive
repetere. Sed ne ſupraſcriptæ mulieris lacry-
mas inanes relinquere, & plus ſequi rigoris
viam quam cauſſas videamur pietatis comple-
cti, hac tibi præceptione mandamus, ut me-
moratam domum ſæpefato Calixeno, ſimul &
donationem ab Ammonia factam de domo ipſa,
quæ illic in Sicilia eſſe noſcitur, reddere de-
beas: quia, ſicut diximus, melius eſt in du-
biis, non diſtrictionem exequi, ſed ad beni-
gnas potius partes inflecti, præſertim dum ex
parvæ rei ceſſione nec eccleſia gravatur, &
orpha-

orphano atque pauperi miſit conditer ſubve- A nitur.

* Parif. addunt data menſe novembri indictione II.

* LXIII.

## * XXIV. AD EUMDEM.

### Laicis non temere tuitionem eccleſiaſticam impendendam.

*Gregorius Romano defenſori.*

PErvenit ad nos quia quidam homines, minorem omnimodo diſcretionem tenentes, in ſuis nos periculis implicari deſiderant, atque ita volunt ab eccleſiaſticis perſonis defendi, ut ipſæ quoque perſonæ eccleſiaſticæ ex eorum culpa teneantur. Idcirco præſenti te B præceptione admoneo, & per te fratrem & coepiſcopum noſtrum domnum Joannem, vel ceteros qui intereſſe poſſunt, ut patrocinia eccleſiaſtica, ſive mea ſuſcipiatis ſcripta, ſive etiam minime fuerint directa, ſub tanto moderamine debeatis impendere, quatenus hi qui in furtis publicis implicati ſunt, a nobis non videantur injuſte defendi, ne opinionem male agentium ex indiſcretæ defenſionis auſu in nos ullo modo transferamus: ſed, quantum decet eccleſiam, admonendo, & verbum interceſſionis adhibendo, quibus valetis ſuccurrite, ut & illis opem feratis, & opinionem ſanctæ eccleſiæ non inquinetis.

* LIX.

## * XXV. AD FORTUNATUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

* Miſenatis.

### Viſitationem * Meſſenatenſis eccleſiæ injungit.

*Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano.*

COgnoſcentes Meſſenatem eccleſiam ſacerdotis regimine deſtitutam, viſitationis ejuſdem eccleſiæ fraternitati tuæ operam ſolenniter delegamus. Quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, miniſteriiſque, vel quid- D quid aliud eſt in patrimonio ejuſdem, a quoquam præſumatur eccleſiæ. Et ideo caritas tua ad prædictam eccleſiam ire properabit, & aſſiduis adhortationibus clerum plebemque ejuſdem eccleſiæ admonere feſtinet, ut remoto contentionis diverſo ſtudio, uno eodemque conſenſu talem ſibi præficiendum expetant ſacerdotem, qui & tanto miniſterio dignus valeat reperiri, & a venerandis canonibus nullatenus reſpuatur. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolennitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & dilectionis tuæ teſtimonio litterarum ad nos ſacrandus occurrat. Commonentes etiam fraternitatem tuam, ut nullum de altera E eligi permittas eccleſia, niſi forte inter clericos ipſius civitatis, in qua viſitationis impendis officium, nullus ad epiſcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri: proviſurus ante omnia ne * aut cujuſlibet converſationis vel meriti laicæ perſonæ aſpirare præſumant, & tu periculum ordinis tui, quod abſit, incurras.

* hoc cujuſlibet. Theſ.

* LX.

* MISENATES

## * XXVI. AD * MESSANENSES.

### De eligendo epiſcopo.

*Gregorius clero, ordini & plebi conſiſtenti * Meſſanæ.*

* Miſenatibus Parif.

COgnoſcentes eccleſiam veſtram ſacerdotis regimine deſtitutam, curæ noſtræ fuit viſitationem ejuſdem eccleſiæ fratri & coepiſcopo noſtro Fortunato ſolenniter delegare. Cui dedimus in mandatis, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, miniſteriiſque a quoquam uſurpari patiatur. Cujus vos aſſiduis adhortationibus convenit obedire, & remoto ſtrepitu, uno eodemque conſenſu, talem vobis præficiendum expetere ſacerdotem, qui & venerandis canonibus nulla diſcrepet ratione, & tanto miniſterio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolennitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & viſitatoris pagina proſequente, ad nos veniat ordinandus: proviſuri ante omnia, ne cujuſlibet vitæ vel meriti laicam perſonam præſumatis eligere. Et non ſolum ille ad epiſcopatus apicem nulla ratione provehetur, verum etiam vos nullis interceſſionibus veniam promereri poſſe cognoſcite, ſed omnes quos ex vobis de laica perſona aſpiraſſe conſtiterit, ab C officio & a communione alienos faciendos procul dubio noveritis.

* LXI

## * XXVII AD ANTONIUM ET DOMITIANUM.

### De concordia facta inter eccleſias & monaſteria

*Gregorius Antonio ſubdiacono, & * Domitiano abbati atque presbytero a partibus.*

* Dometiano Parif.

SIcut grave & plenum vituperationis eſt, inter perſonas omnipotenti Deo militantes D de ſæcularibus negotiis ortam diu controverſiam permanere, ita laudabile & ſtudio eſt religioſo conveniens, terrenis gratam Deo pacem præferre compendiis, & ex rebus tranſitoriis manſura ſemper caritatis lucra mercari. Et ideo quia de poſſeſſionibus Fajano, Naſoniano & Libiniano, poſitis in provincia Siciliæ territorio Panormitano, de quibus inter præpoſitos monaſterii ſanctorum Maximi & Agathæ, quod * Lucuſianum dicitur, & e diverſo adminiſtratores xenodochii in hac urbe Roma conſtituti, quod Valerii nuncupatur, longa ſe traxit contentio: nunc vero inter te Antonium ſubdiaconum noſtrum memorati xenodochii præpoſitum, & e diverſo dilectiſſimum filium noſtrum * Dometianum abbatem atque presbyterum prædicti monaſterii pactis intervenientibus ſalubris proceſſit, Deo auctore, deciſio; neceſſe eſt, ut omnis diſcordiæ poſſit occaſio præveniri, ea quæ geſta ſunt, interveniente auctoritate firmari. Proinde per hujus præcepti ſeriem hoc decernendum eſſe perſpeximus, ut omnia inſtrumenta, vel quidquid eſt aliud quod partibus, quod abſit, adinvicem contra ſe venire cupientibus, quoquomodo vel ex temporis præſcriptione, ſeu aliter opem de lege, aut quocumque pro le-

* Lucuſianum Parif.

* Domitianum Parif.

gio poterat miniſtrare; ſit, ſicut & vos poſcitis, vacuum & omni virtute caſſatum, & ſola pactorum inter vos nunc habitorum pagina validum perpetuumque robur obtineat. Cui ſi quid forte incuria vel imperitia minus firmitatis inſertum eſt, vires pleniſſimæ munitionis & ſoliditatis ex hac noſtra auctoritate ſuſcipiat, nec ſupereſſe aliquid valeat, unde ea quæ religioſo ſtudio provide, ut oportuit, ac pacifice terminata ſunt, ne quocumque tempore quidquam dubietatis incurrant; ſed omnia quæ in eiſdem pactis tenentur adſcripta, firma, illibata, & ſine aliqua refragatione perſiſtant, quatenus amota penitus totius altercationis materia, inter eos quos caritatis immutabiliter decet manere concordia, nulla queat deinceps litigioſæ contentionis occaſio generari. Pro munitione vero ſupraſcripti monaſterii memorato * Dometiano abbati atque presbytero præceptum ſimile dedimus.

* Dometio Pariſ.

*Menſe Januario, indictione ſecunda.*

## * XXVIII. AD VENANTIUM EPISCOPUM LUNENSEM. * LXII.

De contentione Adeodatæ & matris ejus.

*Gregorius Venantio epiſcopo Lunenſi.*

QUæ ſit Adeodatæ ancillæ Dei latricis præſentium verſus Fidentiam matrem ſuam querimonia, ex pagina petitionis oblatæ, quæ tenetur in ſubditis, fraternitas veſtra cognoſcet. Et quoniam æquitatis cenſura admonet ut maximum converſis ſalva ratione epiſcopale debeat adeſſe ſolatium; idcireo his fraternitatem veſtram epiſtolis adhortamur, ut prædictam matrem ipſius ad ſe faciat evocare, & tranquilla ei adhortatione ſuadeat, ut facere ſponte non deſinat, ad quod legali poteſt ratione compelli; quatenus nec illa affligi, nec iſta videatur præjudicium ſuſtinere. Quæ ſi, quod non credimus, admonitionem veſtram differre voluerit, prædictæ Adeodatæ religioſæ contra eam tuitionem impendite, atque veſtris eam ſolatiis apud judicem, vel quocumque uſus exegerit, inſtantius adjuvate; & ita in exequendam vos hanc cauſſam impendite, ut legali ratione conſtricta, invita urgeatur facere quod ſponte poſtponit. Memoratam vero latricem fraternitas veſtra ita ſervata æquitate habeat in omnibus commendatam, ut vobis ei tuitionem impendentibus, in eo quem aſſumpſit habitu ſine aliqua, Deo protegente, concuſſione permaneat.

## * XXIX. AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM * LXIII.

De maſſa Veneris Stephano abbati reſtituenda.

*Gregorius Anthemio ſubdiacono Neapolitano.*

Æ Quitatis jus exigit, ut hoc quod a prædeceſſoribus noſtris cognita veritate eſt redditum, noſtra indebite denuo eccleſia tenere non debeat: ne quod omnino contra religioſum conſtat eſſe propoſitum, non vera, ſed A imaginaria ac magis doloſa fuiſſe reſtitutio videatur. Et ideo quoniam Stephanus abbas monaſterii ſancti Marci, quod conſtitutum juxta muros Spoletanæ civitatis eſſe dignoſcitur, queſtus eſt nobis maſſam Veneris in provincia Campania ſitam, territorio Minturnenſi, quam ei beatæ memoriæ deceſſoris noſtri Benedicti redditam præceptione cognovimus, ab eccleſia noſtra nunc indebite detineri; idcirco hac tibi auctoritate præcipimus, ut ſi manifeſte ab eccleſiæ noſtræ hominibus detinetur, in jura eam prædicti monaſterii ſine aliqua mora vel altercatione reſtituas. Si vero non a noſtris, ſed a quibuſdam forſitan extraneis detinetur, ſtrenua te agere ſolicitudine volumus, ut in jure B modis omnibus memorati debeat monaſterii reformari, quatenus & ipſe quod ſuum eſt, te ſolatiante, ſine aliqua fatigatione recipiat, & alter de diſpendio monaſterii injuſte lucrum non habeat.

## * XXX. AD FAUSTUM. * LXIV.

De miniſteriis eccleſiaſticis a filio Conſtantii recipiendis.

*Gregorius Fauſto.*

SIcut res eccleſiaſticæ competentibus perſonis ſine aliqua ſunt dilatione reddendæ, ita reſtituendis * attendenda cautela eſt, ut nulla C ei poſſit poſtmodum ex ipſa naſci reſtitutione moleſtia. Et ideo quoniam tempore quo quondam * Conſentius defenſor * paternæ gloriæ veſtræ commiſſi ſibi patrimonii Campaniæ curam geſſit, miniſteria eccleſiæ * Vulturnæ, quæ erat pro peccatis clero & pontifice deſtituta, apud ſe propter injunctam ſibi ſolicitudinem tuliſſe dignoſcitur, quæ vos nunc reddere ſine noſtro conſenſu dubitare cognovimus; eapropter his vos hortamur epiſtolis, ut ea Anthemio ſubdiacono ſub deſuſcepti emiſſione reſtituere ſine aliqua difficultate debeatis; quatenus & res eccleſiæ in tuto apud eos quos convenit habeantur, & gloria veſtra ab omni du- D bitatione ſit libera.

* al adhibenda.
* Conſtantius. Pariſ.
* pater g. v.
* Vulturnenſis.

## * XXXI. AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM. * LXV

De miniſteriis eccleſiæ Vulturnæ.

*Gregorius Anthemio ſubdiacono.*

COmperimus miniſteria eccleſiæ Vulturnæ, quæ * Conſentius defenſor propter injunctam ſibi ſolicitudinem deficiente clero vel epiſcopo ejuſdem eccleſiæ tulerat, apud heredem ipſius remanſiſſe. Et quia glorioſum virum E Fauſtum filium ipſius ea reddere ſine noſtro conſenſu dubitare cognovimus, noſtris eum hortati ſumus epiſtolis, ut experientiæ tuæ miniſteria ejuſdem eccleſiæ reddere ſine dubietate aliqua debuiſſet. Et ideo experientia tua miniſteria ipſa ſub deſuſcepti emiſſione ſuſcipiat, atque in * tuto habere ſtudeat, & modum ac qualitatem ipſorum nobis facta notitia omni ſubtilitate innoteſcat.

* LXV.
* Conſtantius. Pariſ.
* toto. Pariſ.

* XXXII.

* LXVI.

## * XXXII. AD ANDREAM

### Scholaſticum.

De infirmitate ejus, & quod flagellat Deus omnem filium quem recipit.

*Gregorius Andreæ * ſcholaſtico.*

* Scholaſtico deeſt in Pariſ.

AUdiens quod gloriam veſtram vehementer afflixerit luctus & ægritudo, valde condolui. Sed protinus agnoſcens quod * te morbus perfecte reliquerit, dolorem mox in lætitiam verti, magnaſque omnipotenti Deo gratias retuli; quia percuſſit, ut ſanaret; afflixit, ut ad gaudia vera perduceret. Hinc enim ſcriptum eſt: *Quem diligit dominus caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit*. Hinc per ſemetipſam veritas dicit: *Pater meus agricola eſt, & omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: omnem vero qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat*. Palmes enim infructuoſus tollitur, quia peccator funditus eradicatur. Palmes vero fructuoſus purgari dicitur, quia per diſciplinam reciditur, ut ad uberiorem gratiam perducatur: ſic enim ſpicarum grana tribulis attrita, ariſtis & paleis nudantur: ſic olivæ prælo preſſæ, in olei pinguedinem defluunt: ſic botri vinearum tunc calcibus, in vinum liqueſcunt. Gaude igitur bone vir, quia in hoc flagello tuo & provectu conſpicis, quod ab æterno judice amaris. Præterea filiam meam glorioſam conjugem veſtram mea peto vice ſalutari. Omnipotens autem Deus cæleſti vos protectione cuſtodiat, voſque & modo conſoletur de largitate donorum, & poſtmodum de retributione præmiorum.

* te morbus deeſt in Pariſ.

Hebr. 12.

Joann. 15.

* LXVII.

## * XXXIII. AD VENANTIUM

### Episcopum Lunenſem.

De presbyteris & diaconis Aldioni ordinandis.

*Gregorius Venantio epiſcopo * Lunenſi.*

* Lunenſi deeſt in Pariſ.

QUoties ea quæ hortari nos convenit poſtulamur, moras ad concedendum facere non debemus, ne differre bona deſideria, quæ magis fovenda ſunt, videamur. Et ideo quia glorioſus Aldio magiſter militum in civitate ipſius presbyteros vel diaconos omnino, ſicut ſuis nobis epiſtolis indicavit, deſiderat ordinari, eos qui ad conſecrandum eliguntur fraternitas veſtra diligenter inquirat. Et ſi nihil eſt quod canonice eorum ordinationem impediat, Deo illos propitio ſtudeat ordinare. Cum quibus etiam loqui vos convenit, ut adhortationis ſuæ ſolicitudine degentem illic populum ab infidelitate revocare, ac contendant a gentilium cultu ſuſpendere, atque eos in omnipotentis Dei doceant timore perſiſtere, & præmia æternæ vitæ diligere; quatenus hæc conſecratio & illis ante Deum ad gloriam, & habitanti illic populo proficiat ad ſalutem.

A

## * XXXIV. AD CONSTANTIUM

* LXVIII.

### Episcopum Mediolanenſem.

De Virgilio qui commendationis occaſione pecuniam mutuo accepit.

*Gregorius Conſtantio epiſcopo Mediolanenſi.*

QUamvis ita fraternitas veſtra convenienti ſibi gravitate diſcreta ſit, ut non admonita, ſed ex ſe quid cui ſit impendendum intelligat, verumtamen quia lator præſentium Joannes vir * memorandus, qui præfecturæ B vices illic acturus advenit, noſtra ſe petiit epiſtola commendari, ſanctitas ei veſtra, dum neceſſe fuerit, ſalva ratione præſidium ſui favoris impendat, & ita eum ſacerdotaliter ſuis ſtudeat ſolatiis adjuvare, quatenus vobis præſentibus nec aliorum debeat injuſte oppreſſionibus laborare, nec ipſe aliis contra rationem gravis exiſtat. Quia vero pervenit ad nos, quod * Virgilius, qui vices illic ante hanc præfecturæ geſſit, per ſcriptorum noſtrorum occaſionem, quibus eum petitione ejus compulſi commendavimus, mutuas a vobis, ut ita dicamus, pecunias exegiſſet, ægre ſi verum eſt ſuſtinemus, ut hoc non ex ſe, ſed quaſi per noſtram epiſtolam obtineret. Et ideo fraternitatem veſtram C ſcire neceſſe eſt, ita ſibi a nobis eos qui hoc exigant commendari, ut eis adeſſe inquantum poſſibile & juſtum eſt debeat, non tamen ut eccleſiæ ſuæ hujus rei occaſione aliquod gravamen imponat. Data menſe * Septembri, indictione ſecunda.

* Magno ſcio. Pariſ.

* Vigilius Pariſ.

* Februario Pariſ.

## * XXXV. AD FORTUNATUM

* LXIX.

### Episcopum Neapolitanum

De Judæis & Chriſtianis mancipiis.

*Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano.*

D COgnoſcentes qualis fraternitatem veſtram zelus pro Chriſtianis mancipiis, quæ Judæi de Galliarum finibus emunt, accenderit, adeo nobis ſolicitudinem veſtram placuiſſe ſignamus, ut inhibendos eos ab hujuſmodi negotiatione noſtra etiam deliberatio judicaret. Sed Baſilio Judæo cum aliis Hebræis veniente comperimus, hanc illis a diverſis judicibus reipublicæ emptionem injungi, atque evenire ut inter paganos & Chriſtiani pariter comparentur. Unde neceſſe fuit ita cauſſam cauta ordinatione diſponi, ut nec mandantes fruſtrari, nec hi, qui contra voluntatem ſuam ſe inquiunt obedire, aliqua ſuſtineant injuſte diſpendia. Proinde fraternitas veſtra hoc vigilanti E ſolicitudine obſervari ac cuſtodiri provideat, ut revertentibus eis a præfata provincia, Chriſtiana mancipia, quæ ab ipſis adduci contigerit, aut mandatoribus contradantur, aut certe Chriſtianis emptoribus intra diem quadrageſimum venundentur. Et tranſacto hoc dierum numero, nullus apud eos quolibet modo remaneat. Si autem quædam ex eiſdem mancipiis talem ægritudinem fortaſſis incurrerint, ut intra ſtatutos dies vendi non valeant, adhibenda ſolicitudo eſt, ut dum ſaluti fuerint priſtinæ reſtituta, ſimiliter modis omnibus diſtrahan-

hantur, quia res quæ culpa caret, ad damnum A
vocari non convenit. Quoniam vero quotiens
novum quid ſtatuitur, ita ſolet futuris formam
imponere, ut multis diſpendiis præterita non
* commendent; ſi qua apud eos mancipia de
emptione anni præteriti remanſerunt, vel a vo-
bis nuper ablata ſunt, dum apud vos ſunt po-
ſita, ea habeant alienandi licentiam; ne de-
trimentum ante prohibitionem poſſint ignoran-
tes incurrere, quod eos dignum eſt poſtmodum
vetitos ſuſtinere. Nuntiatum præterea nobis
eſt, ſupraſcriptum Baſilium filiis ſuis Deo pro-
pitio Chriſtianis quædam mancipia ad hoc vel-
le titulo donationis concedere, ut ei hujus oc-
caſionis obtentu, domini ſolummodo nomi-
ne * oblato, deſerviant, & poſt hoc ſi ad ec- B
cleſiam confugiendum fore crediderint, ut fieri
debeant Chriſtiana, non in libertatem, ſed eo-
rum dominio quibus antea donata ſunt ven-
dicentur. In qua re fraternitatem veſtram de-
center convenit vigilare. Et ſi qua filiis ſuis
mancipia donare voluerit, ut cuncta fraudis
tollatur occaſio, fiant modis omnibus Chriſtia-
na, & in domo ejus non maneant, ſed cum
res exegerit, ut eorum debeat uti ſolatiis, hoc
illi jubeatur impendere, quod etiam a ſuis fi-
liis ei decet, & propter Deum convenit exhi-
beri.

* ad commodent. * condemnari Parif. * oblato Parif.

## * XXXVI. AD CHRYSANTHUM * LXX

### Episcopum Spoletanum.

De monachis ab eo non defenſis.

*Gregorius Chryſantho epiſcopo Spoletano.*

CUm ſit proprium diſciplinæ ab illicitis pro-
hibere, & exceſſus culpas ſalubriter reſe-
care, ſtudioſe ejus ſervanda cenſura eſt. Nam
ſi negligitur, cuncta in confuſionem deveniunt,
dum alter deſtruit quidquid ea cuſtodiendo al-
ter ædificat. Valentinus itaque presbyter que-
ſtus eſt nobis, quia ſi monachus monaſterii
ipſius exigente culpa fuerit communione pri-
vatus, ad loca veſtra ſe conferat, & commu- D
nionem ſine aliqua reſervatione percipiat. Quod
ſi ita ſe res habet, quoniam non ſolum regu-
laris ordo diſſolvitur, ſed etiam perditionis ex
hoc materia miniſtratur, qui ſub vobis ſunt
presbyteris diſtincte ac ſolicitius interdicere vos
neceſſe eſt, ut hoc facere de cetero non præ-
ſumant. Sed ſi forte injuſte ſe excommunica-
tum quis queritur, fraternitas veſtra ſubtili in-
dagatione cognoſcat; & ita cauſſam cognita
veritate diſponat, ut nec injuſtitia diu inſontis
afflictione prævaleat, nec diſciplinæ vigor aut
frangi aut indiſcreta valeat præſumptione diſ-
ſolvi. Et quia pariter ſupraſcriptus presbyter
nobis queſtus eſt, diaconum quemdam duo ju-
ris ſui ſub hac conditione manumiſiſſe man-
cipia, ut monachi fieri & in eodem monaſte-
rio debuiſſent, ubi ipſe fuerat, permanere;
adjiciens ut ſi quis contra facere præſumpſiſſet,
jugo iterum ſervitutis per omnia ſubderetur,
atque unum ex eis hanc omnino conditionem
deſpexiſſe, & monaſterium temerario auſu de-
ſeruiſſe, atque ſe inter clericos ſociaſſe. Fra-
ternitas igitur veſtra & hoc ſubtili indagatione
diſcutiat, & ſi ita repererit, ſic ſacerdotali ſe
zelo hac in re decenter exhibeat, ut nec illi
monaſterium deſerendi facultas ſit, & manu-

mittentis voluntas nihilo minus conſervata ali-
qua præteriri excuſatione non valeat.

## * XXXVII. AD ANTHEMIUM * LXXI.

### Subdiaconum.

De Mauro multis debitis obligato.

*Gregorius Anthemio ſubdiacono.*

MAurus præſentium portitor in quadrin-
gentis ſolidis quaſdam merces a Felice
viro * memorando ſe aſſerit ſuſcepiſſe, atque * magnifico. Parif.
promiſiſſe ſex ſiliquas per ſolidum lucri cauſſa
perſolvere pretii. Quam lucri quantitatem in
uno congeſtam, duas ſe cautiones, id eſt,
unam de quadringentis quinquaginta, & alte-
ram de quinquaginta ſolidis emiſiſſe, ſpondens
certo tempore quod debeat exolvere. Sed quia,
ut perhibet, in eiſdem mercibus paſſus eſt non
leve diſpendium, & reſtitutis quadringentis de-
cem ſolidis, quod reliquum lucri eſt implere
compellitur, atque ex hoc majori ſe neceſſi-
tati ac potius deſperationi ingemit ſubjacere,
& propterea aliquo ſibi ſubveniri petit auxilio;
experientia tua, ſi ita eſt, apud magnificum
filium noſtrum una cum reverendiſſimo fratre
& coepiſcopo noſtro Fortunato, ac glorioſo
filio noſtro Maurentio magiſtro militum, quia
C & ipſi ſcribimus, agere ſtudeat, ut hac in re,
ſicut Chriſtianum decet & nobilem, plus be-
nignus quam rigidus, plus miſericors eſſe de-
beat quam diſtrictus, & lucrum de damno al-
terius non expectet, ſed recepta pretii ſit ſor-
te contentus; quatenus quidquid pauperi ceſſe-
rit, omnipotens ei Deus multiplicata ſicut pro-
miſit reſtitutione compenſet. Ita ergo ſtudioſe
experientia tua agat, ut illi modis omnibus
hoc pro mercede ipſius imponere, & hunc ab
afflictione poſſit obligationis exuere.

## * XXXVIII. AD ROMANUM * LXXII.

### Defensorem Siciliæ.

De Gaudioſi penuria ſuſtentanda.

*Gregorius Romano defenſori Siciliæ.*

DIvinorum nos admonent eloquia præcepto-
rum, neceſſitatem patientibus eccleſiaſti-
cum præbere ſubſidium. Quia ergo dilectiſſi-
mus filius noſter Cyprianus diaconus, Gaudio-
ſum defenſorem ſedis noſtræ, qui Syracuſis de-
gere comprobatur, paupertatis aſſerit inopia
conſtringi; idcirco experientiæ tuæ præſentium
auctoritate mandamus, ut a præſenti ſecunda
indictione ſex ſolidos annis ſingulis ei dare non
differas, ut & ille hujus remedii ſolatio potia-
E tur, & tu quod dederis tuis ſine dubio nove-
ris rationibus imputandum.

XXXIX.

## * XXXIX. AD ROMANUM, FANTINUM, &c. * LXXIII.

Ut epiſcopi cum mulieribus non habitent.

*Gregorius Romano defenſori, Fantino defenſori, * Sabiniano ſubdiacono, Hadriano notario, Eugenio notario, Felici ſubdiacono, Sergio defenſori, * a paribus, & ſex patronis.*

* Sabino Tariſſ.
* Pariſſ add. Bonifacio defenſori.

QUia ſicut cauta proviſio & culparum vias obſtruere, & novit quæ ſunt noxia declinare, ita neglectus patet exceſſibus, & quæ ſunt cavenda ſolet incurrere; magnam nos ſolicitudinis oportet curam impendere, & fratrum ſacerdotumque noſtrorum opinioni pariter & cautelæ proſpicere. Pervenit autem ad nos quoſdam epiſcoporum ſub prætextu quaſi ſolatii in una domo cum mulieribus converſari. Et ideo ne per hoc aut ſubſannatoribus juſta obtrectationis detur occaſio, aut facilem antiquus humani generis inimicus materiam deceptionis aſſumat, hujus tibi ſerie præceptionis injungimus, ut ſtrenuum te ſtudeas & ſolicitum exhibere. Et ſi qui epiſcoporum, quos commiſſi tibi patrimonii finis includit, cum mulieribus degunt, hoc omnino compeſcas, & de cetero eas illic habitare nullo modo patiaris, exceptis eis quas ſacrorum canonum cenſura permittit, id eſt, matre, amita, germana, & aliis hujuſmodi, de quibus prava non poſſit eſſe ſuſpicio. Melius tamen faciunt, ſi etiam a talium ſe cohabitatione contineant. Nam legitur quod beatus Auguſtinus nec cum ſorore ſua habitare conſenſerit, dicens: *Quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt*. Docti ergo viri cautela, magna nobis eſſe debet inſtructio. Nam incautæ præſumptionis eſt, quod fortis pavet, minus validum non timere. Sapienter enim illicita ſuperat, qui didicerit etiam non uti conceſſis. Et quidem nos nullos in hoc nolentes aſtringimus: ſed, ſicut facere ſolent medici, etſi ad tempus triſtem curam, tamen pro ſalute dictamus. Et idcirco non neceſſitatem imponimus: ſed ſi imitari doctum ſanctumque virum elegerint, ipſorum voluntati relinquimus. Tua igitur experientia, ut ſervari debeant ea quæ prohibenda mandavimus, ſtudium & ſolicitudinem gerat. Nam ſi aliter poſtmodum inveniri contigerit, non leve ſe apud nos noverit periculum incurſuram. Præterea curæ tuæ ſit eoſdem noſtros epiſcopos adhortari, ut ſubjectos ſibi in ſacris videlicet ordinibus conſtitutos, quod ipſi ſervant, ad ſimilitudinem ſui modis omnibus ſervare commoneant; hoc tantummodo adjecto, ut hi, ſicut canonica decrevit auctoritas, uxores, quas caſte debent regere, non relinquant. Data menſe Martio, indictione ſecunda.

## LXXIV. * XL. AD ROMANUM DEFENSOREM.

Ut Calixeno filio Stephaniæ donationem reſtituat.

*Gregorius Romano defenſori.*

MEnſe Novembri præſentis ſecundæ indictionis experientiæ tuæ præceptione noſtra mandavimus, ut Calixeno filio Stephaniæ domum Catinæ poſſeſſionis, quam Ammonia avia ejuſdem Calixeni eccleſiæ noſtræ * facta donatione contulerat, reddere ei donationem eamdem tandem debuiſſes. Quod hac, ut dicitur, excuſatione facere diſtuliſti, quia notitia ejuſdem donationis non eſſet de polyptychis charaxata. Quod incongrue te dixiſſe cognoſcas, dum ad munitionem tuam præcepti noſtri pagina poſſet valde ſufficere. Proinde præſenti auctoritate ſuſcepta, prædictam domum & donationem antefato Calixeno orphano ſine mora reſtitue. Nam quod juſtum & ipſe ſentias novimus, & nos tamen prædicto eidem orphano ſupradictam domum ex benignitate largimur.

* facta donatione. Pariſſ.



## * XLI. AD AGILULPHUM REGEM LONGOBARDORUM. * LXXV.

Gratias agit de pace facta.

*Gregorius Agilulpho regi Longobardorum.*

GRatias excellentiæ veſtræ referimus, quia petitionem noſtram audientes, pacem quæ utriſque eſſet partibus profutura; ſicut de vobis confidentiam habuimus, ordinaſtis. Ex qua re excellentiæ veſtræ prudentiam & bonitatem valde laudavimus, quia pacem diligendo, vos Deum, qui ipſius eſt auctor, amare monſtraſtis. Nam ſi, quod * abeſſe gaudemus, facta non fuiſſet, quid aliud agi debuit, niſi ut cum peccato, & periculo partium, miſerorum ruſticorum ſanguis, quorum labor utriuſque proficit, funderetur? Sed ut prodeſſe nobis eamdem pacem quemadmodum * a nobis facta eſt ſentiamus, paterna caritate ſalutantes petimus, ut quotiens ſe occaſio dederit, ducibus veſtris per diverſa loca maxime in his partibus conſtitutis, veſtris præcipiatis epiſtolis, ut hanc pacem, ſicut promiſſum eſt, * ſummopere cuſtodiant, & occaſiones ſibi aliquas non quærant, unde aut contentio quædam, aut ſeditio aliqua, aut ingratitudo naſcatur, quatenus voluntati veſtræ amplius agere gratias valeamus. Latores vero præſentium, ſicut revera homines veſtros, in eo quo decuit affectu ſuſcepimus: quia juſtum fuit ut viros ſapientes, & qui pacem factam Deo propitio nuntiaverunt, cum caritate & ſuſcipere & dimittere deberemus.

Paulus diac. lib. 4. cap. 9.
* abeſſe, le. Pariſſ.
* nobis. Ta.
* al. pure.

## * XLII. AD THEODOLINDAM LONGOBARDORUM REGINAM. * LXXVI.

Gratias refert de pace facta.

*Gregorius Theodolindæ Longobardorum reginæ.*

QUia excellentia veſtra ad faciendam ſe pacem ſtudioſius & benigne, ſicut ſolet, impenderit, renuntiante filio noſtro Probo abbate cognovimus. Neque enim aliter de Chriſtianitate veſtra fuerat confidendum, niſi quia in cauſſa pacis laborem & bonitatem veſtram modis omnibus monſtraretis. Unde omnipotenti Deo gratias agimus, qui ita cor veſtrum ſua pietate regit, ut ſicut rectam fidem tribuit, ita quoque placita ſibi vos ſemper operari con-

Paulus diac. lib. 4. cap. 9.

cedit. Non enim, excellentiſſima filia, de ſanguine, qui ab utraque parte fundendus fuerat, parvam te credas acquiſiſſe mercedem. Ex qua re voluntati veſtræ gratias referentes Dei noſtri miſericordiam deprecamur, ut bonorum vobis vicem & retributionem in corpore & in anima, hic & in futuro compenſet. Salutantes vos præterea paterna dilectione hortamur, ut apud excellentiſſimum conjugem veſtrum ita agatis, quatenus Chriſtianæ reipublicæ ſocietatem non rejiciat. Nam, ſicut & vos ſcire credimus, multis modis eſt utile, ſi ſe ad ejus amicitias conferre voluerit. Vos ergo more veſtro, quæ ad gratiam & conciliationem partium pertinent, ſemper ſtudete: atque ubi cauſſa mercedis ſe dederit laborare, ut bona B veſtra amplius ante omnipotentis Dei oculos commendetis.

*Gregorius Caſtorio epiſcopo de Arimino.*

LUminoſus abbas Monaſterii SS. Andreæ & Thomæ in Ariminenſi civitate conſtituti, quas nobis lacrymabiliter preces effuderit inditæ textus repetitionis informat. Namque eodem referente, plurimis in monaſteriis multa a præſulibus præjudicia atque gravamina monachos pertuliſſe comperimus. Oportet ergo ut tuæ fraternitatis proviſio de futura quiete eorum ſalubri diſponat ordinatione, quatenus converſantes in illis, in Dei ſervitio, gratia illius ſuffragante, mente libera perſeverent. Sed ne ex ea quæ magis emendanda eſt conſuetudine quiſquam monachis quidquam moleſtiæ inferre præſumat: neceſſe eſt ut hæc quæ inferius enumeranda curavimus, ita ſtudio fraternitatis epiſcoporum debeant cuſtodiri, ut ex eis non poſſit ulterius inferendæ inquietudinis occaſio reperiri.

Interdicimus &c. *ut inferius in Conc. Romano III.*

## * XLIII. AD FELICEM. * LXXVII

De reverentia & juſtitia Joannis epiſcopi, qui cum Felice judicium inire volebat.

*Gregorius Felici in Sicilia.*

CUm reverendiſſimi fratris noſtri Joannis epiſcopi bene nobis nota ſit gravitas, mirari nos gloriæ veſtræ valde fecit epiſtola, quod nihil eum ſecundum admonitionem noſtram facere voluiſſe ſignabat. Et quidem durum nobis videbatur, aut vobis non credere, aut de illo talia ſuſpicari: quippe cujus cogniti nobis mores & actio non permittebant tale habere judicium. Cum ergo noſter animus dubius in utroque penderet, comperimus eum inter vos & eccleſiam ſuam voluiſſe eſſe judicium, ſed veſtram magis gloriam diſtuliſſe: quod negare neque homo veſter lator præſentium potuit. Et contriſtati ſumus cur gloria veſtra, quæ judicium refugit, contra eum queri voluerit, poſtquam conſtat, quia quod rationis fuit, vel ultro, ut ſcripſimus, obedivit. Nec ei ſcribere iterum neceſſarium erat, ne diſtuliſſe prius ſecundum animum videretur. Sed ne vos contriſtare forſitan videremur, ex abundanti rurſus prævidimus ſcribendum. Et quoniam certi ſumus quia quidquid æquitas ordinaverit facere non recuſet, opor- A tet ut gloria veſtra animos ſuos contra ejus invidiam non accendat, ſed ſtudeat inire judicium, in quo una eademque cognitione & momenti & proprietatis cauſſa valeat diſtingui. Nam nos venire ad judicium cupienti præjudicialiter ſcribere quædam non poſſumus: quia ita nos uni parti accommodare decet auditum, ut tamen alteri, præſertim inauditæ allegationis, ſine dubio rem integram reſervemus. Et ideo agite, ſicut diximus, ut negotiorum veſtrorum merita veritate cognita judicii cenſura definiat. Nam dum nullum velimus præjudicium ſuſtinere, multo magis vobis, ſicut re vera filiis, volumus ſervari quod juſtum eſt.

## * XLIV. AD JOANNEM EPISCOPUM SYRACUSANUM. *LXXVII

Hortatur ut de poſſeſſionibus injuſte pervaſis judicium cum Felice ſubeat.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

ANte aliquantum temporis filius noſter vir glorioſus Felix ſuis nobis epiſtolis queſtus eſt, quarumdam poſſeſſionum ſuarum fines ab hominibus eccleſiæ veſtræ violenter eſſe pervaſos, & nullam ſe apud vos invenire juſtitiam. Sed nobis incredibile viſum eſt hoc C aut vobis eſſe præſentibus perpetratum aut certe, ſi ad aures veſtras pervenit, non fuiſſe correctum. Ne tamen ejus prætermittere querimoniam videremur, fraternitati veſtræ ſcripſimus, ut aut ea, ſi vera eſſent, compeſci, aut certe actores eccleſiæ ſuæ cum eo faceret ſubire judicium. Poſt hæc vero hominem cum epiſtola ad nos dirigens, indicavit nihil vos facere voluiſſe. De qua re, ſcientes ſanctitatis veſtræ diſcretionem, dum noſter animus dubitaret, comperimus illum magis diſtuliſſe: nam vos paratos extitiſſe, ut debuiſſet eſſe judicium. Et quamvis hac de cauſſa denuo vo- D bis non fuerat ſcribendum, quippe quia ea quæ rationis ſunt, ante vos manifeſtum eſt facere voluiſſe: verumtamen ne querelam ipſius neglexiſſe forſitan videamur, hanc ad vos idcirco epiſtolam dedimus, hortantes ut cum eo etiam nunc mora poſtpoſita veſtros ad judicium homines tranſmittatis, in quo & momenti & proprietatis valeat quæſtio terminari: ut poſt hoc nec ille habeat quod queratur, nec eccleſia veſtra tenere aliquid præjudicialiter videatur. Quia vero homo quem ad nos miſit ſchedam compromiſſi ac judicati protulit, ubi legebatur poſſeſſionem eam, quæ Aſinaria dicitur quam ab hominibus veſtris invaſam nuper aſſeruit, deceſſoris veſtri recordandæ E memoriæ Maximiani temporibus eſſe ex judicio reſtitutam, neceſſarium eſſe prævidimus ejus exemplar tranſmittere: & ideo ſi ita actum manifeſte cognoſcitis, id eſt, ſi poſſeſſio ipſa deceſſore veſtro conſentiente reſtituta eſt, & a prædicto viro poſſeſſa, ſine aliqua eam facite contentione reſtitui, manente ſcilicet proprietatis, ſicut in eodem judicio conſtitutum eſt, quæſtione. Si vero aliter eſt, & hoc pariter judicii neceſſe eſt diffinitione diſtingui. Hæc igitur omnia ita fraternitas veſtra indita ſibi tranquillitate ſine aliqua mora fieri provideat, quatenus nec contra * vos murmur excitetur invidiæ, nec nobis præ- * nos Pariſ.

dictus

dictus vir importunus denuo cogatur exi- A ſtere.

## LXXIX. * XLV. AD SERGIUM DEFENSOREM.

De Pantaleone notario, & de ſubſtantia avunculi ejus, qui inteſtatus deceſſerat.

*Gregorius Sergio defenſori.*

QUia Pantaleon notarius ſit in eccleſiaſticis utilitatibus occupatus, experientia tua non habet incertum. Et ideo quia Joannes avunculus Megalis ſocrus ipſius nullo alio proximiore exiſtente objiſſe inteſtatus & ſine filiis memoratur, ne per abſentiam generi ſui B illa damnum poſſit incurrere, (quia ſi ita eſt, lex prædictam mulierem ad inteſtati avunculi ſucceſſionem vocare dignoſcitur) hac tibi præceptione injungimus, ut reverendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Vitalianum atque Bonifacium notarium in ſolatio tuo adhibeas, & quaſcumque res eum qui defunctus eſt conſtiterit reliquiſſe, ſub brevi annotare, quouſque prædictus Pantaleon redeat in * tutum, ſtudioſe facere debeas. Quod ut melius poſſis implere, filium noſtrum Joannem virum memorandum tribunum in tuo pariter ſtude adhibere ſolatio. De quo omnino confidimus, quia, C ſi ei voluntatem noſtram prodideris, devote ſe tibi accommodare non deneget. Pariter etiam ſtudii tui ſit, quoniam quædam apud ſe ſacrata prædictus Joannes habuiſſe miniſteria perhibetur, & ea diligenter inquirere, & cum omni cautela in tutum facere, nobiſque ſubtiliter quidquid inventum fuerit indicare. Ita ergo experientia tua hæc quæ ſcripſimus facere ſolicite & curare feſtinet, ut non poſſit eſſe culpabilis. Nam ſi negligens eſſe pateris, ita te noſtros noveris motus incurrere, ut nulla te poſtmodum poſſis excuſatione defendere. Data menſe Aprili, indictione ſecunda.

al. totum. ſic in Parif.

## * LXXX. * XLVI. AD SABINUM DIACONUM.

Ut Bonifacii epiſcopi a clero ſuo accuſati cauſſa diligenter una cum quinque epiſcopis inquiratur.

*Gregorius Sabino diacono.*

CLerus eccleſiæ Regitanæ multa contra reverendiſſimum fratrem noſtrum Bonifacium epiſcopum ſuum data nobis petitione conqueſtus eſt, petens ut ad nos debuiſſet habere veniendi licentiam, quatenus cauſſæ ipſæ hic ſubtiliter probarentur. Sed quia nos interim prædictum fratrem noſtrum huc modo non prævidimus deducendum, viſum nobis eſt illic deputare * perſonam ad cauſſam eamdem cognoſcendam. Et ideo mediis ſacroſanctis evangeliis experientia tua una cum Paulino, Proculo, Palumbo, vel Venerio, atque Marciano reverendiſſimis fratribus coepiſcopiſque noſtris, ſine cujuſquam perſonæ reſpectu, tam clericorum querela, quam adverſus ſuum, ſicut diximus, habent epiſcopum, vel ſi quam forte ille contra eos habuerit, cum omni æquitate ac ſolicitudine perſcrutetur. Et quidquid in veritate cognoverit, nobis una cum prædictis fratribus noſtris ſubtiliter diligenterque ſignifi-

* perſonam ad deeſt in Parif.

cet, ut renuntiatione veſtra redditi certiores, quid fieri debeat decernamus.

## * XLVII. AD PAULINUM, * LXXXI.

PROCULUM &c.

*Gregorius Paulino epiſcopo Taurenſi, Proculo epiſcopo Nicoteræ, Palumbo epiſcopo Coſentiæ, * Venario epiſcopo Vibonenſi, Marciano epiſcopo Locrenſi.*

* Venerio Parif.

CLerus eccleſiæ Regitanæ multa contra reverendiſſimum fratrem noſtrum Bonifacium epiſcopum ſuum data nobis petitione conqueſtus eſt, petens ut ad nos debuiſſet habere veniendi licentiam, quatenus cauſſæ * ipſæ ſubtiliter probarentur. Sed quia nos interim prædictum fratrem noſtrum huc modo non prævidimus deducendum, viſum nobis eſt, illic * perſonam deputare ad cauſſam eamdem cognoſcendam: & ideo mediis ſacroſanctis evangeliis, fraternitas veſtra una cum Sabino diacono reſideat: &, ſicut officio eſt ſacerdotali conveniens, ſine cujuſquam perſonæ reſpectu, *& cætera ut ſupra.*

* ipſæ hic & Parif.

* perſonam & ad Parif.

## * XLVIII. AD ANASTASIUM * LXXXII.

EPISCOPUM ANTIOCHENUM.

De cura paſtorali. De eo quod non rectæ fidei homines ad ſacros ordines minime provehi debeant. Et de corrupta ſynodo Epheſina ab hæreticis. Et de damnatione Pelagii & Cæleſtii.

*Gregorius Anaſtaſio epiſcopo Antiocheno.*

FRaternitatis tuæ ſcripta ſuſcepi, profeſſionem fidei recte ſervantia: magnaſque omnipotenti Deo gratias retuli, quod & immutatis gregis ſui paſtoribus fidem quam ſemel ſanctis D patribus tradidit, etiam eam poſt eos immutabilem cuſtodit. Prædicator autem egregius dicit: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Jeſus Chriſtus.* Quiſquis ergo cum dilectione Dei & proximi fidei, quæ in Chriſto eſt, firmitatem tenet, eumdem Jeſum Chriſtum Dei & hominis filium apud ſe poſuit fundamentum. Sperandum ergo eſt, quod ubi Chriſtus fundamentum eſt, bonorum quoque operum ſequatur ædificium. Ipſa quoque per ſe veritas dicit: *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro: qui autem per oſtium intrat, paſtor eſt ovium.* Qui paulo poſt ſubjicit, dicens: *Ego ſum oſtium.* E Ille ergo ad ovile ovium intrat per oſtium, qui intrat per Chriſtum. Ipſe autem per Chriſtum ingreditur, qui de eodem creatore ac redemptore humani generis vera ſentit & prædicat, & prædicata cuſtodit: culmen regiminis ad officium portandi oneris ſuſcipit, non ad appetitum gloriæ tranſitorii honoris. Curæ quoque ſuſcepti ovilis ſolerter invigilat, ne oves Dei aut perverſi homines prava loquentes dilanient, aut maligni ſpiritus oblectamenta vitiorum ſuadentes devaſtent. Certe beatum Jacob qui pro uxoribus ſuis diu ſervierat dixiſſe meminimus: *Viginti annis fui tecum, oves tuæ & capræ tuæ ſteriles non fuerunt. Arietes tui gregis non comedi,*

1. Cor. 3.

Joann. 10.

Geneſ. 31.

*medi, nec captum a beſtia oſtendi tibi. Ego da-* A *mnum omne reddebam: quidquid furto perierat, a me exigebas. Die noctuque æſtu urebar & gelu, fugiebat ſomnus ab oculis meis.* Si igitur ſic laborat & vigilat qui pavit oves Laban, quanto labori quantiſque vigiliis debet intendere qui paſcit oves Dei? Sed in his omnibus ipſe nos inſtruat, qui propter nos homo factus eſt, qui dignatus eſt fieri quod fecit. Ipſe & infirmitati meæ, & tuæ caritati ſpiritum ſui amoris infundat, atque in omni ſolicitudine & cuſtodia circumſpectionis oculum noſtri cordis aperiat. Quod vero ad ſacros ordines rectæ fidei viri perducantur, eidem omnipotenti Deo gratiæ ſine ceſſatione ſolvendæ ſunt, & pro vita piiſſimi & Chriſtianiſſimi do- B mni noſtri imperatoris, & tranquilliſſima ejus conjuge, & manſuetiſſima ejus ſobole ſemper orandum eſt, quorum temporibus hæreticorum ora conticeſcunt: quia etſi eorum corda in inſania perverſi ſenſus ebulliunt, catholici tamen imperatoris tempore prava quæ ſentiunt eloqui non præſumunt. Præterea dum de ſanctorum conciliorum cuſtodia tua fraternitas loqueretur, ſanctam Epheſinam ſynodum primam ſe cuſtodire profeſſa eſt. Sed quia ex annotatione hæretici codicis, qui ad me ex regia urbe tranſmiſſus eſt, agnovi per hoc quod quædam capitula catholica cum hæreticis fuerant reprehenſa, quia quidem illam Epheſinam primam ſynodum in eadem urbe exiſtimant, quæ quon- C dam ab hæreticis traditur eſſe compoſita, omnino neceſſe eſt ut caritas veſtra eamdem ſynodum apud ſanctam Alexandrinam atque Antiochenam eccleſiam requirat, & qualiter in veritate habeatur inveniat. Vel, ſi placet, hinc * dirigemus quæ ab antiquitate ſervata in ſcriniis habemus. Illa enim ſynodus quæ ſub primæ Epheſinæ imagine facta eſt, quædam in ſe oblata capitula aſſerit approbata, quæ ſunt Cœleſtii atque Pelagii prædicamenta. Et cum Cœleſtius atque Pelagius in ea ſynodo ſint damnati, quomodo poterant illa capitula recipi, quorum damnabantur auctores? Quia vero pervenit ad nos in orientis eccleſiis nullum ad ſacrum ordinem niſi ex præmiorum datione per- D venire, ſi ita eſſe veſtra fraternitas agnoſcit, hanc primam oblationem omnipotenti Deo offerat, ut a ſubjectis ſibi eccleſiis errorem ſimoniacæ hæreſeos compeſcat. Nam, ut alia taceam, quales eſſe in ſacris ordinibus poterunt, qui ad hoc non merito, ſed præmiis evehuntur? Omnipotens Deus dilectionem tuam gratia cœleſti cuſtodiat, & de iis qui ſibi commiſſi ſunt fructum multiplicem ac menſuram ſupereffluentem ad æterna gaudia reportare concedat.

* dirig. mus Pariſ.

## * XLIX. AD BONAM ABBATISSAM.

* LXXXIII

De monaſterio ejus in melius tranſmutando.

In Pariſ. transfertur ad indict. XI.

*Gregorius Bonæ abbatiſſæ.*

ECcleſiaſtica damnum non ſentit utilitas, ſi res aliis competentes cognita veritate reſtituat. Cognovimus itaque Joannem quondam presbyterum ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cui auctore Deo deſervimus, in domo juris ſui poſita in hac urbe Roma juxta thermas Agrippinas oratorium conſtruxiſſe, atque illic quoſdam reditus legati titulo * reliquiſſe: in quo etiam oratorio ſervorum Dei congregationem eſſe conſtituit. Et hæc omnia ut debuiſſent impleri, teſtamenti ſui pagina ſanctæ memoriæ Pelagio deceſſori noſtro mandaverat. Sed quia morte occupatus hoc non occurrit implere, & domus ipſa cum horto ſuo ab actoribus noſtræ eccleſiæ detinetur *; juſtitiæ nos ratio vehementer incitat hujuſmodi piæ diſpoſitionis arbitrium adimplere. Sed quoniam illic pro difficultate temporis nova ſervorum Dei congregatio adhiberi non potuit, feminarum ſaltem ibi congregationem conſtituendam eſſe decrevimus, atque ideo & locum ipſum ſolenniter dedicare. Et quia monaſterium tuum, ubi prius fuiſti, in ruinæ erat periculo conſtitutum; te illic cum congregatione tua conſtituere Deo annuente perſpeximus, quatenus & in ſupradictæ domus monaſterio, juxta voluntatem defuncti, domino redemptori noſtro ſerviens habitare congregatio debuiſſet, & imminens potuiſſet periculum evitare. Præterea conſiderantes antedicti presbyteri voluntatem, perpetuo illic tempore monaſterium eſſe, atque ad eamdem domum in integro cum horto ſuo & rebus inferius deſignatis, quæ a teſtatore relictæ ſunt, proprietatis jure conſtituimus pertinere, id eſt, maſſam Magulianenſem cum appendiciis ſuis via Nomentana milliario plus minus undecimo, tabernam in hac urbe, quæ eſt poſita juxta Palacenas, & ſalgamum poſitum ante domum ſupradicti monaſterii. His igitur ita conceſſis atque diſpoſitis, dilectio tua diligenter invigilet, ut & Dei illic laudes ſalubri ſtudio devotiſſime, ut moris eſt, celebrentur, & ſupradictæ res ad jus ipſius pertinentes nulla, te negligente, occaſione depereant. Hanc enim ſolicitudinem non ſolum te, ſed etiam eas quæ loco tuo ſucceſſerint in prædicto monaſterio & rebus ſuperius deſignatis conſtituimus nihilo minus exhibere. * Data menſe Maii, indictione undecima.

Hæc epiſtola eadem eſt cum ... [illegible]

* per teſtamenti ſui ſeriem reliquiſſet &c. Pariſ.

* & idcirco haſtenus necdum voluntas defuncti completa eſt. juſtitiæ &c. Pariſ.

* Data &c. deeſt in Pariſ.

## * L. AD MARINIANUM * LXXXIV.

### ARCHIEPISCOPUM RAVENNÆ.

De Ariminenſi eccleſia propter infirmitatem epiſcopi deſtituta. Atque hortatur cives alium eligere.

In Pariſ. rejicitur ad indict. XV.

*Gregorius Mariniano archiepiſcopo Ravennæ.*

QUaliter ordinati a nobis ſacerdotis, * capitis, ut notum eſt, impediente moleſtia, Ariminenſis eccleſia paſtorali hactenus & ſacerdotali ſit regimine deſtituta, dudum fraternitas veſtra cognovit. Quem dum habitatorum loci illius precibus permoti ſæpius hortaremur, E ut ſi de eadem capitis qua detinebatur moleſtia melioratum ſe eſſe ſentiret, ad ſuam, auxiliante domino, reverteretur eccleſiam: qui datis induciis in hoc quadriennio expectatus eſt. Quem dum monitu cleri civiumque illinc venientium, noſque precibus * arguentium, inſtantius hortaremur, ut, ſi valeret, cum eis auxiliante domino remearet; data in ſcriptis ſupplicatione nos petiit, ut quia ad ejuſdem eccleſiæ regimen vel ſuſceptum officium pro eadem qua detinetur moleſtia aſſurgere nullatenus poſſet, eccleſiæ ipſi ordinare epiſcopum deberemus. Unde quia cunctarum eccleſiarum injuncta nos ſolicitudinis cura conſtringit, ne diutius

* corporis. Pariſ.

Ivo part. 5. cap. 305. Burc. lib. 1. cap. 189.

Grat. 7. q. 1. cap. 13. Joann. diac. lib. 4. c. 39.

* urgentium Pariſ.

diutius gregi fidelium deſit cuſtodia paſtoralis, A illorum precibus, hujuſque ex ſui impoſſibilitate renuntiatione compulſi, viſum nobis eſt eidem Ariminenſi eccleſiæ debere epiſcopum ordinari; & datis ex more præceptis clerum plebemque ejuſdem eccleſiæ non deſtitimus admonere, quatenus ad eligendum ſibi antiſtitem concordi proviſione concurrant. Hortamur igitur ut fraternitas veſtra eum quem uno conſenſu omnes elegerint, ſicut & ipſi a nobis popoſciſſe noſcuntur, ad ſe faciat evocari, quem cauta ex omnibus examinatione diſcutiate. Et ſi ea in eo quæ in textu * heptateuchi morte mulctata ſunt minime domino fuerint opitulante reperta, atque fidelium perſonarum relatione ejus vobis quidem vita placuerit, ad nos eum cum decreti pagina veſtræ B quoque addita teſtificationis epiſtola deſtinate; quatenus ejuſdem a nobis eccleſiæ diſponente domino conſecretur antiſtes.

* heptateuchi. Pariſ.

## * LI. AD CLERUM ET PLEBEM ARIMINENSEM.

* LXXXV.

Propter infirmitatem epiſcopi ſui præcipit alium eligendum.

* hæc pariter cum ſequenti ad indictionem XV. refertur in Pariſ.

*Gregorius clero & plebi conſiſtenti Arimini.*

PAſtoralis nos cura conſtringit eccleſiis ſacerdotis moderamine deſtitutis ſolicita conſideratione concurrere: & ideo quia eccleſia veſtra diu ſacerdotis proprii, * capitis quam noſtis impediente moleſtia, paſtorali eſt regimine deſtituta: veſtris precibus permoti, eumdem epiſcopum non deſtitimus admonere, ut ſi ex eadem moleſtia ſe melioratum eſſe ſentiret, ad ſuſcepti ſacerdotii debuiſſet remeare miniſterium. Qui ſemel a nobis ſæpiuſve commonitus, eadem urgente moleſtia, nunc in ſcriptis nobis ſupplicatione porrecta noſcitur intimaſſe, nullatenus ſe ad regimen ejuſdem eccleſiæ vel ſuſceptum officium, impediente D moleſtia, aſſurgere poſſe. Quæ perſonæ ejuſdem deſperatione compulſi, neceſſarium duximus de ordinatione nos ejuſdem eccleſiæ cogitare. Hortamur ergo ut uno omnes eodemque conſenſu, remoto ſtrepitu, talem vobis proficiendum eligatis auxiliante domino ſacerdotem, qui & a venerandis canonibus nullatenus reſpuatur, & tanto miniſterio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolennitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & viſitatoris pagina proſequente, ad nos veniat ordinandus, quatenus eccleſia veſtra, diſponente domino, proprium habere valeat ſacerdotem. Volumus autem ut eum quem unanimitas veſtra elegerit, ad fratrem & coepiſcopum noſtrum Marinianum Ravennam ſine dilatione aliqua perducatis, ut ab eo ſubtiliter inquiſitus atque perſpectus, ipſius quoque ad nos veniens teſtimonio roboretur.

* corporis quæ Pariſ.

## * LII. AD SEBASTIANUM EPISCOPUM.

* LXXVI

De eligendo epiſcopo in Arimino.

*Gregorius Sebaſtiano epiſcopo.*

PAſtoralis nos cura conſtringit eccleſiis ſacerdotis moderamine deſtitutis ſolicita conſideratione concurrere. Et ideo quia Ariminenſis eccleſia, cui fraternitas veſtra viſitationis impendit officium, diu ſacerdotis proprii, * capitis quam noſtis impediente moleſtia, paſtorali eſt regimine deſtituta, cleri, vel civium precibus permoti, eumdem epiſcopum non deſtitimus admonere, ut ſi ex eadem moleſtia ſe melioratum eſſe ſentiret, ad ſuſcepti ſacerdotii debuiſſet miniſterium remeare. Quia ſemel a nobis ſæpiuſve commonitus, eadem urgente moleſtia, nunc in ſcriptis nobis ſupplicatione porrecta noſcitur intimaſſe, nullatenus ſe ad regimen ejuſdem eccleſiæ vel ſuſceptum officium impediente moleſtia aſſurgere poſſe. Quæ perſonæ ejus deſperatione compulſi, neceſſarium duximus de ordinatione nos ejuſdem eccleſiæ cogitare. Hortamur ergo ut clerum plebemque eccleſiæ ejuſdem ſollicita debeatis admonitione compellere, ut ſibi cum domini auxilio talem proficiendum eligant ſacerdotem, qui & aptus tanto miniſterio valeat inveniri, C & a venerandis canonibus nullo modo reſpuatur. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolennitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, veſtrarum quoque teſtimonio literarum, huc ſacrandus occurrat; quatenus eccleſia ipſa proprium auxiliante domino habere valeat ſacerdotem. *

* corporis. Pariſ.

* menſe majo. Pariſ.

## * LIII. AD ANTHEMIUM CAMPANIÆ SUBDIACONUM.

* LXXXVII

De teſtamento Importuni Attellanæ civitatis epiſcopi.

*Gregorius Anthemio Campaniæ ſubdiacono.*

QUorumdam ad nos relatione pervenit, quod Importunus Attellanæ civitatis epiſcopus dum de hac luce migraret, condito teſtamento in octo unciis totius ſubſtantiæ ſuæ nurum ſuam hæredem inſtituerit, & eccleſiam ſuam in reſiduis quatuor. Hortamur ergo experientiam tuam, ut ſolita inquiſitione diſcutias, & quidquid eccleſiæ ipſius eſſe patuerit, a qualibet perſona detineri nullatenus patiaris, niſi hoc ſolum quod eum ante epiſcopatus ordinem proprium habuiſſe conſtiterit. Quidquid vero I vel ante eccleſiæ ipſius eſſe cognoveris, vel in epiſcopatus ordine prædictum epiſcopum acquiſiſſe, in ejuſdem eccleſiæ conſervetur dominio, ne quiſquam exinde aliquid uſurpare qualibet occaſione præſumat. Clerum vero plebemque ejuſdem eccleſiæ cum omni te volumus inſtantia commonere; quatenus proficiendum ſibi ſine dilatione aliqua eligant ſacerdotem, qui clerum plebemque vel res eccleſiæ ipſius cauta regularique valeat obſervatione diſponere. Pariter etiam clerum plebemque ipſius eccleſiæ, vel quæ ei unitæ ſunt Cumanæ inſtantius commoneto; quatenus & ipſi, omni mora dilationeque poſtpoſita, aptum ſibi eligere

gere debeant ſacerdotem, ne diu, & tali præſertim tempore, paſtoris proprii ſint regimine deſtitutæ.

## LIV. AD SECUNDINUM.

* LXXXVIII.

1. *De inſidiis antiqui hoſtis.*
2. *De Chalcedonenſi ſynodo omnino recipienda.*
3. *De Iba & Cyrillo.*
4. *De ſacerdotali officio poſt lapſum, ſi pœnitentia ſecuta fuerit, in priſtinum gradum reſtituendo.*
5. *De ordinatione apoſtolicæ ſedis.*
6. *De parvulorum animabus, quæ ſine baptiſmo moriuntur.*
7. *De muneribus ab eo tranſmiſſis.*
8. *Et de imaginibus tranſmiſſis.*

*Gregorius * Secundino ſervo Dei incluſo.*

* ſervus ſervorum Dei dilectiſſimo fratri

* condita

DIlectionis tuæ * ſcripta ſuſcepi, quæ in meo ſenſu amoris melle * condita ſapuerunt. O quanta aſpiratione vitæ plena ſunt, quæ per gratiam ſpiritus proferuntur. Non in eis cultus eloquentiæ, non verborum typhus apparebat, ſed ſolam veritatis atque caritatis radicem tenentia, per omne quod locuta ſunt, cæleſtis patriæ amorem * exhalabant. In eis vero tua a me dilectio petere ſtuduit, ut ad hanc libellum exhortatorium ſcribere deberem. Sed ſcire te neceſſe eſt, fili cariſſime, quia tantis podagræ doloribus, tantiſque curarum tumultibus premor, ut quamvis nunquam me aliquid fuiſſe reminiſcar, valde tamen me videam non eſſe * qui fuerim.

* quod

### I.

Quod autem tua ſe caritas & ultra ætatem quinquagenariam adhuc juvenilibus deſideriis aſſerit ſubjacere, in hoc quoque divini oraculi implet præceptum, quod ſcriptum eſt: *Juſtus in principio accuſator eſt ſui.* Nec tamen dubito majores te inſidias hoſtis * callidi perpeti, qui majora contra eum bella præparaſti. Tanto quippe ille deceptionis molimina arden tius exquirit, quanto te cæleſti patriæ ferventius inhiare cognoſcit. Et nos quidem qui vitam cum pluribus ducimus, etſi formidoloſi ac timidi, tamen quia contra antiquum hoſtem bella propoſuimus, quaſi in acie ſtamus. Vos autem * qui ſolitariam vitam ducitis, quid aliud quam * monachos dixerim, qui fervore virtutis etiam ante aciem exire feſtinatis? Cui ergo eum non familiariter hoſtis impetat, a quo ſe impeti ſingulariter * ſpectat? Et nos quidem qui inter homines vivimus, ſæpe per homines a callido hoſte tentamur. Vos autem qui * viam vitæ præſentis extra hominum frequentiam ducitis, tanto majora certamina pati neceſſe eſt, quanto ad vos ipſe tentationum magiſter accedit. Neque enim vacare orationibus ac laudibus Dei ſine aliqua interruptione temporis poteſtis: quia etſi intentio continue prompta eſt, ipſa tamen humanitatis infirmitas ad ſemetipſam relabitur, ut aliquando feſſa jaceat, atque ab ſtudii ſui exercitatione torpeſcat. Antiquus vero hoſtis mox ut otioſam mentem invenerit, ad eam ſub quibuſdam occaſionibus locuturus accedit, & quædam ei de geſtis præteritis ad memoriam reducit, audita quondam verba indecenter cogitationi reſonat; & ſi qua dudum turpiter acta ſunt, eorum ſpecies oculis cordis apponit; ut quem de præſentibus non valet inquinare, de malis tranſactis * violet. Et decepta mens ſæpe inde in delectationem rapitur, unde diu jam ſe per pœnitentiam afflixit: ita ut vere cum pſalmiſta dicat: *Computruerunt & deterioratæ ſunt cicatrices meæ a facie inſipientiæ meæ.* Cicatrix quippe figura eſt vulneris, ſed ſanati. Cicatrix ergo ad putredinem redit, quando peccati vulnus, quod jam per pœnitentiam ſanatum eſt, in delectatione ſui animum concutit. Sæpe * quod nunquam fecimus, per hoſtis callidi inſidias cordis oculis videmus. Cumque inſenſibiliter in hoc delectatio ſurripit, quamvis jam plangat quæ fecerat, tædet tamen infelicem animum quædam non feciſſe quæ plangat. Hæ ſunt cordis noſtri tenebræ, quas in hac vita volentes nolenteſque ſuſtinemus. Quis contra hæc quærendus eſt, niſi adjutor in opportunitatibus in tribulatione?

Job 13.

* callidi

* vitam

* monachos dixerim Patres

* exſpectat

* viam vitæ præſentis

* conetur illudere. Unde fit ut decepta mens ſæpe in delectatione poſita exclamet, Computruerunt & cetera. Pſal. 37.

* Namque quod fecimus.

### II.

Valde autem libenter accepi quod tua me caritas de ſua dubitatione requiſivit, an orientales eccleſiæ fidem atque doctrinam ſanctæ memoriæ Leonis ſequantur; ne fortaſſe earum ſenſus inter ſemetipſas pro trium capitulorum defenſione diviſus ſit. Unde certam dilectionem tuam eſſe deſidero, quia prædictæ ſanctiſſimæ orientales eccleſiæ uno ſenſu, una doctrina fidem ejuſdem ſanctæ memoriæ Leonis tenent, ſanctamque Chalcedonenſem ſynodum ita nobiſcum cuſtodiunt atque venerantur, ut nullus eſſe epiſcopus reputetur, qui ejuſdem ſynodi defenſor ſectatorque non fuerit. Hinc eſt enim ut quotiens in quatuor præcipuis ſedibus antiſtites ordinantur, ſynodales ſibi epiſtolas viciſſim mittant, in quibus ſe ſanctam Chalcedonenſem ſynodum cum aliis generalibus ſynodis cuſtodire fateantur: ſicut & nos averſamur, atque anathemate plectendos ducimus, ſi quis de fide ejuſdem ſynodi aliquid imminuere, vel aliquid in ea addere præſumpſit. Nam ſynodus quæ poſt eam generaliter facta eſt, idcirco a nobis * recipitur, quia ejuſdem ſynodi in omnibus ſequax, honorem illius auctoritatemque cuſtodit. Unde neceſſe eſt ut dulciſſima mihi tua dilectio, in hoc quod præcipue in bonis moribus vivit, quod ſe per abſtinentiam affligit, quod doctrinæ Dei vehementius inſiſtit, hoc ſtudioſius cogitet, ne errorem ſchiſmaticorum ſequens, a ſancta univerſali eccleſia diviſa poſſit inveniri. Et quid tot labores proderunt, ſi in unitate fidei inventa non fuerit, quæ ante Dei omnipotentis oculos in bonis actibus animam præcipue cuſtodit? Hinc enim dicitur: *Una eſt columba mea, perfecta mea.* Hinc ad Moyſem dominus dicit: *Eſt locus penes me, & ſtabis ſuper petram.* Quis eſt locus qui non ſit in Deo, dum cuncta ab ipſo, per quem creata ſunt, continentur? Sed tamen eſt locus apud eum, videlicet ſanctæ eccleſiæ unitas; in qua ſuper petram ſtatur, dum confeſſionis ejus ſoliditas humiliter tenetur. De quo loco ſubjungitur: *Tunc videbis poſteriora mea.* In petra enim, id eſt, in ſancta eccleſia ſtantes, Dei poſteriora videmus, quando jam ea quæ in fine promiſſa ſunt cæleſtis patriæ

* cuſtoditur.

Exod. 33. Cant. 6.

triæ gaudia contemplabimur. Perverſi autem A homines, qui trium capitulorum occaſione reperta eccleſiaſticam diſciplinam fugiunt, de ſuis carnalibus actibus reprehendi pertimeſcunt, ſubeſſe ſedis apoſtolicæ præceptis nolunt, & nos quaſi de fide reprehendunt; quam ipſi neſciunt. Et dum neque in fide recti ſunt, neque in bonis operibus intenti, ſtudent ut certare pro * fide videantur. Sicque fit ut quotidie deteriores fiant, dum in eis culpa groſſeſcit, qui quaſi de zelo fervoris videri etiam laudabiles appetunt. Sed juxta hoc quod ſcriptum eſt: *Ex operibus eorum cognoſcetis eos*, vitam eorum tua caritas attendat, & meritum intentionis aſpiciat. Ut enim dilectioni tuæ de eadem te breviter loquar, ſancta Chal B cedonenſis ſynodus uſque ad definitionem fidei, & prolationem canonum, de generalibus cauſſis locuta eſt. Nam poſt prolationem canonum ſpecialia epiſcoporum certamina ſopire curavit.

* veritate.

Matth. 7.

## III.

Epiſtolam vero quam in ea reverendiſſimus Ibas denegat ſuam, quod in extrema parte ſynodi jaceat, agnoſcis. Quæ videlicet epiſtola Neſtorium inauditum & inquiſitione non facta damnatum aſſerit, Cyrillum vero in Apollinaris dogma cecidiſſe ſuſpicatur. Et ſi totus ſuperior textus prædictæ ſynodi legitur, C quantum hæc epiſtola eidem ſynodo adverſetur invenitur; quia ſcilicet ſancta ſynodus & Neſtorium, ſicut eſt, hæreticum denuntiat, & beatum Cyrillum patrem catholicum veneratur. Epiſtola ergo quæ illum defendit qui a ſynodo damnatus eſt, & eum accuſat qui a ſynodo veneratus eſt, procul dubio definitioni ſanctæ ſynodi probatur adverſa. * Sed quia ejus defenſores ſolent dicere, quod hanc Ibas eo tempore ſcripſit, quo adhuc Cyrillus propter duodecim capitula, quæ necdum expoluerat, dubius habebatur; in ipſa hac epiſtola perpende, quia legitur quod inter orientales epiſcopos & beatum Cyrillum pax fuerit celebrata. Si ergo poſt concordiam pacis, D poſt ſatisfactionem amotæ dubitationis, hæc eadem epiſtola ſcripta eſt, conſtat, quia non eſt catholica, quæ patrem catholicum, atque in toto ſynodi volumine laudatum, hæreticum appellat. Hæc paucis dixi, quia ex quibus præcipue cauſſis hac in re dubitationem tua caritas habet, in epiſtolis non inveni.

* Qui enim tantorum patrum definitam non ſervant ſententiam procul dubio adverſantur eccleſiæ.

## IV.

Et quia tua ſanctitas hoc a nobis requiſivit, ut ſibi de ſacerdotali officio poſt lapſum reſurgendi auctoritates ſcriberemus, dum te * dicit de hoc canones diverſos legiſſe, & diverſas ſententias inveniſſe, alias reſurgendi, E alias nequaquam poſſe: ideo ſanctas nos generales ſynodos, a Nicæna incipientes, hanc cum reliquis quatuor veneramur: quia ipſam ſequentes, ceteræ in cunctis canonicis ſententiis unanimiter concordant. Nam & nos præcedentes patres * ſequi debemus, qui auctore Deo a ſacra doctrina illorum non diſcordamus. A capite itaque incipientes, uſque ad quartum altaris * miniſtrum, hanc formam ſervandam cognoſcimus: ut ſicut minorem major præcedit in honore, ita & in crimine,

16. Diſt. 50. *Quia tua ſanctitas*

* dicis de hoc canonum diverſorum legiſſe te diverſas ſententias.

* ſequimur, quia

* miniſterium. *Pariſ.*

& quem major ſequitur culpa, majori * plectatur vindicta, & ſic poſtea pœnitentia credatur eſſe fructuoſa. Quid enim prodeſt triticum ſeminare, & fructum illius non * colligere? aut domum conſtruere, & non illic habitare? Poſt dignam igitur ſatisfactionem credimus poſſe rediri ad honorem, dicente propheta: *Numquid qui cadit non adjiciet ut reſurgat?* Et: *Qui averſus eſt non revertetur?* Et peccatori ait: *In quacumque die converſus ingemueris, tunc ſalvus eris*. Unde & pſalmiſta ait: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum tuum rectum innova in viſceribus meis. Ne projicias me a facie tua, & Spiritum ſanctum ne auferas a me*. Dum enim petit, ne a domino projiceretur pro * culpa ſua *, alienam rex & propheta ſimul * rapuiſſe uxorem tremefactus expavit, & propheta indicante flagitium ſuum, pœnitentiam agens addebat: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me*. Si enim condignam Deo pœnitentiam non feciſſet, nequaquam aliis prædicaret. Ait enim: *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur*. Dum enim peccata proſpexit propheta * mundatus per pœnitentiam, non dubitavit prædicando curare aliena, & ſacrificium de ſemetipſo Deo offerre ſtuduit, cum dicebat: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*. Ad hoc iſta ſufficerent: ſed omnis ſententia quo plus ſacræ ſcripturæ teſtimoniis confirmatur, facilius creditur. De hoc enim propheta dicit: *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat*. De hoc peccantibus dicitur: *Peccator in quacumque die converſus ingemuerit, ſalvus erit: omnes iniquitates ejus oblivioni tradentur*. Si enim redemptor noſter, qui peccatores non perdere, ſed juſtificare venit, in oblivione peccantium delicta * dereliquit: quis hominum condemnanda * reſervat, cum apoſtolus dicat: *Si Deus juſtificat, quis eſt qui condemnet?* Ad fontem miſericordiæ recurrentes, evangelii proferamus ſententiam: * *Gaudeo*, inquit, *ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, magis quam ſuper nonagintanovem juſtis, qui non indigent pœnitentia*. Et ovem perditam, nonagintanovem non errantibus relictis, humero pii paſtoris ad ovile reportatam dominus ipſe teſtatur. Si ovis perdita errans poſt inventionem ad ovile humero reportatur, cur iſte poſt pœnitentiam ad eccleſiæ miniſterium lapſus non revocetur? Sicut in Apocalypſi dicitur de miniſterio eccleſiæ: *Memento unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac*. Quid enim eſt gravius, aut carnale delictum admittere, ſine quo pauci inveniuntur, aut Dei filium jurejurando negare? In quo verbo hunc ipſum beatum Petrum apoſtolorum principem, ad cujus ſacrum corpus indigni ſedemus, lapſum eſſe cognoſcimus. Sed poſt negationem pœnitentia ſecuta eſt, & poſt pœnitentiam miſericordia data eſt: quia poſtea ab apoſtolatu eum non expulit, qui ante quidem ipſum ſe negare prædixit. Tibi hæc, fili cariſſime, dicta ſufficiant, ut illum quem conſpicis delicta fletu delere, in conſpectu divinitatis non dubites miſericordiam conſequi: quia * ille peccatorem reverſum non deſpicit, qui peccatores ſanguine ſuo redimere venit.

* impleatur

* tollere?

Ezech. 18.

Pſal. 50.

* quod ſapius Pariſ. & erat ſua rapuiſſet

Pſal. 50.

* mundans

Pſal. 50.

Ezech. 18.

* in aqua reſervet

Rom. 8.

* gaudebo Pariſ. Luc. 15.

Apoc. 2.

* nullum peccantem reverſum non recipit.

V.

(a) De ordinationibus vero apoſtolicæ ſedis pontificum, utrum poſt beatiſſimum virum Hormiſdam aliqua ſint addita veſtra caritas requirit. Sed uſque ad Vigilii papæ tempora expoſitas ordinationes præſulum eſſe cognoſcis. Aloem vero, thymiama, ſtyracem & balſamum, ſanctorum martyrum corporibus offerenda, latore præſentium deferente tranſmiſimus.

VI.

In extremo vero epiſtolæ quæſiſti, quid eis reſpondendum ſit, qui dilectionem tuam de parvulorum animabus requirunt, qui ſine gratia baptiſmatis moriuntur. dicens: Si corpus originali tenetur culpa, unde anima quæ a Deo datur, rea erit, quæ adhuc in actuali delicto corpori non conſenſit? Sed hac de re dulciſſima mihi tua caritas ſciat, quia de origine animæ inter ſanctos patres requiſitio non parva verſata eſt: ſed utrum ipſa ab Adam deſcenderit, an certe ſingulis detur, incertum remanſit, eamque in hac vita inſolubilem faſſi ſunt eſſe quæſtionem. Gravis enim eſt quæſtio, nec valet ab homine comprehendi: quia ſi de Adam ſubſtantia anima cum carne naſcitur, cur non etiam cum carne moritur? ſi vero cum carne non naſcitur, cur in ea carne quæ de Adam prolata eſt obligata peccatis tenetur? Sed cum hoc ſit incertum, illud incertum non eſt: quia niſi ſacri baptiſmatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis eſt obſtricta. Hinc enim ſcriptum eſt: *Non eſt mundus in conſpectu ejus, nec unius diei infans ſuper terram*. Hinc David ait: *In iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea*. Hinc ipſa veritas dicit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non introibit in regnum cælorum*. Hinc Paulus apoſtolus ait: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*. Cur ergo infans, qui nihil egit, in conſpectu omnipotentis Dei non valet eſſe mundus? Cur pſalmiſta, ex legitimo conjugio prolatus, in iniquitate conceptus eſt? Cur niſi qui mundatus aqua baptiſmatis fuerit, mundus non eſt? Cur in Adam omnis homo moritur, ſi originalis peccati vinculis non tenetur? Sed quia genus humanum in parente primo velut in radice putruit, & ariditatem traxit in ramis, & inde omnis homo cum peccato naſcitur, unde primus homo permanere noluit ſine peccato. De his autem ſubtilius & latius loqui debueram: ſed dum me & curatum tumultus premunt, & harum portitor ut laxari debuiſſet importunus extitit; unde multa debui, pauca locutus ſum. Rogo autem omnipotentem Deum, ut ſua te gratia protegat, & beati Petri apoſtolorum principis interceſſione a malis omnibus illæſum ſervet, quatenus fervor cæleſtis deſiderii in tua mente quotidie ardentius excreſcat, ut ſemper novus, & ſemper teipſo robuſtior ad cæleſtia præmia multiplicius percipienda pertingas.

Pſal. 50.
Joan. 3.
1 Cor. 15.

VII.

Tranſmiſi autem duos homiliarum codices, quas dixi in eccleſia, dum adhuc loqui prævalerem, ut quia ipſe te videre, tibique ſedulo colloqui non poſſum, caritati tuæ, vel per ea quæ ſcribere valui, abſens non ſim. Exiguum quoque veſtimentum tranſmittere ſtudui, per quod tua caritas, quia Auſtrali in animo calore fervet, foris a corpore Arcturi frigus repellat. Peto autem ut pro me orare enixius debeas, ut tuæ interceſſionis ope & a malis præſentibus eripi, & æternis merear gaudiis præſentari.

VIII.

Imagines quas tibi dirigendas per Dulcidium diaconum * rogaſti, miſimus. * Unde valde nobis tua poſtulatio placuit, quia illum toto corde, tota intentione * quæris, cujus imaginem præ oculis habere deſideras, ut te viſio corporalis quotidiana reddat exercitatum: ut dum picturam illius vides, ad illum animo inardeſcas, cujus imaginem * videre deſideras. Ab re non facimus, ſi per viſibilia inviſibilia demonſtramus. Sic homo qui alium ardenter videre deſiderat, aut ſponſam amans videre conatur, ſi contigerit eam ad balneum aut ad eccleſiam * ire, ſtatim per viam incedenti ſe præparat, ut de viſione ejus hilaris recedat. Scio quidem quod imaginem ſalvatoris noſtri non ideo petis, ut quaſi Deum colas, ſed ut recordatione filii Dei in ejus amore recaleſcas, cujus te imaginem videre deſideras. Et nos quidem non quaſi ante divinitatem ante illam proſternimus, ſed illum adoramus quem per imaginem aut natum, aut paſſum, aut in throno ſedentem recordamur. Et dum nobis ipſa pictura quaſi ſcriptura in memoriam filium Dei reducit, animum noſtrum aut de reſurrectione lætificat, aut de paſſione demulcet. Ideoque direximus tibi * ſurtarias duas, imaginem Dei ſalvatoris, & ſanctæ Dei genitricis Mariæ, beatorumque apoſtolorum Petri & Pauli continentes, per ſupradictum filium noſtrum diaconum, & unam crucem, clavem etiam pro benedictione a ſanctiſſimo corpore Petri apoſtolorum principis, ut per ipſum a maligno defenſus permaneas, cujus * ſigno te eſſe munitum credis, & * ex eo te protegat qui juvenilia ſemper ſuggerit recordari: ut in bonis * tuis actibus perſeveres: ut in ejus amore uſque ad finem permaneas, pro cujus amore ſolitarius deſideras habitare: ut alios in ejus amore accendas, propter quam te feciſti haberi: ut vitæ hujus mala, quæque inimicus ſuggerit retro acta, mentis proventibus quaſi facibus inardeſcas, pro cujus amore vitam etiam velis finire: ipſe quoque te protegat uſque in finem, qui cunctum mundum dignatus eſt redimere Jeſus Chriſtus dominus noſter, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen. (b)

* tuæ
* in qua te valde
* ad diligis.
* conſideras
* procedere eminus viam tendenti ſe præbet.
* duas tabulas, ex c. Juſtelli.
* ſancto ligno.
* ab eo te protegat (hoc eſt dæmone, de quo ſupra num. 1.) qui juveniles affectiones tibi ſuggerit recordari.
* perſeverans altius in ejus amorem aſcendas, pro quo ſolitarium te feciſti. Ut vita tua, ejus malitia qui te corde fugit, retroacta, aliis mentibus quaſi facibus inardeſcas.

LV.

(a) Cap. V. VI. & VII. non ſunt apud Iſidorum. *Hard.*

(b) Hanc epiſtolam multis hinc inde intruſis vitiatam eſſe aſſerunt Benedictini & ex MSS. Codd. probant. Adducunt ex MSS. Codd. variis plus quam ducentas ſive additiones ſive corruptiones deprehendiſſe. Monent denique diſciplinam circa reſtitutionem lapſorum ſacerdotum cum ſententia S. Gregorii ex adverſo pugnare. Antiqua tamen eſſe additamenta hæc, & ſupra ætatem Pauli diaconi, qui obiit an. 801 ex eo conſtat, quod leguntur inter epiſtolas LIV. ab eo collectas. *Manſi*

* LXXXIX. * LV. AD ADEODATAM.

Eam ad ſuperna meditanda corroborat.

tranſfertur ad indict. III. in Pariſ.

*Gregorius Adeodatæ illuſtri.*

MAgnam nobis lætitiam gloriæ veſtræ ingeſſit epiſtola, quæ eternæ vitæ deſiderium vos habere ſignavit: ſed quia hujuſmodi ſtudium fugitiva ſolet mundi gloria præpedire; hortamur ut mentis veſtræ ſaluberrimam deliberationem res quælibet tranſitura non revocet, nec ab incepto eam tramite deviet: ſed magis ſupernæ patriæ amor accendat, præmia manſura ſolicitet, & ad venturi judicis diſtrictionem certam ſemper aſpiret, atque ex temporalibus æterna mercetur: ut ex hoc & in vera gloria eſſe, & inter matronas poſſitis cæleſtes adſcribi. Reducite ad animus proſperitates temporum, multitudines * hominum, dignitatum pompas, matronarum gloriam, divitiarum abundantiam. Attendite hæc omnia ubi vel quid facta ſunt, & ex hoc penſate quod nulla ſint, & quia qui iſta diligit ſomnium vigilans videt. Hæc itaque recordatio magna vobis debet eſſe inſtructio, quoniam pro magno diligi non debet quidquid fine concluditur. Illa ergo appetenda, illa ſummopere diligenda ſunt, quæ nec inventa tranſeunt, nec adepta deficiunt. Sed quia ad horum deſiderium anhelare ſine divinæ miſericordiæ gratia nullus valet; oramus omnipotentem dominum, ut hæc vobis & eligendi velle, & poſſe tribuat obtinendi, quatenus & hic vos in ſuo vivere timore concedat, & poſtea in ſanctarum * matronarum ſorte recipiat. Paterna itaque caritate gloriam veſtram ſalutantes, indicamus de cauſſa fratris & coepiſcopi noſtri Decii hoc nobis viſum fuiſſe, ut eam audiendam fratri & coepiſcopo noſtro Joanni & Leontio viro glorioſo, quia bonus & juſtus vir dicitur, committere deberemus: ſecuri maxime quia ubi prædicti fratris & coepiſcopi noſtri in judicio caritas intereſt, nec eis ſurripiatur, nec pars eccleſiæ poſſit præjudicium ſuſtinere.

honorum

* martyrum Pariſ.

* XC. * LVI. AD JANUARIUM EPISCOPUM

CALARITANUM.

Quod nihil pro ſepultura exigendum aut accipiendum eſt, niſi ſponte pro luminaribus eccleſiæ aliquid offerretur.

*Gregorius Januario epiſcopo Calaritano.*

Gra. 13. q. 2. cap. 12. Ivo part. 11. cap. 20.

QUeſta eſt nobis Nereida clariſſima femina, quod ab ea centum ſolidos pro filiæ ſuæ ſepultura fraternitas veſtra non erubeſcat exigere: atque ei ſuper doloris gemitum majorem diſpendii ſtudeat inferre moleſtiam. Quod ſi ita ſe veritas habet, quia grave nimis eſt, & procul nimis eſt a ſacerdotis officio pretium de terra conceſſa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium; ab hac ſe petitione fraternitas veſtra contineat, & moleſta ei de cetero non exiſtat: maxime quia & Hortulanum quondam, de quo ſe ipſam aſſerit filiam ſuſcepiſſe, eccleſiæ veſtræ non in parva quantitate munificum memorat exitiſſe. Hoc autem vitium & nos poſtquam, Deo au-

A ctore, ad epiſcopatus honorem acceſſimus, de eccleſia noſtra omnino vetuimus, & pravam denuo conſuetudinem nequaquam uſurpari permiſimus, memores quia dum Abraham a filiis Hemor, hoc eſt, Ephron filio Seor ſepulcrum [illegible] pretio ad humandum corpus conjugis poſtularet, pretium accipere renuit, ne commodum videretur de cadavere conſecutus. Si ergo tantæ conſiderationis paganus vir fuit, quanto magis nos qui ſacerdotes dicimur hoc facere non debemus? Unde ne hoc avaritiæ vitium, ne vel in alienis denuo tentari præſumatur admoneo. Sed ſi quando aliquem in eccleſia veſtra ſepeliri conceditis, ſiquidem parentes ipſius, proximi vel heredes pro luminaribus ſponte

B quid offerre voluerint, accipere non vetamus. Peti vero aut aliquid exigi omnino prohibemus: ne, quod valde irreligioſum eſt, aut venalis fortaſſe, quod abſit, dicatur eccleſia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, ſi ex eorum cadaveribus ſtudeatis quærere quolibet modo compendium. Alias vero cauſſas, quas prædictæ Nereidæ eſt complexa petitio, hortamur ut aut pacifica, ſi fieri poteſt, ordinatione definias aut certe in deputatum a nobis judicium perſonam inſtructam dirigere non omittas; quia ad hoc Redemptum defenſorem noſtrum præſentium portitorem illic direximus, ut & partes in judicio obſervare compellat, & executionis ſuæ in

C ſtantia ad effectum quæ fuerint judicata perducat.

* LVII. AD CONSTANTIUM EPISCOPUM * XCI.

MEDIOLANENSEM.

Promittit clericis * Comanis ad unitatem eccleſiæ redeuntibus poſſeſſionem Aurianam, licet in ea nullum jus habeant. * Comacinis

*Gregorius Conſtantio epiſcopo Mediolanenſi.*

LAtore præſentium communi filio Eventio diacono, qui fraternitatis veſtræ nobis

D ſcripta detulit referente cognovimus, clericos eccleſiæ * Comenſis, quos ſacerdotali ſtudio reverti ad unitatem eccleſiæ monuiſtis, reſpondiſſe, non ſibi talem a * vobis affectum impendi, ut ad hoc redire caritate ſuadente prævaleant, aſſerentes res diverſas ſuas injuſte ab aliis, inter quos & a noſtra eccleſia poſſeſſionem quæ villa * Auriana dicitur, detineri. Nos quidem ſanctitatis veſtræ ſolicitudinem omnino laudavimus; quia quod vos oportuit facere minime neglexiſtis. Sed nec nos prædictam poſſeſſionem, ſi eis jure competit, etiamſi ad communionem forte reverti diſtulerint, contra rationis ordinem patimur detineri, ſed eam cognita volumus veritate reſtitui. Si ve-

E ro ad unitatem eccleſiæ, quod optamus, Deo ſe inſpirante converterint, etiamſi nihil illis competat, eam illis parati ſumus concedere. Nam nulla occaſione excuſare ſe volumus, quos ad matris eccleſiæ gremium redire deſiderabiliter expectamus. De hortis vero quos in capitulare tranſmiſſo ex ſubſtantia tali eccleſiæ veſtræ competere ſignaſtis, vel prædictus * vobis portitor indicabit, vel in ſubſequenti illuc perſonam tranſmittemus, cui inter alia curabimus evidenter injungere, ut veritatem congrua indagatione cognoſcat, & quidquid juſtum fuerit

* ad Comenſes.

* nobis Pariſ.

* Mauriana Pariſ.

* nobis Pariſ.

rit faciat. Nam nos qui alios contriſtare contra æquitatem non patimur, multo magis vos, quos valde diligimus, triſtes relinquere non valemus. De aliis autem cauſſis, quale noſtrum ad ſingula ſit reſponſum, ſupradicti communis filii relatione cognoſcetis. Scripta vero ad dilectiſſimum filium noſtrum Anatolium diaconum pro commendatione hominum veſtrorum, ſicut voluiſtis, fecimus.

* XCII * LVIII. AD ANATOLIUM DIACONUM CONSTANTINOPOLITANUM.

Homines Conſtantii epiſcopi commendat.

*Gregorius Anatolio diacono Conſtantinopolitano.*

REverendiſſimus frater & coepiſcopus noſter Conſtantius ſuos homines illuc pro eccleſiæ tuæ utilitatibus feſtinans tranſmittere, tuæ eos dilectioni voluit commendari. Proinde in quantum, Deo jubente, potueris, eis ſalva ratione, ubi neceſſe fuerit, concurras, atque ſolatium feras; quatenus dum tua fuerint, ſicut dignum eſt, opitulatione ſuffulti, & ipſi illic minus valeant laborare, & prædictus frater noſter eccleſiæ ſuæ melius utilitates adjutas, te ſuffragante, cognoſcat.

* XCIII * LIX. AD FANTINUM DEFENSOREM PANORMITANUM.

De ſynagogis Judæorum irrationabiliter occupatis.

*Gregorius Fantino defenſori Panormitano.*

ANte aliquantum tempus Victori fratri & coepiſcopo noſtro ſcripſimus, ut quoniam quidam Judæorum data nobis petitione queſti fuerunt, ſynagogas in civitate Panormitana poſitas cum hoſpitiis ſuis fuiſſe ab eo irrationabiliter occupatas, quouſque cauſſa, utrum D juſte factum eſſet, potuiſſet agnoſci, ab eorum ſuſpenderet ſe congregatione, ne forte in eorum ſola voluntate verſari præjudicium videretur. Et quidem nos prædictum fratrem noſtrum incongrue aliquid egiſſe, ſacerdotii ejus reſpectus facile credere non permiſit. Sed quia Salerio notario noſtro, qui illic præſens poſtea inventus eſt, renuntiante comperimus, nullam extitiſſe cauſſam pro qua potuiſſent rationabiliter occupari, atque eas eſſe inconſulte ac temere conſecratas, idcirco experientiæ tuæ præcipimus, ut quia quod ſemel conſecratum eſt Judæis ultra non valet reſtitui, quantum a filiis glorioſo Venantio, Patricio & * Urbicio abbate ſynagogæ ipſæ cum his hoſpitiis E quæ ſub ipſis ſunt, vel earum parietibus cohærent, atque hortis ibi conjunctis æſtimatæ fuerint, ſtudii tui ſit, ut præfatus frater & coepiſcopus noſter dare pretium debeat; quatenus hoc quod occupari fecit, in jus eccleſiæ ipſius valeat provenire, & illi opprimi, aut aliquam pati injuſtitiam nullo modo videantur. Codices vero vel ornamenta pariter ablata quærantur. Quæ ſi manifeſte * tulta ſunt, & ipſa ſine ambiguitate aliqua volumus reſtitui; quia ſicut illis quidquam in ſynagogis ſuis

* Urb. opat.

* forte ſublata.

A facere, ut & ipſi prius ſcripſimus, ultra quam lege decretum eſt, non debet eſſe licentia, ita eis contra juſtitiam & æquitatem nec præjudicium nec aliquod debet inferri diſpendium.

* LX. AD FANTINUM DEFENSOREM. * XCIV.

De Jamno Judæo.

*Gregorius Fantino defenſori.*

INdicavit nobis Jamnus Judæus præſentium portitor, navem ſuam atque res ſuas Candidum defenſorem noſtrum cum aliis creditoribus occupaſſe, atque eas pro credita quam B dederant pecunia venumdediſſe, & a cunctis debitis cautionibus reſtitutis ſolum apud ſe præfatum defenſorem obligationis chirographum tenuiſſe, & ſæpius ſe ſupplicantem * ideo reddere contempſiſſe, quia, ut ait, ſors eſt debiti ſatisfacta: experientiæ ergo tuæ præcipimus, ut cum omni ſubtilitate curet addiſcere; & ſi ita repererit, diſtricta compulſione perurge; quatenus omni mora poſtpoſita, cautionem prædicti portitoris reſtituat. Ita ergo ſollicitudo tua ſtudeat, ut denuo ad nos hac de cauſſa querela non redeat.

* id eſt

* LXI. AD PROJECTAM. * XCV.

C Geſta inter ipſum & Fantinum defenſorem approbat.

*Gregorius Projectæ illuſtri.*

QUotiens in conventionibus quibuſdam noſter expectatur aſſenſus, ne in dubium veniant quæ geruntur, ratio ea pro ſecuritate partium debet habita ſolidare. Proinde cognoſcentes quid inter dilectionem tuam & Fantinum defenſorem noſtrum ac rectorem patrimonii partium Panormitanarum convenerit de portionibus tibi competentibus in * Maſſalenas & * Samantaria, in provincia Sicilia, & in territorio Panormitano, & domo in Panormitana civitate ſita, quam eccleſiæ noſtræ dudum titulo donationis obtuleras, noſtrum his accommodamus aſſenſum, atque omnia, ſicuti inter vos geſta ſunt, per hujus * tuitionis paginam confirmamus, nec quidquam eorum a nobis ſucceſſoribuſque noſtris deduci in irritum profitemur; quia valde eccleſiaſticæ eſt moderationi conveniens, ut quæ ordinata fuerint vel deciſa, nulla in poſterum debeant refragatione turbari.

* maſſa Lena * Samanteria Tarſ.

* al. ratione

* LXII. AD MARTINUM SCHOLASTICUM. * XCVI.

E Quod epiſcoporum cauſſæ magna cum diligentia ſunt perſcrutandæ.

*Gregorius Martino ſcholaſtico.*

CUm de negotiis * civilibus exorta cauſſatio majoris, ut magnitudini tuæ notum eſt, requiſitionis indigeat; quanta cura, quantaque vigilantia epiſcoporum cauſſæ debeant perſcrutari ſapientia tua conſideret. In ea vero epiſtola, quam per latorem præſentium tranſmiſiſti, pro quibus ad nos cauſſis a Crementio fra-

* al. cujuslibet.

fratre & coepiſcopo noſtro tranſmiſſus fueris, A ſuperficie tenus indicaſti, & earum radicem penitus tacuiſti. Quarum ſi nobis origo vel fuiſſet qualitas interius manifeſta, quid de his diffiniendum eſſet, prædicti fratris noſtri animos reſponſione utique patenti ac congrua firmaremus. Illud tamen nobis omnino diſplicuit, quod aliquos epiſcoporum ſine primatis ſui epiſtolis ad comitatum profectos eſſe, vel conventus ſignificas illicitos celebrare. Sed quia, ſicut præfati ſumus, cauſſarum origo vel qualitas omnino nobis ignota eſt, pronuntiare aliquid definitive non licet nec poſſumus; nè, quod reprehenſibile nimis eſt, de rebus non bene cognitis proferre ſententiam videamur. Unde valde neceſſarium fuerat, ſi hic pro pleniſſima inſtructione noſtra magnitudo tua noſtris interrogationibus reſponſura, tempore quo in Sicilia dilata eſt, perrexiſſet. Sed tamen poſtquam fratrem & coepiſcopum noſtrum Joannem vidiſtis, in eo & nos vidiſſe vos credimus. Et ideo quia de eiſdem nobis & ipſe cauſſis ſcribere ſtuduit, ei quæ nobis ſunt viſa reſcripſimus. Qui quoniam maturi providique conſilii ſacerdos eſt, ſi cum ipſo cauſſas, pro quibus miſſus eſt, tractare volueris, certi ſumus quia in eo & quod utile eſt, & quod rationem habet, invenies.

• XCVII. • LXIII. AD JOANNEM EPISCOPUM

SYRACUSANUM.

Ad deponendum Lucillum epiſcopum quatuor epiſcopos adhibeat.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

QUæ adverſus Lucillum Melitæ civitatis epiſcopum querela commota ſit, ex epiſtolarum veſtrarum & geſtorum quæ ad nos direxiſtis pagina declaratum eſt. Et ideo quia tanti facinoris ultio nulla debet dilatione differri; fraternitas veſtra tres vel quatuor de fratribus ac conſacerdotibus ſibi noſtris adhibeat, ut ipſis quoque præſentibus prædicta ac ſatisfacta veritate prædictum Lucillum de epiſcopatus ordine, quem hujuſcemodi ſceleris contagio maculavit, ſtudeat ſine ambiguitate deponere. Quia vero presbyteri vel quidam diaconi proditæ iniquitatis fuiſſe conſcii ac participes memorantur; ſanctitas veſtra ſubtili indagatione diſcutiat. Et ſi ita repererit, ab honoris ſui & ipſos ſimiliter gradu dejiciat, & in monaſteriis, ubi digne valeant pœnitentiam agere, deputet. Sed quia per hos multi in hujus labem peccati perhibentur eſſe collapſi, cunctos qui rei eſſe claruerint dominici corporis ac ſanguinis participatione privare vos convenit, atque eos veſtris epiſtolis diſtrictius admonere, ut litaniis & orationibus operam dent, E & peccati quam contraxerunt maculam flendo tergant. Quibus quando ſit ſecundum modum pœnitentiæ reddenda communio, judicio veſtro committimus. Hoc tamen ſolicite vos providere neceſſe eſt, ut iis qui mortis urgentur periculo viaticum non negetur. Curæ præterea ſit vobis clerum & populum Melitæ civitatis hortari, ut quia ſine proprio paſtore eſſe non poterunt, ordinandum ſibi eligant Deo propitio ſacerdotem. Cauſſam vero presbyterorum ac diaconorum, qui in lapſu accuſati ſunt, ſolicite omnino rimamini. Et ſi rei criminis eſſe patuerint, ſeveram in eis ultionem & canonicam exhibete; ut quanto illorum iniquitas Deum potuit ad iracundiam provocare, tanto eum vos placare emendatione diſtrictiſſima valeatis.

•LXIV. AD EUMDEM. • XCVIII.

Contra aliquorum murmurationem rationem reddit de miſſæ ordinatione.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

VEniens quidam de Sicilia mihi dixit, quod aliqui amici ejus, vel Græci vel Latini, B neſcio quid quaſi ſub zelo ſanctæ Romanæ eccleſiæ de meis diſpoſitionibus murmurarent, dicentes: Quomodo eccleſiam Conſtantinopolitanam diſponit comprimere qui ejus conſuetudines per omnia ſequitur? Cui cum dicerem: Quas conſuetudines ſequitur? reſpondit: Quia *alleluia* dici ad miſſas extra Pentecoſtes tempora feciſti: quia ſubdiaconos ſpoliatos procedere: quia *Kyrie eleiſon* dici: quia orationem dominicam mox poſt canonem dici ſtatuiſtis. Cui ego reſpondi: Quia in nullo eorum aliam eccleſiam ſecuti ſumus. Nam ut *alleluia* hic diceretur de Hieroſolymorum eccleſia, ex beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damaſi papæ traditur tractum; & ideo C magis in hac * *ſede* illam conſuetudinem amputavimus, quæ hic a Græcis fuerat tradita. Subdiaconos autem ut ſpoliatos procedere facerem, antiqua conſuetudo eccleſiæ fuit. Sed quia placuit cuidam noſtro pontifici, neſcio cui, qui eos veſtitos procedere præcepit. Nam veſtræ eccleſiæ numquid traditionem a Græcis acceperunt? Unde habent ergo hodie, ut ſubdiaconi lineis in tunicis procedant, niſi quia hoc a matre ſua Romana eccleſia perceperunt? *Kyrie eleiſon* autem nos neque diximus, neque dicimus, ſicut a Græcis dicitur, quia in Græcis ſimul omnes dicunt, apud nos autem a clericis dicitur, & a populo reſpondetur; & totidem vicibus etiam *Chriſte eleiſon* dicitur, * quod D apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem miſſis alia quæ dici ſolent tacemus, tantummodo *Kyrie eleiſon*, & *Chriſte eleiſon* dicimus, ut in his deprecationis vocibus paulo diutius occupemur. Orationem vero dominicam idcirco mox poſt precem dicimus; quia mos apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo orationem oblationis hoſtiam conſecrarent. Et valde mihi inconveniens viſum eſt, ut precem quam ſcholaſticus compoſuerat ſuper oblationem diceremus, & ipſam traditionem quam Redemptor noſter compoſuit ſuper ejus corpus & ſanguinem taceremus. Sed & dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos vero a ſolo ſacerdote. In quo ergo Græcorum conſuetudines ſecuti ſumus, qui aut veteres noſtras reparavimus, aut novas & utiles conſtituimus, in quibus tamen alios * comprobamur imitari? Ergo veſtra caritas, cum occaſio dederit ut ad Catanenſem civitatem pergat, vel in Syracuſana eccleſia, eos quos credit aut intelligit quia de hac re murmurare potuerunt facta collatione doceat, & quaſi alia ex occaſione eos inſtruere non deſiſtat. Nam de Conſtantinopolitana eccleſia quod dicunt, quis eam dubitet ſedi apoſtolicæ eſſe ſubjectam? Quod & piiſſimus do-

* Euſebius … dominus imperator, & frater noſter * Euſebius ejuſdem civitatis epiſcopus aſſidue profitentur. Tamen ſi quid boni vel ipſa vel altera eccleſia habet, ego & minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus ſum. Stultus eſt enim qui in eo ſe primum exiſtimat, ut bona quæ viderit diſcere contemnat.

## * LXV. AD EUMDEM. XCIX.

De epiſcopo Byzaceno provinciæ Africæ de crimino accuſato.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

Joann. diac. lib. 4. FRaternitatis veſtræ ſcripta ſuſcepi, in quibus indicatis Martinum virum eloquentiſſimum de Africana provincia Syracuſas veniſſe, vobiſque aliquid ſecretum locutum fuiſſe. Et quidem fraternitas veſtra, quotiens occaſionem reperit, amorem ſuum circa beatum Petrum apoſtolum non ceſſat oſtendere. Unde omnipotenti Deo gratias agimus, quia ubi illa eſt, ibi nos abſentes non invenimur. Cauſſam tamen de qua agitur, necdum ſanctitas veſtra ſubtilius agnovit. In quodam enim crimine Byzacenus primas fuerat accuſatus, & piiſſimus imperator eum juxta ſtatuta canonica per nos voluit judicari. Sed acceptis decem auri libris, tunc Theodorus magiſter militum obſtitit ut minime fieret. Tamen piiſſimus imperator admonuit ut tranſmitte- C remus, & quidquid eſſet canonicum faceremus. Sed videntes contrarietates hominum, eamdem cauſſam * inire noluimus. Nunc autem idem primas aliqua de conſilio ſuo loquitur. Et valde dubium eſt utrum pure an certe; quia a coepiſcopis ſuis impetitur, nobis modo talia loquatur. Nam quod ſe dicit ſedi apoſtolicæ ſubjici, ſi qua culpa in epiſcopis invenitur, neſcio quis ei epiſcopus ſubjectus non ſit. Cum vero culpa non exigit, omnes ſecundum rationem humilitatis æquales ſunt. Tamen quod veſtræ fraternitati placet cum prædicto eloquentiſſimo Martino loquimini. D Vos enim tractate quid agere debeat. Cui nos de cauſſa breviter reſcripſimus; quia & hominibus incognitis paſſim nos credere non debemus. Si tamen vos, qui eum in præſenti conſpicitis, ei loquendum fixius aliquid judicatis; veſtræ hoc caritati committimus, de cujus amore in omnipotentis Dei cauſſa certi ſumus. Quæ autem vos agitis, nos egiſſe non dubitetis.

## * LXVI. AD VITALEM DEFENSOREM SARDINIÆ. C.

Quod præſidium defenſionis non præſtet clericis ab epiſcopis ſuis punitis pro eorum exceſſibus.

*Gregorius Vitali defenſori Sardiniæ.*

INdicatum nobis eſt, quod quidam Calaritanæ eccleſiæ clerici diſciplinam ſui refugientes epiſcopi, contra eum ſolatium tuæ defenſionis exquirant, atque per hoc illi, quod dici grave eſt, contumaces exiſtant. Quam rem, ſi ita eſt, omnino dure ſuſcepimus. Di- A citur etiam quod ſuæ actus deſerentes eccleſiæ, in aliorum ſe obſequiis ac laboribus occupantes, ubi nomen dederunt militiæ, inveniantur extranei. Experientiæ ergo tuæ denuntiamus, ut nihil deinceps tale aliquid facere præſumat: ſed ſi cujuſquam clerici, ut aſſolet, culpæ caſus emerſerit, in qua te ſibi petere debeat, adjutorem, ad eumdem epiſcopum reverenter accede, & ſicut cauſſæ meritum cognoveris, apud eum non defenſor culpæ, ſed potius interceſſor exiſte, ut hac proviſione & poſcenti feras auxilium, & jura præpoſiti conturbentur. Si qui vero ſunt qui juſta popoſcerint, eis per te auxilium ſedis apoſtolicæ non eſt negandum. Sed tamen ita ſer- B vandum eſt, ut uniuſcujuſque epiſcopi reverentia & clericorum diſciplina per defenſionis tuæ experientiam minime ſolvatur. Dictum eſt nobis etiam quod ruſtici poſſeſſionis ejuſdem Calaritanæ eccleſiæ jura propria deſerentes in privatorum poſſeſſionibus culturam laboris exhibeant. Ex qua re agitur, ut poſſeſſiones eccleſiæ proprio in alias occupato cultore depereant, atque ad tributa ſua perſolvenda idoneæ non exiſtant. In qua re experientiam tuam volumus omnino eſſe ſolicitam, ne tale quidquam fieri poſthac noſtra auctoritate data tibi permittere debeas, ſciturus quod ſi neglexeris, noſtros exinde de minori tua ſolicitudine contra te animos commoveri. Cognovimus etiam quod monaſteria ſervorum Dei vel etiam feminarum pro ſuo quiſque li- C bitu & diverſarum cauſſarum executione perturbet; quod omnino non grate ſuſcepimus, tuamque experientiam ex hoc commonemus, ne quemquam hoc uſurpare denuo accepta noſtra auctoritate permittas; ſed ut epiſcopis loci ipſius, ſub cujus degunt moderamine, curæ ſit eorum cauſſas utilitateſque diſponere. Valde enim eſt incongruum, ut omiſſo eo, alius quilibet eorum ſe cauſſis admiſceat. Sed ille eorum vitam competenti regularique debet mode… diſponere, qui pro commiſſis eorum … nimabus compellitur reddere rationem.

## * LXVII. AD JANUARIUM EPISCOPUM CALARITANUM. CI.

De clericis ſuis ei non obedientibus, & de ſortilegis, & idolorum cultoribus puniendis.

*Gregorius Januario epiſcopo Calaritano.*

PErvenit ad nos quod quidam de veſtris clericis ſpiritu elationis inflati, quod dici grave eſt, fraternitatis veſtræ juſſionibus obedire poſtponant, atque in aliorum ſe magis ob- E ſequiis ac laboribus occupantes, ſuæ deſerant, ubi ſunt neceſſarii, actus eccleſiæ. Ex qua re nimium admiramur, cur in eis eccleſiaſticæ non teneatis regulam diſciplinæ, nec eos diſſolute vagantes in deviis ad normam ſuſcepti officii, diſtricti moderaminis freno reſtringatis. Dicitur etiam quod aliqui ex eiſdem contumacibus clericis, ut defendi contra vos valeant, ad Vitalis defenſoris noſtri patrocinia convolarint. Unde ad eum ſcripta noſtra direximus, ne quemquam clericorum veſtrorum contra vos irrationabiliter denuo audeat defen-

ſentare: ſed ſi culpæ caſſus emerſerit, & gravis non eſt, ſed veniam mereatur, interceſſor apud vos magis accedere debeat, quam defenſor. Ne ergo tale ad nos deinceps de ſubjectorum veſtrorum contemptu quidquam perveniat, præcavete. Cognovimus etiam quod monaſterio ſancti Juliani quædam vidua ſuam ſubſtantiam derelinquens, a clerico veſtro, qui ejuſdem defunctæ mulieris actus, dum adhuc viveret, gubernabat, ipſa ſit direpta ſubſtantia, * nuncque callidum ad reddendum exiſtere. Hortamur ergo ut eum, ſi, ut dicitur, ita verum eſſe patuerit, diſtrictæ faciatis executione conſtringi, quatenus res monaſterio derelictas reſtituere ſine imminutione feſtinet, & quod * adire ſervata fidei ſuæ puritate non debuit, vel cum pudoris ſui damno reddere compellatur. Quam vero verecundum ſit, ut fraternitatem veſtram nos admonere videamur, quatenus clericum ſuum ſub diſciplinæ vigore reſtringat, credo quod eadem fraternitas veſtra tacita etiam ipſa conſideret. Contra idolorum namque cultores vel aruſpicum atque ſortilegorum, fraternitatem veſtram vehementius paſtorali hortamur invigilare cuſtodia, atque publice in populo contra hujus rei viros ſermonem facere, eoſque a tanti labe ſacrilegii & divini intentatione judicii, & præſentis vitæ periculo, adhortatione ſuaſoria revocare. Quos tamen, ſi emendare ſe a talibus atque corrigere nolle repereris, ferventi comprehendere zelo te volumus: & ſi quidem ſervi ſunt, verberibus cruciatibuſque, quibus ad emendationem pervenire valeant, caſtigare: ſi vero ſunt liberi, incluſione digna diſtrictaque ſunt in pœnitentiam dirigendi: ut qui ſalubria & a mortis periculo revocantia audire verba contemnunt, cruciatus ſaltem eos corporis ad deſiderandam mentis valeas reducere ſanitatem. Indicatum etiam nobis eſt, quod laicis quibuſdam curam veſtri patrimonii committentes, poſtmodum in ruſticorum veſtrorum deprædationibus, atque per hoc * ex fatigationibus fuerint deprehenſi, & reddere res quas indecenter retinent habitas, quaſi ſuæ ditionis, quippe veſtræ non ſuppoſiti curationi, poſtponant, vobiſque deſpiciant actuum ſuorum reddere rationem. Quod ſi ita eſt, diſtricte a vobis diſcuti convenit, atque inter eos eccleſiamque veſtræ ruſticos cauſſam examinare ſubtilius. Et quidquid in eis fuerit fraudis inventum, cum pœna legibus ſtatuta reddere compellantur. De cetero vero cavendum a fraternitate veſtra eſt, ne ſæcularibus viris, atque non ſub regula veſtra degentibus, res eccleſiaſticæ committantur, ſed probatis de veſtro officio clericis. In quibus ſi quid reperiri poterit pravitatis, ut in ſubditis, emendare quod illicite geſtum fuerit valeatis, quos apud vos habitus ſui magis officium * commendet, quam excuſet.

* hincque

* ſudare. Pariſ.

Grat. 26. q. 5. Contra.

Grat. diſt. 89. cap. 1. Anſelm. lib. 6. cap. 146.

* exfugationibus. Pariſ.

* conveniat. Pariſ.

## * LXVIII. AD ANATOLIUM DIACONUM. * CII.

De his qui ex Iſtriæ ſchiſmate ad unitatem fidei venerunt.

*Gregorius Anatolio diacono Conſtantinopolitano.*

LAtores præſentium, qui de Hiſtricorum ſchiſmate ad unitatem eccleſiæ Deo miſerante reverſi ſunt, multa de pravitate epiſcoporum qui in illis partibus ſunt conqueruntur. Et quia ea pro re Conſtantinopolim feſtinantes tua ſibi petunt adeſſe debere ſolatia, dilectionem tuam his hortamur aſſatibus, ut eis ſalva ratione ſolatiari debeat atque concurrere, quatenus te opitulante & minus illic fatigari, & quod juſtum eſt facilius valeant adipiſci.

## * LXIX. AD CONSTANTIUM EPISCOPUM MEDIOLANENSEM. * CIII.

Maximi Salonitani epiſcopi cauſſam, quam Mariniano commiſerat, epiſcopo Mediolanenſi injungit.

MAximus Salonitanæ eccleſiæ prævaricator, poſtquam per poteſtates majores ſæculi obtinere nihil valuit, ad minores ſeſe contulit, nobiſque tam nimietate precum, quam atteſtatione bonorum operum prævalere contendit. Ex qua re inhumanum credidi, ſi is qui ſe multum timere me dicit, in aliquo me temperatiorem minime invenire potuiſſet. Et ideo decrevi ut reverendiſſimus frater & coepiſcopus noſter Marinianus ejus cauſſam debeat in Ravennati urbe cognoſcere. Si autem perſona ejus ſuſpecta fortitan habetur, volumus ut veſtra quoque fraternitas, ſi ei laborioſum non eſt, ad eandem civitatem fatigare ſe debeat, & cum prædicto fratre in eodem judicio pariter ſedere. Quidquid autem veſtræ utrorumque ſanctitati placuerit, ſcitote mihi modis omnibus placiturum. Veſtrum ergo judicium meum deputo: & quæ utrique vos relaxanda eſſe cenſetis, me relaxare certum tenete: hoc tamen ſolicite penſantes, ne aut cum peccato remiſſa, aut cum injuria ſanctæ eccleſiæ eſſe videamur auferri. Hujus autem cauſſæ executionem Caſtorio chartulario injunximus, ut ipſe nobis debeat cuncta quæ acta fuerint ſubtiliter renuntiare. Joann. diac. lib. 4. c. 11.

## * LXX. AD EUSEBIUM, URBICUM, &c. * CIV.

Jubet ob ſuperbiam Joannis epiſcopi Conſtantinopolitani, & Cyriaci, qui ſuperbum univerſalis nomen uſurpabant, ne quiſquam in illorum ſubſcriptionibus hanc vocem univerſalis adjiciat.

*Gregorius Euſebio Theſſalonicenſi, * Urbicio Dyrrachitano, Andreæ Nicopolitano, Joanni Corinthio, Joanni primæ Juſtinianæ, Joanni Cretenſi, Joanni Lariſſæo & Scodritano, aliiſque complurîbus epiſcopis.*

* Urbico Pariſ.

SUſcepti regiminis cura conſtringimur, officii noſtri ſollicitudinem vigilanter extendere, & fratrum noſtrorum animos ſermone admoni-

monitionis inſtruere, ut nec ignorantes præ- A ſumptio prava decipere, nec ſcientes diſſimulatio quædam valeat excuſare. Cognoſcat ſiquidem fraternitas veſtra Joannem quondam Conſtantinopolitanæ civitatis antiſtitem contra Deum, contra pacem eccleſiæ, in omnium deſpectu & injuria ſacerdotum, modeſtiæ ac menſuræ ſuæ terminos exceſſiſſe, & illicite in ſynodo ſuperbum ac peſtiferum œcumenicum, hoc eſt, univerſalis ſibi vocabulum uſurpaſſe. Quod beatæ recordationis Pelagius deceſſor noſter agnoſcens, omnia geſta ejuſdem ſynodi, præter illa quæ illic de cauſſa venerandæ memoriæ Gregorii epiſcopi Antiocheni ſunt habita, valida omnino diſtrictione caſſavit, diſtrictiſſima illum increpatione corripiens, ut ſe a novo & B temerario ſuperſtitionis nomine cohiberet: adeo ut ſuum illi diaconum, niſi tantum nefas emendaret, procedere prohiberet. Cujus nos rectitudinis zelo per omnia inhærentes, ſtatuta ipſius ſine refragatione Deo protegente ſervamus; quia dignum eſt ut rectam deceſſoris ſui viam greſſibus inoffenſis incedat, quem de eodem loco ad reddendam rationem æterni judicii tribunal expectat. In qua re ne quid omittere quod ad pacem eccleſiæ pertinet videremur, noſtris eumdem ſanctiſſimum Joannem ſcriptis ſemel iterumque convenimus, ut amoto ſuperbiæ vocabulo cordis ſui elationem ad humilitatem, quam magiſter & dominus noſter docuit, inclinaret. Quem quoniam ne- C glexiſſe comperimus, hæc eadem, & beatiſſimum fratrem & conſacerdotem noſtrum Cyriacum ſucceſſorem ipſius concordiæ ſtudio non deſtitimus admonere. Sed quia hoc jam, ut videmus, mundi hujus termino propinquante, in præcurſione ſua apparuit humani generis inimicus, ut ipſos qui ei contradicere bene atque humiliter vivendo debuerunt, per hoc ſuperbiæ vocabulum præcurſores habeat ſacerdotes; hortor atque ſuadeo, ut nullus veſtrum hoc nomen aliquando recipiat, nullus conſentiat, nullus ſcribat, nullus ubi fuerit ſcriptum admittat, vel ſubſcriptionem ſuam adjiciat: ſed ſicut omnipotentis Dei miniſtros decet integrum ſe ab hujuſcemodi venenata D infectione cuſtodiat, & callido inſidiatori in ſe locum non præbeat; quoniam & hoc & totius eccleſiæ injuriam ac diſciſſionem, & ſicut diximus, in omnium veſtrum deſpectum fit. Nam ſi unus, ut putat, univerſalis eſt, reſtat ut vos epiſcopi non ſitis. Præterea pervenit ad nos, quod fraternitas veſtra ad urbem Conſtantinopolim ſit convocata. Et quamvis piiſſimus noſter imperator agi illic illicita non permittat, tamen ne perverſi homines conventus veſtri occaſione reperta, aut pro hujus nominis ſuperſtitione locum ſurreptionis requirant, aut ob aliam rem facere ſynodum cogitent, quatenus hoc in ea callidis machinationibus inducant, quamvis ſine apo- E ſtolicæ ſedis auctoritate atque conſenſu nullas quæcumque acta fuerint vires habeant; verumtamen coram omnipotenti Deo conteſtor & admoneo, ut nullus veſtrum illic quibuslibet ſuaſionibus, quibuslibet blandimentis, quibuslibet præmiis, quibuslibet terroribus teneatur aſſenſus; ſed pro æterni judicii conſideratione adverſus prava deſideria ſalubriter atque unanimiter vos exhibete, & paſtorali conſtantia atque apoſtolica auctoritate ſuffulti prædonem irruentemque lupum excludite, & in diſciſſionem eccleſiæ ſævienti non cedite, ne de hac re quacumque ſurreptione ſynodum patiamini, quæ neque legitima quidem nec ſynodus dicenda eſt, celebrari. Hoc quoque pariter admonemus, ut ſi forte nil actum de hujus perverſi nominis mentione fuerit, ſed de alia re ſynodus forte colligitur, omnino ſitis cauti, circumſpecti, vigilantes, atque ſoliciti, ne quid illic * contra locum aliquem vel perſonam præjudicialiter, ſive illicite, vel adverſus canones cenſeatur. Sed ſi quid incidentis utilitatis cauſſa tractandum eſt, ſic cauſſa de qua agitur formam accipiat, ut ſtatuta vetera nulla convellat. Unde iterum coram Deo & ſanctis ipſius admonemus, ut hæc omnia ſummo ſtudio, & tota mentis intentione ſervetis. Nam ſi quis, quod non credimus, ſcripta præſentia aliqua in parte neglexerit, a beati Petri apoſtolorum principis pace ſe noverit ſegregatum. Ita ergo fraternitas veſtra agat, ut cum paſtor paſtorum in judicio venerit, de loco regiminis quem accepit reatum habere non poſſit.

* circa.

## * LXXI. AD MAURENTIUM * CV.

### MAGISTRUM MILITUM.

Theodorum oppreſſum commendat.

*Gregorius Maurentio magiſtro militum.*

VAlde mirati ſumus quod vobis in Neapolitana civitate poſitis, venire ad nos pro quibuſdam cauſſis Theodorus vir memorandus præſentium portitor cogeretur, maxime dum in illa ſe re contra antiquum morem a fratre & coepiſcopo noſtro Fortunato queratur præjudicium pertuliſſe: quam ad curam diſpoſitionemque patroni civitatis ejuſdem gloria veſtra teſte aſſerit ſine dubio pertinere. Quod ſi ita ſe res habet, omnino contriſtamur, cur in ejus vos defenſione veritas non permovit, ut & libere quod eſſet ratio diceretis, & reſervari quod longa ſibi conſuetudo jure vendicat faceretis. Quia ergo grave nimis eſt contra veterem uſum ſacerdotes ſibi quidquam arripere, unde in laicorum videntur actus incidere, prædicto fratri coepiſcopoque noſtro ſcribere, quæ nobis ſunt viſa curavimus, ipſorumque ad vos ſcriptorum exemplar tranſmiſimus, ut ex eis quid debeat * quam citius ſcrutari gloria veſtra cognoſcat. Præterea indicavit nobis ſupradictus portitor, Vectano, qui comes fuit in * Miſſinati caſtello, propterea quod eum nobilem fuiſſe noverat, & paupertate nimia laborabat, viginti urnas vini per duos annos de inſula Prochyta, quæ ei vicina erat, miſericordiæ intuitu ſe fuiſſe largitum, & nunc eas de eadem inſula ſucceſſorem ipſius tamquam debitas violenter exigere. Et quoniam hoc ne de cetero tentari debeat poſtulat prohiberi, gloria veſtra curet addiſcere. Et ſi hoc quod queritur veritate ſubſiſtit, & hæc ante conſuetudo non fuit, hujuſmodi gravamen juſtitia ſuadente compeſcat, & ſtudeat ut pietatis adminiſtratio in præfata inſula onus præjudicii non imponat. Quia vero privilegia civitatis ſuæ, vel cauſſas inſulæ illius a nobis gloriæ veſtræ petiit commendandas; hortamur ut veſtram eis tuitionem impendere ſervata æqui-

* reſervari quam &c. Varij

* Miſenati.

A

tate quocumque neceſſe fuerit debeatis; & ſi qua in re utilitas populi cui præeſt contra rationis, ſicut ait, ordinem prægravatur, impoſita onera uſque ad modum juſtitiæ vobis ſuffragantibus releventur, nec privilegia eorum quolibet modo calcentur: ſed omnia quæ uſus antiquitatis ſtatuit in omnibus inteminera ta ſerventur. Ita ergo in his gloria veſtra ſe decenter exhibeat, ut & ipſa partes fovere juſtitiæ comprobetur, & hi qui commendati ſunt bona nobis veſtra quæ de vobis cupimus ſemper audire renuntient.

• CVI.

## • LXXII. AD PASSIVUM EPISCOPUM FIRMANUM.

Mandat conſecrare oratorium ſancti Savini.

*Gregorius Paſſivo epiſcopo Firmano.*

VAlerianus notarius eccleſiæ * Firmanæ fraternitatis tuæ petitoria nobis inſinuatione ſuggeſſit, quæ habetur in ſubditis, in fundo Viſiano juris ſui juxta muros civitatis Firmanæ oratorium ſe pro ſua devotione fundaſſe, quod in honorem beati martyris Savini deſiderat conſecrari. Et ideo, frater cariſſime, ſi in tuæ parochiæ memorata conſtructio jure conſiſtit, & nullum corpus ibidem conſtat humatum, percepta primitus donatione legitima, id eſt, in reditu ſolidos tres liberos a tributis fiſcalibus, geſtiſque municipalibus alligata, prædictum oratorium abſque miſſis publicis ſolenniter conſecrabis: ita ut in eodem loco nec temporibus futuris baptiſterium conſtruatur, nec presbyterum conſtituas cardinalem. Et ſi miſſas ibi fieri forte maluerit, a dilectione tua presbyterum noverit poſtulandum, quatenus nihil tale a quolibet alio ſacerdote nullatenus præſumatur. Sanctuaria vero ſuſcepta ſui cum reverentia collocabis.

• CVII.

## • LXXIII. AD CHRYSANTHUM EPISCOPUM SPOLETANUM.

Mandat ſanctuaria ſancti Savini Valeriano notario Firmano dari.

*Gregorius Chryſantho epiſcopo Spoletano.*

VAlerianus notarius eccleſiæ Firmanæ ſanctuaria beati martyris Savini oblata petitione ſibi poſtulat debere concedi, quatenus in ejus nomine oratorium propriis conſtructum ſumptibus poſſit ſolenniter conſecrari. Et ideo, frater cariſſime, præfati deſideriis ex noſtro te mandato convenit obedire, ut devotionis ſuæ in conſecratione quam poſtulat potiatur effectu.

## • LXXIV. AD CONSTANTIUM EPISCOPUM PANORMITANUM. • CVIII.

Eccleſiæ Tarracinenſis viſitationem committit.

*Gregorius Conſtantio epiſcopo * Panormitano.*

FRaternitati veſtræ eccleſiæ * Tarracinenſis viſitationis operam nos olim mandaſſe recolimus. Sed quia pervenit ad nos, quod peccatis facientibus nec clerus illic, nec plebs tanta remanſerit, quibus debeat interim epiſcopus ordinari, utile eſſe perſpeximus eamdem

B

eccleſiam, vel quidquid ipſius eſt, quouſque illam ut domino placuerit ordinemus, veſtræ, Deo auctore, diſpoſitioni committere. Et ideo ſollicitudinem vos convenit adhibere, ut quidquid poſſeſſionibus eccleſiæ ipſius in qualibet re accedere potuerit, vobis in reparatione ejuſdem eccleſiæ ſive cleri ipſius ſubventione proficiat, quatenus & nos remedium pro veſtro labore capere, & illi aliquod valeant ſuſtentationis habere ſolatium. * Mobilia vero prædictæ eccleſiæ facta ſubtiliter volumus deſcribi notitia, nobiſque tranſmitti, ut ex hoc quid fieri debeat, auctore domino, diſponamus. Circa actus autem vel diſciplinam cleri

C

vel filiorum eccleſiæ ipſius magnam te habere curam neceſſe eſt, atque ita * ſuper paſtorali ſtudio vigilare, ut de animabus eorum non culpabilis ſis, ſed apud omnipotentem Deum mercedem potius poſſis acquirere.

## • LXXV. AD MAURENTIUM MAGISTRUM MILITUM. • CIX.

Theodoſium abbatem commendat, ne gravius in murorum vigiliis alligatur.

*Gregorius Maurentio magiſtro militum.*

D

FIlius noſter Theodoſius abbas monaſterii quod a Liberio quondam patricio in Campaniæ partibus noſcitur eſſe conſtructum, a nobis precibus impetravit, ut eum cum congregatione ſua veſtræ deberemus gloriæ commendare. Aſſerit enim ſe in murorum vigiliis ultra vires ſuas vehementer affligi. Petimus ergo gloriam veſtram, ut ſi quidem eſt poſſibile, de eodem per vos onere relevetur. Si vero ex toto, ut non fiat, hoc eſt omnino difficile, vel ita illi ex noſtra commendatione ipſum levigantes pondus ſollicitudinis temperetis, ut dum in Dei laudibus liberior vacare voluerit, pro vobis, cujus opere ut levationem aliquam habeat factum eſt, ſecurior

E

valeat dominum exorare, ſed & noſtram ſibi apud gloriam veſtram ſentiat epiſtolam profuiſſe.

* CX. ## * LXXVI. AD CHRYSANTHUM EPISCOPUM SPOLETANUM.

In Pariſ. transfertur ad indict. XI

De ordinatione clericorum Vivanienſis eccleſiæ.

*Gregorius Chryſantho epiſcopo Spoletano.*

ANte hoc biennium fraternitati tuæ Vivanienſis eccleſiæ viſitationis deputaveramus officium, in quo de more ſcrinii noſtri nihil vos de provectionibus facere voluimus clericorum. Nunc vero venientes huc præſentium portitores prædictæ eccleſiæ clerici, dixerunt ſacerdotes ſe neque in eadem eccleſia, neque in ejus parochiis habere. Hortamur igitur fraternitatem tuam, ut ſi quidem talem potuerit reperire perſonam, quæ digna ad epiſcopalis officii apicem valeat promoveri, hunc eam cum ſolennitate decreti veſtrarum teſtimonio literarum celerius dirigatis. Sin vero hoc nunc inveniri non poteſt, cum omni ſtudio ac vivacitate perſonas exquirite, quæ illic in presbyterii ordine valeant conſecrari. Quarum vitam actuſque ſubtili prius inquiſitione diſcutite, ut in nullo eis vel ſacri canones, vel eccleſiaſticæ regulæ valeant obviare; ut hac proviſione populus illic degens communionem, qua ſe privatos ob ſacerdotum neceſſitatem flebiliter conqueruntur, recepiſſe ſe gaudeant, & in eccleſiis illis ſacra miſſarum ſolennia deeſſe non debeat. Sed & pro conſignandis infantibus fraternitas tua illuc curet accedere, ut nihil ſit quod paſtoralis ſolicitudinis neglecta vos cura remordeat.

In Pariſ. transfertur ad indict. XIV

* CXI

## * LXXVII. AD CASTORIUM NOTARIUM RAVENNÆ.

Ut de legitimo uſu pallii quo archiepiſcopus Ravennas utebatur inquirat.

*Gregorius Caſtorio notario Ravennæ.*

Joann. diac. lib. 4. c. 7.

DUm Florentius Ravennatis eccleſiæ diaconus apud nos pro reverendiſſimo fratre & coepiſcopo noſtro Mariniano de uſu pallii ageret, requiſitus a nobis quæ eſſet antiqua conſuetudo, reſpondit quod in omnibus litaniis pallio Ravennatis eccleſiæ epiſcopus uteretur. Quod ita non eſſe & ab aliis didicimus, & ex epiſtolis Joannis quondam epiſcopi, quas ei oſtendi fecimus, evidenter apparuit. Sed hoc aſſeruit quod dicere juſſus eſt. Nam tempore quo a te idem Joannes quondam epiſcopus eſt inhibitus, ne pallio inordinate ac temere uti præſumeret, ſcripſit nobis hanc fuiſſe priſcam conſuetudinem, ut civitatis ipſius epiſcopus pallio in litaniis ſolennibus uteretur. Quarum tibi literarum exemplaria pro tua informatione tranſmiſimus. Adeodatus vero prædictæ eccleſiæ diaconus, dum apud nos tempore quo hic fuit ſimiliter de ejuſdem uſu pallii agere enixius ſtuderet, volentes cognoſcere veritatem, eum ſimiliter quæ eſſet conſuetudo curavimus requirendum. Qui ut credi ſibimet ſuaderet, atque a nobis valeret quod petebat exigere, ſub jurejurando teſtatus eſt antiquam

A conſuetudinem fuiſſe, ut in quatuor aut in quinque ſolennibus litaniis pallio civitatis ſuæ epiſcopus uteretur. Experientia ergo tua diligenter invigilet, & cum omni ſolicitudine quot litaniæ ſolennes ab antiquitate fuerint requirat. Nec eas ſollennes nominando requirere ſtudeat, ſed majores, ut per hoc, quod nobis præfatus Adeodatus diaconus teſtatus eſt, & prædicti Joannis epiſcopi fatetur epiſtola, dum conſtiterit quantæ litaniæ ſolennes fuerint, quotiens indui ſolebat in litaniis pallium cognoſcentes, libentiſſime concedamus. Sed hoc non ab illis perquirat, qui ab eccleſiaſticis exhibentur, ſed ab aliis quos ſine favore partis eſſe cognoverit, & quæque ſolici-

B ta indagatione repererit nobis ſubtiliter indicet; ut veritate, ſicut diximus, cognita, fratris coepiſcopi noſtri reverendiſſimi Mariniani animos relevemus.

* *Menſe Julii, indictione ſecunda.* * menſe Do. deeſt in Pariſ.

## * LXXVIII. AD DONELLUM. * CXII.

De eo quod anima amat amantem ſe.

*Gregorius Donello erogatori.*

IN noſtra mente veſtra magnitudo quantæ ſit dulcedinis, ex veſtra, ut ſuſpicor, men-

C te penſatis; quia, ſicut ſcriptum eſt, Amat anima amantem ſe. In eo ergo quod me diligitis, vos quoque a me diligi ſcitis. Et quod prius illuc Caſtorio chartulario noſtro veniente vobis minime ſcripſi, non torporis fuiſſe credite, ſed & ægritudinis & occupationis. Nam nos & præſentes vos videre cupimus, & abſentibus colloqui ſaltem per epiſtolam deſideramus. Unde & optamus ut vos beatus Petrus apoſtolorum princeps ad ſua limina feliciter perducat; quatenus in omnipotentis Dei gratia perfrui præſentia veſtra mereamur. * * Pariſ. ad menſem Julii indict. II.

## * LXXIX. AD EULOGIUM * CXIII.

D PATRIARCHAM ALEXANDRINUM.

De poſſeſſione eccleſiæ, & lignis.

*Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino.*

SCripta dulciſſima veſtræ ſanctitatis latore præſentium deferente ſuſcepi, quæ mihi de ejus cauſſa citius terminanda locuta ſunt. Sed mox ut venit, qualiter poſſeſſio quam quærebat ab eccleſia noſtra tenebatur agnovit, ſibique ipſi citius rationem reddidit. Ea autem quæ cum aliis habuit, ſine ſtrepitu decidit. De cauſſa vero de qua mihi omnino ſcribendum fuerat, nihil veſtra ſanctitas ſcripſit: in

E qua me & tardum eſſe judicavit: quæ ne fortaſſe in ſcandalo diviſionis erumperet, ejuſdem diviſionis nolui auctor exiſtere. Elegi enim ut ea quæ ſecutura ſunt per alios exirent. Sed ſubſequenti tempore Deo auctore probabitis, quia in cauſſa in qua Deo placere cupio, homines non formido. De qua vobis jam etiam in Conſtantinopolitanam urbem venientibus ſcribere curavi. Ligna vero, ſicut beatitudo veſtra ſcripſerat, majora paraveram; ſed ita parva navis huc tranſmiſſa eſt, ut niſi reſciſſa eſſent, ferre non poſſet. Quæ reſcindi noluì,

lui, ſed veſtro judicio quid de his fieri debeat A * reſervari. Si autem non ſunt neceſſaria vobis hic ea in aliis uſibus aptabimus. Peto autem ut pro me enixius veſtra ſanctitas orare debeat; quia & podagræ doloribus, & barbarorum gladiis, & curarum afflictionibus inceſſanter premor. Sed ſi mihi orationis veſtræ opem impenditis, credo quod me contra adverſa omnia fortiter juvabitis.

* reſervari. Tarſ.

* CXIV. * LXXX. AD MARINIANUM EPISCOPUM RAVENNÆ.

Quid de Maximo agendum ſit.

B

*Gregorius Mariniano epiſcopo Ravennæ.*

Gratian. 2. q. 5. cap. 9. Joann. diac. lib. 6. c. 13

QUæ de cauſſa Maximi ſint agenda, ex epiſtolis quas ad vos ante tranſmiſimus, agnoviſtis. Sed quia qualis hac de re fraternitatis veſtræ voluntas ſit, ac magis petitio, præſentium latore Caſtorio chartulario noſtro renuntiante cognovimus, ideoque ſi idem Maximus coram vobis & prædicto chartulario noſtro de ſimoniaca hæreſi præſtito ſe ſacramento purgaverit, atque de aliis ante corpus ſancti Apollinaris, ſicut ſcripſimus, tantummodo requiſitus liberum ſe eſſe reſponderit, cauſſam ipſius fraternitatis veſtræ, de eo quod excommunicatus miſſarum ſolennia agere præ- C ſumpſit, judicio committimus, qua debeat pœnitentia talis culpa purgari. Et ideo quicquid vobis ſecundum Deum placet, ſecuri diſponite, nec aliquid de nobis dubium habeatis. Nam quidquid a vobis hac de cauſſa fuerit ordinatum, nos & grate ſuſcipimus, & libenter admittimus. Hortamur tamen, ut debeatis eſſe ſoliciti, & ita quæ fienda proſpicitis temperetis, quatenus & illi, ſi ita videbitur, benigne præſtetis, & vigoris eccleſiaſtici genium ut oportet, congrua diſpenſatione ſervetis. Suprascriptum vero portitorem in præſenti quid vobiſcum ei ſit agendum, inſtruximus. A quo cuncta ſubtiliter addiſcentes, ſic vos in omnibus exhibete, ut in veſtra D ſolicitudine noſtram eſſe præſentiam ſentiamus.

* CXV. * LXXXI. AD CASTORIUM NOTARIUM.

Poſt pœnitentiam conſolatoriam Maximo dare jubet epiſtolam.

*Gregorius Caſtorio notario.*

QUanto crebri tibi a nobis & neceſſarias vides cauſſas injungi, tanto te ſtrenuum debes & ſolicitum exhibere. Proinde ſi Maximus E Salonitanus præſtito ſacramento firmaverit ſe ſimoniaca hæreſi non teneri, atque de aliis, ante corpus ſancti Apollinaris tantummodo requiſitus, innoxium ſe eſſe reſponderit, & de inobedientia ſua pœnitentiam, ſicut deputavimus egerit; volumus ut ad conſolandum illum epiſtolam, quam ad eum ſcripſimus, ubi ei, & gratiam noſtram & communionem nos reddidiſſe ſignavimus, experientia tua dare debeat. Quia ſicut in contumacia perſiſtentibus ſeveros nos eſſe convenit, ſic iterum hu-

militatis & pœnitentibus negare locum veniæ non debemus. Præterea de fratre noſtro Sabiniano epiſcopo Jadertino, atque Honorato archidiacono Salonitano, vel aliis qui ſe ad ſedem apoſtolicam contulerunt, cum eodem Maximo omnino ſtudioſe agendum eſt, ut illos in ea qua decet caritate ſuſcipiat, & dolorem contra eos nullo modo in corde retineat, ſed pura cum eis gratia & ſincera dilectione vivat.

* LXXXII. AD MAXIMUM EPISCOPUM SALONITANUM. * CXVI.

Admittit ad communionem, & uſum pallii confert.

*Gregorius Maximo epiſcopo Salonitano.*

Gratian. 2. q. 4. c. 8 Polyc. lib. 4. tit. 37.

QUamvis culpabilibus ordinationis tuæ primordiis grave malum per inobedientiæ culpam addideris, nos tamen ſedis apoſtolicæ auctoritatem eo quo decuit moderamine temperantes, nunquam contra te uſque adhuc, quod cauſſa poſcebat, exarſimus. Sed ut longius ſe ingratitudo noſtra quam tu tibi excitaſti produceret, credita nos ſolicitudo vehementer angebat, ne quædam illicita, quæ de te audieramus, negligenter omittere videremur. Quæ ſi bene conſideres, ipſe per te ſatiſfacere differendo firmabas, atque ex hoc, adverſum te zelum noſtrum acrius incitabas. At ubi tandem ſalubri conſilio uſus, jugo te obedientiæ humiliter ſubmiſiſti, & tua dilectio pœnitentiam agens, digna ſe, ut deputavimus, ſatiſfactione purgavit, redditam tibi gratiam fraternæ caritatis intellige, atque in noſtro te receptum conſortio gratulare: quia ſicut perſeverantibus in culpa diſtrictos, ita reſipiſcentibus nos benignos eſſe decet ad veniam. Poſtquam ergo fraternitas tua apoſtolicæ ſedis communionem ſe reparaſſe cognoſcit, perſonam ad nos tranſmittat, quæ pallium tibi deferendum ex more percipiat. Nam quemadmodum illicita perpetrari non patimur, ſic quæ ſunt conſuetudinis non negamus. Licet autem & ad hæc concedenda diſpenſatio nos loci noſtri vocaverit; multum tamen a nobis petitio dulciſſimi atque excellentiſſimi filii noſtri domini * Gallinici exarchi, ut temperantius erga te ageremus, exegit. Cujus cariſſimam voluntatem nec pertulimus nec potuimus contriſtare.

* Callinici. Tarſ.

* LXXXIII. AD ANATOLIUM DIACONUM CONSTANTINOPOLITANUM. * CXVII.

Marcellinum commendat.

*Gregorius Anatolio diacono Conſtantinopolitano.*

BOnis devotiſque filiis ita nos opere dignum eſt reſpondere, ut quia debitum reddimus, id quod ultro nos convenit impendere, duplicemus. Quia igitur lator præſentium filius noſter magnificus Marcellinus ſic in cauſſa ſe fratris & coepiſcopi Maximi atque Iſtricorum exhibuit, & in eccleſiæ noſtræ utilitates feſtinat impendere, ut ſinceritatis ſuæ affectum non ſolum verbis, ſed etiam opere magis magiſque valeat demonſtrare; idcirco dile-

dilectionem tuam his hortamur affatibus, ut ei in urbe regia venienti toto ſtudio totaque intentione concurras, atque eum ita in omnibus tuis ſtudeas ſolatiis adjuvare, ut omnipotentis Dei ac tuis fultus auxiliis, minus illic debeat laborare. Quem etiam ita ſicut revera noſtrum proprium attendere, atque ei affectum tuæ caritatis in omnibus ſtudebis impendere; quatenus & de præteritis ſibi vicem redditam recognoſcat, & magnam de futuro devotionis ſuæ, quam ſe eccleſiaſticis exhibere utilitatibus pollicetur, ſpem poſſit retributionis aſſumere. Quoniam vero, quantum didicimus, prædictum magnificum filium noſtrum ſereniſſimus domnus imperator ad ſua ſub feſtinatione juſſerat veſtigia properare, quæſita opportunitate inferre te convenit; quia non inobedientiæ culpa, ſed fratris & coepiſcopi noſtri Maximi eum cauſſa retinuit. Quæ, etſi tarde, finem tamen eo ſtudente percepit. Hoc autem dilectionem tuam volumus ſolicite attendere, ne ſe in quacumque cauſſa, ubi gravamen eſt pauperum, miſceri conſentiat; ne forte potentia perſonarum aliquatenus preſſus, cogatur agere quod animæ illius non poſſit expedire. Cuncta ergo cum Dei timore tractantes æternam maxime mercedem perpendite.

## * LXXXIV. AD FANTINUM * CXVI.

### Defensorem Panormitanum.

De moleſtia Januariæ ab Anaſtaſio.

*Gregorius Fantino defenſori Panormitano.*

JAnuaria præſentium latrix maximam ſe[illegible] leſtiam ab ingenuo Anaſtaſio atque Bonifacio contra juſtitiam pati commemorat, adeo ut de poſſeſſione, quam per plurimos annos aſſeritur poſſediſſe, eam, ſicut ipſa ait, nitantur expellere. Et quia contra eos ſe eccleſiaſtica debere petiit tuitione defendi; experientia tua prædictos viros ad ſe evocet, eoſque admoneat, ut illi mali facere nihil præſumant. Sed ſi quid ſibi contra ſupraſcriptam mulierem credunt juſte poſſe competere judices cum ea eligant, & quæ inter eos fuerint diffinita tuo pro quiete partium ſolatio compleantur. Si vero eos differre cognoverit, antefatæ mulieri, ſalva æquitate, tuitionem impendat, & eam contra rationis ordinem nullo modo gravari permittat.

## * LXXXV. AD BENENATUM * CXIX.

### Episcopum Fundaritanum.

Ut oratorium in honorem ſanctorum Severini & Julianæ conſecret

*Gregorius Benenato epiſcopo * Fundaritano.* * Tadertuano Pariſ.

JAnuaria religioſa femina petitoria nobis inſinuatione ſuggeſſit, quod habetur in ſubditis, in maſſa Furiana juris ſui oratorium ſe pro ſua devotione fundaſſe, quod in honorem ſanctorum Severini confeſſoris & Julianæ martyris deſiderat conſecrari. Et ideo, frater cariſſime, ſi in tuæ parochiæ memoratata conſtructio jure conſiſtit, & nullum corpus ibidem conſtat humatum, percepta primitus do-

A natione legitima, id eſt, in redditu præſtantes liberos a tributis fiſcalibus ſolidos decem, geſtiſque municipalibus alligata, prædictum oratorium abſque miſſis publicis ſolenniter conſecrabis, ita ut in eodem loco nec futuris temporibus baptiſterium conſtruatur, nec preſbyterum conſtituas cardinalem. Sed ſi miſſas ibi fieri ſupraſcripta conditrix forte voluerit, a dilectione tua presbyterum noverit poſtulandum, quatenus nihil tale a quolibet alio ſacerdote nullatenus præſumatur. Sanctuaria vero ſuſcepta ſui cum reverentia collocabis

## B * LXXXVI. AD FORTUNATUM * CXX.

### Episcopum Neapolitanum.

Januariæ reliquias ſanctorum Severini & Julianæ dare jubet.

*Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano.*

JAnuaria religioſa femina ſanctuaria beatorum Severini confeſſoris & Julianæ martyris oblata petitione ſibi poſtulat debere concedi, qua tenus in eorum nomine oratorium propriis ſumptibus conſtructum poſſit ſolenniter conſecrari. Et ideo, frater cariſſime, præfatæ Januariæ deſiderii ex noſtra te præceptione convenit obedire, ut devotionis ſuæ, in
C conſecratione quam poſtulat, potiatur effectu.

## * LXXXVII. AD CONSTANTIUM * CXXI.

### Episcopum Mediolanensem.

De reliquiis ſanctorum Pauli apoſtoli, Joannis & Pancratii martyrum.

*Gregorius Conſtantio epiſcopo Mediolanenſi.*

LAtor præſentium Eventius diaconus fraternitatis veſtræ nobis talia intimavit ſibi
D a vobis injuncta, ut reliquias beati Pauli apoſtoli, ſed & beatorum Joannis & Pancratii per eum ad vos dirigere deberemus. Quam petitionem veſtram curavimus effectui mancipandam. Fraternitas ergo veſtra ſolito ſtudio perſcrutari non differat, quatenus in locis quibus recondenda ſunt luminaria vel alimoniæ ibidem ſervientium ante dedicationem loci ipſius debeant * erogari, & tunc in eiſdem locis directa ſanctuaria ſui cum reverentia collocentur; ne loca Deo dicata, ſi prædicta proviſio omiſſa nunc fuerit, futuris temporibus deſtituta, quod abſit, ſervientium reperiantur obſequiis. * provideri.

## * LXXXVIII. AD GAUDIOSUM * CXXI.

E

### Episcopum Eugubinum.

De viſitatione Tadinatis eccleſiæ.

*Gregorius Gaudioſo epiſcopo Eugubino.*

COgnoſcentes eccleſiam Tadinatem diu ſacerdotis proprii regimine deſtitutam, fraternitati tuæ ejuſdem eccleſiæ viſitationis operam ſolenniter delegamus. Quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, miniſteriiſque vel quid-

quidquid illud eſt in patrimonio ejuſdem, a quoquam præſumatur eccleſiæ. Et ideo fraternitas tua ad prædictam eccleſiam ire properabit, & aſſiduis adhortationibus clerum plebemque ejuſdem eccleſiæ admonere feſtinet, ut remoto ſtudio, uno eodem conſenſu talem ſibi præficiendum expetant ſacerdotem, qui & tanto miniſterio dignus valeat reperiri, & a venerandis canonibus nullatenus reſpuatur. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolennitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & dilectionis tuæ teſtimonio literarum ad nos ſacrandus occurrat. Commonentes etiam fraternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permittas eccleſia, niſi forte inter clericos ipſius civitatis, in qua viſitationis impendis officium, nullus ad epiſcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri: proviſurus ante omnia, ne ad hoc cujuslibet converſationis ſeu meriti laicæ perſonæ aſpirare præſumant, & tu periculum ordinationis tuæ, quod abſit, incurras.

* CXXIII.

## * LXXXIX. AD TADINATES.

De epiſcopo eligendo.

*Gregorius clero, ordini & plebi * Tadinati.*

* conſiſtenti Tadinati: Tagina dicitur Procopio lib. 4. de Bello Gothico.

COgnoſcentes eccleſiam veſtram diu ſacerdotali regimine deſtitutam, curæ nobis fuit ejuſdem eccleſiæ viſitationem fratri & coepiſcopo noſtro Gaudioſo Eugubinæ eccleſiæ ſolenniter delegare. Cui dedimus in mandatis, ut nihil de proventionibus clericorum, reditu, ornatu, miniſteriiſque a quoquam uſurpari patiatur. Cujus vos aſſiduis adhortationibus convenit obedire, & remoto ſtrepitu, uno eodemque conſenſu talem vobis præficiendum expetere ſacerdotem, qui & a venerandis canonibus nulla diſcrepet ratione, & tanto miniſterio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolennitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & viſitatoris pagina proſequente, ad nos veniat ordinandus: proviſuri ante omnia, ne cujuslibet vitæ vel meriti laicam perſonam præſumatis eligere. Et non ſolum ille ad epiſcopatus apicem nulla ratione provehetur, verum etiam vos nullis interceſſionibus veniam promereri poſſe cognoſcite. Sed omnes quos ex vobis de laica perſona aſpiraſſe conſtiterit, ab officio & a communione alienos faciendos procul dubio noveritis.

* CXXII.

## * XC. AD SEVERUM EPISCOPUM ANCONITANUM.

Viſitationem injungit * Auſinæ civitatis.

* Æſinæ.

*Gregorius Severo epiſcopo Anconitano.*

* Æſina.

POſtquam civitas * Auſina, Deo juvante, recuperata eſt, atque a republica teneri dignoſcitur, magna de eccleſia ipſa ſolicitudo habenda eſt, maxime quia glorioſus filius noſter Baben magiſter militum a nobis pro hac re auxilium ſperaſſe dignoſcitur: atque ideo ad fraternitatem tuam præſentia curavimus ſcripta dirigere, ut eidem eccleſiæ ex more viſitator accedas. Quam ita te convenit exhibere, ut nihil de proventionibus clericorum, &c. *ſupra epiſtola* LXXXVIII.

## * XCI. AD CLERUM AUSINÆ CIVITATIS. * CXXV.

De eligendo epiſcopo.

*Gregorius clero, ordini & plebi Auſinæ civitatis.*

COgnoſcentes eccleſiam veſtram diu paſtorali ſolicitudine deſtitutam, poſtquam civitatem veſtram recuperatam, & in jure reipublicæ, auxiliante domino, cognovimus reſtitutam; curæ nobis fuit eccleſiæ veſtræ viſitationem fratri & coepiſcopo noſtro Severo Anconitanæ civitatis epiſcopo ſolenniter delegare. Cui etiam dedimus in mandatis, &c. *ut ſupra epiſtola* LXXXIX.

## * XCII. AD FORTUNATUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM. * CXXVI.

De abbate inſtituendo & ordinando.

*Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano.*

QUia ſervorum Dei pater, quem in Neapolitana civitate tranſmiſeram, Deo, ſicut ei placuit, diſponente defunctus eſt; viſum mihi eſt latorem præſentium Barbatianum monachum pro eorumdem monachorum gubernatione tranſmittere. Quem ad præſens præpoſitum eſſe decernimus, ut ſi ejus vita tuæ fraternitati placuerit, hunc poſt aliquantum temporis eorum patrem debeas ordinare: ſunt enim bona quæ in eo placent. Sed hoc eſt in illo vehemens vitium, quia valde ſibi eſſe ſapiens videtur. Ex qua radice quanti rami peccati valeant prodire, patenter agnoſcitur. Tua itaque ſanctitas circa eum inſtanter invigilet, & ſi hunc & cautum in regimine, & humilem in ſuo ſenſu fieri cognoverit, tunc eum ad abbatis honorem, Deo auctore, perducat. Si vero minus in humilitate proficit, ejus ordinationem differat, mihique renuntiet.

## * XCIII. AD VICTOREM EPISCOPUM PANORMITANUM. * CXXVII.

De ordinando ſacerdote in monaſterio Praecoritano.

*Gregorius Victori epiſcopo Panormitano.*

DEſiderium quod ad religioſum propoſitum, & animarum ſalutem pertinere monſtratur, ſine aliqua, Deo auctore, eſt dilatione complendum. Et ideo quia monachorum congregatio quæ in monaſterio Praecoritano conſiſtit, pro ſacris miſſarum ſolennibus peragendis presbyteri indigere probatur officio, atque de tua ſibi congregatione in hoc ordine poſtulant conſecrandum, fraternitatem veſtram ſcriptis præſentibus adhortamur, ut eum quem ſibi de congregatione ſua unanimes duxerint eligendum, in prædicto monaſterio ſine mora vel excuſatione aliqua presbyterum debeat ordina-

dinare, atque eum nec in eccleſia, nec in loco alio obſervare, ſed illic jugiter permanere ex noſtra quoque auctoritate conſtituat; quatenus & ille, dum alibi non fuerit occupatus, in officio ſuo aſſiduus poſſit & utilis inveniri, & congregatio quæ ſibi eum poſtulat ordinari, quotiens neceſſe fuerit, ipſo ſacrificii ſolennitatem veneratione debita celebrante, valeat refoveri.

* CXXVIII.

## * XCIV. AD BASILIUM.

De ſchiſmate Iſtricorum.

*Gregorius Baſilio.*

In Pithœi ſuaſſeſeriur ad indic XIII cum ſequenti.

MUltum cor noſtrum veſtræ magnitudini congaudet, quod ſic vos ſtudioſos in veſtris actibus invenimus, ut vobis & apud homines gloriam, & apud omnipotentem Deum præmia mercedis acquiratis. Inter alia igitur laudanda quæ agitis, qualiter vos contra Iſtricorum ſchiſma pro unitate eccleſiæ amoris olim fervor accenderit, & multorum teſtificatione, & noſtrorum modo plene relatione cognovimus. Unde redemptoris noſtri miſericordiam exoramus, ut ſua vobis in omnibus gratia ſuffragetur, & effectu vos implere tribuat quod velle conceſſit. Quia ergo hac in re tanto commoda retributionis accreſcunt, quanto & ſtudium laboris augetur paterna vos dilectione ſalutantes hortamur, ut opportunitate occaſionis inventa efficaciam veſtram exercere enixius debeatis; atque id modis, quibus poſſibile fuerit, omni ſtudio agere contendatis, quatenus prædicabile deſiderium veſtrum de reverſione errantium adjuvante domino compleatis. Præſentium vero portitorem Caſtorium chartularium noſtrum, quem pro quibuſdam illic cauſſis tranſmiſimus, magnitudo veſtra, ut bona ſua multiplicet, ſuis in omnibus ſtudeat ſolatiis adjuvare. Omnipotens Deus ſua vos protectione cum filiis & omni domo veſtra ab omni adverſitate tueatur atque cuſtodiat, vobiſque & præſentis vitæ proſperitatem, & lætitiam futuræ concedat.

* CXXIX.

## * XCV. AD MASTALONEM.

Laudat zelum ejus juſtum pro domino.

*Gregorius Maſtaloni.*

REſponſalium noſtrorum relatione comperimus, quod pro amore unitatis eccleſiæ tantus vos divini zeli ardor accenderit, ut quoſcumque valueratis non deſinatis ad ſinum matris eccleſiæ revocare, atque ut bonus fideliſque famulus lucrum quotidie de accepto dono tuo domino & redemptori noſtro cum ſumma mentis intentione facere non deſiſtatis. Et quidem venientem ad nos ut potuimus ex corporalis viſus oſtenſione didicimus: bonum vero quod ex divina inſpiratione in mentis tuæ caritate manebat occultum, deſideralibus nunc operis atteſtatione cognoſcimus. Unde divinæ miſericordiæ gratias ineffabili laude reddentes, hortamur dilectionem tuam, atque quibus valemus admonitionibus confortamus, ut quantum te acceptum talentum occultantis pœna perturbat, tantum lucrum facientium, atque per hoc de cæleſtis

A regni perceptione lætantium, dominicæ vocis * imitatio te deſiderabiliter ad petenda corroboret. * Invitatio ſit in Tarſ.
Scire te namque, dilectiſſime fili, convenit, quod fructus hujus quem apprehendiſti ſtudii, retributionis ſuæ non careat fine. Et ideo præpedientium te nulla, vel ſi eſt, debet contrarietas perturbare, quia quanto ex difficultate cauſſæ bonum perfici domino cooperante valuerit, tanto tibi erit & glorioſior retributionis ſpes. Excellentior namque naſcitur ex deſperatione victoria, quæcumque fuerit laboris nimii adepta ſudoribus. Cognovimus etiam quod Theodoſius filius noſter tui ſequax, bonique cooperator ſtudii, pariter tecum in ſolicitudine lucrandarum animarum ſoler-
B ter invigilet. Cui omnipotentem Deum interceſſione beati Petri apoſtolorum principis retributorem citius eſſe confidimus.

## * XCVI. AD GULFAREM MAGISTRUM MILITUM. * CXXX.

Ut melius quotidie proficiat in ſchiſmaticis reducendis ad eccleſiam.

*Gregorius * Gulfari magiſtro militum.*

* Ulfaris ducis Tarviſini meminit Paulus diac. c. 1. lib. 4. de geſtis Longobard.

LAtores præſentium de Iſtriæ ad nos partibus venientes, tanta nobis bona gloriæ
C veſtræ retulerunt, ut in reddendam nos vobis gratiarum actionem vehementer accenderent. Cognovimus namque quod inter curas injunctæ vobis gubernationis illarum partium præcipuam de animarum lucris ſolicitudinem habeatis, & ita errantium corda ad unitatem feſtinare vos eccleſiæ revocare, ut quantum ad deſiderium veſtrum pertinet, nullum illic ab apoſtolica ſegregatum remanere velitis eccleſia: tantuſque vos beati Petri apoſtolorum principis amor accenderit, ut ovile ipſius, cui a domino omnes creaturæ ſunt traditæ, ſummo redintegrare cum deſiderio cupiatis. Habe, glorioſe fili, ex tanto talique opere præfixam de divina retributione fiduciam, in qua
D vos non ſolum noſtra adhortatio, ſed & apoſtolicus quoque ſermo confirmat: *Quia is qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Jac. 5. Quantalibet enim ſit temporalis affluentia vel certe proſperitas, habet finem ſuum terminum mortis. Hoc vero quod de animarum lucris apprehendiſtis ſtudium, tenet fixam ſpei ſuæ certitudinem, æternæ ſcilicet vitæ retributionem. Quapropter præmiſſo paterno ſalutationis affectu hortamur gloriam veſtram, ut pro unitate ſanctæ fidei zelum, quem vobis ipſe unitatis auctor tribuit, ſtudioſius peragatis, & quouſque potueritis, ſinum matris eccleſiæ ab ſchiſmatis ſui
E revocantes errore, adhortatione continua foveatis. Hoc etiam peragentes, ut & quos per vos dominus ſuo ovili redintegrari conceſſerit, ita defenſionis veſtræ ſolatiis protegatis ut non ſit quo hi qui adhuc in errore ſunt poſiti, revertentes ad ſalubre conſilium valeant applicare. Dum enim vos cauſſas Dei in terra agitis ipſe & hic actus veſtros protectionis ſuæ feliciter ope diſponit, & in æterna vobis vita, quam cupitis, pro tanto bono veſtro retributio exiſtet.

* XCVII.

## * XCVII. AD ROMANUM DEFENSOREM. * CXXXI.

De Iſtrianis ad unitatem eccleſiæ reverſis.

*Gregorius Romano defenſori.*

PRæſentium portitores huc de Iſtriæ partibus venientes, ad epiſcopum ſuum, qui nunc in Siciliæ degit partibus, cum noſtro ſe pergere ſolatio popoſcerunt. Quos hinc ordinantes fecimus ambulare. Suſcipiens ergo eos experientia tua ordinet, qualiter ad prædictum epiſcopum ſuum velocius valeant pervenire, ne, ſicut aſtruunt ſchiſmaticorum illarum partium eos alii ad perſuadendum præveniant. B Quantum enim indicant, ipſe epiſcopus pro unitate fidei ad nos habet deſiderium veniendi. Concurrendum ergo illis eſt, ut bona quæ cupiunt, domino adjuvante, valeant perficere. Sed experientia tua aut per ſe, ſi in vicino eſt, aut ſuis epiſtolis eumdem epiſcopum adhortetur, ut propitiante domino ad apoſtolorum limina properare feſtinet; ſciturus quod a nobis cum omni ſuſcipietur affectu. Cui expenſam itineris, qualiter ad nos perveniat, præbere te volumus. Sin vero onerolum illi eſt huc venire & Siciliam habitare diſponit, atque in unitate eccleſiæ apud ſcripturarum perverſores cum cautela permanere conſentit, & hoc nobis tua ſuggeſtione indicare non differas, ut qualiter illic conſultum habere valeat, expenſare auxiliante domino diſponamus. Sed & harum latores quemadmodum ad eumdem epiſcopum ſuum veniant, tuæ concurſionis ſit atque ſolatii, ut venientes a nobis nihil minus ſentiant.

## * XCVIII. AD GALLINICUM EXARCHUM ITALIÆ. * CXXXII.

De ſchiſmaticis ad eccleſiam redeuntibus.

*Gregorius * Gallinico exarcho Italiæ.*

* Callinico ita in Tariſ.

APud excellentiam veſtram tanto nobis quæ * petimus velut impetrata jam credimus, quanto & hoc quod petitur ab officio noſtro non diſcrepat, & vos inter curas fluctuationum ſæcularium æternæ quoque ex hoc cumulus retributionis expectat. Harum ſiquidem latores de Iſtriæ ad nos partibus venientes, ſchiſmaticorum, inter quos erant poſiti, vitantes errorem, unitati eccleſiæ ſubdi ſalubriter cupierunt. Quorum boni intentionem operis perpendentes, in ſinum matris eccleſiæ competenti cum exhortatione ſuſcepimus, eoſque noſtræ deſiderantes eccleſiæ militare grate conceſſimus. Præmiſſo quapropter excellentiæ veſtræ paternæ ſalutationis affectu, petimus ut E eos pro bono deſiderii ſui, quo ad apoſtolorum principis petram ſolidam concurrerunt ne fluctuantium adhuc erroribus mixti naufragium deſperatæ ſalutis incurrerent, habere dignemini commendatos; quatenus ad propria remeantes, nullis propter hoc bonum quod appetiiſſe noſcuntur perverſorum inquietudinibus perturbentur, ſed magis in omnibus auxilium veſtræ tuitionis inveniant, ut ex eorum quiete, aliorum adhuc in ſchiſmate poſitorum corda flectantur, atque horum per bo- A num veſtri patrocinii provocati ſequaces exiſtant. Ad augmentum namque mercedis veſtræ pertinet, ſi inter curas bellicas, ſicut corpus ab exteriori hoſte, ſic animam ab interni inſidiatoris impugnatione protegatis.

* petimus ſperanda ſunt & velut &c. Tariſ.

## * XCIX. AD MARINIANUM EPISCOPUM RAVENNÆ. * CXXXIII.

De ſchiſmaticis ad eccleſiæ unitatem reverſis.

*Gregorius Mariniano epiſcopo Ravennæ.*

B LAtores præſentium ad nos de Iſtriæ partibus venientes, unitati ſe eccleſiæ ſubdi auxiliante domino cupierunt. Quos pro ſui laude deſiderii cum affectu ſuſcepimus, eoſque de * conſervatione adeptæ unitatis præmiſſa exhortatione noſtra quoque, ſicut eorum deſiderium erat, eccleſiæ fecimus militare. Quos fraternitas veſtra gratanter excipiat, eiſque opem, cum exegerint, libenter impendat; quatenus ad propria revertentes, nullis, * ut bonum operis ſui peragere valeant, perverſorum inquietudinibus fatigentur. Magis autem apud excellentiſſimum filium noſtrum exarchum id ſtudioſius peragite, ut ſuis illos juſſionibus apud eos, quorum illuc intereſt, ſecuros in omnibus reddat; ut horum quiete aliorum C quoque adhuc in ſchiſmate poſitorum animi ad converſionis gratiam provocentur.

* converſatione. Tariſ.

* ad ut boni operis ſui perveniant. in bono operis ſui perverſorum &c. Tariſ.

## * C. AD HABITATORES CAPREÆ INSULÆ. * CXXXIV.

De epiſcopo eis conſtituendo, ſi ſchiſmaticus unitatem fidei amplecti noluerit.

*Gregorius habitatoribus Capreæ inſulæ.* *

* Tariſ. addit Hiſtriæ provinciæ conſiſtentibus.

REdemptor noſter Dei hominumque mediator conditionis humanæ non immemor, ſic imis ſumma conjungit, ut ipſe in D æternitate permanens, ita temporalia occulto inſtinctu pia conſulens moderatione diſponit; quatenus de ejus manu antiquus hoſtis nullatenus rapiat, quos ante ſæcula intra ſinum matris eccleſiæ coadunandos eſſe præſcivit. Nam etſi quiſpiam eorum, inter quos corporaliter degit, flatibus motus ad tempus ut palmes titubet, radix tamen rectæ fidei, quæ ex occulto prodit, divino judicio virens manet, quæ accepto tempore fructum de ſe oſtentare valeat qui latebat. Quod in vobis nunc ex deſiderio veſtro geſtum eſſe superni reſpectus illuſtratione cognoſcimus, qui ſchiſmaticorum inter quos habitatis pertinaciam refutantes, coadunari ovili dominico mente promptiſſima E ipſa rei operatione monſtratis. Quibus enim ſciſſura diſplicet, ſanos ſe velle eſſe teſtantur, & reprobantes errorem, oſtenditis vos amare quod rectum eſt, vitare quod devium. Hinc eſt quod nos & veſtra dudum directa petitio, & latorum præſentium, & reſponſalium veſtrorum ſalubria poſtulantium, lætificavit adventus, per quos ſignificaſtis vos & devios reprobare greſſus errantium, & rectum ſalutis iter quærere, per quod unitati vos ſanctæ eccleſiæ reformantes, ad retributionem bene operantium, qui intra ejus ſinum conſtituti ſunt, debi-

debitam tenderetis. Unde ſic laudabilem veſtræque in æternum animæ profuturam voluntatem veſtram cum omni gaudio ſumus libenter amplexi: hoc cum domini auxilio diſponentes, ut ſiquidem epiſcopus, quem vobis in veſtra reformari petiveratis eccleſia, a ſchiſmaticorum lapſu ſe ſegregans, eccleſiæ voluerit unitati conjungi, fratri & coepiſcopo noſtro Mariniano evidenter ſcripſimus, qualiter petitionem veſtram ex noſtra auctoritate debeat confirmare. Sin vero, quod optandum nobis non eſt, ab illorum ſe noluerit ſchiſmate ſeparare, idem, quomodo veſtra eccleſia proprium habere valeat ſacerdotem, prædicto fratri & coepiſcopo noſtro ſcripſimus: quatenus in utroque & pia mentis veſtræ devotio B ſortiatur effectum, & grex dominicus contra inſidiantis inimici jacula ſit ſecurus.

## * CI. AD FELICEM. * CXXXV.

Conqueritur ab eccleſia ſua poſſeſſiones fuiſſe occupatas.

*Gregorius Felici in Sicilia.*

SUſceptis magnitudinis veſtræ epiſtolis contriſtati ſumus, quod ab actoribus eccleſiæ Syracuſanæ quaſdam poſſeſſiones, quas vos tenuiſſe dicitis, occupatas irrationabiliter indicaſtis. Sed credimus quia hoc ad fratris & C coepiſcopi noſtri Joannis notitiam non pervenit. Nam abſolute poterat cognita veritate, ſi quid illicite factum eſt, emendare. Et ideo quia legali proviſione decretum eſt tam * momenti quam proprietatis cauſſam in uno eodemque judicio * debere cognoſci, nec nos contra inauditam partem aliquid poſſumus definire, prædicto fratri noſtro ſcripſimus, ut actores eccleſiæ ſuæ deputare debeat, qui vobiſcum ſine mora electorum poſſint ſubire judicium: ne aut vos res veſtras ſine cognitione, ſicut querelam facitis, amittere, aut pars altera videatur præjudicium ſuſtinere. Gloria ergo veſtra nullas ad eligendos judices moras aut difficultates interſerat, vel differat ad cauſ- D ſam accedere: nam omnino de ſupradicti fratris & coepiſcopi noſtri moribus certi ſumus, quia facere quidquid rationis ordo exegerit non recuſet.

* imminentis, quam principalis rei cauſſam &c.
* debere deeſt in Parif.

## * CII. AD JOANNEM EPISCOPUM * CXXXVI.

SYRACUSANUM.

Quod cum Felice judicium ſubeat.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

FElix vir memorandus ſuis nobis epiſtolis queſtus eſt, fraternitatis veſtræ actionarios E poſſeſſiones quas tenuerat illicite & contra juris ordinem pervaſiſſe, petens ablata ſibi reſtitui, & ſe cum eis, ſi tamen cauſſam voluerint dicere, paratum eſſe in judicio ſine aliqua dilatione conſiſtere. Quod ſi ita eſt, quia quid legalis ratio habeat non neſcitis, oportet ut omni mora poſtpoſita actores veſtræ eccleſiæ deputetis, ut cum eo debeant eligere cognitores, qui tam * momenti quam principalis rei quæſtiones cognoſcere valeant & finire; ne ſi qualibet occaſione dilatum fuerit, & A ipſe pati præjudicium, & partes eccleſiæ non habere juſtitiam videantur. Ita ergo agite, ut ſub omni celeritate judicium eligatur. Nam nos ſic cauſſas eccleſiæ veſtræ fieri volumus, ut nec diſpendium contra æquitatem ſuſtineat, nec ad veſtram poſſit aliquid invidiam * pertinere.

* imminentis quam principalis rei &c. Parif.
* al. ſuſtinere

## * CIII. AD THEODORUM CURATOREM * CXXXVII.

RAVENNÆ.

De pace facta cum Longobardis.

*Gregorius Theodoro curatori Ravennæ.*

LIcet multa de vobis ad nos olim, referentibus reſponſalibus noſtris quæ animos noſtros lætificarent pervenerint; nunc tamen remeans filius noſter Probus abbas, tanta de gloriæ veſtræ amplius caritate retulit, quanta de bono revera & Chriſtianiſſimo decet filio prædicari. Et quoniam tantum ſibi effectum a vobis impenſum, ac tale ſtudium in ordinanda pace vos habuiſſe narravit, quale nec in noſtris civibus, qui illic ante inventi ſunt, extitit, ſupernæ protectionis miſericordiam poſtulamus, ut hanc vobis vicem in corpore & in anima, & hic & in futuro retribuat, qui pro multorum ſalute vigilanter agere quæ erant C utilia non ceſſaſtis. Indicamus itaque * Arnulfum de ſervanda pace, non ut rex ipſius juravit, ſed ſub conditione ſi ſibi in quoquam exceſſum non fuerit, aut ſi nullus contra * Arogis exercitum ambulaverit, ſacramenta præſtitiſſe. Quod quia omnino iniquum & doloſum eſt, nos tamquam ſi non juraſſet habemus; quia in aliquid parum facilem ſibi excedendi occaſionem inveniet, & plus nos, * quaſi de eo ſuſpecti non fuerimus, decipiet. Vvarnilfrida vero, ad cujus conſilium idem Arnulfus cuncta agit, omnino jurare deſpexit. Et id contigit ut ex pace, quam multum deſideravimus, nos in his partibus nullum pene remedium habere poſſimus; quia de eiſdem D hoſtibus, de quibus ſuſpecti nuncuſque fuimus, adhuc & in poſterum ſuſpecti ſumus. Cognoſcat præterea gloria veſtra homines regis, qui huc tranſmiſſi ſunt, imminere, ut in pacto debeamus ſubſcribere. Sed recordantes eorum quæ Agilulphus Baſilio viro clariſſimo convicia ſuper nos in beati Petri dixiſſe fertur injuriam, quamvis hoc penitus idem Agilulphus negaverit, a ſubſcriptione tamen abſtinere prævidimus; ne nos qui inter eum & excellentiſſimum filium noſtrum domnum exarchum petitores ſumus & medii, ſi quid forte clam ſublatum fuerit, falli in aliquo videamur, & noſtra ei promiſſio in dubium veniat: & ſi qua de futuro, quod abſit, neceſ- E ſitas fuerit, occaſionem inveniat qualiter noſtræ petitioni conſentire non debeat. Et ideo petimus, ut ſicut & a prædicto filio noſtro excellentiſſimo popoſcimus, gloria veſtra ea qua nobis caritate unita eſt * peragat; quatenus antequam homines ipſi ab Arogis revertantur, rex eis ſub feſtinatione ſcripta tranſmittat, quæ tamen ad nos deferantur, in quibus eis præcipiat ut nos ſubſcribere non petat. Sed ſi tantum eſt, Glorioſum fratrem noſtrum, vel de epiſcopis unum, aut certe archidiaconum ſubſcribere faciemus. De perſona vero Auguſti gra-

* Ariuldum & ſic infra Parif.
* Ariulfus dux Spoletanus.
* Arachis dux Beneventanus.
* ſi de &c. Parif.
* pergat

gratias agimus, atque ſtudemus, ut cum adverſario ſuo cauſſam ſuam ſecundum æquitatem definiat, qui ita illi, ne illuc exhiberetur laborem imponi nolumus, ut tamen adverſario ipſius juſtitiam non negemus. De aliis autem, quia digne vobis gratias agere necdum occurrimus, in ſubſequenti reſponſalem dirigimus, per quem in caritate, qua ad alterutrum nexi ſumus, amplius miſerante domino conſtringamur. Præterea gloriæ veſtræ mæror nos vehementer afficit: ſed quia vir ſapiens ea quæ per conſolationem dicenda ſunt cuncta novit, verbis vos conſolari ceſſamus, ſed oratione proſequimur; petentes ut omnipotens Deus vitam & ſalutem veſtram veſtrorumque omnium pietatis ſuæ protectione cuſtodiat, & cor veſtrum in afflictione poſitum conſoletur.

*CXXXVIII. ## * CIV. AD OCCILLIANUM.

Sabinum epiſcopum commendat.

*Gregorius Occilliano tribuno Hydruntino.*

COgnoſcentes magnitudinem veſtram de Ravennatis partibus cum ordinatione excellentiſſimi filii noſtri domni exarchi ad Hydruntinam civitatem feliciter remeaſſe, grate ſuſcepimus, & dominum exoramus, quo actus veſtros ſuæ propitiationis opitulatione diſponat. * Sabinus ſiquidem frater & coepiſcopus noſter ad nos veniens, graves nobis civium ſuorum querelas innotuit, aſſerens a Viatore extribuno Hydruntinæ civitatis multa ſe hactenus illicita pertuliſſe. Magnitudinem ergo veſtram paterno ſalutantes affectu hortamur, ut quidquid pridem male geſtum eſſe cognoſcitis, judiciaria debeatis emendatione corrigere. Scitis etenim quod locus ipſe eccleſiæ noſtræ ſit proprius, & ipſi pauci qui illic ruſtici remanſerunt, ſi in aliquibus incompetentibus angariis vel oppreſſionibus affliguntur, locum ipſum deſerunt, &, quod non optamus, hoſtibus datur illum occaſio pervadendi. Prædictum ergo epiſcopum, omneſque habitatores loci ipſius vobis peculiariter commendamus, ut non ſolum nullis illicitis injunctionibus onerentur, ſed magis ex commendatione noſtra, veſtra ſibi in omnibus ſentiant adeſſe ſolatia, ut & beatus Petrus apoſtolorum princeps, cujus res ipſa eſt, vobis retributor exiſtat, & nos in veſtris promptius utilitatibus commodemus.

* Savinianus.

*CXXXIX. ## * CV. AD SABINIANUM EPISCOPUM CALLIPOLITANUM.

Ne patiatur res eccleſiæ angariis prægravari.

*Gregorius Sabiniano epiſcopo Callipolitano.*

INdicatum nobis eſt quod homines Callipolitani caſtri, in quo te propitiante domino eſſe conſtituimus ſacerdotem, gravibus diverſorum moleſtiis affligantur, atque in longinquis angariis multiſque diſpendiis conterantur. Hortamur ergo fraternitatem tuam, ut quia & locus ipſe noſtræ, ſicut cunctis notum eſt, eccleſiæ eſſe dignoſcitur, ſolicitudinem tuam veſtræ defenſionis zelo ſuccendas, eoſque non permittas illicitis prægravari: quia & exempla-



A ria tibi privilegiorum eccleſiæ de ſcrinio noſtro ob hoc fecimus dari, quatenus informatus ex omnibus, qualiter habitatores loci illius defenſare valeas non ignores. Volumus etiam ut maſſæ ipſius Callipolitanæ homines ſub ſolicitudinis tuæ cura a futura tertia indictione habere debeas, atque de eorum relevandis moleſtiis eſſe cautiſſimum, & adhibita ſolicitudinis cura, uniuſcujuſque vires quid præſtare de ſua penſione eccleſiæ utilitatibus valeant, caute cognoſcere, ac ſecundum vires ſuas ad perſolvendum quemque diſponere. De qua ordinatione fraternitas tua ſubtiliter facta notitia quid dare ipſi homines totius Callipolitanæ maſſæ poſſunt, indicare non differat, B ut ſciamus quid exinde diſponere, auxiliante domino, valeamus. Ad Sergium vero defenſorem præcepta direximus, ut in hac vobis re non ſolum non audeat eſſe contrarius, ſed vobis magis ubi valuerit ſolatia ſubminiſtret.

## * CVI. AD SERGIUM DEFENSOREM. *CXL.

De Fruniſcendo obnoxio eccleſiæ Hydruntinæ.

*Gregorius Sergio defenſori.*

REverendiſſimus frater noſter Petrus Hydruntinæ civitatis epiſcopus, queſtus eſt C nobis per Vincentium diaconum ſuum, Fruniſcendum eccleſiæ ſuæ quondam filium in multis exiſtere debitorem, & non ſolum nolle ſatisfacere de his quibus tenetur obſtrictus, ſed etiam contemnere ſubire judicium. Unde experientiæ tuæ præſenti auctoritate præcipimus, ut eum admonere ſtudeat; quatenus ſi quid de obſtrictu eccleſiæ ſe redhibere cognoſcit, ſatisfacere dilatione poſtpoſita non deſiſtat. Alioquin mora ceſſante ad electorum te compellente accedat judicium. Et quidquid veritate cognita medius ſacroſanctis evangeliis fuerit ſtatutum ita ad effectum executionis tua inſtantia perducatur, ut hujus rei querela ad nos denuo non redeat.

D

## * CVII. AD EUMDEM. *CXLI.

De Petro puero fuga lapſo.

*Gregorius Sergio defenſori.*

Filius noſter vir magnificus * Occillianus tribunus Hydruntinæ civitatis ad nos veniens puerum unum Petrum nomine, artis piſtoriæ ex jure germani noſtri ad eum noſcitur perduxiſſe. Quem nunc fuga lapſum ad partes illas reverti cognovimus. Experientia ergo tua antequam ad Hydruntinam civitatem valeat is ipſe contingere, ſub qua valueris celeritate, vel ad epiſcopum Hydruntinæ E civitatis, vel ad prædictum tribunum, vel ad alium quem in loco tuo te habere cognoſcis, ſcripta dirigas, ut uxorem vel filios prædicti mancipii ſub omni habere debeant cautela, atque de ipſo ſolicitudinem gerere, ut perveniens valeat detineri, & mox cum rebus ſuis omnibus, quæque ad eum pertinent, navi impoſitis per fidelem perſonam huc modis omnibus deſtinari. Experientia itaque tua cum omni hoc ſtudeat efficacia ſolertiaque perficere, ne de neglectu vel mora noſtros, quod non optamus, animos offendas.

* Occilio.

M CVIII.

A

* CXLII. * CVIII. AD FORTUNATUM EPISCOPUM

NEAPOLITANUM.

Ne milites in monaſterio virginum hoſpitentur.

*Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano.*

Ivo part. 7. cap. 11

INſinuavit nobis latrix præſentium Agnella abbatiſſa, quod intra monaſterium ipſius milites hoſpitentur. Et omnino de fraternitatis veſtræ ſollicitudine mirati ſumus, cur hoc patienter tulerit, & non illud cum omni celeritate fecerit emendari. Unde hortamur, ut vel nunc ſtudii veſtri ſit inſtanter eis quorum B intereſt imminere, quatenus ſine aliqua exinde excuſatione tollantur, ut nullus illic ulterius hoſpitium & metatum accipiat: ne callidus hoſtis occaſionem inveniens de deceptione religioſi habitus, quod abſit, valeat exultare.

* CXLIII. * CIX. AD EUMDEM.

De diviſione populi Neapolitani.

*Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano.*

QUorumdam in Neapolitana conſiſtentium civitate relationem de quibuſdam capi- C tulis Stephano deferente ſuſcepimus. De quibus Theodorus vir magnificus major populi ad nos veniens, ante conqueſtus jam fuerat, a fraternitate tua in eis fuiſſe præjudicia irrogata. Sed & alteram quorumdam relationem in prædicta urbe degentium, qui prædicti majoris populi partem ſequuntur, accepimus. Ex quibus liquido comperimus in duas ſe partes populum diviſiſſe. Et quia nobis triſte & tibi grave eſt inter habitatores memoratæ civitatis prodiiſſe diſcordiam, quorum unitati ſtudere debuerat ac concordiæ, ideo fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut ceſſante omni excuſatione, perſonam huc in- D ſtructam ſub feſtinatione tranſmittas, quæ aut in electorum, aut certe in deputatorum a nobis judicio, ſi qua pro tuis partibus ſunt agenda, adverſariorum intentionibus ac objectis per omnia valeat reſpondere, ut veritate cognita, ſalubrem hic finem cauſſa ſuſcipiat, quatenus rationabiliter omnibus capitulis quæ in altercationem venerant terminatis, nullas in hac contentione ingravedo vires accipiat, ſed ſola inter te & filios tuos pax, ſicut decet, & caritas perſeveret. Quia ergo exortæ contentiones nulla illic poſſunt ratione diſtingui, quippe ubi tanta in habitatoribus eſt innata diſſenſio, ut nullus ſit qui poſſit in judicio reſpondere, ſive defendendæ alternæ par- E tis ſtudio remanere; ita fraternitas tua agat, ut in tranſmittenda perſona, ſicut diximus, nullam tarditatem qualibet excuſatione ſubjungat.

* CX. AD SERENUM EPISCOPUM * CXLIV.

MASSILIENSEM.

Cyriacum abbatem ad Syagrium euntem commendat, monetque imagines in eccleſiis non eſſe confringendas.

*Gregorius Sereno epiſcopo Maſſilienſi.*

QUod fraternitati veſtræ tam ſero ſcripta tranſmittimus, non hoc torpori, ſed occupationi deputata. Latorem vero præſentium dilectiſſimum filium noſtrum Cyriacum monaſterii noſtri patrem vobis in omnibus commendamus, ut nulla hunc in Maſſilienſi civitate mora detineat; ſed ad fratrem & coepiſcopum noſtrum Syagrium cum ſanctitatis veſtræ ſolatio Deo protegente proficiſcatur. Præterea indico dudum ad nos perveniſſe, quod fraternitas veſtra quoſdam imaginum adoratores aſpiciens, eaſdem * eccleſiæ imagines confregit atque projecit. Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari poſſit, habuiſſe laudamus; ſed frangere eaſdem imagines non debuiſſe judicamus. Idcirco enim pictura in eccleſiis adhibetur, ut hi, qui literas neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant quæ legere in codicibus non valeant. Tua ergo fraternitas & illas ſervare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit, quatenus & literarum neſcii haberent unde ſcientiam hiſtoriæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minime peccaret. * in eccleſiis. Par. ſ.

* CXI. AD SYAGRIUM, ÆTHERIUM, * CXLV.

VIRGILIUM ET DESIDERIUM EPISCOPOS.

Contra ſimoniacos, ac neophytos, & vetita mulierum contubernia, atque ut ſynodi quotannis fiant. De his omnibus in ſynodo tractari jubet, & ad ſe per Cyriacum abbatem referri.

*Gregorius * Syagrio, Ætherio, Virgilio & Deſiderio epiſcopis Galliarum, a paribus.*

* Syagrio Auguſtodunenſi, Ætherio Lugdunenſi, Virgilio Arelatenſi, Deſiderio Vienenſi epiſcopis &c. Par. ſ.

CAput noſtrum, quod Chriſtus eſt, ad hoc ſua eſſe membra nos voluit, ut per compagem caritatis & fidei unum nos in ſe corpus efficeret. Cui ita corde adhærere nos convenit, ut quia ſine ipſo nihil eſſe poſſumus, per ipſum poſſimus eſſe quod dicimur. Ab arce capitis noſtri res nulla nos dividat, ne ab ea, ſi ejus eſſe membra refugimus, relinquamur, & velut ejecti de vite palmites areſcamus. Ut ergo redemptoris noſtri eſſe habitaculum mereamur, in dilectione ipſius toto mentis ſtudio maneamus. Ipſe namque ait: *Qui diligit me ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Sed quoniam bonorum auctori hærere aliter non valemus, niſi cupiditatem a nobis, quæ omnium malorum radix eſt, abſcindamus; per ſcripta præſentia, quæ alterno adinvicem deſideratæ viſitationis ſermone nos ſociant, fraternitatem veſtram inſtitutis apoſtolicis convenimus, ut patrum regulis & præceptis dominicis innitentes, Joan. 14.

tes, de templo fidei avaritiam, quæ idolorum A eſt ſervitus, excludamus; ut in domo domini nihil noxium, nihilque ſinamus adeſſe confuſum. Nuntio ſiquidem apud nos olim diſcurrente vulgatum eſt, quod in Galliarum partibus ſacri ordines per ſimoniacam hæreſim conferantur. Et vehementi tædio mœroris afficimur, ſi in eccleſiaſticis officiis quemquam habet locum pecunia, & fiat ſæculare quod ſacrum eſt. Quicumque vero hoc pretii ſtudet datione mercari, dum non officium ſed nomen attendit, ſacerdos non eſſe, ſed dici tantummodo inaniter concupiſcit. Quid ſcilicet, quid per hoc aliud agitur, niſi ut nulla de actu probatio, nulla ſolicitudo de moribus, nulla ſit de vita diſcuſſio; ſed ille ſolummodo dignus, qui dare B pretium ſufficerit, æſtimetur? Ex qua re ſi recti libraminis examen penſetur, dum improbe ad inanem gloriam locum feſtinat utilitatis arripere, eo ipſo magis quod honorem quærit, indignus eſt. Sicut autem is qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admovendus; ſic qui ultro ambit, vel importune ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus. Grat. 1. q. 6. cap. 5. Nam qui ſic nititur ad altiora conſcendere, quid agit niſi ut creſcendo decreſcat, & aſcendendo exterius interius ad profunda deſcendat? Itaque, fratres cariſſimi, in ſacerdotibus ordinandis ſinceritas vigeat, ſit ſimplex ſine venalitate conſenſus, pura præferatur electio, ut ad ſumma ſacerdotii non ſuf- C fragio venditorum provectus, ſed Dei credatur eſſe judicio. Nam quam grave omnino ſit facinus, Dei donum velle pretio comparare vel vendere, evangelica eſt teſtis auctoritas. Matth. 21. Templum enim dominus & redemptor noſter ingreſſus, cathedras vendentium columbas evertit. Quid aliud eſt columbas vendere, niſi pretium de manuum impoſitione percipere, & ſanctum Spiritum, quem omnipotens Deus hominibus tribuit, venumdare? Quorum ſacerdotium ante Dei oculos cadere, cathedrarum utique patenter everſione ſignatum eſt. Et tamen exerit adhuc nequitiæ pravitas vires ſuas. Nam cogit vendere quos decipit ut emerent: & dum non attenditur quod divina voce præ- D cipitur, *gratis accepiſtis, gratis date*, agitur ut Matth. 10. Grat. 1. q. 1. cap. 13. Joann. diac. lib. 3. c. 4. creſcat, & geminata fiat in uno eodemque delicti contagio, ementis ſcilicet & vendentis. Et cum liqueat hanc hæreſim in eccleſia ante omnes radice peſtifera ſubrepſiſſe, atque in ipſa ſua origine apoſtolica eſſe deteſtatione damnatam, cur non cavetur, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur, quia ad hoc ut fiat hæreticus promovetur? Plerumque ergo adverſarius animarum, dum non poteſt in his quæ ad faciem ſunt prava ſurrepere, callide ſpecie quaſi pietatis injecta nititur ſupplantare; ſuadetque forſitan debere ab habentibus accipi, ut ſit quod poſſit non habentibus erogari; dummodo vel E ſic vena mortifera eleemoſynæ celata obumbratione transfundat. Nam nec venator feram, aut avem auceps deciperet, vel piſcem piſcator caperet, ſi aut illi laqueum in aperto proponeret, aut ille hamum eſca abſconditum non haberet. Omnino ergo metuenda & cavenda eſt hoſtis aſtutia, ne quos aperta nequit tentatione ſubvertere, latente telo ſævius valeat trucidare. Neque enim eleemoſyna reputanda eſt, ſi pauperibus diſpenſetur quod ex illicitis rebus accipitur: quia qui hac in-

A tentione male accipit, ut quaſi bene diſpenſet, gravatur potius, quam juvatur. Eleemoſyna redemptoris noſtri oculis illa placet, quæ non de illicitis & iniquitate congeritur, ſed quæ de rebus conceſſis & bene acquiſitis impenditur. Unde etiam illud certum eſt, quia etſi monaſteria, aut xenodochia, vel quid aliud de pecunia quæ pro ſacris ordinibus datur conſtruantur, mercedi non proficit: quoniam dum perverſus * emptor honoris in locum * ſanctorum tranſmittitur, & alios ad ſuam ſimilitudinem ſub commodi datione conſtituit; plura male ordinando deſtruit, quam ille poteſt ædificare qui ab eo pecuniam ordinationis accepit. Ne ergo ſub obtentu eleemo- B ſynæ cum peccato aliquid ſtudeamus accipere, aperte ſcripturæ ſacræ ordo nos prohibet dicens: *Hoſtiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex ſcelere.* Prov. 21. Quicquid enim in Dei ſacrificio ex ſcelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, ſed irritat. Hinc rurſus ſcriptum eſt: *Honora dominum de tuis juſtis laboribus.* Prov. 3. Qui ergo male tollit, ut quaſi bene præbeat, conſtat ſine dubio quia dominum non honorat. Hinc quoque per Salomonem dicitur: *Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, * quaſi qui victimat filium in conſpectu patris.* Eccli. 34. * al. ſi victimat. Quantus autem dolor patris ſit perpendamus, ſi in ejus conſpectu filius victimetur. Et hinc facile cognoſcimus quatenus apud C Deum dolor exaſperatur, quando ei ſacrificium ex rapina tribuitur. Nimis ergo declinandum eſt, dilectiſſimi fratres, ſub obtentu eleemoſynæ peccata ſimoniacæ hæreſeos perpetrare. Nam aliud eſt propter peccata eleemoſynas facere, aliud propter eleemoſynas peccata committere. Hoc quoque ad nos perveniſſe non diſſimili dignum deteſtatione complectimur, quod quidam deſiderio honoris inflati, defunctis epiſcopis tonſurantur, & fiunt repente ex laicis ſacerdotes, atque inverecunde religioſi propoſiti ducatum arripiunt, qui nec eſſe adhuc milites didicerunt. Quid putamus quod iſti ſubjectis præſtaturi ſunt, quia antequam diſcipulatus limen attingant, tenere D locum magiſterii non formidant? Qua de re neceſſe eſt, ut ſi & quamvis inculpati quiſquam ſit meriti, ante tamen per diſtinctos ordines eccleſiaſticis exerceatur officiis: videat quod imitetur, diſcat quod doceat, informetur quod teneat, ut poſtea non debeat errare qui eligitur viam errantibus demonſtrare. Diu ergo religioſa meditatione poliatur ut placeat, & ſic lucerna ſuper candelabrum poſita luceat, ut adverſa ventorum vis irruens conceptam eruditionis flammam non extinguat, ſed augeat. Nam cum ſcriptum ſit, ut prius quis probetur, & ſic miniſtret, 1. Tim. 3. multo amplius ante probandus eſt qui populi interceſſor aſſumitur, ne fiant cauſſa ruinæ populi ſacerdo- E tes mali. Nulla igitur contra hoc excuſatio, nulla poteſt eſſe defenſio: quia cunctis liquido notum eſt, quæ ſit in hujus rei diligentia 1. Tim. 3. ſancti egregii ſolicitudo doctoris, qui neophytum ad ordines vetat ſacros accedere. Sicut autem tunc neophytus dicebatur, qui initio in ſanctæ fidei erat converſatione plantatus, ſic modo neophytus habendus eſt, qui repente in religionis habitu plantatus ad ambiendos honores ſacros irrepſerit. Ordinate ergo ad ordines aſcendendum eſt: nam caſum appetit qui ad ſumma loci faſtigia poſtpoſitis gradibus per abrupta

quærit aſcenſum. Et cum idem apoſtolus do- A
ceat inter alia ſacri ordinis inſtituta diſcipu- (1. Tim. 5.)
lum, manum non eſſe cuiquam citius impo-
nendam; quid hoc celerius, quidve præcipi-
tantius, quam ut exordiatur a ſummitate prin-
cipium, & ante eſſe incipiat epiſcopus quam
miniſter? Quiſquis ergo ſacerdotium non ad
elationis pompam, ſed ad utilitatem adipiſci
deſiderat, prius vires ſuas cum hoc quod eſt
ſubiturus onere metiatur; * & ſi impar abſti-
neat, & ad id cum metu etiam qui ſe ſuffi- (* ac ſi inter impar &c. Parif.)
cere exiſtimat accedat. Ab re autem non fa-
cimus, ſi ad argumentum * rationabilium uſum (* al. rationabile.)
rerum irrationabilium colligamus. Apta nam-
que ædificationibus de ſilvis ligna ſuccidun-
tur, nec tamen adhuc viridibus ædificii pon- B
dus imponitur, niſi eorum viriditatem mul-
torum dierum mora ſiccaverit, & apta ad ne-
ceſſarium uſum effecerit. Quæ obſervantia ſi
forte negligitur, citius ſuperpoſita mole fran-
guntur, & gignit ruinam ad auxilium res pro-
viſa. Hinc etenim & medici, qui curam ge-
runt de corpore, quædam adjutoria recenti
adhuc confectione formata indigenti non of-
ferunt, ſed maceranda temporibus derelin-
quunt. Nam ſi immature quis dederit, du-
bium non eſt quin ſit cauſſa periculi res ſa-
lutis. Diſcant itaque, diſcant in officio ſuo
ſacerdotes, quibus animarum credita eſt cu-
ra, ſervare quod diverſarum etiam artium ho-
mines docente ratione cuſtodiunt, & a præci- C
piti ſe ambitione, etſi non metu, ſaltem pu-
dore contineant. Sed ne forſan ab hoc ſe pra-
væ conſuetudinis quiſquam velit objectu defen-
dere, fraternitatis veſtræ diſcretio rationis eos
freno coerceat, & labi in illicitis non permit-
tat: quia quidquid ultione dignum eſt, non ad
imitationis, ſed in exemplum potius debet
correptionis adduci. Neque autem hoc quod
ſimiliter corrigendum eſt patimur negligenter
omittere. Nam quid prodeſt cuncta muniiſſe,
ſi per unum locum pernicioſo hoſti præbeatur
acceſſus? Cum his itaque qui in ſacro ſunt
ordine conſtituti habitare mulieres probibean-
tur. De quibus ne antiquus humani generis
inimicus exultet, omnium definiendum con- D
ſenſu eſt, ut præter eas, quas ſacri canones
complectuntur, alias ſecum mulieres habere
non debeant. Quæ interdictio etſi forte ali-
quibus ad tempus amara eſt, certum eſt quia
poſtmodum ex ipſa animæ utilitate dulceſcit,
ſi unde inimicus ſuperare potuit ſuperetur.
Nec hoc quoque in hac ſolicitudinis parte re-
linquimus, quod de habendis per parochias
conciliis patrum providentia utilitatis cauſſa
ſancitum eſt. Unde ne qua inter fratres diſ-
tenſio, ne qua inter præpoſitos & ſubjectos
ſint fomenta diſcordiæ, in unum convenire
ſacerdotes neceſſe eſt, ut & de * incidentibus
cauſſis diſceptatio, & ſit ſalubris de eccleſia- (* incidentibus Par.)
ſtica obſervatione collatio, quatenus dum per E
hoc præterita corriguntur, & regulam futura
ſuſcipiunt, omnipotens dominus fratrum con-
cordia collaudetur. Cujus vobis adeſſe præſen-
tiam, ſi hæc obſervabitis, ſcitote; quia ſcri-
ptum eſt: *Ubi fuerint congregati duo aut tres* (Matth. 18.)
*in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Si er-
go adeſſe dignatur ubi duo vel tres fuerint,
quanto magis non deerit ubi plures convene-
rint ſacerdotes? Et quidem quia de habendo
bis in anno concilio patrum ſit regulis ſtatu-
tum non latet. Sed ne forte aliqua impleti

hoc neceſſitas non permittat, ſemel tamen
* in anno ſine excuſatione aliqua decernimus (* in anno ſemel in Parif.)
congregari; ut expectatione concilii nihil pra-
vum, nihil præſumatur illicitum. Nam ple-
rumque, etſi non amore juſtitiæ, metu tamen
examinis abſtinetur ab hoc quod omnium no-
tum eſt poſſe diſplicere judicio. Hanc, fratres
cariſſimi, obſervantiam noſtris relinquendam
poſteris teneamus, & omnia quæ ad eruditio-
nem noſtram ſacris apicibus ſcripta ſunt me-
ditemur, atque ad ea quoſcumque poſſumus
incitemus. Certum quippe eſt, quia ſi toto
corde præceptis nos ſalutaribus occupamus,
omnem vitiorum labem effugimus: quia dum
in his quibus ædificamur innitimur, locum
ſine dubio deceptionis excludimus. De his ita-
que quæ ſuperius dicta ſunt fraternitatem ve-
ſtram auctore Deo volumus ſynodum congre-
gare, atque in ea, reverendiſſimo fratre no-
ſtro * Syagrio coepiſcopo & dilectiſſimo filio (* Aregio Parif.)
noſtro Cyriaco abbate mediantibus, omnia
quæ ſanctis canonibus, ſicut prædiximus, ſunt
adverſa diſtricte ſub anathematis interpoſitio-
ne damnentur. Id eſt, ut nullus pro adipiſcen-
dis eccleſiaſticis ordinibus dare aliquod com-
modum præſumat, vel pro datis accipere, nec
ex laico habitu quiſquam repente valeat ad
locum ſacri regiminis pervenire, neque ut aliæ
mulieres cum ſacerdotibus habitent, niſi hæ
quæ ſacris, ut prædictum eſt, canonibus ſunt
permiſſæ. De quibus cunctis, reverendiſſimus
frater noſter Syagrius epiſcopus, cum omni ſy-
nodo, dilectiſſimo filio noſtro Cyriaco abbate
remeante, nobis quæ acta ſunt ſtudeat renun-
tiare; ut ſubtiliter agnoſcentes, quid & cum
qua cautela, vel qualiter ſit decretum, omni-
potenti Deo de vita veſtra ac moribus gratias
inceſſabiliter perſolvamus.

### Nota Jacobi Sirmondi S. J.

1 *Ætherio*.) Lugdunenſi epiſcopo, ut dixi. Falli-
tur enim Beda, qui Arelatenſem fuiſſe putat libro 1.
hiſtoriæ; reliquorum vero ſedes notæ ſunt ex ſupe-
rioribus.

## * CXII. AD AREGIUM EPISCOPUM VAPINCENSEM. (* CLVI.)

Conſolatur de obitu ſuorum, hortaturque ut ſolicite ſuo munere fungatur. Dalmaticarum uſum illi, & archidiacono ejus permittit, jubetque ut ſynodo per Syagrium cogendæ interſit.

*Gregorius Aregio epiſcopo de Galliis.*

FRaternitatis veſtræ afflictio, quam de amiſ-
ſione veſtrorum vos hominum habuiſſe
cognovimus, tantam nobis cauſſam mœroris
injecit, ut quia nos de duobus caritas unum
fecit, cor noſtrum in veſtris ſpecialiter * uti- (* ut diceſt in Parif.)
tribulationis ſentiremus. Sed in hoc dolore
multum me conſolata eſt ſanctitatis tuæ ad
animum reducta diſcretio, quam & patienter
ferre triſtitiam, & decet de morte ſpe vitæ
alterius longam non habere mœſtitiam. Ne
tamen aliqua adhuc tribulatio in veſtra men-
te remaneat, hortor quieſce dolere, deſine
triſtis eſſe. Nam indecens eſt de illis tædio
afflictionis addici, quos credendum eſt ad ve-
ram vitam moriendo perveniſſe. Habent for-
ſitan

ſitan illi juſtam longi doloris excuſationem, A qui vitam alteram neſciunt, qui de hoc ſæculo ad melius eſſe tranſitum non confidunt. Nos autem qui novimus, qui hoc credimus & docemus, contriſtari nimium de obeuntibus non debemus, ne quod apud alios pietatis tenet ſpeciem, hoc magis nobis in culpa ſit. Nam diffidentiæ quodammodo genus eſt, contra hoc quod quiſque prædicat torqueri mœſtitia, dicente apoſtolo: *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & ceteri, qui ſpem non habent.* (1. Theſſ. 4.) Hac itaque, frater cariſſime, ratione perſpecta, ſtudendum nobis eſt, ut, ſicut diximus, de mortuis non affligamur, ſed effectum viventibus impendamus, quibus & pietas ad utilitatem, B & ſit ad fructum dilectio. Proinde objurgando, hortando, ſuadendo, blandiendo, conſolando prodeſſe quibus poſſumus feſtinemus. Lingua noſtra bonis fomentum ſit, pravis aculeus, tumidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, deſides hortatu ſuccendat, refugientibus ſuadeat, aſperis blandiatur, deſperatos conſoletur; & quia ductores dicimur, viam ſalutis gradientibus oſtendamus. Simus in cuſtodia vigilantes, aditus contra hoſtis inſidias ſoliciti muniamus. Et ſi quando per devia ovem de commiſſis gregibus error abduxerit, toto illam annilu ad caulas revocare dominicas contendamus, ut de paſtoris nomine quod habemus non ſupplicium, ſed præmium C conſequamur. Quia ergo in his omnibus divinæ gratiæ adjutorio opus eſt, omnipotentis Dei aſſiduis precibus clementiam exoremus, quatenus ad hæc nobis operanda & velle tribuat, & poſſe concedat: atque in ea nos via, cum fructu boni operis, quam ſe paſtor paſtorum eſſe teſtatus eſt, dirigat; ut ſine quo facere nihil aſſurgimus, per ipſum implere omnia valeamus. Præterea communis filius Petrus diaconus nobis innotuit, quod fraternitas veſtra tempore quo hic fuit popoſcerit, ut ſibi & archidiacono ſuo utendi dalmaticis licentiam præberemus. Sed quia ita hominum ſuorum infirmitate compulſus feſtinanter abſceſſit, ut nec ipſum mœror incumbens diutius, D ut dignum erat, & res deſiderata poſcebat, ſineret immorari, & nos in multis implicitos eccleſiaſticæ rationis conſideratio novum hoc inconſulte & ſubito non permitteret indulgere; idcirco poſtulatæ rei prolongatus effectus eſt. Nunc vero caritatis tuæ bona revocantes ad animum, hujus auctoritatis noſtræ ſerie petita concedimus, atque te & archidiaconum tuum dalmaticarum uſu decorandos eſſe conceſſimus, eaſque dalmaticas dilectiſſimo filio noſtro Cyriaco abbate deferente tranſmiſimus. Præterea in ea ſynodo, quam contra ſimoniacam hæreſim per fratrem & coepiſcopum noſtrum Syagrium decrevimus congregari, ſanctitatem veſtram volumus E intereſſe, atque eidem fratri ita pallium quod tranſmiſimus tribui, ſi prius ſe promiſerit illicita quæ prohibuimus, per definitionem ſynodicam a ſancta eccleſia removere. De qua ſynodo omnem nobis ſubtiliter ordinem tuam fraternitatem volumus ſcriptis decurrentibus nuntiare, ut ipſe, cujus nobis ſanctitas valde experta eſt, nos reddas de omnibus certiores.

### Nota Jacobi Sirmondi S. J.

1. *Aregio epiſcopo.*) Vapincenſem epiſcopum fuiſſe docent non ipſius tantum Arigii vita in codice Silviniacenſi, in qua & Valentini archidiaconi, dalmaticæque illi a Gregorio conceſſæ fit mentio his verbis: *Ergo & beatiſſimo viro Valentino, qui ejus temporis archidiaconus ſub ſanctiſſimo pontifice Vapincenſem regebat eccleſiam, uſus eſt dalmaticam conceſſa muneris indulſiſſe. Et quia compererat quod eſſet ſancti leonis decoratus, quod ipſe in ſui magiſtri ſucceſſore ſede beatiſſimus Gregorius papa palam ſibi pronunciante oraculo.*

## CXIII. AD SYAGRIUM EPISCOPUM. (CXLVII.)

Laudans ob operam Auguſtino navatam, pallii uſum illi concedit, ſtatuitque ut eccleſia Auguſtodunenſis primum in ea provincia poſt Lugdunenſem locum obtineat, & de ſynodo iterum.

*Gregorius Syagrio epiſcopo Auguſtodunenſi.*

Magiſtra bonorum omnium caritas, quæ nihil ſapit extraneum, nil aſperum, nil confuſum, ita exercet corda & corroborat, ut nihil grave, nil difficile exiſtimet, ſed ſiat totum dulce quod agitur. Hujus igitur cum ſit proprium nutrire concordiam, ſervare conjuncta, diſſociata conjungere, prava dirigere, & virtutes ceteras perfectionis ſuæ munimine ſolidare; quiſquis in ejus radices ſe inſerit, nec a viriditate deficit, nec a fructibus inaneſcit: quia humorem fecunditatis opus efficax non amittit. (Caritatis proprium.) Atque ideo multum tibi, dilectiſſime fratrum, in domino condelector atque congaudeo, quod ſic eadem caritate te præditum multorum teſtificatione comperio, ut & ipſe quæ ſacerdotis ſunt decenter exhibeas, & aliis te laudabiliter imitandum oſtendas. (Caritas Syagrii erga Auguſtinum in Anglis convertendis.) Quia igitur in prædicationis opere, quamdiu cogitans Anglorum genti per Auguſtinum quondam monaſterii mei præpoſitum, nunc fratrem & coepiſcopum noſtrum, impendere ſtudui, ita ſolicitum ac devotum adjutoremque in omnibus te, ut oportuit, fuiſſe cognovimus, ut multum me ſibi fraternitas tua hac de re faceret debitorem; tantæ rei conſideratione commonitus, ne infructuoſus erga te viderer exiſtere, fraternitatis tuæ petitionem nulla portuli ratione poſtponere. Proinde ſecundum poſtulationis tuæ deſiderium, pallii te uſu, (Syagrius pallio donatur. Pallii uſus.) quod intra eccleſiam tuam habere debeas, ad ſacra tantum miſſarum ſolennia celebranda, Deo auctore prævidimus honorandum. Quod tamen ita tibi dandum eſſe decrevimus, ſi prius per ſynodi definitionem emendare promiſeris, quæ corrigenda mandavimus; quia dignum profecto eſſe credimus, ut cum mentis gravitate, qua Deo te propitio pollere didicimus, habitus quoque exterioris clarior in te cultus accreſceret; præſertim cum te non ad ſuperfluæ elationis pompam, ſed pro genio & honore tuæ arbitramur eccleſiæ petiviſſe. Cujus ne indumenti munificentiam nudam videamur quodammodo contuliſſe, hoc etiam pariter proſpeximus concedendum, ut metropolitæ ſuo per omnia loco & honore ſervato, eccleſia civitatis Auguſtodunæ, cui omnipotens Deus præeſſe te voluit, poſt Lugdunenſem eccleſiam eſſe debeat, & hunc ſibi locum ac ordinem ex noſtræ auctoritatis indulgentia vindicare. (Auguſtodunenſis eccleſia locus & dignitas.) Ceteros vero epiſcopos ſecun-

cundum ordinationis ſuæ tempus ſive ad conſidendum in concilio, ſive ad ſubſcribendum, vel in qualibet alia re, ſua attendere loca decernimus, & ſuorum ſibi prærogativam ordinum vindicare; quia omnino rationis ordo nos admonet, ut cum uſu pallii aliqua ſimul, ſicut diximus, largiri privilegia debeamus. Sed quoniam cum honoris augmento cura quoque ſolicitudinis debet accreſcere, ut cultui veſtium actionis quoque ornamenta conveniant, oportet ut enixius in cunctis ſtudium ſe veſtræ fraternitatis exerceat, & circa ſubjectorum actus ſit cura vigilans, ut veſtrum illis exemplum inſtructio, & vita magiſtra ſit. Linguæ veſtræ exhortatione diſcant quod metuant, & doceantur quod diligant; ut dum talenta credi- B ta lucro multiplicata reddideris, in die retributionis audire ſis meritus: *Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium domini tui*. Curam præterea congregandæ ſynodi, quam vobis atque aliis fratribus noſtris pro illicitarum rerum prohibitione fiendam ſcripſimus, veſtræ ſpecialiter ſolicitudini noveritis incumbere. Unde quia præcellentiſſimos filios noſtros Francorum reges magnam vobis novimus dilectionem impendere, omni vos ſtudio omnique agere anniſu neceſſe eſt, ut quod de ſynodo congreganda mandavimus, fraternitatis veſtræ vigilantia compleatur, atque omnia illic quæ pro animarum ſalute ſcripſimus cenſeantur; quatenus per hoc & vos zelum veſtrum, & C qualiter vobis illicita diſpliceant oſtendatis, & nos utiliter providiſſe, qui veſtram ad hoc præ cæteris perſonam eligimus, videamur.

Monet ut ejus cura cum honore collato creſcat.

Matth. 25. Luc. 19.

De ſynodo bene per eum ordinanda.

## * CXIV. AD BRUNICHILDEM

* CXLVIII

### REGINAM FRANCORUM.

De iis qui ex laicis repente fiunt epiſcopi, aut per ſimoniam ordinantur, ut ſynodum ad hæc extirpanda futuram promoveat, atque edicto conſtituat ne Judæis Chriſtiana mancipia habere liceat.

*Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.*

POſtquam excellentiæ veſtræ ſolicitudo regia eſt ubique gubernatione laudabilis, ad augmentum gloriæ ſuæ vigilantiorem ſe debet & providam exhibere; ut quos conſilio regit exterius, perire interius non permittat: quatenus per fructum piæ ſolicitudinis, poſt hujus quod geritis temporalis regni faſtigium, ad æterna Deo auctore gaudia poſſitis & regna pertingere. Quod quidem hac vobis confidimus poſſe ratione contingere, ſi inter alia bona de ordinandis curam ſacerdotibus geſſeritis. Quorum officium in tantam illic, ſicut didicimus, ambitionem perductum eſt, ut ſacerdotes ſubito, quod grave nimis eſt, ex laicis ordinentur. Sed quid iſti acturi, quid populo præſtaturi ſunt, qui non ad utilitatem, ſed fieri ad honorem epiſcopi concupiſcunt? Hi ergo qui necdum quod docere debeant didicerunt, quid aliud agunt, niſi ut paucorum provectus illicitus fiat multis interitus, & in confuſionem eccleſiaſticæ moderationis obſervantia deducatur? quippe ubi nullus regularis ordo ſervatur. Nam qui ad ejus regimen improvidus & ob hoc præcipitatus accedit, qua A admonitione ſubjectos ædificet, cujus exemplum non rationem docuit, ſed errorem? Pudet profecto, pudet aliis imperare quod ipſe neſcit cuſtodire. Nec illud quidem quod ſtabili emendationi tradendum eſt præterimus, ſed omnino execrabile, & eſſe graviſſimum deteſtamur, quod ſacri illic ordines per ſimoniacam hæreſim, quæ prima contra eccleſiam orta & diſtricta maledictione damnata eſt, conferantur. Hinc ergo agitur, ut ſacerdotii dignitas in deſpectu, & ſanctus ſit honor in crimine. Perit utique reverentia, adimitur diſciplina; quia qui culpas debuit emendare committit, & nefaria ambitione honorabilis ſacerdotii ducitur in depravatione cenſura. Nam B quis denuo veneretur quod venditur, aut quis non vile putet eſſe quod emitur? Unde valde contriſtor, & terræ illi condoleo; quia dum ſanctum Spiritum, quem per manus impoſitionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, divino munere habere deſpiciunt, ſed præmiis aſſequuntur, ſacerdotium illic ſubſiſtere diu non arbitror. Nam ubi dona ſupernæ gratiæ venalia judicantur, ad Dei ſervitium non vita quæritur, ſed magis contra Deum pecuniæ venerantur. Quia igitur tantum facinus non ſolum illis periculum, verum etiam veſtro regno ſatis eſt noxium; ſalutantes excellentiam veſtram paterno affectu petimus, ut de hujus pravitatis emendatione C Deum vobis placabilem faciatis. *Et* ut nulla deinceps valeat occaſione committi, ſynodum fieri juſſio veſtra conſtituat, ubi præſente dilectiſſimo filio noſtro Cyriaco abbate, ſub diſtricta anathematis interpoſitione debeat interdici, ne ullus ex laico habitu ſubito ad epiſcopatus audeat gradum accedere, neque pro eccleſiaſticis ordinibus cuilibet quidquam dare, vel auſus ſit accipere, ut dominus & redemptor noſter ſic quæ veſtra ſunt faciat, ſicut excellentiam veſtram in iis quæ ſua ſunt pia eſſe viderit devotione ſolicitam. Curam vero & ſolicitudinem ejuſdem ſynodi, quam fiendam decrevimus, fratri coepiſcopoque noſtro Syagrio, quem veſtrum proprium novi- D mus, ſpecialiter delegare curavimus; quem petimus, ut & ſupplicantem libenter audire, & ope juvare dignemini, quatenus quod ad mercedem veſtram reſpiciat, remoto hujus mali contagio, in cunctis finibus juri veſtro ſubjectis, pia & Deo placita procedat ordinatio ſacerdotum. Cui fratri noſtro, pro eo quod ſe in ea prædicatione quæ Anglorum genti, auctore domino, facta eſt devotum vehementer exhibuit, pallium ad miſſarum ſolennia utendum tranſmiſimus, ut quia adjuvare ſpiritalia ſtuduit, apoſtolorum principis ſolatio in ipſo quoque inveniatur ſpiritali ordine profeciſſe. Omnino præterea admirati ſumus, cur & in regno veſtro Judæos Chriſtiana mancipia poſ- E ſidere permittitis. Quid enim ſunt Chriſtiani omnes, niſi membra Chriſti? Quorum videlicet membrorum caput cuncti novimus quia fideliter honoratis. Sed quam diverſum ſit, excellentia veſtra perpendat, caput honorare, & membra ipſius hoſtibus calcanda ſubmittere. Atque ideo petimus, ut excellentiæ veſtræ conſtitutio de regno ſuo hujus pravitatis mala removeat, ut in hoc vos amplius dignas cultrices omnipotentis domini demonſtretis, quod fideles illius ab inimicis ejus abſolvitis.

* CXVI.

* CXLIX.

## * CXV. AD THEODORICUM ET THEODEBERTUM REGES FRANCORUM.

Quod multi per ſimoniam ordinentur, tributa a prædiis eccleſiaſticis exigantur, ex laicis repente fiant epiſcopi, ut ſynodum ad hæc emendanda futuram promoveant, ſtatuantque ne Judæis Chriſtiana mancipia habere liceat.

*Gregorius Theoderico & Theodeberto regibus Francorum, * a paribus.*

* a paribus deeſt in Pariſ.

* Inter cetera gratia &c. Pariſ.

CUm regni veſtri nomen * inter ceteras gentes gratia olim Chriſtianæ religionis effulſerit, valde ſtudendum eſt, ut unde glorioſiores ceteris gentibus emicetis, inde omnipotenti domino qui dat ſalutem regibus perfectius placeatis, & fidem quam colitis adjutricem in omnibus habeatis. Optaveramus quidem, præcellentiſſimi filii, noſtrum ad vos * ſolita dirigere viſitatione ſermonem, ut caritatis officiis paternum monſtraremus affectum. Sed quia nimium nos res contriſtat illicita, ſic unum convenit exhibere, ut aliud ſub ſilentio, quod emendatione indiget, minime relinquamus. Quod ſi diligenter attenditis, pro ſalutis veſtræ nos loqui prorſus incolumitate cognoſcetis. Fertur autem ſimoniacam hæreſim, quæ prima contra Dei eccleſiam diabolica ſupplantatione ſurrepſit, & in ipſo ortu ſuo telo apoſtolicæ ultionis percuſſa atque damnata eſt, in regni veſtri finibus dominari, cum in ſacerdotibus fides ſit eligenda cum vita. Si enim vita deeſt, fides meritum non habet, beato Jacobo atteſtante, qui ait: *Fides ſine operibus mortua eſt.* Quæ enim opera eſſe valeant ſacerdotis, qui honorem tanti ſacramenti convincitur obtinere per præmium? Ex qua re agitur, ut ipſi quoque qui ſacros ordines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere ſtudeant, ſed divitias, quibus honor ſacer emitur, ſatagant congregare. Hinc fit etiam, ut inſontes & pauperes a ſacris ordinibus prohibiti deſpectique reſiliant. Et dum innocentia pauperis diſplicet, dubium non eſt quod præmium illic delicta commendet; quia ubi aurum placet, ibi & vitium. Hinc igitur non ſolum in ordinatoris & ordinati animam lethale vulnus infligitur, verum etiam excellentiæ veſtræ regnum veſtrorum epiſcoporum culpa, quorum magis interceſſionibus juvari debuerat, prægravatur. Si enim is dignus in ſacerdotio creditur, cui non actionis merita, ſed præmiorum copia ſuffragatur, reſtat ut nihil ſibi ad honores eccleſiaſticos gravitas, nihil defendat induſtria, ſed totum auri profanus amor obtineat: & dum vitia remunerantur honore, in locum ultoris is qui fortaſſe fuerat ulciſcendus adducitur; atque hinc ſacerdotes non proficere, ſed perire potius judicantur. Vulnerato namque paſtore, quis curandis ovibus adhibeat medicinam? aut quomodo populum orationis clypeo tueatur, qui jaculis ſe hoſtilibus feriendum exponit? aut qualem de ſe fructum producturus eſt, cujus gravi peſte radix infecta eſt? Major ergo metuenda eſt locis illis calamitas, ubi tales interceſſores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in ſe magis iracundiam provocent, quam per ſemetipſos populis placare debuerant. Audivimus autem quia eccleſiarum prædia tributa nunc præbeant, & magna ſuper hoc admiratione ſuſpenditur, ſi ab eis illicita quærantur accipi, quibus etiam licita relaxantur. Nec hoc quoque malum ſolicitudo noſtra patitur negligenter omittere, quod quidam inſtinctu gloriæ inanis illecti, ex laico repente habitu ſacerdotii honorem arripiunt, &, quod dicere pudet, & grave tacere eſt, regendi rectores, & qui docendi ſunt doctores, nec erubeſcunt fieri, nec metuunt. Ducatum animarum impudenter aſſumunt, quibus via omnis ignota ductoris eſt, & quo vel ipſi gradiantur ignari ſunt. Quod quam pravum, quamve ſit temerarium, ſæculari etiam ordine & diſciplina monſtratur. Nam dum dux exercitus non niſi labore & ſolicitudine expertus eligitur, quales animarum duces eſſe debeant, qui ad epiſcopatus culmen immatura cupiunt feſtinatione conſcendere, hujus ſaltem rei comparatione conſiderent, & aggredi repente inexpertos labores abſtineant, ne cæca honoris ambitio, & ipſis in pœnam ſit, & aliis peſtifera erroris ſemina jaciat; quippe qui non didicerunt quod ipſi doceant. Proinde paterno ſalutantes affectu petimus, præcellentiſſimi filii, ut hoc tam deteſtabile malum de regni veſtri ſtudeatis finibus prohibere, & nulla apud vos excuſatio, nulla contra animam veſtram ſuggeſtio locum inveniat: quia facientes procul dubio culpam habet, qui quod poteſt corrigere negligit emendare. Qua de re, ut magnum omnipotenti domino munus valeatis offerre, ſynodum congregari præcipite: in qua, ſicut fratribus coepiſcopi, quæ noſtris mandavimus, præſente dilectiſſimo filio noſtro Cyriaco abbate, ſub anathematis debeat obligatione conſtitui, nullum pro eccleſiaſtico ordine aliquid unquam dare, nullum accipere, nec quemquam ex laicis ad ſacerdotium repente tranſire, quatenus hanc vobis mercedem & hic & in futura vita redemptor noſter, cujus ſacerdotes interius ab hoſte perire non ſinitis, recompenſet. Omnino præterea admirati ſumus, quod in regno veſtro Judæos Chriſtiana mancipia poſſidere permittitis. Quid enim ſunt Chriſtiani omnes, niſi membra Chriſti? Quorum videlicet membrorum caput cuncti novimus quia fideliter honoratis. Sed quam diverſum ſit, excellentia veſtra perpendat, caput honorare, & membra ipſius hoſtibus calcanda permittere. Atque ideo petimus, ut excellentiæ veſtræ conſtitutio de regno ſuo hujus pravitatis mala removeat, ut in hoc vos amplius dignos cultores omnipotentis domini demonſtretis, quod fideles illius ab inimicis ejus abſolvitis.

* ſola. Pariſ. Joann. diac. lib. 3. c. 1.

Grat. 1. q. 1. cap. 28. Ivo part. 3. cap. 141. Anſelm. l. 9. cap. 68.

Jacob. 2.

## * CXVI. AD VIRGILIUM EPISCOPUM ARELATENSEM. * CL.

Confirmat privilegia per Vigilium papam conceſſa monaſterio Arelatenſi.

*Gregorius Virgilio epiſcopo Arelatenſi.*

CUm piæ deſiderium voluntatis, & laudandæ devotionis intentio ſacerdotalibus ſit ſemper ſtudiis adjuvanda; cura eſt ſolicitudinis

Gra. 1. q. 1. cap. Cum piæ.

nis adhibenda, ut ea quæ pro quiete monachorum religioſæque converſationis fuerint ordinata, nec diſſimulatio negligere, nec quædam valeat præſumptio perturbare. Sed ſicut hoc, quod ratio exigebat * utilitatis, oportuit definiri, ita quod definitum eſt, (niſi forte ubi major eſt auctoritas) non debet violari. Igitur glorioſæ memoriæ Childebertus Francorum rex, catholicæ religionis amore ſuccenſus, intra muros Arelatenſis civitatis monaſterium virorum, ut ſcripto reperimus, pro ſua mercede conſtituens, quædam ibidem pro habitantium ſuſtentatione conceſſit. Cujus ne voluntas unquam duceretur in irritum, & ea quæ pro quiete monachorum diſpoſita fuerant turbarentur, quæque contulit in jure ejuſdem monaſterii, epiſtolis ſuis apoſtolica petiit auctoritate firmari; hoc quoque ſuæ petitioni ſubjungens, ut eidem monaſterio, tam in diſpoſitione rerum, quam in ordinatione abbatis, quædam pariter privilegia largirentur; ſciens quippe eam apoſtolicæ ſedi reverentiam a fidelibus exhiberi, ut quæ ejus fuiſſent decreto diſpoſita, nullius deinceps illicitæ uſurpationis moleſtia quaterentur. Unde quia effectum & regia voluntas, & res valde deſiderata poſcebat, a prædeceſſore noſtro Vigilio, Romanæ ſedis antiſtite, ad prædeceſſorem veſtrum Aurelium ſcripta tranſmiſſa ſunt, ubi omnia, quæ amplectendæ voluntatis ſtudium depoſcebat, apoſtolicæ auctoritatis libenter anniſu firmata ſunt; quia difficultatem pati non potuit hujuſmodi res petita. Sed ut fraternitas veſtra quæ fuerint tempore illo decreta cognoſcat, antedicti prædeceſſoris noſtri ſcripta his prævidimus ſcriptis adjungi. Quibus lectione percurſis hortamur, ut omnia ſacerdotali, ſicut decet, ſtudio inviolata conſerves, nihilque illi de indebitis, nihil permittas de illicitis irrogari, nec ea quadam pertiaris uſurpatione convelli. Nam licet ea, quæ ſemel apoſtolicæ ſedis auctoritate ſancita ſunt, nihil egeant firmitatis, ex abundantia tamen noſtra, cuncta, quæ pro hujus rei quiete a prædeceſſore noſtro ſtatuta ſunt, noſtra iterum auctoritate in omnibus roboramus. Fraternitas ergo veſtra ita ſe in cuſtodiendis eis exhibeat, quatenus & omnem occaſionem inquietudinis excludat, & aliis hæc operari ſuadeat, dum ſe in cuſtodienda defuncti piiſſima voluntate ſolicitam, ut decet, exhibuerit & devotam.

* wilker Pariſ. abſolute tabula deſunt in Pariſ.

* CLI.

## * CXVII. AD DESIDERIUM EPISCOPUM

### GALLIÆ.

De pallio ipſius prædeceſſoribus conceſſo nihil eccleſiæ Romanæ ſcriniis reperiri: mittat proinde, ſi quid in eccleſiæ ſuæ chartis invenerit.

*Gregorius Deſiderio epiſcopo Galliarum.*

FRaternitatis veſtræ deſiderium Joannis regionarii relatione cognovimus; quod quidem libenter parati ſumus implere, ſi diligenter fuerimus de his quæ retulit informati. Inquit autem a veſtra ſibi relatum dilectione, quod eccleſiæ veſtræ quædam olim privilegia ab apoſtolica ſede conceſſa ſunt, atque uſum pallii ejus ſacerdotes antiquitus habuiſſe. Quod quia vobis magnopere poſcitis reformari in ecA cleſiæ noſtræ ſcrinio requiri fecimus, & inveniri nihil potuit. Sed quoniam quanto ſtudioſius iſta cupitis adipiſci, tanto vos arbitramur eſſe ſolicitos, in requirendis chartis eccleſiæ veſtræ vigilantius curam impendite; & ſi qua exinde ſcripta inveniri potuerint, quæ nos valeant informare, huc curæ veſtræ ſit tranſmittere. Nam qui nova * concedimus, vetera libentiſſime reparamus. *f. non*

## * CXVIII. AD SYAGRIUM EPISCOPUM. CLII.

### AUGUSTODUNENSEM.

Ut Menatem & Theodorum epiſcopos in Italiam redire compellat.

B

*Gregorius Syagrio epiſcopo Auguſtodunenſi.*

CUm ſacerdotalis dignitas aliis videatur dignitatibus eminere, ita quiſquis ea ornatus eſt cunctis ſe imitandum debet oſtencere; ut exemplo ſuo nulli nocere, ſed vitam potius valeat componere ſubjectorum. Nam ſi actus diſſentiat a nomine, quanto pontificatus ipſe plus erigit, tanto magis addicit. Itaque Menatem quemdam epiſcopum, qui illic de diœceſi Romanæ eccleſiæ noſtra ordinatione profectus eſt, in tanta ſe levitate didicimus exhibere, ut & nobis de eo major ſit verecundia, & illi epiſcopatus nomen non ſit in honore, ſed onere. Quod quia pudoris nobis C eſt de eo illa cognoſcere, quæ in aliarum provinciarum omnino reprehendimus ſacerdotibus, fraternitas veſtra eum illic immorari amplius non permittat, ſed ad nos quantocius reverti compellat, ac magis inventa per omnia occaſione tranſmittat: ut ſub ea qua dignum eſt obſervantia refrenatus, ſæculares mores ad ſacerdotalem ſtudeat convertere gravitatem. Nam ſatis noxium atque pernicioſum eſt, ut imitatione ipſius quæ ædificari debuerant deſtruantur. In qua re non ſolum ille culpabilis, ſed etiam qui non reſtiterit invenitur: nam conſentire videtur erranti, qui corrigenda ut reſecari debeant non * corrigit. Quia vero Theodorus quidam epiſcopus, de diœ- *concurrit. Pariſ.* D ceſi reverendiſſimi fratris noſtri Conſtantini Mediolanenſis eccleſiæ epiſcopi, diſciplinam, ut dicitur, evitans, illic veniſſe firmatur, hortamur ut & iſto diligentius requiſito, ad epiſcopum ſuum veſtra fraternitas retranſmittat. Et quia, ſicut legitur: *Qui abjicit diſciplinam infelix eſt*, nulla eum illic ſe excuſatione patiamini retinere, quatenus ipſi, qui levitatis eorum vitio poſſunt decipi, liberentur, & de ipſis habere mercedem, ne in hac ſtultitia pereant, valeatis. *Sap. 3.*

## * CXIX. AD VIRGILIUM ET SYAGRIUM * CLIII.

E

### EPISCOPOS.

De ſuſcipienda cauſſa Syagriæ, quæ religionem profeſſa cum eſſet, marito violenter juncta dicebatur.

*Gregorius Virgilio * & Syagrio epiſcopis Galliæ.* * Arelatenſi & Syagrio Epiſcopo Auguſtodunenſi Pariſ.

COmmiſſi officii qualitas me, fratres cariſſimi, in vocem cogit doloris erumpere, & dilectionem veſtram anxietate caritatis exaſ-

exaſperare, quod illic vos nimium negligentes & remiſſos dicitur extitiſſe, ubi ſtudium veſtrum acriter juſtitiæ rectitudo & zelus debuit caſtitatis accendere. Pervenit autem ad nos Syagriam quondam vitam religioſam mutatis etiam veſtibus aſſecutam, poſteaque marito violenter eſſe, quod dici iniquum eſt, ſociatam, & nullo vos in ejus defenſione dolore permotos. Quod ſi ita eſt, vehementius ingemiſco, ne apud omnipotentem dominum, quod abſit, mercenarii officium, & non paſtoris meritum habeatis; quippe qui in ore lupi ovem laniandam ſine certamine reliquiſtis. Quid enim dicturi, quamve rationem futuro eſtis judici reddituri, quos ſtupri * ſcortatio non commovit, quos ad defendendum favor nequaquam religioſi habitus excitavit, quos ad tutandam pudicitiæ integritatem ſacerdotalis conſideratio non erexit? Vel nunc ergo neglectus ad memoriam redeat, hujus recordatio culpæ ſollicitet, & officii veſtri conſideratio ad prædictæ mulieris vos adhortationem impellat. Et ne forte per tempus tranſiſſet in voluntatem neceſſitas, lingua illi veſtra medela ſit, atque admonentibus vobis orationibus operam det, de memoria lamenta pœnitentiæ non recedant, redemptori noſtro cor pœnitens exhibeat, & caſtitatis damna, quam ei corpore ſervare non licuit, fletu reſarciat. Quia ergo prædicta mulier res ſuas etiam nunc piis, ut fertur, deſiderat cauſſis impendere; hortamur ut fraternitatis veſtræ hac in re favorem inveniat, ſolatiis potiatur, ſervata competenti filiis portione, fas illi ſit de ſubſtantia ſua judicare quod velit. Veſtrum enim ſine dubio bonum facitis ſi bona volentibus opem fertis. Hæc igitur, dilectiſſimi fratres, quæ loquimur, ex quanto procedant amore penſate, & omnia cùm ea quæ dicuntur caritate ſuſcipite. Nam dum unum in redemptoris noſtri corpore corpus ſumus, in his quæ vobis nocere ſentio, ſimul uror. Qua autem intentione, quove affectu hanc vobis epiſtolam miſerim, cordi veſtro veritatis auctor aperiat. Et ideo hæc fraterna vos admonitiò non contriſtet: quia & aſperum poculum libenter accipitur, quod intentione ſalutis offertur. Quod ſupereſt, cariſſimi fratres, junctis Dei noſtri miſericordiam precibus exoremus, ut vitam noſtram in ſuo propitius timore diſponat, quatenus & hic illi ſacerdotaliter deſervire, & in conſpectu ipſius in futuro ſecuri aſſiſtere & ſine metu valeamus.

* ſolutio. Pariſ.

## * CXX. AD SYAGRIUM EPISCOPUM AUGUSTODUNENSEM. *CLIV.

De parochiis epiſcopo Taurinenſi ſubtractis, & epiſcopo in iiſdem conſtituto, ut eas illi reſtituendas curet.

*Gregorius Syagrio epiſcopo Auguſtodunenſi.*

SI in rebus ſecularibus ſuum cuique jus & proprius ordo ſervandus eſt, quanto magis in eccleſiaſticis diſpoſitionibus nulla debet induci confuſio, ne ibi diſcordia locum inveniat, unde pacis debent bona procedere? Quod hac ratione ſervabitur ſi nihil poteſtati, ſed totum æquitati tribuitur. Perlatum ſiquidem ad nos eſt, dilectiſſimum fratrem noſtrum Urſicinum Taurinæ civitatis epiſcopum, poſt captivitatem & deprædationem quam pertulit, grave [a] in parochiis ſuis, quæ in Francorum ſitæ terminis perhibentur, præjudicium pertuliſſe. Denique ut alter illic contra eccleſiaſtica ſtatuta, nullo ejus crimine depoſcente, conſtitueretur antiſtes. Et ne leve forſitan videretur hujus rei præjudiciale commiſſum, etiam aliquid doloris eſt additum, ut res ei eccleſiæ ſuæ, quas habere potuit, tollerentur. Quod ſi hæc veritate ſubſiſtunt, quia crudele nimis eſt, & aperte ſacris canonibus inimicum, ut ab altari proprio inſontem ambitio removeat ſacerdotem, qui non meretur ex crimine ſucceſſorem; ſuam in hujus præjudicii cuncti cauſſam attendant, ut qui nolunt perpeti, nec aliis * imponant. Nam ſi parvæ rei aditus antequam diu pateſcat non clauditur, uſu fit latior; & erit conſuetudine licitum quod ratione conſtat eſſe prohibitum. Sed præ cæteris fraternitatis veſtræ ſolicitudo pro noſtra commendatione, ac divinæ conſiderationis intuitu, in ejus ſe enixius defenſione impendat, & a ſuis illum amplius contra rationem remotum eſſe parochiis non permittat: ſed tam per ſe, quam ſupplicando præcellentiſſimis regibus, quos vos in nullo credimus contriſtare, id peragat, ut & hoc quod male factum eſt corrigatur, & quæ violenter ablata ſunt veritate patrocinante reddantur: quia dum ſcriptum ſit: *Frater fratrem adjuvans exaltabitur*; tanto ſe ab omnipotente Deo caritas veſtra noverit recepturam, quanto præcepta ipſius in adjuvando fratre libenter atque conſtanter fuerit executa.

* imponatur ſtudeant. Pariſ.

Prov. 18.

### NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

a. *In parochiis ſuis.*) Seguſinis nimirum, in finibus Italiæ. Longobardorum enim duces, cum in Gallias temere irrupiſſent, victique & proſtrati a Mummolo fuiſſent, Auguſtam & Seguſium civitates cum integro illarum territorio Guntramno regi, ut Fredegarius cap. 45. ſcribit, multæ nomine ceſſerunt. Seguſium porro Guntramnus cum pago univerſo, ut in codice Anicienſi annotatum obſervavimus, ab Italis ereptum Maurienneſi eccleſiæ ſubjecit. Quare ab epiſcopo Taurinenſi, cujus antea fuerant, eadem nunc parochiæ ſeparabantur.

## * CXXI. AD THEODORICUM ET THEODEBERTUM REGES FRANCORUM. *CLV.

Ut epiſcopo Taurinenſi reſtituantur ipſius parochiæ in regno Francorum ſitæ, in quibus ordinatus fuerat novus epiſcopus.

*Gregorius Theoderico & Theodeberto regibus Francorum.*

SUmmum in regibus bonum eſt juſtitiam colere, ac ſua cuique jura ſervare, & ſubjectis non ſinere quod poteſtatis eſt fieri, ſed quod æquum eſt cuſtodire. Quod quia vos & diligere, & omnino confidimus ſtudere, excellentiæ veſtræ indicare ea quæ emendationem expetunt invitamur; ut per hoc & oppreſſis ſuccurrere, & vobis mercedem requirere noſtris epiſtolis valeamus. Fratrem itaque & coepiſcopum noſtrum Urſicinum Taurinæ

rinæ civitatis antiſtitem, in parochiis ſuis, quæ intra regni veſtri ſunt terminum conſtitutæ, grave omnino dicitur præjudicium ſuſtinere; adeo ut contra eccleſiaſticam obſervantiam, contra ſacerdotalem gravitatem, & contra ſacrorum canonum inſtituta, nullo ejus exigente crimine, alter illic non meruerit epiſcopus ordinari. Et quia parum viſum eſt, ſi illicitis non jungerentur illicita, etiam res eccleſiæ ſuæ, ut fertur, ablatæ ſunt. Quod ſi ita ſe veritas habet, quoniam intolerabile nimis eſt ut vi opprimeretur, cui culpa non nocuit præmiſſo paterna caritate ſalutationis alloquio, petimus ut quod excellentia veſtra amore eccleſiaſticæ reverentiæ, & æquitatis contemplatione ſponte poteſt impendere, noſtra B ſtudeat benignius interceſſione concedere, & juſtitiam illi, ſicut de æquitatis ejus bono confidimus, faciat in omnibus cuſtodiri, atque patefacta veritate, & quod illicite actum eſt corrigi, & res ei violenter ablatas æquitate jubeat favente reſtitui. Nec quod ad tempus ab hoſtibus ejus eccleſiæ detinetur debet illi aliquid officere: ſed hoc ad ſubveniendum Chriſtianitatis veſtræ magis magiſque debet animos permovere; ut largitatis veſtræ munere conſolatus, captivitatis quam pertulit non poſſit damna ſentire. Pro utilitate ergo animæ veſtræ hæc noſtra apud vos exhortatio locum inveniat, ut ad mercedem veſtram dejectionem ipſius porrecta manu juſtitiæ relevetis, quatenus C per hoc quod æquitatem ſacerdotibus cuſtoditis, eorum precibus ante Dei ſemper oculos floreatis.

## * CXXII. AD BRUNICHILDEM REGINAM FRANCORUM. * CLVI

Hilarium commendat, ut illum tuitione ſua protegat.

*Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.*

CUm in regni regimine virtus juſtitia, & poteſtas egeat æquitate, nec ad hoc al- D terum ſine altero poſſit ſufficere; quanto in vobis amore horum cura præfulgeat, ex hoc patenter oſtenditur, dum turbas gentiumque laudabiliter gubernatis. Quis ergo hæc conſiderans de excellentiæ veſtræ bonitate diffidat? aut de impetratione ſit dubius, quando illa a vobis, quæ ſubjectis vos libenter poſſe novit impendere, duxerit poſtulanda? Lator itaque præſentium Hilarius excellentiæ veſtræ famulus, noſtra ſe interventione apud poteſtatem veſtram æſtimans adjuvari, commendationis noſtræ ſibi popoſcit epiſtolas ſuffragari; certum tenens uberius, ſicut ceteris conceditis, promereri, ſi noſtra pro eo interceſſio loqueretur. Proinde paternæ caritatis E affectu ſalutationis perſolventes alloquia petimus, ut quia quorumdam ſe perhibet nequitia adverſitatibus laborare, excellentiæ veſtræ eum tuitio muniat, & ne contra rationem valeat prægravari, ſua illum juſſione tutum eſſe præcipiat; quatenus dum vobis jubentibus atque propitiis nullius adverſitas injuſte, & pro ſola tantummodo voluntate locum habuerit, & nos de impetratis, quæ pro veſtra magis mercede poſcimus, gratias referamus, & excellentiæ veſtræ beatus Petrus apoſtolorum princeps, quem in nobis concedendo quæ petimus Chriſtiana devotione veneramini, recompenſet.

## * CXXII. AD VANTILONUM ET AREGIUM. * CLVII.

Hilarium commendat, ut illi ſuum patrocinium impendant.

*Gregorius Vantilono & * Aregio.* * Arigio. Parif.

AD magnam gloriæ veſtræ laudem accedit, quod Hilarius præſentium lator valide ſe fidit patrocinio relevari, ſi aſſequi favorem tuitionis veſtræ meruerit. Quod adeo, ſicut eſt, magnum exiſtimat, ut ad hoc obtinendum etiam noſtram ſui commendationem adhibere ſtuduerit adjutricem. Hunc igitur quoniam ad veſtrum patrocinium videmus deſideranter velle confugere, ſcribere pro eo judicavimus differendum; confidentes tanto vos defenſionem petentibus libenter impertiri, quanto & eam in triſtitia, & in ſtricto poſitos cognoſcitis ſuppliciter expectare. Ea de re gloriam veſtram paterna dulcedine ſalutantes, petimus ut quia prædictus portitor aliquorum inimicitiis ſe contra rationem aſſerit ſubjacere, patrocinium veſtrum quod magnopere cupit inveniat, & nullam illum contra æquitatem moleſtiam, nullam vexationem patiamini ſuſtinere; ſed ab omni eum afflictione, quam non ratio, ſed adverſantium voluntas ingeſſerit, patrocinii veſtri gratia tueatur; ut & hic, optatum ſe in vobis, ut ſperat, lætetur inveniſſe refugium, & aliquid vobis ad mercedem proficiat, ac veſtrum quidem in nobis alii ſimiliter quærere diſcant in tribulatione ſolatium.

## * CXXIV. AD ASCLEPIODOTUM PATRICIUM. * CLVIII.

Hilarium commendat, ut ejus patrocinium ſuſcipiat.

*Gregorius Aſclepiodoto patricio in Galliis.*

QUi terrenis regibus adhærent, quantum eis præſtandi locus conceditur, tanto debent in cauſſis mercedis proniores exiſtere, ut fructu boni operis & hic eorum quibus ſerviunt gratia perfruantur, & cæleſtis regni aulam introire poſtea mereantur. Unde licet hoc diligere, & in hoc vos eſſe confidamus intentos: verumtamen quia paternum alloquium aliquid bonis mentibus ſemper addit, hortamur, ut quoties congruum juvandi tempus adſtiterit, nequaquam quod operandum vobis eſt differatis. Nam qui fratrem luctu relevat, oppreſſum erigit, mœrentem conſolatur, ab illo ſibi retribui, cui totum impendit, non dubitet, qui ait: *Quod uni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis.* Matth. 25. Quia igitur Hilarius præſentium portitor, pro eo quod fruſtra contra ſe quorumdam perhibet inimicitias exarſiſſe, veſtræ ſe tuitioni noſtra petiit epiſtola commendari, certus quod patrocinantibus vobis cujuſquam contra rationem adverſitas ei nocere non valeat; idcirco paterno gloriam veſtram ſalutantes affectu petimus ut favoris

veſtri

veſtri gratia munitur, & quod cæteris juſta A petentibus indulgetis, huic quoque pro noſtra interceſſione largius impendatis; atque eum contra æquitatem opprimi non ſinatis, ſed manum illi auxilii, ubi rationis ordo vocaverit, porrigatis; quatenus mercedem gloriæ veſtræ & ipſe in vobis quod omnino ardue quæſivit inveniat, & vos afflicto & humiliter ſupplicanti videamini, quod valde glorioſum eſt, ſubveniſſe.

## * CXXV. AD CLAUDIUM IN HISPANIIS.

* CLIX.

Ei familiariter regibus Gothorum uſo Cyriacum monachum commendat.

*Gregorius Claudio in Hiſpaniis.*

QUia unguenti more bonorum fragrat opinio veſtræ gloriæ, de occidentibus partibus huc uſque odor tetendit. Cujus profecto auræ ſuavitate reſperſus, multum fateor, quem neſciebam dilexi, atque intra ſinum cordis amoris manu te rapui; nec jam eum neſciens diligebam, cujus bona cognoveram. Qui enim mihi magna intentione notus, ſed corporis viſione manet incognitus, de eo procul dubio veraciter dicere poſſum, quia perſonam illius ſcio, ſed domum neſcio. Magna autem veſtræ laudis datur aſſertio, quod excellenti Gothorum regi veſtra gloria ſedulo adhærere perhibetur; quia dum malis boni ſemper diſpliceant, bonos vos eſſe certum eſt, qui bono C placuiſtis. Propterea debitum Salutationis alloquium ſolvens, opto vos in his quæ cœpiſtis exerceri, ut in vobis compleatur veridica Salomonis illa ſententia quæ ait: *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem.* (Prov. 4.) Nunc enim cum lex nobis veritatis infulget, cum ſeſe regni cæleſtis ſuavitas mentibus aperit, jam quidem dies eſt, ſed adhuc perfectus non eſt. Tunc autem dies perfectus erit, quando jam quidquam de nocte peccati in mente noſtra non erit. Vos autem uſque ad perfectum diem creſcite; ut quouſque patria æterna videatur, bonorum hic D operum augmenta dilatentur, quatenus tanto poſt in retributione major ſit fructus muneris, quanto nunc ſtudium creverit laboris. Propterea dilectiſſimum filium noſtrum Cyriacum monaſterii noſtri patrem veſtræ gloriæ commendamus, ut peractis quæ ei injuncta ſunt nulla illum remeandi mora præpediat. Omnipotens Deus cæleſtis vos brachii protectione tueatur, & nunc glorioſos inter homines, & poſt longa annorum curricula inter angelos eſſe concedat.

## * CXXVI. AD LEANDRUM EPISCOPUM HISPALENSEM.

* CLX.

De laude caritatis. De onere ſuæ prælationis. De pallio ad ſacra tantum miſſarum ſolennia tranſmiſſo.

*Gregorius Leandro epiſcopo * Hiſpalenſi.*

* Hiſpanio. Tarſ.

SAnctitatis tuæ ſuſcepi epiſtolam, ſolius caritatis calamo ſcriptam. Ex corde enim lingua tinxerat quod in chartæ pagina refundebat. Boni autem ſapientiſque viri cum legeretur adfuerunt, quorum ſtatim viſcera in compunctione commota ſunt. Cœpit quiſque amoris manu in ſuo corde te rapere; quia in illa epiſtola tuæ mentis dulcedinem non erat audire, ſed cernere. Accendebantur & mirabantur ſinguli, atque ipſe ignis audientium demonſtrabat qui fuerit ardor dicentis. Niſi enim prius in ſe faces ardeant, alium non ſuccendunt. Ibi ergo vidimus, quanta caritate tua mens arſerit, quæ ſic & alios accendit. Vitam vero veſtram, cujus ego ſemper cum magna veneratione reminiſcor, minime noverant, ſed eis altitudo veſtri cordis patuit ex humilitate ſermonis. Vitam autem meam cuſpectis eſſe imitabilem illa veſtra epiſtola loquitur. B Sed quod non eſt ita ut dicitur, ſit ita quia dicitur, ne qui non ſolet mentiatur. Ad hæc autem breviter cujuſdam bonæ mulieris verba loquor: *Nolite me vocare Noemi, id eſt pulchram, ſed vocate me Mara, quia amaritudine plena ſum.* (Ruth 1.) Neque enim, bone vir, hodie ego ſum ille quem noſti. Multum fateor exterius proficiendo interius cecidi; meque de eorum numero eſſe pertimeſco, de quibus ſcriptum eſt. *Dejeciſti eos dum allevarentur.* (Pſalm. 72.) Cum * enim dejicitur qui honoribus proficit, & moribus cadit. (* allevarentur ... & Pa... 14.) Ego enim vias mei capitis ſequens ſummopere eſſe decreveram opprobrium hominum, & abjectio plebis; atque in ejus ſortem currere, de quo rurſus per Pſalmiſtam dicitur: *Aſcenſus in corde ſuo diſpoſuit in convalle lacrymarum*: (Pſal. 83.) ut videlicet tanto verius intus aſcenderem, quanto per convallem lacrymarum foris humilius jacerem. At me multum nunc deprimit honor oneroſus, curæ innumeræ perſtrepunt, & cum ſeſe ad Deum animus colligit, hunc ſuis impulſibus quaſi quibuſdam gladiis ſcindunt. Nulla cordis quies eſt. Proſtratum in infimis jacet ſuæ cogitationis pondere depreſſum, aut rara valde aut nulla hoc in ſublimia penna contemplationis levat. Torpet ignava mens, & circum latrantibus curis temporalibus jam pene ad ſtuporem deducta, cogitur modo terrena agere, modo etiam quæ ſunt carnalia diſpenſare. Aliquando vero faſtidio exigente compellitur quædam etiam cum culpa diſponere. Quid multa loquar? Victa ſuo pondere ſanguinem ſudat. Niſi enim ſanguinis nomine culpæ cenſerentur, Pſalmiſta non diceret: *Libera me de ſanguinibus.* (Pſal. 50.) Cum vero culpas culpis injungimus, hoc quoque quod per alium prophetam dictum eſt implemus: *Sanguis ſanguinem tetigit.* (Oſee. 4.) Sanguis enim ſanguinem tangere dicitur, cum culpa culpæ adjungitur, ut iniquitatis cumulus multiplicetur. Sed inter hæc per omnipotentem Deum deprecor, ut in perturbationis fluctibus lapſum tuæ orationis manu me teneas. Quaſi enim proſpero flatu navigabam, cum tranquillam vitam in monaſterio ducerem. Sed procelloſis E ſubito motibus tempeſtas exorta, in ſua perturbatione me rapuit, & proſperitatem itineris amiſi; quia quiete perdita mentis naufragium pertuli. Ecce nunc in undis verſor, & tuæ interceſſionis tabulam quæro, ut qui navi integra dives pervenire non merui, ſaltem poſt damna ad litus per tabulam reducar. De podagræ vero moleſtia ſanctitas veſtra, ut ſcribit, affligitur, cujus dolore aſſiduo & ipſe vehementer attritus ſum. Sed facilis erit conſolatio, ſi inter flagella quæ patimur, quæcumque fecimus ad memoriam delicta revocamus;

atque hæc non flagella, ſed dona eſſe conſpicimus, ſi quæ carnis delectatione peccavimus, carnis dolore purgemus. Præterea ex benedictione beati Petri apoſtolorum principis pallium vobis tranſmiſimus, ad ſola miſſarum ſolemnia utendum. Quo tranſmiſſo, valde debui qualiter vobis eſſet vivendum admonere. Sed locutionem ſupprimo, quia verba moribus anteitis. Omnipotens Deus ſua vos protectione cuſtodiat, atque ad cæleſtis remunerationem patriæ cum multiplici animarum fructu perducat. Ego autem quanta occupatione deprimor * ex debilitate brevis atteſtatur epiſtola, in qua ei, quem multum diligo, parum loquor.

* a Parif.

### Incipit Epistola

## RECHAREDI REGIS GOTHORUM.

### Ad beatum Gregorium Romenſem epiſcopum directa.

*Exultat quod ipſum non ante* [...] *quatuor annos de converſione ſua monuerit. Mittit aureum calicem: Venerationem ſummam ac benevolentiam teſtatur. Leandrum Hiſpalenſem commendat.*

DOmino ſancto ac beatiſſimo papæ Gregorio epiſcopo Recharedus. Tempore quo nos Dominus ſua miſeratione nefandæ Arrianæ hæreſis fecit eſſe diſcordes, melioratos fidei trinitate intra ſinus ſuos ſancta catholica colligit eccleſia, voluntatis tunc noſtræ fuit animus tam reverentiſſimum virum, qui præ cæteros polles antiſtites, omni intentione animi delectanter inquirere, & tam dignam acceptam Deo rem pro nobis hominibus modis omnibus laudaret. Unde nos multaſque regni curas gerimus, diverſis occaſionibus occupati, tres præterierunt anni voluntatem animi noſtri minime ſatisfacere. Et poſt hoc ad vos ex monaſteriis abbates elegimus, qui uſque ad tuam præſentiam peraccederent, & munera a nobis directa ſancto Petro offerrent, tuæ ſanctæ reverentiæ ſalutem nobis manifeſtius nuntiarent. Qui properantes jam pene littora cernentes Italiæ, in illis vi maris advenit quibuſdam ſcopulis prope Maſſilia inhærentes, vix ſuas potuerunt animas liberare. Nunc autem presbyterum, quem tua gloria uſque ad Malicitanam urbem direxerat, oravimus eum ad noſtrum venire conſpectum. Sed ipſe corporis infirmitate detentus, nullatenus ad regni noſtri ſolium voluit peraccedere. Sed quia certiſſime cognovimus eum a tua ſanctitate fuiſſe directum, calicem aureum deſuper geminis ornatum direximus, quem ut de tua confidimus Sanctitate, illa dignam apoſtolo, qui primus fulget honore, offerre dignemini. Nam & peto tuam celſitudinem nos ſacris tuis literis aureis opportunitate reperta exquirere. Nam quantum te veraciter diligam, tu ipſe pectori ſecunditatem inſpirante Domino latere non credo. Nonnunquam ſolet ut quos ſpatia terrarum ſive maria dividunt, Chriſti gratia ceu viſibiliter glutinare. Nam qui te minime præſentialiter cernunt, bonum tuum illis fama pateſcit.

Leandrum vero Spalenſis eccleſiæ ſacerdotem tuæ in Chriſto ſanctitati cum omni ve- A neratione commendo, quia per ipſum tua benivolentia nobis eſt lucidata; & dum cum eodem antiſtite de tua vita loquimur, in bonis actibus veſtris nos minores eſſe cenſemus. Salutem vero tuam, reverentiſſime, & ſanctiſſime vir, audire delector, & peto tuæ chriſtianitatis prudentiæ, ut nos genteſque noſtras, quæ noſtro poſt Deum regimine moderantur, & veſtris ſunt a Chriſto adquiſitæ temporibus, communi Domino tuis crebro commendes orationibus, ut per eamdem rem quos orbis latitudo diſſociat, vera in Deum acta charitas feliciter convaleſcat.

## * CXXVII. AD RECCAREDUM REGEM * CLXI.

B

### Hispaniæ.

Laudat ejus ope gentem Gothorum ad catholicam fidem converſam. Agit de muneribus ſancto Petro tranſmiſſis, commendans ejus animum, quod licet ſumma pecuniarum a Judæis offerretur, conſtitutionem in eos editam mutare noluerit. Denique crucem tranſmittit, in qua de ligno domini erat, & de capillis ſancti Joannis Baptiſtæ.

*Gregorius Reccaredo regi Wiſigothorum.*

C EXplere verbis, excellentiſſime fili, non valeo, quantum tuo opere, tua vita delector. Audita quippe novi diebus noſtris virtute miraculi, quod per excellentiam tuam cuncta Gothorum gens ab errore Arianæ hæreſis in fidei rectæ ſoliditatem translata eſt, exclamare cum Propheta libet: *Hæc eſt immutatio dexteræ excelſi.* (Pſal. 76.) Cujus enim vel ſaxeum pectus tanto hoc opere cognito, non ſtatim in omnipotentis Dei laudibus, atque in tuæ excellentiæ amore molleſcat? Hæc me, fateor, quæ per vos acta ſunt, ſæpe convenientibus filiis meis dicere, ſæpe cum eis pariter admirari delectat. Hæc me plerumque etiam contra me excitant, quod piger ego & inutilis tunc inerti otio torpeo, quando in animarum con- D gregationibus pro lucro cæleſtis patriæ reges elaborant. Quid itaque ego in illo tremendo examine judici venienti dicturus ſum, ſi tunc illuc vacuus venero, ubi tua excellentia greges poſt ſe fidelium ducet, quos modo ad veræ fidei gratiam per ſtudioſam & continuam prædicationem traxit? Sed eſt mihi, bone vir, hoc ex Dei munere in magna conſolatione, quia opus ſanctum quod in me non habeo, diligo in te. Cumque de tuis actibus magna exultatione gaudeo, ea quæ per laborem tua ſunt, per caritatem mea fiunt. De converſione igitur Gothorum in veſtro opere & in noſtra exultatione libet cum angelis exclamare: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax homini-* (Luc. 2.) E *bus bonæ voluntatis.* Nos enim, ut exiſtimo, gratiarum amplius omnipotenti domino debitores exiſtimus; quia etſi vobiſcum nihil egimus, veſtro tamen operi congaudendo participes ſumus. Beatus vero Petrus apoſtolorum princeps quam libenter munera excellentiæ veſtræ ſuſceperit, ipſa cunctis liquido vita veſtra teſtatur. Scriptum quippe eſt: *Vota juſtorum placabilia.* (Prov. 15.) Neque enim in omnipotentis Dei judicio quid datur, ſed a quo datur aſpicitur. Hic eſt enim quod ſcriptum eſt: *Reſpexit dominus ad Abel, & ad munera ejus: ad Cain autem* (Gen. 4.)

*rem & ad munera ejus non reſpexit*. Dicturus quippe, quia dominus reſpexit ad munera, præmiſit ſolicite, quia reſpexit ad Abel. Ex qua re patenter oſtenditur, quia non offerens a muneribus, ſed munera ab offerente placuerunt. Veſtraque oblatio quam ſit grata oſtenditis, qui daturi aurum, prius ex converſione gentis ſubditæ animarum munera dediſtis. Quod vero tranſmiſſos abbates, qui oblationem veſtram beato Petro apoſtolo deferebant, vi maris dicitis fatigatos ex ipſo itinere ad Hiſpanias remeaſſe, non munera veſtra repulſa ſunt quæ poſtmodum pervenerunt, ſed eorum qui tranſmiſſi fuerant conſtantia eſt probata, an ſcirent ſancto deſiderio objecta pericula vincere, & in fatigatione corporis mente minime laſſari. Adverſitas enim quæ bonis votis objicitur, probatio virtutis eſt, non judicium reprobationis. Quis enim neſciat quam proſperum fuit quod beatus Paulus apoſtolus prædicaturus ad Italiam veniebat, & tamen veniens naufragium pertulit? Sed navis cordis in marinis fluctibus integra ſtetit. Præterea indico, quia crevit de veſtro opere in laudibus Dei hoc quod dilectiſſimo filio meo Probino preſbytero narrante cognovi: quia cum veſtra excellentia conſtitutionem quamdam contra Judæorum perfidiam dediſſet, hi de quibus prolata fuerat rectitudinem veſtræ mentis inflectere pecuniarum ſummam offerendo moliti ſunt: quam excellentia veſtra contempſit, & omnipotentis Dei placere judicio requirens, auro innocentiam prætulit. Qua in re mihi David regis factum ad memoriam venit; cui dum concupita aqua de ciſterna Bethlehemitica, quæ inter hoſtiles cuneos habebatur, ab obſequentibus militibus fuiſſet allata, protinus dixit: *Abſit a me ut ſanguinem juſtorum hominum bibam*: Quam quia fudit & bibere noluit, ſcriptum eſt: *Libavit eam domino*. Si igitur ab armato rege in ſacrificium Dei verſa eſt aqua contempta, penſemus quale ſacrificium omnipotenti Deo rex obtulit, qui pro amore illius non aquam, ſed aurum accipere contempſit? Itaque, fili excellentiſſime, fidenter dicam, quia libaſti aurum domino, quod contra eum habere noluiſti. Magna ſunt hæc & omnipotentis Dei laudi tribuenda. Sed inter hæc vigilanti ſunt ſtudio antiqui hoſtis inſidiæ cavendæ, qui quanto majora in hominibus dona conſpicit, tanto hæc auferre ſubtilioribus inſidiis exquirit. Neque enim latrunculi in via capere viatores vacuos expetunt, ſed eos qui auri vaſcula vel argenti ferunt. Via quippe eſt vita præſens. Et tanto quiſque neceſſe eſt ut inſidiantes ſpiritus caveat, quanto majora ſunt dona quæ portat. Oportet ergo excellentiam veſtram in tanto hoc de converſione gentis ſubditæ munere quod accepit ſummopere cuſtodire prius humilitatem cordis, ac deinde munditiam corporis. Cum enim ſcriptum ſit: *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur*; profecto liquet quia ille veraciter alta amat, qui mentem ſuam ab humilitatis radice non deſecat. Sæpe namque malignus ſpiritus, ut bona deſtruat quibus prius adverſari non valuit, ad operantis mentem poſt peractam operationem venit, eamque tacitis cogitationibus in quibuſdam ſuis laudibus excutit, ita ut decepta mens admiretur ipſa, quam ſint magna quæ fecit. Quæ dum per occultum tumorem apud ſemetipſam extollitur, ejus qui donum tribuit gratia privatur. Hinc eſt enim quod per prophetæ vocem contra ſuperbientem animam dicitur: *Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo*. Fiduciam quippe animam in pulchritudine ſua habere, eſt in ſemetipſa de juſta actione præſumere. Quæ in ſuo nomine fornicatur, quando in hoc quod recte egit non conditoris laudem dilatari appetit, ſed ſuæ opinionis gloriam requirit. Hinc rurſum per prophetam ſcriptum eſt: *Quo pulchrior es, deſcende*. Anima etenim unde eſt pulchrior, inde deſcendit, quando ex virtutis decore, quo exaltari apud Deum debuit, ab ejus gratia per ſuam elationem cadit. Quid ergo in his agendum eſt, niſi ut malignus ſpiritus cum nobis ad elevandam mentem reducit bona quæ egimus, nos ſemper ad memoriam mala noſtra revocemus; quatenus & noſtra cognoſcamus eſſe quæ peccando fecimus, & ſolius omnipotentis Dei munera cum peccata declinamus. Cuſtodienda eſt quoque munditia corporis in ſtudiis bonæ actionis; quia juxta vocem prædicantis apoſtoli: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*. Qui rurſus ait: *Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*. Quam ſanctificationem quid dixerit, oſtendens protinus adjunxit: *Ut abſtineatis vos a fornicatione, ut ſciat unuſquiſque veſtrum ſuum vas poſſidere in ſanctificatione & honore, & non in paſſionibus deſiderii*. Ipſa quoque regni gubernacula erga ſubjectos magno ſunt moderamine temperanda, ne poteſtas mentem ſurripiat. Tunc enim regnum bene regitur, cum regnandi gloria animo non dominatur. Curandum quoque eſt, ne ira ſurrepat: ne fiat citius omne quod licet. Ira quippe etiam, cum delinquentium culpas exequitur, non debet menti quaſi domina præire, ſed poſt rationis tergum velut ancilla famulari, ut ad faciem juſſa veniat. Nam ſi ſemel mentem poſſidens ceperit, juſtum eſſe deputat etiam quod crudeliter facit. Hinc enim ſcriptum eſt: *Ira viri juſtitiam Dei non operatur*. Hinc rurſus dicitur: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum & tardus ad iram*. Hæc autem vos auctore Deo omnia ſervare non ambigo. Sed occaſione admonitionis exorta bonis veſtris actibus me furtive ſubjungo, ut quod non admoniti facitis, quando vobis & admonitio additur, jam non ſoli faciatis. Omnipotens autem Deus in cunctis actibus veſtris cæleſtis brachii extenſione vos protegat, vobiſque & præſentis vitæ proſpera, & poſt multa annorum curricula gaudia concedat æterna. Clavim vero parvulam a ſacratiſſimo beati Petri apoſtoli corpore vobis pro ejus benedictione tranſmiſimus, in qua ineſt ferrum de catenis ejus incluſum, ut quod collum illius ad martyrium ligaverat, veſtrum ab omnibus peccatis ſolvat. Crucem quoque dedi latori præſentium vobis offerendam, in qua lignum dominicæ crucis ineſt, & capilli beati Joannis Baptiſtæ: ex qua ſemper ſolatium noſtri ſalvatoris per interceſſionem præcurſoris ejus habeatis. Reverendiſſimo autem fratri & coepiſcopo noſtro Leandro pallium a beati Petri apoſtoli ſede tranſmiſimus, quod & antiquæ conſuetudini, &* noſtris moribus, & ejus bonitati atque gravitati debemus. Item in anagnoſtico ante longum tempus dulciſſima mihi veſtra excellentia, Neapoli-

Act. 27.

2 Reg. 23.

Luc. 14 & 18.

Ezech. 16.

Ezech. 31.

1 Cor. 3.

1 Theſſ. 4.

Jac. 1.

* al. veteris. Pa.

politano quodam juvene veniente, mandare A curaverat, ut piiſſimo imperatori ſcriberem; quatenus pacta in chartophylacio requireret, quæ dudum inter piæ memoriæ Juſtinianum principem & jura regni veſtri fuerant emiſſa, ut ex his colligeret, quid vobis ſervare debuiſſet. Sed ad hoc faciendum duæ res mihi vehementer obſtiterunt. Una, quia chartophylacium prædicti piæ memoriæ Juſtiniani principis tempore ita ſurripiente ſubito flamma incenſum eſt, ut omnino ex ejus temporibus pene nulla charta remaneret. Alia autem, quia, quod nulli dicendum eſt, ea quæ contra te ſunt apud temetipſum debes documenta requirere, atque hæc pro me in medium proferre. Ex qua re hortor ut veſtra excel- B lentia ſuis motibus congrua diſponat, & quæque ad pacem pertinent ſtudioſe peragat, ut regni veſtri tempora per longa ſint annorum curricula in magna laude memoranda. Præterea tranſmiſimus clavim aliam a ſacratiſſimo beati Petri apoſtoli corpore, quæ cum digno honore repoſita, quæque apud vos invenerit benedicendo multiplicet.

## * CXXVIII. AD ITALICAM * CLXII.

### ET VENANTIUM.

Conqueritur de doloribus ejus, & de temporis calamitatibus, & morbis qui ſe, Romam, Africam, & orientem vexabant.

*Gregorius Italicæ patriciæ, & domnæ Venantiæ* * *cancellario Italiæ.*

* patricio & Italicæ ingalibus Pariſ.

Ioan. diac. lib. 4. c. 63.

QUoſdam de Sicilia venientes, affectu quo debui de ſoſpitate veſtræ excellentiæ requirere curavi. Sed de aſſiduitate ægritudinum mihi triſtia reſponderunt. Hæc autem dicens, nec ego vobis de meipſo invenio aliud quod debeam nuntiare, niſi quod peccatis meis exigentibus, ecce jam undecim menſes ſunt quod valde rarum eſt ſi de lecto ſurgere aliquando potuero. Tantis enim podagræ tantiſque moleſtiarum doloribus premor, ut vita mea mihi graviſſima pœna ſit. Quotidie enim in dolore deficio, & mortis remedium expectando ſuſpiro. In clero vero hujus urbis & populo tanti febrium languores irruerunt, ut pene nullus liber, nullus ſervus remanſerit, qui eſſe idoneus ad aliquod officium vel miniſterium poſſit. De vicinis autem urbibus ſtrages quotidie mortalitatis nobis nuntiantur. Africa autem qualiter mortalitate & languoribus vaſtetur, quanto viciniores eſtis, tanto credo quod ſubtilius cognoviſtis. De oriente vero qui veniunt, graviores deſolationes nuntiant. In his itaque omnibus quia appropinquante fine mundi generalem percuſſionem eſſe cognoſcitis, affligi nimis de propriis moleſtiis non debetis. Sed, ſicut ſapientes nobiles decet, cor omne ad animarum curam reducite, diſtrictum judicium quanto ſit vicinius, plus timere: ſtudiis pietatis intendite, de qua ſcriptum eſt, quod promiſſionem habeat vitæ præſentis & futuræ: Potens eſt autem omnipotens Deus vitam veſtræ excellentiæ & hic in longo tempore conſervare, & poſt multa annorum curricula ad gaudia æterna perducere. Dulciſſimas filias meas domnam Barbaram & domnam * Antoniam mea peto vice ſalutari. Quas oro ut ſuperna gratia protegat, eiſque proſperari in omnibus concedat.

1 Tim. 4.

Antoniam * Pariſ.

## * CXXIX. AD DONELLUM * CLXIII.

### EROGATOREM.

De proviſione Romanæ civitatis.

*Gregorius Donello erogatori.*

EPiſtolam gloriæ veſtræ plenam boni filii caritate ſuſcepimus, ex qua quidem de moleſtia corporis veſtri noſter eſt animus contriſtatus. De divina tamen miſeratione confidimus, quod qui vos miſeram & dejectam diligere fecit Italiam, ipſe vobis & corporis ſalutem reſtituat, & in æterna retributione compenſet. De militari enim roga, quam vos contra voluntatem veſtram principali ſignificaſtis juſſione iterum ſuſcepiſſe, omnino ſumus libenter complexi: ſcientes quia magnitudo veſtra cautiori ſalubriorique proviſione militari neceſſitati concurrat. De ſex vero centenariis qui in cimeliarchio Ravennatis eccleſiæ fuerant commendati ſicut veſtra teſtatur epiſtola, ab excellentiſſimo exarcho in quotidiana militum præfactura ſunt mutuati, qui ut hactenus mi- C nime reſtituantur, cujus ſit cauſſa cognoſcitis. Quod enim ſcripſiſtis, hoc prædicto filio noſtro exarcho viſum eſſe, ut quia pax ad concluſionem tenuit de pecuniis hinc competentibus, primum ut rogam illarum partium faciatis, gloria veſtra caute proſpiciat, ſi vel fieri debet, vel ſit quoquomodo præſumendum ut ſi præfectura illarum partium acceptas pecunias recuperare negligit, hæ partes ob hoc periculum de militis nuditate ſuſtineant. Sed ii quibus mutuatæ ipſæ dicuntur pecuniæ, debent a mutuante conſtringi; quatenus ſicut noverunt expenſa centenaria ipſi reſtituant, & pecuniæ quæ ſine erogantis non poſſunt tangi periculo, ſubtractæ quibus debentur, admiſſo quod D nobis imminet periculo, minime aliis diſpergantur indebite. Et hoc quidem nos nec cum novo in cauſſa viro, nec Romanorum partium ignaro agimus. Cui quippe conſtat, quod ſi pax reparata minime fuerit, belli tempore in his locis niſi ſolius divinæ potentia majeſtatis humanum non prævalet ſubvenire remedium. Sciens ergo magnitudo veſtra voluntatem dominorum principum, quanta de Romanæ civitatis cura præcipue ſubventione ſit provida, quod ex donis eorum evidenter agnoſcitur, ſed & partium iſtarum imminens periculum *, omnino curæ tuæ eſt, & civitatis, cum pecuniis huc venire. Quod ſi omiſſum fuerit, & adverſi aliquid, quod non optamus, evenerit, E neque apud Deum, neque apud rerum dominos cujuslibet obtentu perſonæ * nos excuſare quoquo modo valeatis. Romana enim civitas, peccatis noſtris facientibus, diverſis eſt attrita languoribus, ut nec qui in murorum cuſtodia ſint, idonei perſiſtant.

* Et civitatis omnino curæ tuæ &c. Pariſ.

* vos. Pariſ.

CLXIV.

## * CXXX. AD MAXIMUM EPISCOPUM SALONITANUM.

De uſu pallii, & ratione ſignificationeque ejus.

*Gregorius Maximo epiſcopo Salonitano.*

SUſceptis fratris & coepiſcopi noſtri Mariniani epiſtolis, ſed & Caſtorio noſtro remeante, fraternitatem veſtram pleniſſime de his quibus dubietas fuerat ſatisfeciſſe cognovimus, magnaſque omnipotenti Deo gratias agimus, quia de meo corde medullitus omnis rancor ſiniſtræ ſuſpicionis evulſus eſt. Pro qua re Stephanum communem filium diaconum veſtrum cum ſumma volui celeritate laxare. Sed hunc apud me vel paucis diebus immorari, dolores crebri mearum ægritudinum compulerunt. At poſtquam meliorari vel modicum cœpi, eum protinus cum gaudio remittere curavi. Itaque pallium ad ſacra miſſarum ſolemnia utendum ex more tranſmiſimus, cujus nos volumus per omnia genium vendicare. Hujus enim indumenti honor, humilitas atque juſtitia eſt. Tota ergo mente fraternitas veſtra ſe exhibere feſtinet in proſperis humilem, & in adverſis, ſi quando eveniunt, cum juſtitia erectam; amicam bonis, & perverſis contrariam. Nullius unquam faciem pro veritate loquentis premens, miſericordiæ operibus juxta virtutem ſubſtantiæ inſiſtens, & tamen inſiſtere etiam * ultra virtutem cupiens, infirmis compatiens, bene valentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudiis tamquam de propriis exultans: in corrigendis autem vitiis ſæviens, in fovendis virtutibus adjutorum animos demulcens, in ira judicium ſine ira tenens, in tranquillitate autem ſeveritatis ſuæ cenſuram non deſerens. Hæc eſt, frater cariſſime, pallii accepti ratio, quam ſi ſolicite ſervaveris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habes. Præterea fratrem & coepiſcopum noſtrum Sabinianum fraternitati veſtræ in omnibus commendo, & ſi quæ cauſſæ ſint, interim poſtponantur. Caritas inter vos fixa permaneat, ut ſic de exterioribus, ſi quando contentio vertitur, examen veniat, quatenus mentem caritas non relinquat. Communem quoque filium Honoratum archidiaconum commendamus. De quo ſi ita eſt, ſicut Caſtorium chartularium noſtrum didicimus, quia per eum jam tres antea archidiaconi ſervare conſuetudinem eccleſiaſticam, quinquennio expleto exeundo compulſi ſunt, tuæ quidem volumus ut caritatem ſanctitatis inveniat. Nam flagitari judicium non debet de cauſſa quam ipſe judicavit. Sin vero ita non eſt, omni mentis tumore depreſſo, omnique odio poſtpoſito, debet in caritate recipi; & nullatenus a loco in quo inventus eſt amoveri. Mallianum quoque clericum, qui ad nos confugerat, communi filio Stephano diacono fiducialiter dedimus: certi quia quem nos veſtræ fraternitati tranſmittimus, vos in eo non odium ſed gratiam poteſtatis oſtendere debeatis. Omnipotens Deus ſua vos protectione cuſtodiat, detque nobis ita agere, ut poſt hujus temporalitatis fluctum ad æterna valeamus ſimul gaudia pervenire.

* contra. Tarif.

## EPISTOLA SANCTI COLUMBANI ABBATIS AD S. GREGORIUM PAPAM.

*In celebratione paſchæ, rejecto Victorii cyclo, Scotorum morem ſequendum, cui Anatolius ab Hieronymo laudatus, favet. De Epiſcopis per Simoniam ordinatis, aut poſt lapſum tempore diaconatus, ac de monachis monaſteria ſua deſerentibus conſulit S. Gregorium, quem videre ſummopere cupit. Laudat ejus paſtoralem librum, petitque expoſitiones in Ezechielem & in Cantica.*

*Domino Sancto & in Chriſto patri Romano, pulcherrimo Eccleſiæ decori, totius Europæ flaccentis auguſtiſſimo quaſi cuidam flori, egregio ſpeculatori, theoria utpote divinæ caſtalitatis perito.*

*Ego Bargoma * vilis columba in Chriſto mitto Salutem.*

1 Bargona ſl. columba.

GRatia tibi & pax a Deo patre noſtro Jeſu Chriſto. Libet me, o Sancte papa, hyperbolicum tecum non ſit interrogandum de paſcha juſta illud canticum: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi*. Licet enim mihi nimirum micrologo, illud cujuſdam egregium Sapientis elogium, quod dixiſſe fertur, quamdam videns contupictam: *non admiror artem, ſed admiror frontem*; ad te clarum ad me vili ſcribendo poteſt inuri, tamen tuæ evangelicæ humilitatis fiducia fretus, tibi ſcribere præſumo, & mei doloris negotium injungo. Vanitas namque ſcribendi nulla eſt, ubi neceſſitas cogit, quamvis majoribus, ſcribi.

Inſerui nunc primum edita. PP SS Mauri.

Quid ergo dicis de paſcha 21. aut 22. Lunæ, quod jam (tua tamen pace dictum ſit) non eſſe paſcha nimirum tenebroſum ad multis comprobatur calcalenteris? Non latet enim, ut credo, efficaciam tuam, quantum Anatolius miræ doctrinæ vir, ut ſanctus ait Hieronymus, cujus Euſebius Cæſarienſis epiſcopus in eccleſiaſtica excerpta inſeruit hiſtoria, & S. Hieronymus in ſuo hoc idem de paſcha opus collaudavit catalogo, de hac lunæ ætate vituperando diſputet; qui contra Gallicanos Rimarios de paſcha, ut ait, errantes, horrendam intulit ſententiam, dicens: *Certe ſi uſque ad duarum vigiliarum terminum, quod noctis medium indicat, ortus lunæ tardaverit, non lux tenebras ſed lucem tenebræ ſuperant, quod certum eſt in paſcha non eſſe probabile, ut aliqua pars tenebrarum luci dominetur, quia ſolemnitas Dominicæ reſurrectionis lux eſt, & non eſt communicatio luci cum tenebris. Et ſi in tertia vigilia luna excanduerit, non eſt dubium lunam 21. vel 22. exortam eſſe, in qua verum paſcha non eſt poſſibile immolari. Nam, qui hac lunæ ætate Paſcha definiunt poſſe celebrari, non ſolum illud auctoritate divinæ ſcripturæ affirmare non poſſunt, ſed & ſacrilegii & contumaciæ crimen & animarum periculum incurrunt, dum affirmant lucem poſſe immolari cum aliqua dominatione tenebrarum, quæ omnibus dominatur*. Nec non in ſancti dogmatis legimus libro. *Paſcha id eſt ſolemnitas Dominicæ reſurrectio-*

* MS. Contemporaneo.

*vectiorís ante tranſgreſſum vernalis æquinoctii* A *16. initium non poteſt celebrari, ut ſcilicet æquinoctium non antecedat*: quod utique Victorius in ſuo tranſgreſſus eſt cyclo, & per hoc Galliæ jamdudum invexit errorem, ſeu ut humilius dicam, confirmavit inolitum. Quippe qua ratione utraque ſtare poſſunt, ut ſcilicet reſurrectio Domini ante ſuam celebretur paſſionem, quod vel putari abſurdum eſt, aut ſeptem dies Domini juſſione in lege ſanciti, in quibus tantum legitime phaſe Domini comedi mandatum eſt (qui a 14. luna uſque ad 20. numerandi ſunt) contra jus faſque tranſcendantur? Luna enim 21. aut 22. extra jus lucis eſt, utpote poſt medium noctis tunc temporis exorta, & tenebris lucem ſuperantibus, B lucis ſolemnitas nefas eſt, ut ajunt, agi. Quare ergo tu tam ſapiens, nimirum cujus clariſſima per orbem, ut antiquitus, ſacri ingenii diffuſa ſunt lumina, paſcha tenebroſum colis? Miror, fateor, a te hunc Galliæ errorem, ac ſi ſchyſmaticum jamdiu non fuiſſe raſum: niſi forte putem, quod vix credere poſſum, dum eum conſtat a te non fuiſſe emendatum, apud te eſſe probatum. Aliter tamen & honeſtius tua excuſari poteſt peritia, dum forte notam ſubire times Hermagoricæ novitatis, anteceſſorum & maxime papæ Leonis auctoritate contentus es. Noli te quæſo in tali quæſtione humilitati tantum aut gravitati credere, quæ ſæpe falluntur. Melior forte *eſt* C *canis vivus*, in hoc problemate, *leone mortuo*. Vivus namque ſanctus emendare poteſt, quæ ab altera majore emendata non fuerint. Sciat namque noſtris magiſtris, & Hibernicis antiquis, philoſophis & ſapientiſſimis componendi calculi computariis, Victorium non fuiſſe receptum, ſed magis riſu vel venia dignum, quam auctoritate. Idcirco mihi timido peregrino, magis quam ſciolo, tuæ dirige fulcrum ſententiæ; & maturæ punctum tuæ placabilitatis huic tempeſtati nos circumdanti compeſcendæ, tranſmittere non dedigneris, quia non mihi ſatisfacit poſt tantos quos legi auctores, una iſtorum ſententia epiſcoporum dicentium tantum: *Cum Judæis paſcha facere non debemus*. D Dixit hoc olim & Victor epiſcopus, ſed nemo Orientalium ſuum recepit commentum; ſed hoc ſoporans ſpina Dagonis hoc imbibit bubum erroris. Qualis rogo hæc frivola, & tam impoſita, nullis ſcilicet divinæ ſcripturæ fulta teſtimoniis ſententia. *Cum Judæis paſcha facere non debemus?* Quid ad rem pertinet? Numquid Judæi reprobi paſcha facere credendi ſunt nunc utpote ſine templo, extra Jeruſalem, Chriſto tunc figurato, ab iis crucifixo? Aut, numquid ipſorum eſſe recte credendum eſt 14. luna e * Paſcha, & non potius Dei ipſius inſtituentis phaſe eſſe fatendum eſt, ſcientiſque ſolius ad purum quo myſterio 14. luna ad tranſcenſum electa eſt? Quod forte E ſapientibus, & tui ſimilibus aliquantulum præluceat. Qui hoc opponunt, licet ſine auctoritate, Deo improperent quare non ſua præſcientia antea tunc præcaverit Judæorum contumaciam, ut ſi nollet nos cum eis paſcha facere, novem dies azymorum in lege præciperet, ut vel noſtræ ſolemnitatis initium finem ſolemnitatis eorum non excederet? Nam ſi 21. aut 22. paſcha celebrandum, a 14. uſque ad 22. novem dies computabuntur; ſeptem ſcilicet a Deo præcepti, & duo ab hominibus

aucti. Sed ſi licet hominibus augere per ſe aliquid divinæ cenſuræ, interrogo, ne forte videatur contrarium eſſe illi Deuteronomii ſententiæ: Ecce inquit, *verbum quod tibi do, neque adjicias ad illud, neque auferas ab eo*. Sed hæc magis procaciter quam humiliter ſcribens, ſcio euripium præſumptionis difficillimæ mihi nexiſſe, enavigandum forte * irogus. Nec loci namque, nec ordinis eſt, ut magnæ tuæ auctoritati aliquid quaſi diſcutiendo inrogetur, & ridiculoſe te mei (nimirum Petri cathedram apoſtoli & clavicularii legitime inſidentem) Occidentales apices de paſcha ſollicitent. Sed tu non tam me vilem in hac re, quam multos & defunctos & viventes, hæc eadem quæ notavi, firmantes magiſtros, conſiderare debes, & quaſi cum eis te trahere colloquium crede; pie namque me ſcito, licet ſaltuatim, & hyperbolice, chiloſum os aperire. Tuum itaque aut excuſa aut damna Victorium; ſciens ſi illum laudaveris inter te & ſupradictum Hieronymum fidei futurum fore negotium, qui nimirum Anatolium laudavit, huic contrarium; itaut qui unum ſecutus fuerit, alterum recipere non poterit. Tua itaque conſideret vigilantia, ut in fide duorum auctorum ſupradictorum, ſibi invicem contrariorum, probanda, nulla ſit inter te & Hieronymum in ſententia promovenda diſſonantia; ne nobis undique ſint anguſtiæ, ut aut tibi, aut illi conſentiamus. Parce in hoc infirmis, ne ſcandalum diverſitatis oſtendas. Simpliciter enim ego tibi confiteor quod contra S. Hieronymi auctoritatem veniens, apud Occidentis eccleſias hæreticus ſeu reſpuendus erit, illi enim per omnia indubitatam in ſcripturis divinis accommodant fidem. Sed hæc de paſcha ſufficiant.

Ceterum de epiſcopis illis quid judicas interrogo, qui contra canones ordinantur, id eſt quaſi tu ſimoniacos, & Giltas auctor peſtes ſcripſiſtis. Numquid cum illis communicandum eſt? Quia, quod gravius eſt, multi in hac provincia tales eſſe noſcuntur; aut de aliis, qui in diaconatu violati, poſtea ad epiſcoporum gradum eliguntur? Sunt enim quorum in his novimus conſcientias, & cum noſtra parvitate id conferentes, certum ſcire volebant, ſi ſine periculo poſt hoc poſſint, id eſt aut poſt gradum ſolidis emptum, aut poſt in diaconatu adulterium, abſconſum tamen dico cum clientelis adulterium: quod apud noſtros magiſtros non minoris cenſetur eſſe facinoris.

Tertio interrogationis loco reſponde adhuc quæſo, ſi non moleſtum eſt quid faciendum eſt de monachis illis, qui pro Dei intuitu, & vitæ perfectioris deſiderio accenſi, contra vota venientes, primæ converſionis loca relinquunt, & invitis abbatibus, fervore monachorum cogente, aut laxantur, aut ad deſerta fugiunt. Vennianus auctor Giltam de his interrogavit, & elegantiſſime illi reſcripſit, ſed tamen diſcendi ſtudioſo ſemper majus metus adcreſcit. Humilius & purius hæc omnia & multo plura, quæ epiſtolaris brevitas non admittit, per præſentiam interroganda erant, niſi corporis infirmitas, & meorum aura comperegrinorum domi me vinctum ad te eundi, * ut illum ſpiritualem vivi fontis venam, vivamque undam ſcientiæ cælitus fluentis, ac in æternam vitam ſalientis haurire *. Et ſi ani-

* *Luna Paſcha, vel Luna & Paſcha.*

* *ignorans.*

* *addendum forte revertere.*

* *addendum forte poſſem.*

animam corpus ſequeretur, Roma ſui iterum A rem ſuſtineret contemptus; ut quomodo, docto narrante Hieronymo, legimus quoſdam de ultimis Hesbini littoris finibus olim veniſſe Romam, * in, & mirum dictum, aliud extra Romam quæſiſſe; ita & ego nunc te, non Romam deſiderans, ſalva ſanctorum reverentia cinerum expeterem; licet enim non me ſapientem ſed eſſe ſitientem fateor, hoc idem facerem, ſi vacaret.

* deia.

Legi librum tuum paſtorale regimen continentem, ſtilo brevem, doctrina prolixum, myſteriis refertum, melle dulcius egenti opus eſſe fateor; mihi idcirco tua ſitienti largire, precor, opuſcula quæ in Ezechielem miro, ut audivi, elaboraſti ingenio. Legi Hieronymi B ſex in illum libros, ſed nec medium expoſuit. Sed ſi dignaris aliqua nobis de tuis tranſmitte, & cantica canticorum ab illo loco in quo dicit.. * *Ibo ad montem myrrhæ, & collem thuris.* uſque in finem, aut aliorum aut tuis brevis, depoſco, tracta ſententiis, & ut totam exponas obſcuritatem Zachariæ propala, ut tibi Occidentalis in his gratias agat cæcitas. Importuna poſtulo, & magna ſciſcitor; quis neſciat? Sed & tu magna habens, quia de parvo minus, & de multo plus bene ſcis eſſe fœnerandum. Reſcribere te perſuadeat caritas, exponere non impediat chartæ aſperitas, quia aera in errorem fuit, & honor debitus cordi eſt a me tibi dari: meum fuit provocari, in- C terrogare, rogare; tuum, ſi gratis accepta non negare, talentum fœnerari, petenti te panem doctrinæ, Chriſto præcipiente, dare, pax tibi tuiſque, meæ indulge, quod ſic audacter ſcripſi, rogo, procacitati, beate papa, & oro ut pro me viliſſimo peccatore vel ſemel in tuis ſanctis orationibus ad communem Dominum ores. Perſuperfluum puta commendari tibi meos, quos Salvator quaſi in ſuo nomine ambulantes, recipiendos eſſe decernit; etſi, ut audivi a ſancto Candido tuo, hoc reſpondere volueris, temporis antiquitate roborata mutari non poſſe, manifeſte antiquus error eſt, D ſed ſemper antiquior eſt veritas quæ illum reprehendit.

* hæc ſententia deeſt in Cod. MS.

* CLXV.

## * CXXXI. AD CONSTANTIUM

### EPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Philagrium cæcum epiſcopo commendat.

*Gregorius Conſtantio epiſcopo Mediolanenſi.*

LIcet multum fraternitatem veſtram ad ſervandam ſibi juſtitiam Philagrii portitoris præſentium flagellum cæcitatis invitet: verumtamen quia ad reſtauranda quæ ſibi præjudi- E cialiter aſſerit detineri per nos vos voluit fieri promptiores, præſentia ad vos ſcripta prævidimus dirigenda. Queſtus autem eſt campum cum vinea ſua ab eccleſiæ veſtræ hominibus irrationabiliter occupatum. Quod ſi ita eſt, quamquam ante judicium poſſeſſio ei debuerat violenter ablata reſtitui, tamen quia * pervenit communis filius Eventius diaconus veſter, conſentiente præfato latore, conſtituit per quinque teſtes partem eccleſiæ veſtræ ſatisfacere poſſe, ejuſdem eccleſiæ juris illum eſſe. Ideoque fraternitas veſtra prædictum Philagrium contra juſtitiam laborare non faciat ſed mo- dis quibus potuerit veritatem diligenter inquirat. Et ſi manifeſte, ſicut hic conſtituit, probari potuerit veſtri juris eſſe, huic propter Deum citius ſatisfaciendum eſt, ut a ſua intentione ſine labore diſcedat. Alioquin ante omnem contentionem res ejus tulta veſtra proviſione reddatur, ut ſua cuique parti integra poſt hoc maneat de proprietate cognitio. Quia vero pro eo quod vobis neſcientibus inde diſceſſit veſtros ſe æſtimat animos offendiſſe, fraternitas veſtra ei dulcedinem tuæ caritatis oſtendat, ut cognoſcat ſe longe aliter quam debuit de ſacerdote crediddiſſe. Sed quoniam & ſanctorum apoſtolorum ſe ſæpe liminibus, ut ait, præſentare deſiderat; quoties venire voluerit, nullus * impedimento avertatur, ſed veſtrum magis habeat in hac parte ſolatium. Indicavit præterea prædictus portitor, quod collecta facta inter alios civitatis Januenſis habitatores, & ipſe dare pariter compellatur. Et miramur quod qui magis miſericordia dignus eſt, vobis præſentibus prægravetur. Quod ſi ita eſt, denuo ab eo per quemlibet exigi veſtra ſanctitas non permittat: quia cum quem cæcitas ſua gravat, inhumanum nimis eſt in collatione affligere, cui, ſi eſſet magna neceſſitas, debuit ex collatione miſereri. Quia vero ab eccleſia Dertonenſi queritur puerum ſuum injuſte detineri, fraternitas tua prædictæ civitatis epiſcopo curet ſcribere, ut, ſi ita eſt, ſine aliqua illum contentione reſtituat. Qui ſi aliter eſſe forte reſponderit, aut apud vos, aut apud arbitros cauſſa hæc cognoſcenda ſine excuſatione eſt aliqua facienda. Nam idem Philagrius puellam ſuam cum filiis & nepotibus, de qua, ut ait, nulla eſt quæſtio, eumdem puerum ſuum nomine Maurum maritum ſuum ſecutam innotuit. Ex qua re actum eſt, ut per eum de quo eſt contentio, etiam alii, de quibus nulla eſt quæſtio, teneantur. Quod ſi veritate ſubſiſtit, puella illi cum filiis & nepotibus ſine aliqua altercatione reddenda eſt, & tunc de ſupraſcripto Mauro quæſtione ventilata quod ratio ſuaſerit terminetur. Quod ſi forte & de uxore ipſius aliqua dicitur eſſe contentio, & hoc quoque ita interventu judicii finiatur, ut vobis illic præſentibus ad nos de memoratis cauſſis denuo prædictus portitor neceſſitatem remanendi non habeat.

* pervenit deeſt in Torn.

* impedimentum ſed ac. Torn.

# GREGORII MAGNI PAPÆ I.

## EPISTOLARUM LIBER VIII.

*Indictione III.*

## I. AD ROMANUM DEFENSOREM

### SICILIÆ.

De Lucillo epiſcopo qui miniſteria eccleſiaſtica injuſte abſtulit.

*Gregorius ſervus ſervorum Dei Romano defenſori Siciliæ.*

NIhil proficit ſacerdotum culpas ulciſci, & commiſſa digna dejectione crimina vindicare, ſi eis qui * convincente facinore deponuntur, amiſſo honoris ſolatium, & caſtus ſui cœperit eſſe compendium. Queſtus itaque

* convict.



nobis

nobis eſt frater & coepiſcopus noſter Trajanus, Lucillum quondam inſulæ Melitenſis epiſcopum, flagitii ſui iniquitate perterritum, non ſolum res eccleſiæ, cujus non rector, ſed inimicus potius extitit, abſtuliſſe, verum etiam plurima cum eidem eccleſiæ competentia de præteritis retinere. Quippe qui in fabricam, vel ſartatecta ipſius nihil pertulit expendere, ſed mente ſacrilega ſuis totum ſtuduit compendiis applicare. Et quia grave nimis ac contra Deum eſt, ut ſua illi dejectio non ſit pœna, ſed commodum; experientia tua eum diſtricte commoneat, ut quidquid abſtulit, vel apud ſe de præteritis retinet, ſine mora reſtituat. Qui ſi indita ſibi nequitia negare fortaſſe voluerit, quia facile dicitur poſſe convinci, una cum reverendiſſimo fratre & coepiſcopo noſtro Joanne Syracuſano reſidens ſubtili inquiſitione hujus rei veritatem rimamini, quatenus probatione habita, quidquid eum tuliſſe vel ſuppreſſiſſe claruerit, palam verecundia confuſus reſtituat quod inverecunde clam abſtulit. Petrum autem prædicti Lucilli filium ſimiliter tui ſtudii ſit admonere, ut quia & ipſe ſupradictæ eccleſiæ tuliſſe plurima perhibetur, honeſta ea conſideratione reſtituat: alioquin veſtro & ipſe eſt judicio præſentandus, ut præcedente ſubtili inquiſitione, utrorumque cauſſa valeat uno fine concludi. Præterea petiit a nobis ſupradictus Trajanus frater noſter, ut de monaſterio ſuo, quod in civitate Syracuſana ſitum eſt, ei quatuor vel quinque dari monachi debuiſſent. Quod pro ejus ſolatio nequaquam æſtimavimus denegandum: quia ad locum proficiſcens incognitum, ſi proprios quorum conſolatione utatur non habeat, mens affecta triſtitia minus ſe ad ea quæ utilitatis ſunt erigit, & ante incipit ſuccumbere quam laboret. In qua re ne ſupraſcripti reverendiſſimi fratris & coepiſcopi noſtri Joannis privilegiorum videremur prærogativam minuere, ita hoc illi noveris eſſe conceſſum, ut tamen fratris & coepiſcopi noſtri Joannis ſit arbitrio per omnia reſervatum. Quia ergo petitioni ſuæ prædictus frater noſter adjecit, ut pueros quos de propria pecunia comparavit, ac ſuos patriſque ſui codices, aut res alias proprias, quas in eodem monaſterio habet, ei ſit tollendi licentia, ratio nos hoc negare non pertulit. Sed ne poſtulata videamur indiſcrete concedere, hanc tenendam obſervantiam ſcito: id eſt, ut quidquid, poſtquam ab abbatis ſemotus eſt officio, comparavit, vel quolibet titulo acquiſivit, libera illi tollendi facultas ſit. Sed & hoc quod de monaſterio illo in quo converſus eſt, quod in provincia Valeria in poſſeſſione juris ſui patrem ejus manifeſtum eſt conſtruxiſſe, pellente hoſtilitate decedens abſtulit, ſecumque detulit, ſine aliqua dubietate ei reddendum eſt: quia alterius acquiſitionis jus effugit, quod ſemel monaſterii fuerit dominio ſociatum. Si quid autem dum adhuc illic abbatis fungeretur officio acquiſivit, non ſuum, ſed monaſterii ipſius eſſe cognoſcat. Et ideo de jure illud ejuſdem monaſterii auferri ulterius, quolibet modo non patimur. * Legatum autem illud quod antedictum fratrem noſtrum Capitulana conditrix ſupradicti monaſterii ſingulis annis de eodem monaſterio per ultimam voluntatem ſuam habere conſtituit, experientia tua ſolatiante, ju- A ſtitia taciente, ſine aliqua faciat dilatione percipere.

* al. Legatarius.

## II. AD MAURITIUM AUGUSTUM

### De denariis ſancto Petro tranſmiſſis.

*Gregorius Mauritio Auguſto.*

transfertur ad indictionem XIII. in Tarſ.

DOminorum pietas, quæ ſuos conſuevit miſericorditer famulos continere, ita benigna hic ſubventione reſplenduit, ut cunctorum debilium inopia, largitatis ejus ſit conſolatione ſublevata. Pro qua re lacrymabili prece omnes depoſcimus, ut omnipotens Deus, B qui clementiæ veſtræ ad hoc corda compunxit, incolume in amoris ſui conſtantia dominorum ſervet imperium, ut victorias eorum in cunctis gentibus auxilio ſuæ majeſtatis extendat. Triginta itaque libras auri, quas famulus meus Buſa detulit Scribo, ſacerdotibus egeniſque & aliis fideliter erogavit. Et quia quædam in hanc urbem ſanctimoniales feminæ ex diverſis provinciis venerunt, poſt captivitatem fugientes, ex quibus, quantum locorum poſſibilitas recipit, aliquæ in monaſteriis datæ ſunt: quæ vero in eis minime capi potuerunt, ſingulariter degentes inopem vitam ducunt, placitit ut hoc quod cæcis, truncis, aliiſque debilibus ſupereſſe poſſet, eis eroC gari debuiſſet: dummodo non ſolum dominorum miſericordiam indigentes indigenæ, ſed advenientes etiam peregrini ſuſciperent. Unde actum eſt, ut ſimul omnes pro vita dominorum concorditer orarent; quatenus omnipotens Deus longa vobis & quieta tempora tribuat, & pietatis veſtræ feliciſſimam ſobolem diu in Romana republica florere concedat. Rogæ quoque militum ita per prædictum conſamulum meum Scribonem, præſente quoque glorioſo * Caſto * magnæ factæ ſunt, ut dona dominorum cuncti ſub diſciplina debita gratias agendo ſuſciperent, & hoc quod eis prius * donari conſueverat, accipiendo omne murmur averteret.

* Reſco.
* magiſtro militum facta &c. Tarſ.
* dominari, & docet accipiendo Tarſ.

D

## III. AD FORTUNATUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

### De oratorio Romani ſine miſſis publicis conſecrando.

*Gregorius Fortunato Epiſcopo Neapolitano.*

FRaternitati veſtræ eſſe non putamus incognitum, quia Romanus clariſſimæ memoriæ vir, per ultimæ ſuæ voluntatis arbitrium, in domo juris ſui eccleſiam, quæ in civitate veſtra ſita eſt, ædificari deputavit. Et quia, E Deo miſerante, defuncti noſcitur voluntas impleta, ſanctitas veſtra illic ingravanter accedat: & ſi nullum ibidem corpus conſtat humatum, locum ipſum in honorem ſanctorum Hermetis, Sebaſtiani, atque Cyriaci, nec non & Pancratii ſolenniter ſtudeat abſque miſſis publicis cum veneratione debita conſecrare, ita ut in eodem loco baptiſterium nunquam conſtruatur, nec presbyterum conſtituas cardinalem. Sed quoties miſſas ibi degentes illic monachi fieri voluerint, a dilectione veſtra presbyterum noverint poſtulandum; quatenus nihil

nihil tale a quolibet alio ſacerdote ullatenus præſumatur.

## IV. AD FANTINUM DEFENSOREM.

De mancipiis Romani ſpectabilis viri.

*Gregorius Fantino defenſori.*

MAncipia juris Romani ſpectabilis memoriæ viri, qui in domo ſua, quæ Neapoli ſita eſt, monaſterium ordinari conſtituit, habitare in Sicilia perhibentur. Et quia monaſterium ipſum juxta voluntatem ejus Deo auctore noſcitur ordinatum, experientia tua præſentium portitoribus, qui ad recolligenda B mancipia ipſa illuc directi ſunt, omni ſtudio ſolatiari feſtinet. Et recollectis eis, poſſeſſiones illis ubi laborare debeant, te ſolatiante conducat. Et quidquid eorum labore acceſſerit, reſervato unde ipſi poſſint ſubſiſtere, reliquum ad prædictum monaſterium experientiæ tuæ cura annis ſingulis, auxiliante domino, tranſmittatur.

## V. AD SABINUM SUBDIACONUM REGIONARIUM.

De Siſinnio presbytero ſodomiæ & culturæ idolorum dedito.

*Gregorius Sabino ſubdiacono regionario.*

CUM plerumque, quod in laicis culpa non eſt, hoc crimen in ſacro ſit ordine conſtitutis; quanta in eis diſtrictione puniendum ſit piaculare flagitium, qui zelo rectitudinis uritur, non ignorat. Quorumdam ſiquidem relatione perlatum eſt, quia Siſinnius Regitanæ civitatis presbyter, quod auditu ipſo intolerabile nimis eſt, idolorum venerator ac cultor ſit, adeo ut in domo ſua quoddam idolum poſitum habere præſumeret. Sed & quod non diſſimile nefas eſt, ſodomiæ illum ſcelere maculatum. Et ideo quia tanti faci- D noris iniquitas diſtricta atque ſubtili inveſtigatione quærenda atque plectenda eſt, hac tibi auctoritate præcipimus, ut vigilanti ſtudio, & diligenti omnino curæ perquiras: & ſi qua indicia apprehendere hujus rei potueris, eum in cuſtodia diſtricta, quouſque nobis renunties, redigas: ut qualiter immaniſſimum facinus diſcuti debeat, ac puniri, deliberare poſſimus. Scito autem quia ſtudium, zeluſque tuus, qualis contra nefandiſſima ſit crimina, hæc cauſſa eſt ſine dubio monſtratura, per quam te apud nos aut multum de ſolicitudine commendari, aut periculoſe de neglectu noveris accuſari. Unde neceſſe eſt, ut ita te vigilantem in hac requiſitione ſtudeas exhibe- E re, quatenus & nos de ſolicitudine tua lætifices, & Deum tibi facias eſſe placabilem. Hoc quoque nobis de prædicto presbytero nuntiatum eſt, quod Victorianus quidam presbyter ei cum diverſis rebus vel ornamentis, auctoritate ſua, pecuniam commodaſſet: qui dum depoſitum abnegaret, judicio habito convictus eſt, & ut reddere debuiſſet, addictus. Et quia eo reſtituere id quod condemnatus eſt differente, is qui depoſuiſſe dicitur obiit, & neceſſitate ejus perhibentur filii laborare: & hoc



A experientia tua diligenter inquirat, atque ita, ſalva ratione, ad finem hanc cauſſam perducat, dummodo, ſi ita eſt, nec ille res alienas perfida mente retineat, & orphani quod ſuum eſt, vel amiſſo patre, recipiant.

## VI. AD SABINUM SUBDIACONUM.

Ut commoneat Mariam quatenus voluntatem patris ſui implere non differat, & duas uncias ſubſtantiæ libertis relictas perſolvat.

*Gregorius Sabino Subdiacono.*

B LAtores præſentium Stopaulus atque Marcellus, liberti quondam Comicioli excubitoris, queſti nobis ſunt, aſſerentes duas ſubſtantiæ ſuæ uncias, quas libertis ſuis idem dominus eorum per paginam teſtamenti ſui ab ære legaverat, a filia ipſius Maria uxore Pardi clerici necdum ſibi eſſe completas. Et ut legatum ipſum differre valeat, ab herede eadem ipſius ſtatus ſui ſibi fieri terrorem inſinuant. Et quoniam ea quæ relicta ſunt tua poſtulant inſtantia adimpleri, idcirco tibi hac auctoritate præcipimus, ut prædictam Mariam commoneas, quatenus voluntatem patris auctoriſque ſui implere non differat, ſtudiique tui ſit, ut nullius contra rationem diſpendiis debeant ſubjacere. Quod ſi forte ab hac ſe C ſolutione aliqua nititur excuſatione defendere, mediis ſacroſanctis evangeliis cauſſam ſubtiliter perſcrutari, & ita quæ legis ac juſtitiæ ordo poſtulaverit diffinire te convenit, atque diffinita effectui mancipare, ut hæc ad nos denuo querela non redeat. Quia vero comperimus duas uncias ſubſtantiæ ſuæ prædictum teſtatorem eccleſiæ ſancti * Gregorii, ubi ſe ſepelire voluit, legaviſſe, curæ tuæ ſit ut eaſdem duas uncias ſubſtantiæ, ſi tamen nec dum completæ ſunt, prædicto loco modis omnibus vendicare debeas, ut piæ voluntatis intentio, etiam invita herede, ad effectum per omnia perducatur, nec in hac re amplius differri quæ relata ſunt patiaris. Nam ſacrile- D gium & contra leges eſt, ſi quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis ſtudiis, ſuis tentaverit compendiis retinere.

* Georgii Turq.

## VII. AD THEODORUM CURATOREM.

Joannem præfectum commendat.

*Gregorius Theodoro curatori.*

QUamvis gloriæ veſtræ bonitas ſemel ſibi commendatos neſciat oblivioni mandare: verumtamen ſcientes hoc eadem iterata cariſſimum filium non oneroſe ſuſcipere, ſcribere nos quæ jamdudum ſcripſimus non pi- E get. Quia ergo Joannes glorioſiſſimus filius noſter præfectus urbis, ad deducendam huc conjugem ſuam latorem præſentium Joannem clariſſimum virum illic noſcitur tranſmiſiſſe; * hunc paterna dilectione ſalutantes petimus, ut quia memoratus glorioſiſſimus filius noſter diviſus hic conſiſtere non poteſt, venienti conjugi ipſius gloriæ veſtræ ſinceritas patrocinii ſui opem ferat. Et ut ſecurius iter ſuum, Deo cuſtodiente, peragere valeat ad Peruſinam civitatem militari eam ſolatio fulciri diſponat: quatenus & antedictus glorioſus vir

* hoc deest in Turq.



am-

amplius patrociniis veſtris ſit deditus, & nos A dulciſſimæ gloriæ veſtræ gratias referamus.

## VIII. AD MARINIANUM EPISCOPUM

### R A V E N N Æ.

Joannem præfectum commendat.

*Gregorius Mariniano epiſcopo Ravennæ.*

GLorioſiſſimus filius noſter Joannes præfectus urbis ad hoc illuc latorem præſentium Joannem virum clariſſimum deſtinavit, ut glorioſam conjugem ipſius Deo debeat protegente huc perducere. Quam & nos huc vo- B lumus per omnia advenire, ut prædictum glorioſiſſimum filium noſtrum non diviſum, ſed totum habere poſſimus. Fraternitas itaque veſtra ſolicitudinem gerat, ne quod impedimentum ad veniendum ſuſtineat, atque ut hic citius adeſſe valeat, ſtudioſe concurrat. Et ita ſe circa eam quocumque exegerit uſus exhibeat, ut nec ſuam abeſſe conjugem ſentiat, & nos in vobis modis omnibus præſentes eſſe cognoſcat.

## IX. AD EUMDEM.

De ſanctimoniali ex monaſterio egreſſa, quam impudice Petrus nequiſſimus homo retinebat.

*Gregorius Mariniano epiſcopo Ravennæ.*

SI latoris præſentium Stephani viri clariſſimi querela veritate ſubſiſtit, omnino nos fraternitas veſtra contriſtatos intelligat, cur tam pigra vel deſes extiterit, ut ante ad nos facti pravitas quam correctio perveniret. Queſtus itaque eſt, quod cognatam ejus, cui aliquando Petrus quidam nequiſſimus diabolico inſtinctu de monaſterio exire ſuaſerat, atque a Gratioſo notario noſtro fuerat mutato habitu unde exierat revocata, nequiſſimus vir iniqua ſuaſione de monaſterio rurſus ejiciens, apud D ſe nuncuſque impudice retineat. Ex qua re valde nos ſicut diximus, tua deſidia contriſtavit, cur necdum in monaſterium revocata ſit ac retruſa. Vel nunc ergo propoſiti tui conſideratio zelus te caſtitatis accendat id ſummopere modis quibus potueris ſtudere, ut aſperitatem quam de tantæ iniquitatis perpetratione concepimus, ejus citius valeas correctione mollire. Nam & Vitali defenſori præcipimus, ut vobis hac in cauſſa ſolatiari non differat. Sed quia memoratus Petrus ab homine filii noſtri magnifici Philoxeni dicitur defenſari, apud eum vobis cum omni ſtudio & caritate inſtanter agendum eſt, ut eam ſine aliqua faciat dilatione reſtitui; quem credimus hoc, quia E bonus omnino vir eſſe dicitur, ſine mora facturum. Quod ſi forte, quod non credimus, aliqua hoc fuerit excuſatione dilatum; tunc etiam publice conteſtandus eſt. Atque fraternitas nobis veſtra renuntiet, ut exinde in urbem regiam ſcribamus; quatenus quod fieri honeſte negligitur, ea qua dignum eſt ultione plectatur.

## X. AD JOANNEM EPISCOPUM

### S Y R A C U S A N U M.

De decem auri libris Baſilio Capuano epiſcopo tranſmiſſis.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

GLorioſi filii noſtri Cethegus atque Flora jugales, pro certis cauſſis ſuis Maximum virum clariſſimum palatinum * privatum ad Siciliam tranſmittentes, decem libras auri reverendiſſimo * filio noſtro Baſilio Capuanæ B civitatis epiſcopo, qui illic jam eſſe dignoſcitur, ſuis utilitatibus profuturas dari de penſionibus eccleſiaſtici patrimonii voluerunt. In quarum reſtitutione, ne qua mora fieret, aut difficultas forte contingeret, quantitatem ipſi dilectiſſimo filio noſtro Bonifacio diacono tradiderunt. Et ideo quia noſtros nos filios, & præſertim ubi damnum minime ſentit eccleſia, non convenit contriſtare; his fraternitati tuæ mandamus apicibus, ut ſupraſcripto fratri, coepiſcopoque noſtro Baſilio & Maximo viro clariſſimo ſecundum voluntatem prædictorum filiorum noſtrorum Cethegi atque Floræ glorioſarum perſonarum, decem libras auri ſine tarditate poſt ſubditam de ſuſcepto paginam C dare debeatis: quatenus dum nulla in accipiendo eis mora provenerit, & illi mandata ſibi, ut noverint, utiliter exequantur, & pars eccleſiæ rationabiliter ſit munita.

* privatarum. Pariſ.
* ſtati ha[illegible] in Pariſ.

## XI. AD ROMANUM DEFENSOREM

### S I C I L I Æ.

De Baſilio epiſcopo in cauſſis forenſibus occupato.

*Gregorius Romano defenſori noſtro Siciliæ.*

PErlatum ad nos eſt reverendiſſimum fra- D trem noſtrum Baſilium epiſcopum velut unum de * laicis in cauſſis ſæcularibus occupari, & prætoriis inutiliter * deſervire. Quæ res quoniam & ipſum vilem reddit, & reverentiam ſacerdotalem annihilat, ſtatim ut experientia tua hoc præceptum ſuſceperit, eum ita ad revertendum diſtricta executione compellat: quatenus ei illic te inſiſtente quinque diebus ſub qualibet excuſatione immorari non liceat, ne ſi quolibet modo eum ibidem amplius moram habere permiſeris, cum ipſo apud nos graviter incipias eſſe culpabilis. Datum menſe Decembri, indictione III.

Joann. diac. lib. 3. c. 47. Grat. 11. q. 3. c. Illa præpoſitorum.
* [illegible] ſæcularibus. Pariſ.
* obſervare, Pariſ.

## XII. AD GUDISCALCUM DUCEM

### C A M P A N I Æ.

De infractione portarum monaſterii ſancti Archangeli.

*Gregorius Gudiſcalco Duci Campaniæ.*

ILla præpoſitorum ſolicitudo utilis, illa eſt cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor ſibi nihil vendicat. Reſtringenda ergo ſub ratione poteſtas eſt, nec quidquam agen-

agendum priuſquam concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore juſtum omne putat ira quod fecerit. Pervenit itaque ad nos magnitudinem tuam uſque ad hoc eſſe impetu furoris impulſam, ut non ſolum frangi januas monaſterii ſancti archangeli, verum etiam diripi exinde quod ibi inventum eſt feceris. Inſuper autem ſic contra abbatem ejuſdem monaſterii diceris exarſiſſe, ut niſi occultans ſe, iracundiæ tuæ tempore latuiſſet, non leve diſcrimen incurriſſet: denique ut metu tuo perterritus, de domo, in qua ſe olim receperat, exire nuncuſque non audeat, quod ne fruſtra feciſſe forſitan videreris, fugam monachi ipſius, qui ad hoſtes abiit, ad ejus, quantum ad nos perlatum eſt, crimen impingis aſſerens quod cum ipſius voluntate fugerit. Quod ſi ita eſt, contriſtamur, & valde veſtram ſapientiam miramur. Nam ſi licitum putatis, ut aliorum culpæ aliis ſit nociva; multi huic poſſunt crimini ſubjacere. Diverſorum enim nobilium ſervi, multarum eccleſiarum clerici, diverſorum monaſteriorum monachi, multorum judicum homines ſæpe ſe hoſtibus tradiderunt. Ergo ſi hoc creditur; ſervorum utique domini, clericorum epiſcopi, monachorum abbates, diverſorum fugitivorum judices, omnes ſub culpa ſunt & crimine conſtituti. Numquid & diebus magnitudinis tuæ multi de civitate in qua conſiſtis, ad Longobardos milites fuga non lapſi ſunt? Et quis tantæ indiſcretionis tantæque poſſit ſtultitiæ reperiri, ut eorum iniquitatem tibi æſtimet applicandam? Hæc itaque ſolicite penſa, atque ex te aliorum cauſſas æſtima, ut in quorumdam adverſitates falſis ſuſpicionibus non ducaris. Si vero eſt aliquis qui de prædicti monaſterii abbate poſſit aliquid dicere, quod ad culpam reatumque ejus pertineat, nos hoc non negligi, ſed magis una quidem cum eis, quorum intereſt, cauſſam omnino diſtricte & ſolicite volumus perſcrutari, ut aut feriat vindicta culpabilem, aut abſolvat veritas innocentem. Si autem nullus inveniri potuerit, qui contra eum hoc quod ſolus ipſe perhibes aſſerat, hortamur, magnifice fili, ut a memorati monaſterii abbatiſque ipſius te adverſitate contineas, & potius tuitionem illis, & propter Deum caritatem impendas. Et ſi quid eſt unde animi veſtri fortaſſis offenſi ſunt, pro noſtra eis interventione remittite, & ita vos, ſicut Chriſtianos convenit & prudentes, in eorum magis juvamine commodate: quatenus & nos vobis gratias referamus, & ante omnipotentem dominum mercedem pro impenſis ſervis ejus beneficiis ac ſolatiis acquiratis. * Datum menſe Februarii, indictione III.

* deeſt in Vatic. Datum &c.

## XIII. AD FORTUNATUM EPISCOPUM

### NEAPOLITANUM.

Fuſcum abbatem, & monaſterium ejus commendat.

*Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano.*

QUamvis & ratio & loci ſui qualitas fraternitatem veſtram commoneat tuitionem monaſteriis & maxime ſub ſe conſtitutis impendere; verumtamen quia lator præſentium Fuſcus abbas ſuum a nobis voluit ex abundanti monaſterium commendari, his vos hortamur affatibus, ut, quia fruſtra monaſterium ipſum inquietudine * aſſerit laborare, ſanctitatis veſtræ illud defenſio tueatur, & ab aliquo illud gravari contra rationis ordinem non permittat: quatenus dum nullum id injuſtæ rei pondus afflixerit, & vos videamini quod ſacerdotis eſt ſalubriter impendiſſe, & degens illic congregatio, quæ in Dei laudibus occupatur, nullis irrationabiliter moleſtiis valeat ſubjacere.

* adverſitatem aſſerit &c. Vatic.

## XIV. AD ROMANUM DEFENSOREM.

De Fuſco abbate & xenodochio ſancti Theodori.

*Gregorius Romano defenſori.*

FUſcus abbas monaſterii ſanctorum Eraſmi, Maximi, atque Julianæ, quod Neapoli ab Alexandra clariſſimæ memoriæ femina, ſicut noſti, fundatum eſt, quæ etiam & hæredem inſtituit maſſam Papyrianenſem, quæ illic in Sicilia ſita eſt, cum xenodochio ſancti Theodori, ſupraſcriptum monaſterium ſuum aſſerit habere communem. Sed ut ad dividendam eam, cum his quorum intereſt, dilationem non debeat ſuſtinere; experientiæ tuæ ſibi petit adeſſe ſolatium. Proinde hujus tibi ſerie præceptionis injungimus, ut ei concurrere atque in omnibus ſolatiari feſtines; quatenus maſſa ipſa ſecundum portiones competentes ſine mora aliqua dividatur. Sed ne forte dicatur, quia a prædicto monaſterio poſſeſſiones, quæ hic communes ſunt, detinentur, eſſe ex hoc excuſatio non debet, quia & ipſas paratus eſt ſine difficultate dividere. Quia vero legatum quod prædicta Alexandra a Pompejo relictum dicitur, ab eodem quippe xenodochio quod ei in octo unciis jure perhibetur hæreditario ſucceſſiſſe, memoratus abbas * ſuo ſeciat monaſterio redhiberi, & hoc quoque experientia tua curet addiſcere: & ſi ita eſt, agere ſtudeat, ut quod reliquum eſt modis omnibus exolvatur. Ita ergo ſolicitudo tua in hac ſe re exhibeat, ut ſuffragante juſtitia, prædicti abbatis labor, quem ad nos veniendo aſſumpſit, vacuus eſſe non debeat.

* ſuo monaſterio Vatic.

## XV. AD FANTINUM DEFENSOREM

### NEAPOLITANUM.

De Fuſco abbate, & Conſtantio presbytero qui ſecum codices & vela monaſterii deportaverat.

*Gregorius Fantino defenſori Neapolitano.*

FUſcus abbas monaſterii ſancti archangeli, quod Macharis dicitur, atque ſanctorum Maximi, Eraſmi, & Julianæ, aſſerit Conſtantium cellæ ſuæ presbyterum ob temporis qualitatem ſe in Siciliam tranſmigraſſe, & codices monaſterii ſui atque vela ſecum pariter deportaſſe. Quem quoniam defunctum perhibet, & ea quæ cellæ ſuæ eſſe commemorat ſibi poſtulat debere reſtitui, experientia tua veritatem curet addiſcere, & ſi ita eſt, omnia quæ monaſterii ipſius ſunt, ſine aliqua faciat dila-

dilatione reſtitui. Nam contra rationem eſt ut quod de monaſterio pro temporis, ſicut dictum eſt, qualitate ſublatum eſt, ab ejus debeat jure ſeparari. Ita ergo experientia tua agat, ut veritatem addiſcens, prædictum illic abbatem, vel quem vice ſuâ tranſmiſerit, dilationem fruſtra ſuſtinere minime patiatur.

## XVI. AD CLEMENTINAM PATRICIAM.

De malis hominibus diſcordiam ſeminantibus, & de offenſa contemnenda.

*Gregorius Clementinæ Patriciæ.*

ABbate quodam ad nos referente pervenit quod gloriæ veſtræ a quibuſdam ſit maledicis nuntiatum, quia aliquem, quod abſit, contra vos ſtimulum habeamus, quod ſi ita eſt, quicumque hoc fallaciter confinxerunt, ſub puritatis vobis ſpecie duplices extiterunt, ut ſe quaſi fideles oſtenderent, & vos de nobis prave facerent dubitare. Ego autem, glorioſa filia, bona tua olim cognoſcens, & præcipue caſtitatem, quæ tibi ab adoleſcentia comes fuit, in magna ſemper veneratione & dilectione te habui. Sed ne vel nunc aliud cor meum eſſe gloria veſtra ſuſpicetur, nullum mihi odii vel iracundiæ circa vos ſcrupulum ineſſe ſignifico, ſed paternam me vobis dilectionem exhibere cognoſcite. Unum tamen quod ad me perlatum eſt reticere non debeo, ne minus eſſe caritatis incipiat, ſi ſilentio prematur quod ad emendationem dicendum eſt. Nuntiatum ſiquidem mihi eſt, quod ſi quando vos quiſquam offenderit, dolorem irremiſſibiliter retinetis. Quod ſi verum eſt, quia quantum vos diligo, tantum contriſtor; peto ut hoc a vobis vitium nobiliter excludatis, & ſecundum boni operis ſegetem, inimici ſemen creſcere non ſinatis. Dominicæ orationis verba ad memoriam reducantur, & non apud vos plus valeat culpa quam venia. Exceſſus gloriæ veſtræ bonitas ſuperet, & magis ſalubriter ignoſcendo devotum faciat, quem poteſt perſiſtens facere aſperitas indevotum. Relinquatur illi unde verecundiam habeat, & non ſervetur quod doleat. Nam plerumque plus vitium habet diſcreta in * correctione remiſſio, quam in exequenda ultione diſtrictio: [* correctione] adeo ut nonnunquam hæc fideliorem atque ſubjectum, illa vero obſtinatum faciat & æmulum. Et quidem hæc non ad hoc dicimus, ut a zelo vos rectitudinis ſubtrahatis, ſed ne tales ſitis in minimis, quales eſſe debetis in maximis. Nam ſi quando ſeveritatem exceſſus qualitas exigit, agendum eſt ut & culpam ultio corrigat, & correctis poſt gratia non negetur. Hæc igitur quia paterna ſuadente dilectione pro veſtra vos anima commonemus, cum ea quæ dicuntur caritate ſuſcipite, atque ea ad gloriæ veſtræ utilitatem aſſumite, ut bona veſtra & apud homines clariora, & apud omnipotentem dominum poſſint eſſe puriſſima. De nobis autem, ſicut revera cariſſima filia, fiducialiter in cunctis præſumite. Et quia de veſtra cupimus proſperitate ſemper audire, diſcurrentibus nos ſæpius epiſtolis relevate.

## XVII. AD EAMDEM.

De Amando a Surrentinis electo.

*Gregorius Clementinæ Patriciæ.*

AMandum presbyterum a Surrentinis ad epiſcopatum, glorioſa filia, electum eſſe cognoſcas. (Ioann. diac. lib. 3. c. 11.) Quem quia ſcripſimus debere tranſmitti, contriſtari de ejus abſentia non debetis, quia nec abſcedere creditur qui mente vobiſcum eſt. Et quoniam paſtorem quærentibus, is qui vobis olim placuit, gratus eſt; omnipotentem Deum benedicentes Chriſtiana magis in hoc devotione gaudete, & ut ad nos celerius aliis profuturus venire debeat, hilariter ſtudete; quia ſinceræ caritatis eſt exultare, quando is qui diligitur ad hoc vocatur ut creſcat.

## XVIII. AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM CAMPANIÆ.

De Amando presbytero ad ſe dirigendo, & de ejus vita inquirenda.

*Gregorius Anthemio ſubdiacono Campaniæ.*

POſtquam is qui ad epiſcopatum Surrentinæ civitatis electus fuerat, aptus nobis viſus non eſt, Amandum presbyterum oratorii ſancti Severini quod in caſtro Lucullano ſitum eſt, elegerunt. Ea propter experientiæ tuæ præcipimus, ut eumdem presbyterum excuſatione poſtpoſita, ſub omni ad nos ſtudeas feſtinatione tranſmittere, quatenus petentium deſideria cum Chriſti auxilio, ſi nihil eſt quod eum impediat, impleantur. Cujus vita, vel actus quia melius poſſunt illic ubi diu eſt converſatus agnoſci, curæ tuæ ſit cum fratre & coepiſcopo noſtro Fortunato de eo diligenter inquirere. Et ſi nulla ſunt quæ ad ſacrum ordinem obſiſtere valeant, ad nos debet omni poſtpoſita tarditate tranſmitti. Ne autem glorioſa filia noſtra Clementina hoc moleſte ſuſcipiat, ad eam experientia tua pergat, & cum ejus voluntate hoc faciat. Sin vero reniti forſitan voluerit, huc eum, ſicut diximus, ſine mora experientia tua tranſmittat: quia ita animi filiorum noſtrorum a nobis pacandi ſunt, ut tamen animarum utilitas non debeat præpediri.

## XIX. AD EUMDEM.

Ne monachi Surrentini incaute & vitioſe pecunias expendant.

*Gregorius Anthemio Subdiacono Campaniæ.*

PErvenit ad nos quod monachi, quos in Surrentina civitate pro complenda, ſicut noſti, Antonini quondam defenſoris voluntate tranſmiſimus, pecuniam quam acceperant, ad emendas poſſeſſiones expendant. Quæ res, quoniam non levem eis neceſſitatem in brevi indicat imminere; ideo experientia tua hac auctoritate communita provideat atque diſpenſet, ut ſolidos ipſos incaute vitioſeque errogare non debeant. In qua re ut ſolicitudo

tua

tua poſſit eſſe laudabilis, cum omni eis ſtudio ac vigilantia poſſeſſiones ad comparandum exquire. Ex quarum fructibus ſervi Dei alimoniam conſequentes: acceptos ſolidos incaſſum expendere, nec ipſi valeant victus neceſſitatem incurrere. Ita ergo omni vigilantia, omnique intentione in hoc te exhibere feſtina, ut efficacia tua & ab illis periculum, & a nobis omnem poſſit curam ſolicitudinis amovere.

## XX. AD JOANNEM PROCONSULEM.

### ITALIÆ.

Conqueritur de annonis Neapolitanæ diaconiæ ſubtractis.

*Gregorius Joanni * Proconſuli Italiæ.*

* propoſito. Pariſ.

QUidquid tribuitur pauperibus, ſi ſubtili conſideratione penſetur, non eſt donum, ſed mutuum; quia quod datur, multiplicato ſine dubio fructu recipitur. Scripſiſtis autem nobis, ut Dulcitio agenti vices veſtras dicere deberemus; ne quid ut ſuper diatypoſim auderet expendere. Et quamquam ſit laudabile futura proſpicere, quia tamen infirma omnino cautela eſt quæ pietatis adjutorio non munitur, in hac ſolicitudine veſtra eſt, quod nos pro vobis contriſtare invenimus. Fertur itaque quod annonas atque conſuetudines diaconiæ, quæ Neapoli exhibetur, eminentia veſtra ſubtraxerit. Quod minus fortaſſe fuerat obſtupendum, ſi Joannis deceſſoris veſtri non fuiſſent tempore miniſtratæ. Si igitur hæc ille, cujus cunctis notum eſt quam fuerit gravis * auctor, non negavit, qualis ſit ſapientia veſtra conſideret, ſi vel in aliquo bono opere malus homo vos ſuperet: nulla enim occaſione hoc ſubtrahere vos decuit. Quod etſi forte nulles veſtris voluiſſet rationibus imputare hoc de proprio vos impendere non debuit gravare * precatio: ut hujuſmodi pietas in veſtro eſſet patrona juvamine, quæ miniſtra fuit in opere. Hæc itaque eminentia veſtra potentia qua pollet inſpicere, atque hoc quod ſub deceſſoribus ejus non eſt ademptum, ut ſolite valeat miniſtrari, largitatem bonitatis ſuæ debeat magis oſtendere: quatenus hic in his quæ ſecundum juſſionem domini agitis, adverſitatem aliquam non incurratis, & hujus vobis officii adminiſtratio & coram hominibus laudem paraƚe, & coram omnipotenti Deo poſſit providere mercedem. Data menſe Aprili, indictione III.

* actio Pariſ.

* precario. Pariſ.

## XXI. AD LEONEM EPISCOPUM

### CATANENSEM.

Quod monachi monaſterii ſancti Viti tam nequiter vivant, ut mulieribus ſe conjungere ſine metu audeant.

*Gregorius Leoni epiſcopo Catanenſi.*

MArcianus monachus monaſterii ſancti Viti, quod in Ætna monte eſt poſitum, conſenſu, ut ait, congregationis ejuſdem monaſterii ad nos veniens, queſtus eſt multas monaſterium ipſum a quibuſdam moleſtias ac præjudicia ſuſtinere. Inter quæ illud nos quoque vehementiſſima exacerbatione commovit, quod in tantum monaſterium ipſum innotuit calcari ac deſpici, ut etiam monachis ibidem degentibus mulieribus ſe jungi ſine metu ſit licitum. Quod ſi ita eſt, quam grave veſtram fraternitatem & apud Deum peccatum & apud homines culpa reſpiciat, ipſe poteris judicare: quippe quia nulla te prævales excuſatione defendere. Aut enim hæc fieri neſciſti, & culpa neglectus vehementer argueris: aut certe factum recognoviſti, & graviorem erga te videris indignationem exigere, cur tantum facinus ultione diſtrictiſſima non puniſti. Itaque ſcriptis fraternitatem veſtram præſentibus commonemus, ut cum omni hoc vigilantia inveſtigare feſtinet. Et ſi hujuſmodi iniquitatem a quibuſdam perpetratam invenerit, ita hujus perverſitatis facinus digna ſtudeat emendatione corrigere, quatenus & Deum placare, & aliis, ne de cetero quid ſimile perpetretur, cuſtodiæ poſſit diſciplinam oſtendere. Moleſtias vero quas prædictum monaſterium pati, vel ea quæ ei perhibentur invaſa ſanctitas veſtra cognoſcat, & ita ſe in quantum juſtum eſt, in protectione ejuſdem exhibeat, ut in nullo contra æquitatis ordinem valeat aliquo modo prægravari. Præceptum vero beatæ recordationis noſtri prædeceſſoris Pelagii datum ad * Lapidium prædeceſſorem veſtrum, cujus ſubtus exemplaria fecimus adſcribi, ſine aliqua volumus refragatione ſervari.

* Elpidium Pariſ.

## XXII. AD HADRIANUM NOTARIUM

### SICILIÆ.

De ſupradictis monachis.

*Gregorius Hadriano notario Siciliæ.*

REs omnino deteſtabilis & nefanda pervenit, & miramur cur, ſi veritate ſubſiſtit, eam minime cognoviſti. Veniens autem ad nos Marcianus monachus monaſterii ſancti Viti, quod in monte Ætna eſt poſitum, oblata nobis petitione queſtus eſt inter alia, ita monachos ejuſdem monaſterii perverſe ac nequiter vivere, ut mulieres ſibi ſociare, quod dici nefas eſt, audeant. De qua re quia fratri & coepiſcopo noſtro Leoni ſcripſimus, ut requiſita veritate, ſi ita repererit, diſtrictiſſima hoc ſtudeat ſeveritate corrigere; neceſſe quoque eſt ut in hac re tua ſe experientia ad inveſtigandam veritatem, & puniendum tantum ſcelus omnimodo ſolicita debeat exhibere, ut neque remiſſe, neque negligenter agi aliquid videatur. In aliis vero utilitatibus memorati monaſterii ſolatia tua, inquantum ratio popoſcerit æquitatis, impende; quatenus & ſi quid ei, ſicut dicitur, invaſum eſt, ſecundum juſtitiam reformetur, & de cetero præjudicium illic aliquod contra Dei timorem & legum ordinem ullo modo generetur.

## XXIII. AD FORTUNATUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

De Mauritio monacho cum aliis fuga lapſo, & ne milites ſine Papæ conſenſu in monaſteriis recipiantur.

*Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano.*

CUm fraternitas veſtra minus erga monaſteria ſibi ſubjecta ſtudet eſſe ſolicita, & ipſa culpam reprehenſionis incurrit, & nos de ſua * ignavia & levitate contriſtat. Pervenit autem ad nos, Mauritium quemdam, qui nuper in monaſterio Barbaciani converſus eſt, ablatis ſecum aliis monachis, fuga de eodem monaſterio diſceſſiſſe. Qua in re prædictum nobis Barbacianum ſua præcipitatio vehementer accuſat, qui temere ſæcularem hominem & non ante probatum tonſuravit. Numquid non vobis ſcripſimus, ut prius eum probaretis, & tunc, ſi aptus eſſet, abbatem facere deberetis? Vel nunc ergo circa eum quem elegiſtis eſtote ſoliciti. Nam vos illo delinquente delinquitis, ſi ita ſe periit ſe exhibere, ut ſe ad fratrum oſtendat regimen indignum. Propterea monaſteriis omnibus fraternitas veſtra diſtrictius interdicat, ut eos quos ad convertendum ſuſceperint, priuſquam biennium in converſatione compleant, nullo modo audeant tonſurare. Sed hoc ſpatio vita moreſque eorum ſolicite comprobentur, ne quis eorum aut non ſit contentus eo quod voluit, aut ratum non habeat quod elegit. Nam * dum grave ſit * inexpertos hominum obſequiis ſociari, quis poſſit dicere quanto ſit gravius ad Dei ſervitium improbatos applicari? Miles vero ſi converti voluerit, niſi prius nobis renuntietur, nullus eum ſine noſtro conſenſu qualibet præſumat ratione ſuſcipere. Quod niſi diligenter fuerit cuſtoditum, omnem ſubjectorum in te culpam inexcuſabiliter noveris redundare, qui minus te erga eos rebus ipſis teſtaris eſſe ſolicitum.

* Cod. [illegible]
* cum
* idem [illegible]

## XXIV. AD EUMDEM.

De reſtituendis injuſte ablatis.

*Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano.*

SI ſcriptorum noſtrorum ſeriem voluiſſes diligenter advertere, aut ſponte reſtituere quæ tuliſti, aut certe perſonam ſecundum admonitionem noſtram in cauſſa tranſmittere debuiſti. Et dum te modo quodam excuſare contendis, aſſerens in his, quæ contra fraternitatem tuam a parte contraria geſta ſunt, non voluntate, ſed magnis te conſtrictum conjurationibus miſcuiſſe, ea quæ ſcripſimus quaſi intelligere diſtuliſti. & magnificos viros Fauſtum atque Dominicum non a te, ſed a quibuſdam * filiis tuis indicaſti eſſe tranſmiſſos, ac per hoc, ut aliis litigantibus ipſe quæ tuleras retineres. Pars vero altera epiſtolæ tuæ textum addiſcens, crebra nobis allegatione cœpit inſiſtere, ut ea quæ abſtuleras redderentur, paratam ſe inquiens, ſi quid contra eam magnifici viri prædicti ſuo vel aliorum nomine movere voluerint, reſpondere. Quod quia nec in his a rationis viſum eſt ordine diſſentire, præſertim poſtquam admonitus inſtructam perſonam ad diſcendam cauſſam tranſmittere neglexiſti, idcirco fraternitatem tuam hortamur, illico ut præſentia ſcripta ſuſceperit, * Theodorico viro magnifico majori populi portas, & Ruſtico viro clariſſimo ſeniori aquæductum ſine aliqua contentione reſtituat: ne in hac re moram, vel aliquam excuſationem interferat, ne culpam indiſcretionis incurrat, ſi quod ultro facere debuerat, admonita differendum qualibet ſorte putaverit. Hæc itaque memoratis viris primitus reformata, liberum tibi ſit, ſi quam contra eos poſtea apud nos hic cauſſam movere volueris. Sin vero non ipſe, ſed filii tui, ut aſſeris cauſſam ſe habere queruntur, unde eos publico debeant pulſare judicio, eis eſt liberum, in quolibet loco voluerint, cauſſæ ſuæ negotium contra eos legaliter propoſitum terminare.

* [illegible]
* Theodoro Paris.

## XXV. AD EUMDEM.

De Petro a pueris falſo de ſceleris tentatione criminato.

*Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano.*

VAlde nos veſtra mirari fecit fraternitas, ut cauſſam clerici ſui ut noluiſſet, aut non aſſurgeret definire. Petrus itaque præſentium portitor ad nos veniens, queſtus eſt, pueros, a quibus de tentatione ſceleris falſo ſe aſſerit criminatum, non ut oportuit eſſe diſcuſſos, ſed tantummodo verbo tenus inquiſitos, & ſibi propter hoc * locum ne vobiſcum procedere audeat, interdictum. Aut enim vera fuere quæ dicta ſunt, & juxta cauſſæ qualitatem canonicæ fuit correptioni ſubdendus; aut falſa, & diu non debuit in crimine remanere. Quia ergo & ratio indixit, & hic pro ſui purificatione ſolicitus, quæ adverſum ſe dicta ſunt, apoſtolicam ſedem adiit, & juſta examinatione finiri perquirit: neceſſe eſt ut una cum Anthemio ſubdiacono noſtro ſubtili ac diſtricta diſcuſſione a pueris illis veritatem exigere debeatis. Et ſi prædictus portitor attentati facinoris reus eſſe patuerit, canonica modis omnibus ultione plectatur. Si vero inſons fuerit declaratus, celeri abſolutione reſpiret, & vobiſcum habeat procedendi licentiam: quia ſicut reis competens exercenda vindicta eſt, ita innocentibus non eſt abſolutio differenda. Sic ergo huic cauſſæ ſolicite fraternitas veſtra finem ſtudeat imponere, quatenus nullam de neglectu valeat reprehenſionem incurrere.

* totam: Paris.

## XXVI. AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM CAMPANIÆ

De Petro a pueris falſo accuſato.

*Gregorius Anthemio ſubdiacono Campaniæ.*

PEtrus clericus lator præſentium queſtus eſt nobis, a quibuſdam ſe pueris fallaciter criminatum, & cauſſam ſuam non ut oportuit diſtricta examinatione diſcuſſam, nec ſe ab aliquo condemnatum, ſed ſolum ab epiſcopo ſuo, ne cum eo procedere auderet inhibitum,

tum. Quod audientes omnino ægre tulimus, quia veritate ſubtiliter perquiſita, aut reum, ut cauſſæ exigebat qualitas, condemnare, aut certe debuit innocentem abſolvere. Quia igitur & cauſſa exigit, & memoratus portitor magnopere poſtulat, ut hac de re ſubtilis debeat haberi diſcuſſio, præſenti tibi auctoritate præcipimus, ut una cum reverendiſſimo fratre noſtro Fortunato coepiſcopo, atque ſi viſum tibi fuerit, glorioſo filio noſtro Maurentio attentati criminis veritatem ſubtili nimis indagatione ac diſcuſſione ſtudeatis addiſcere: & ita aut culpam ulciſci, aut teſtinetis innocentiam relevare, ut nec vos videamini negligentes in aliquo extitiſſe, nec hæc amplius ſine definitione cauſſa remaneat.

## XXVII. AD FORTUNATUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

De saponariis civitatis ſuæ, quos Joannes multis affligebat incommodis.

*Gregorius Fortunato epiſcopo Neapolitano.*

AUguſtinus præſentium portitor, qui reliquorum ſaponariorum civitatis veſtræ vice ſeſe dixit eſſe tranſmiſſum, queſtus nobis eſt, quod Joannes vir clariſſimus palatinus multis eos fruſtra affligat incommodis, atque nova plurima eorum corpori præjudicialiter nitatur imponere. Denique ut, ſicut ait, eos promittere ſibi compellat, ut ſi quis arti eorum ſociari voluerit, quidquid commodi de introitu ejus acceſſerit, ipſi proficiat. Adjiciens quoque pactum inter ſe de quibuſdam rationabilibus artis ſuæ capitulis juxta priſcam conſuetudinem omnium conſenſu interpoſita eſſe pœna confectum, atque id ſacramento interveniente firmatum, & ab eo nunc velle quoſdam ex ſuis ejus videlicet patrocinio fretos, abſcedere, atque ita contravenire tuitionem cupientibus impendere, ut quod dici grave eſt, plus in defenſione ejus præſumptionem habeant, quam de pœna penuriam, vel de ſacramento præſtito poſſint habere formidinem. Quod ſi ita ſe res habet, quia etiam ipſi quod agit adverſum eſt, quippe qui alieno ſe peccato ſua detentione conſtituit eſſe participem; fraternitas veſtra paterna cum adhortatione conveniat, ut ab hujuſmodi ſe actu cohibeat, & præjudicialiter illis nihil imponat, nec eos diſpendiis quibuslibet contra rationem affligat. Pariter etiam providendum eſt, ut & pactum, ubi ſacramenta ſunt præſtita, conſervetur, & cum diſpendio animæ ſuæ temporalia lucra contraveniendo non appetat: ne & perjurii crimen incurrat, & commoda prave deſiderata non capiat. Et ſi, quod credimus, admonitionem veſtram prædictum Joannem virum clariſſimum videtis forte diſferre, cum eminentiſſimo filio noſtro præfecto ſtricte loquimini, ut ipſe hoc ſicut in præſenti dici fecimus quomodo prævideri, rationabiliter faciat emendari: quatenus & eos qui tuitionis * noſtræ ſuffragia quæſiverunt, quorumdam voluntas injuſte non opprimat, & ille ab opere ſe indecenti prohibitum pro ſuæ magis animæ utilitate cognoſcat. Datum menſe Maii, indictione III.

* *veſtræ*

## XXVIII. AD ZITTANUM MAGISTRUM MILITUM.

De rebus eccleſiaſticis in publico competentibus.

*Gregorius Zittano magiſtro militum.*

EPiſtolas veſtras Græco ſermone dictas ad me indico ſuſcepiſſe, in quibus dicitis quod quædam religioſa loca reſponſum juri publico de rebus ei competentibus reddere contemnant. Quæ res me omnino contriſtavit: quia noſtri eſt habitus, non ſolum præjudicia minime facere, ſed etiam facta æquanimiter portare: niſi forte quia res pauperum defendere rationabiliter cogimur, ne apud omnipotentem Deum culpabiles inveniri valeamus. Proinde Fantino defenſori quæ ſcripſerim gloriæ veſtræ tranſmiſi, ut ipſe religioſos quoſque in Panormitanis partibus apud electos judices venire compellat, & ſuorum actuum rationem reddant. Omnipotens Deus cæleſtis vobis miſericordiæ largitatem præbeat, ut per cuncta quæ agitis ejus gratiæ ſerviatis.

## XXIX. AD FANTINUM DEFENSOREM.

De redditibus eccleſiæ hoſpitibus dandis.

*Gregorius Fantino defenſori.*

SAbinianus vir clariſſimus præſentium lator nobis indicavit, hanc olim ibi conſuetudinem conveniſſe, ut diverſis ſuper venientibus, cives ejuſdem civitatis de proprio expenſas impenderent. De qua re dum ſe quererentur affligi, hoc illis cum Theodoro * quondam epiſcopo conveniſſe, ut in eccleſia ejus certæ portiones ſubſtantiæ ſuæ donatione conſcriberentur, & hoc in ſe onus ſuſciperet, atque ſecuris eis redditis, ipſe de eccleſia quidquid eſſet neceſſarium erogaret. Se vero per tertiam decimam & primam indictiones, quibus prædictæ civitatis defenſoris officium tenuit, abſente epiſcopo de proprio expendiſſe quod de eccleſia poterat erogari. Et quia ſibi quod expendit poſtulat debere reſtitui, ideirco experientiæ tuæ præcipimus, ut reverendiſſimo fratri & coepiſcopo noſtro Decio ſtudeat imminere: quatenus aut pacifica, ſi ita eſt competenter, ordinatione decidat, aut certe ſi quam ſe ratione a reſtitutione expenſarum credit defendere poſſe, in judicio tuo partes aſſiſtant. Et ex quiſita diligentius veritate, ita quidquid tibi æquitatis ordo ſuaſerit, mora poſtpoſita definito, ut & rationabiliter cauſſa finem accipiat, & partes apud te nulla fatiget in obſervatione dilatio. Si autem donationes, de quibus dictum eſt, eccleſiæ ſuæ eſſe oneroſas exiſtimat, & reddere eas donatoribus fortaſſe voluerit, ſi qui ex eis qui eas receperunt clerici ſunt, a te ſimiliter moneantur, ut aut ſecundum portiones ſuas quæ erant ſolitæ dare perſolvant, aut certe ſi cauſſari voluerint, contentiones partium tua neceſſe eſt cognitione diſtingui, ut nulla ſe pars inaudita queratur præjudicium ſuſtinere. A. at vero cauſſas quas cum [illegible] reverendiſſimo viro fratre noſtro [illegible] habere [illegible]

aſſerit, tuo ſimiliter volumus, medius factis A evangelus, judicio deſiniri.

## XXX. AD CONSTANTIUM EPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

De Pompeio epiſcopo innocenter condemnato.

*Gregorius Conſtantio epiſcopo Mediolanenſi.*

Joan. diac. lib. 4. c. 18. RElectis epiſtolis veſtris quas ad nos per Marianum latorem præſentium tranſmiſiſtis, gratam nobis ſollicitudinem veſtram fuiſſe recognovimus, quod ea quæ ad vos de fratre & B coepiſcopo noſtro Pompeio, qui adhuc ita a nobis nominandus eſt, pervenerunt, diſſimulare minime pertuliſtis. Sed ſi qualis fuit in requiſitione cura, talis fuiſſet in diſcuſſione ſubtilitas, nihil ex hoc quod de eo dictum eſt fuiſſet ambiguum. Sed utrum verum, an eſſe compoſitum ſciri potuiſſet, jam contra ipſum dudum in Sicilia apud reverendæ memoriæ fratrem noſtrum Maximianum epiſcopum talis quæſtio, ut cognovimus, mota eſt. Sed quia cauſa ipſius ſubtili omnino inveſtigatione quæſita eſt, omnino inventus eſt innocens qui fuerat accuſatus in crimine. Nunc igitur, quoniam illa quæ contra eum dicta ſunt non ſub illa qua decuit diſtrictione quæſita ſunt, C & geſta quæ exinde apud fraternitatem veſtram confecta ſunt, neque ad condemnationem, neque ad abſolutionem ejus probantur poſſe ſufficere, non levis res agitur ut incaute vel in G. c. 64. tranſcurſu debeat definiri. Nam grave eſt ſatis & indecens ut in re dubia certa dicatur ſententia. Et hæc quidem geſta eſſe poterant ad definiendum ſatis idonea, ſi accuſati ea confeſſio ſequeretur; ſi tamen eamdem confeſſionem ſubtilitas examinis ex occultis eliceret, & non afflictio vehemens extorqueret, quæ frequenter agit, ut & noxios ſeſe fateri etiam cogantur innoxii. Nam poſtquam præfatus epiſcopus, ut dicitur, cruciari cuſtodia crematique fame ſe aſſerit, ſcire debetis ſi ita D eſt, utrum noceat ſi ſic fuerit extorta confeſſio. Numquid quando ſententiam tales cauſæ ſuſcipiunt, & ad ſedem apoſtolicam appellatur, nonne & perſona quæ judicatur præſens eſt, & diſtrictiſſime atque ab omni latere veritas quæritur, ut tunc ſi debeat necne manere ſententia decernatur. Nec non & ſi prædictus epiſcopus ad ſedem apoſtolicam appellare voluerit, cauſa ipſius interius, & cum omni eſt diligentia perſcrutanda. Et ideo poſtquam & perſona abſens eſt, & geſta, quæ ad nos tranſmiſiſtis, nobis, ſicut præfati ſumus, ſatiſfeciſſe idonea non videntur, temere aliquid de epiſcopi perſona decernere nec poſſumus nec debemus, ne, quod abſit, reprehenſibiles inveniamur in noſtris, quibus aliorum jure competit retractare ſententias. De Alemanis autem quod vobis indicatum eſt, nos & longius quam vos poſiti * ſcimus. Et quod verum non ſit minime dubitamus. Veſtra tamen fraternitas bene fecit pro informatione noſtra ſcribere quod audivit. * Data mente Junii, indictione III.

* ſamus Pa... * data a... ad... Par.

## XXXI. AD LIBERTINUM EXPRÆFECTUM.

De adverſitatibus patienter tolerandis.

*Gregorius Libertino * expræfecto.*

* expræfecto. Tarſ.

QUantæ vos ſæculi hujus premant anguſtiæ, incognitum non habemus. Sed quia in ſumma tribulatione poſitis ſola eſt conſolatio miſericordia creatoris, in eum ſpem veſtram ponite, ad ipſumque tota vos mente convertite, qui & juſte quem vult permittit affligi, & confidentem in ſe miſericorditer liberat. Ipſi ergo gratias agite, & patienter quæque illata ſunt ſuſtinete. Nam rectæ mentis eſt Deum non ſolum in proſperis benedicere, ſed etiam in adverſitatibus collaudare. In his igitur quæ patimini, nullum contra Deum murmur cordis veſtro ſubrepat: quia ad quid hoc creator noſter operetur, ignotum eſt. Forſitan enim, magnifice fili, aliquid illum in proſperis poſitus offendiſti, unde te clementi amaritudine vult purgare. Et ideo nec temporalis te frangat afflictio, nec rerum damna diſcrucient: quia ſi in adverſis gratias referens Deum tibi patientia feceris eſſe placabilem, & quæ amiſſa ſunt, multiplicata redduntur, & ſuper hæc gaudia æterna præſtantur. Peto autem ne injurioſum ducatis, quod viginti * annuos veſtitus ad pueros veſtros per Romanum defenſorem ſcripſimus præberi: quia de beati Petri apoſtoli rebus, quamvis parva ſint quæ offeruntur, pro magna ſemper benedictione ſuſcipienda ſunt: quoniam & hic vobis valebit majora impendere, & apud omnipotentem Deum beneficia æterna præſtare. *

* a nobis Tarſ.

* Tarſ. ad. mente Junii indict. III.

## XXXII. AD SECUNDINUM EPISCOPUM TAUROMINITANUM.

De uxore Leonis chartarii, quæ ſuſpicione fornicationis a marito diſceſſerat.

*Gregorius Secundo epiſcopo Taurominitano.*

PRæſentium portitor Leo chartarius ad nos veniens indicavit uxoris ſuæ cauſſam, quæ relicto eo pro fornicationis crimine, quo vehementius ſtimulatam ajebat, atque ob hoc religioſam veſtem induerat, ſe culpabilem nullatenus extitiſſe: adeo ut, ſicut ait, requirente fraternitate veſtra, cui hujus rei cognitionem ante hoc ſere triennium mandaveramus, in nullo claruerit eum poſt initum conjugium in fornicationis culpam collapſum: adjiciens quoque quod eidem uxori ſuæ diſtrictiſſima E ſacramenta præbuerit, inſontem ſe ea de re, unde etiam illam mordebat ſuſpicio, permanſiſſe: & idcirco propria eam ſponte ad ſe reverſam. Sed quia communione illam cum familia ſua pro hoc ſolummodo a fraternitate veſtra privatam aſſerit, quod ad eum clam propoſitis vobis redierit; volumus ut familia quidem ipſius ſacram communionem recipiat, & dominæ ea culpa in hujus afflictionis pœna familiam diu non teneat. De ipſa vero, hoc eſt, de uxore prædicti portitoris, hoc vos obſervare neceſſe eſt, ut ſi manifeſte conſtiterit,

rit, quia contra conjugem ſuum dicere nihil potuit, ſed & inſuper ſuſpicio ipſius præſtito, ut edocti ſumus, ſacramento amputata eſt, & utique poſt hoc ſua ad eum ſponte reverſa eſt, & in ea quoque temperanda eſt cenſura judicii, ut longo jam tempore minime communione privetur. Si autem aliter ſe veritas, quam nobis inſinuatum eſt, fortaſſis habuerit, fraternitatis veſtræ ſubtiliter ſcripta nos inſtruant, ut quid fiendum ſit noſtris iterum diſcurrentibus epiſtolis agnoſcatis.

## XXXIII. AD EUMDEM.

De mendacio Marciani epiſcopi neſcienter dicto, & de Dulcinii elogio conſtituto.

*Gregorius Secundino epiſcopo Tauromitano.*

SCripta fraternitatis veſtræ ſuſcepimus, in quibus indicaſtis reverendiſſimum fratrem noſtrum Marcianum Locrenſis civitatis epiſcopum aliter nobis de cauſſa eccleſiæ contra monaſterium ſancti Chriſtophori, quod in veſtra diœceſi eſt conſtitutum, intimaſſe: non quidem fallendi voluntate, ſed quia a clericis ſuis non fuerat de veritatis natura diligenter inſtructus. Et quoniam ſcribitis Dulcinium deceſſorem ipſius nihil de rebus eccleſiæ ſuæ fuiſſe teſtatum, ſed de propriis ac magis quæ in prædicto monaſterio fidelium oblatione collata ſunt, elogium condidiſſe, atque ſex uncias eccleſiæ, & ſex eidem monaſterio jure hereditario reliquiſſe: neceſſe eſt, ut ſi ita etiam non ex opinione, ſed abſolute in veritate eſſe recolitis, nullam prædicto monaſterio ſinatis moleſtiam irrogari, præcipue dum eamdem cauſſam jam temporibus reverendæ memoriæ Maximiani epiſcopi vos atque fratrem & coepiſcopum noſtrum Rufinum ex ejus deputatione ac ceſſione audiſſe, ac deciſiſſe teſtemini; adeo ut inter partes ea quæ inveniri poterant, partirentur, & quod eccleſiæ fuit intrinſecus redderetur. Volumus ergo ut pars utraque conticeat, & ea quæ fraternitate tua una cum prædicto Rufino quondam epiſcopo ſtatuta ſunt, inconvulſa conſiſtant: quatenus nec pars eccleſiæ denuo injuſte quæſtionem inferre, nec monaſterium irrationabiliter videatur poſt veſtram maxime definitionem controverſiam ſuſtinere.

## XXXIV. AD EULOGIUM EPISCOPUM CLUSINUM.

De Joanne epiſcopo ordinando.

*Gregorius * * Eulogio epiſcopo Cluſino.*

* Eccleſiæ Papiſ. * Eccleſiæ Italiæ lib. ii. ep. 14.

GLorioſus filius noſter Aufridus ad nos ſcripta tranſmiſit, indicans quod in caſtro Balneum regis dicto una cum habitatoribus loci ipſius ſibi Joannem diaconum elegerit epiſcopum ordinandum, de cujus omnino vita bona teſtatus eſt. Sed quia quæ ſunt canonica neſciunt, & nos inexpertis vel incognitis manus temere non audemus imponere, fraternitas veſtra cum omni ſolicitudine ac vigilantia diverſis quibus potuerit modis de vita actibuſque ipſius requirere ſtudeat. Et ſi nihil eſt quod ei canonice poſſit obſiſtere, requirendum quoque eſt ſi in opere Dei ſtudium habuit, vel pſalmos novit. Et ſi talis fuerit, cum ad nos cum teſtificationis ſuæ epiſtola dirigat. Si vero aliter fuerit, veſtris nobis ſimiliter epiſtolis indicate, & habitatores loci ipſius adhortamini, ut ſi aptus non fuerit, ſicut & ſupraſcripto Aufrido filio noſtro ſcripſimus, alium ſibi eligant qui ad hoc officium cum gratia Dei aptus valeat inveniri. * Data mente Julii, indictione III.

* Deeſt in aliquo Cod.

## XXXV. AD EULOGIUM PATRIARCHAM ALEXANDRINUM.

De hæreſi Agnoitarum quam Græcorum & Latinorum patrum conſenſu confutata eſt.

*Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino.*

TRanſacto anno ſuaviſſima ſanctitatis veſtræ ſcripta ſuſcepi, quibus pro ægritudinis meæ nimietate reſpondere nunc uſque non valui. Ecce enim jam biennium pene expletur, quo lectulo teneor, tantiſque podagræ doloribus affligor, ut vix in diebus feſtis uſque ad horarum trium ſpatium ſurgere valeam, Miſſarumque ſolemnia celebrare. Mox autem cum gravi compellor dolore decumbere, ut cruciatum meum poſſim interrumpente gemitu toleare. Qui dolor interdum mihi lentus eſt, interdum nimius. Sed neque ita lentus ut recedat, neque ita nimius ut interficiat. Unde fit, ut qui quotidie in morte ſum, quotidie repellar a morte. Nec mirum, quia peccator gravis talis corruptionis carcere diu teneor incluſus. Unde compellor exclamare: *Educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo*. Sed quia meis hoc precibus adhuc obtinere non mereor, rogo ut veſtræ ſanctitatis oratio ſuæ mihi intercesſionis adjutorium præbeat, meque a peccati & corruptionis pondere liberum reddat in illam quam bene noſtis libertatem gloriæ filiorum Dei. Scripſit autem mihi dulciſſima & ſemper honoranda beatitudo veſtra, quod et communis filius Anatolius diaconus de Conſtantinopolitana urbe ſcripſerat, ad me quoſdam monachos de Hieroſolymorum partibus veniſſe qui me aliquid de Agnoitarum errore requirerent: & dicitis quia petiit, ut veſtra mihi ſanctitas ſcriberet quid de eadem debuiſſet inquiſitione ſentire. Sed neque ad me de Hieroſolymorum partibus requirentes aliqui monachi venerunt, neque eumdem communem filium nobis potuiſſe aliquid aliud quam erat ſcribere, ſed interpretem ſuſpicor in ejus epiſtolis erraviſſe. Nam idem diaconus mihi jam ante biennium ſcripſit, quia a prædictis partibus ad Conſtantinopolitanam urbem talia requirentes monachi venerunt, meque ſtuduit requirere quid ſentirem. Cui ego ante longum tempus quam veſtra ſcripta ſuſciperem, contra eamdem hæreſim reſpondi, quæ poſtmodum in epiſtola veſtræ ſanctitatis inveni, atque omnipotenti Deo magnas gratias retuli, quia de cunctis inquiſitionibus Romanorum atque Græcorum patres, quorum nos ſequaces ſumus, uno ſpiritu ſunt locuti. In multis enim eamdem veſtram epiſtolam ita reperi, ac ſi contra prædictam hæreſim ſcripta Latinorum patrum legerem. Et quantum po-

* Pſal. 141.

tui de ſanctiſſimo fratre meo amare & lauda- A re bonum perpendite, in cujus ore venerandos patres, quos multum diligo, recognovi. Sit ergo illi laus, ſit in excelſis & gloria, cujus dono adhuc in ſede Petri clamat vox Marci, de cujus effuſione ſpiritus cum ſacerdos ad perſcrutanda myſteria ſcilicet ad ſancta ſanctorum intrat, in ſancta eccleſia velut in tabernaculo ex verbis prædicationis ſpiritalia tintinnabula reſonant. Recta itaque &* valde laudabilis eſt veſtra prædicatio. Sed omnipotentem Dominum deprecamur, ut diu vos etiam in hac vita cuſtodiat, ut de Dei organo, quod eſtis, in hoc mundo latius vox veritatis reſonet. Pro me autem peto intercedite, ut hujus peregrinationis via, quæ mihi aſperior facta B eſt, cum celeritate finiatur: quatenus qui ex me non valeo, ex veſtris meritis poſſim ad æternæ patriæ promiſſa pertingere, & cum cæli civibus gaudere.

## XXXVI. AD MAXIMUM EPISCOPUM

### SALONITANUM.

De Sclavorum gente, de Juliano Scribone iniquo judice, de pauperibus modeſte defendendis, & de * Frontinianiſtis hæreticis.

*Gregorius Maximo epiſcopo Salonitano.* C

AD Romanam veniens urbem communis filius presbyter Veteranus, ita me podagræ doloribus debilem reperit, ut fraternitatis tuæ epiſtolis per me reſpondere nullatenus valuiſſem. Et quidem de Sclavorum gente, quæ vobis valde imminet affligor vehementer & conturbor. Affligor in his quæ jam in vobis patior: conturbor, quia per Iſtriæ aditum jam Italiam intrare cœperunt. De Juliano autem Scribone quid dicam neſcio: quando ubique video, quia nobis peccata noſtra reſpondeant, ut & foris a gentibus, & intus a * perverſis judicibus conturbemur? Sed nolite de talibus omnino contriſtari: qui poſt nos vixerint, D deteriora tempora videbunt, ita ut in comparatione ſui temporis felices nos æſtiment dies habuiſſe. Inquantum vero prævalet fraternitas tua, opponere te pro pauperibus & oppreſſis debet. Quæ etiamſi prodeſſe minime valuerit, ipſa omnipotenti Deo mentis devotio ſufficit quam dedit. Scriptum eſt enim: *Eripe eos qui ducuntur ad mortem, & qui pertrahuntur ad interitum liberare ne ceſſes.* Quod ſi dixeris: Vires non ſuppetunt; qui inſpector eſt cordis ipſe intelligit. In omni ergo quod agis inſpectorem cordis appete habere placatum. Quidquid vero eſt unde illi placeas, facere non omittas. Nam humani terrores & gratiæ fumo ſunt ſimiles, qui levi aura raptus evaneſcit. Hoc certiſſime ſcito, quia placere Deo & pravis hominibus nullus poteſt. E In tanto ergo te æſtimet fraternitas tua omnipotenti Deo placuiſſe, quanto perverſis hominibus diſplicuiſſe cognoveris. Ipſa tamen defenſio pauperum moderata & gravis ſit, ne ſi quid nimis rigide agitis, ex juventute vos arbitrentur homines ſuperbire. Sed talis neceſſe eſt ut inveniatur pro oppreſsis * veſtra defenſio, quatenus & humiles protectionem ſentiant, & oppreſſores non facile inveniant quod ex malevola mente reprehendant. Attende ergo quod ad Ezechielem dicitur: *Fili hominis, increduli & ſubverſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas.* Et beatus Job ait: *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum.* Et Paulus diſcipulus dicit: *In medio nationis pravæ & perverſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo.* Tanto ergo debemus cautius ambulare, quanto nos ſcimus inter Dei inimicos vivere. De * Frontinianiſtis autem fraternitas tua ſit omnino ſolicita, & ſicut cœpit, ſtudeat, quatenus ad ſinum ſanctæ eccleſiæ revocentur. Si qui vero ad me venire voluerint, & rationem recipere, prius juſjurandum præbeant, quia non permittunt ſuis quo in eorum errore, etiam ratione recepta, perſiſtant. Et poſtmodum eis tua ſanctitas promittat, quia a me nullam violentiam patientur, ſed rationem * teddo. Si veritatem cognoverint, ſuſcipiam: ſi non cognoverint, illæſos dimittam. Si qui vero contra vos ex eis ad nos venire voluerint, minime eos fraternitas tua retineat: quia venientes aut rationem recipient, aut ſcito quia aliter profecto terram illam ulterius non videbunt,

Ezech. 2. — Job 30. — Philipp. 2. — * Photinianiſtis — * reddam — * perverſis judicibus — Prov. 24. — * noſtra

## XXXVII AD INNOCENTIUM AFRICÆ

### PRÆFECTUM.

Dolet & gaudet ſimul ob præfecturam quam acceperat. Agit de libris Job tranſmittendis, & de libris ſancti Auguſtini.

*Gregorius Innocentio Africæ præfecto.*

LUculenta eminentiæ veſtræ & condita cordis melle facundia ita ſui nobis ſaporem medullitus infudit, & in ſuo amore nos rapuit, ut nobis & dulce ſonet quod ſcribitis, & ſapiat ſuave quod agitis: nec immerito, quia qui bonis ſtudiis comptus eſt judicio magnus eſt, non favore. Præfecturæ autem vos ſuſcepiſſe cingula cognoſcentes, lætitiæ ſe miſcuit noſtræ triſtitia. Nam ex una parte lætati de provectu dulciſſimi filii, contriſtati ſumus ab altera, quia quam grave ſit confuſis temporibus locis majoribus eſſe præpoſitos, ex noſtro prorſus dolore ſentimus. Unde omnino ſtudendum eſt, ut res aſpera fiat mercedis occaſio. Nam, ſicut noſtis, de terra plena carduis frumentum egreditur, & de ſpinis roſa producitur. Dum ergo ſeminandi vobis congruum tempus eſt, bonorum operum ſerere ſemina non ceſſetis, ut majores in die meſſis lætitiæ manipulos reportetis, atque ad æternam gloriam ex tranſitorii honoris merito veniatis. Cognoſcentes igitur quale ſtudium in præparandis * drumonibus geſſeritis, ſolicitudinem veſtram deſiderato nuntio relevamus, indicantes cum Longobardorum rege uſque ad menſem Martium futuræ quartæ indictionis de pace, propitiante Domino, conveniſſe. Quæ ſi retineatur ignoramus, quia idem rex obiiſſe poſtea nuntiatus eſt, licet adhuc habeatur incertum. De Anamundaro autem quæ ſcripſiſtis fecimus, ſed voluntatem utinam ſequatur affectus: quia quantum ad nos pertinet, afflictis interceſſionis noſtræ ſolatium non negamus. Quod vero in expoſitione ſancti Job tranſmitti vobis codicem voluiſtis, de veſtro omnino ſtudio gaudemus: quoniam illi rei emi-

* dromonibus

eminentiam veſtram ſtudere conſpicimus, quæ nec totos foras vos exire permittat, & ad cor iterum ſæcularibus curis diſperſos recolligat. Sed ſi delicioſo cupitis pabulo ſaginari, beati Auguſtini patriotæ veſtri opuſcula legite, & ad comparationem ſiliginis illius noſtrum furfurem non quæratis. Quale præterea patrocinium, qualemque affectum in utilitatibus pauperum beati Petri apoſtolorum principis amatoris ſui gloria veſtra præbuerit, Hilario chartulario noſtro teſtificante didicimus. Ex qua re uberes gratias exolventes omnipotentis Dei miſericordiam exoramus, ut gratiæ ſuæ protectione vos muniat, & nec malos contra vos homines exterius, nec malignos ſpiritus interius prævalere permittat, ſed ita actiones veſtras in ſuo propitius timore diſponat, ut ſicut fecit inter homines, ita quoque poſt longævæ ætatis diſcurſus in ſanctorum ſuorum vos eſſe faciat numero glorioſos.

## XXXVIII. AD JANUARIUM EPISCOPUM CALARITANUM.

De oppreſſionibus minorum a majoribus, & de iis qui ad eccleſiam confugiunt.

*Gregorius Januario epiſcopo Calaritano.*

QUaliter in Sardinia minores vel pauperes ab eis qui illis majores ſunt opprimantur, reverendiſſimi fratris noſtri Dominici Carthaginenſis epiſcopi atque eminentiſſimi filii noſtri Innocentii præfecti epiſtolæ teſtantur, a quibus ut quæ nobis ſcripta ſunt noveritis, ipſarum vobis epiſtolarum exemplaria prævidimus tranſmittenda. Et ideo quia ea quæ petenda ſunt offeruntur, ſtudioſe agendum eſt, ut ea quæ promittuntur, opere compleantur. Si qui eorum, de quibus eſt quæſtio, in eccleſiam forſitan refugerint, ita debet cauſſa diligentia veſtra diſponi, ut nec ipſi violentiam patiantur, nec ii qui dicuntur oppreſſi damna ſuſtineant. Curæ ergo veſtræ ſit, ut eis ſacramentum ab iis quorum intereſt de ſervanda lege & juſtitia promittatur, & per omnia commoneantur exire, atque ſuorum actuum reddere rationem, quibus etiam eccleſiæ veſtræ defenſorem deputare vos convenit. Cujus ſolicitudine ea quæ illis fuerint promiſſa ſerventur: quatenus nec aliis noxia ſint, & ipſis eccleſiaſtica, ſalva ratione, poſſint prodeſſe * refugia. Ita ergo fraternitas veſtra faciat, ut hæc quæ ejus ſtudio emendanda ſunt, mora per eam vel impedimentum aliquod non contingat.

* al. ſuffragia.

## XXXIX. AD ADEODATUM ABBATEM NEAPOLITANUM.

De unione monaſterii Gazarenſis cum Neapolitano & Puteolano.

*Gregorius Adeodatus abbati Neapolitano.*

QUorumdam monachorum ejuſdem monaſterii ad nos relatione pervenit, monachos monaſterii Gazarenſis, quod ſitum in Plagia eſt, & monachos ſancti Sebaſtiani monaſterii, quod Neapoli in domo quondam Romani conſtructum eſt, ubi Deo miſerante, ſicut dictum eſt, abbatis geris officium, ſe monaſteriumque ſuum uniri magnopere popoſciſſe: adeo ut chartas omnes ejuſdem monaſterii tuo monaſterio, ut dicitur, tradidiſſent. Sed quia monaſterium ipſum in Neapolitana eſt diœceſi conſtitutum, ne quid conſtituere, quod adſit, præjudicialiter videamur, voluimus ut quouſque Neapoli ordinetur antiſtes, tuo interim monaſterio antefatum Gazarenſe monaſterium cum omnibus ad ſe pertinentibus ſit unitum. Cum vero propitiante domino Neapoli fuerit epiſcopus ordinatus utrum in perpetuum hæc unitio extendi, an temporalis eſſe debeat, maturius ac ſolidius cum Dei gratia pertractabimus. Quia vero monaſterium Puteolis conſtitutum, quod Falcidis dicitur, ita eſſe deſtitutum a monachis perhibetur, ut non ſolum Dei illic opus minime celebretur, ſed etiam pene pro derelicto, quod dici grave eſt, habeatur: idcirco illud monaſterio tuo præſenti auctoritate cum omnibus ad ſe pertinentibus in perpetuum duximus uniendum, admonentes, ut monachos in prædicta utraque monaſteria debeas deputare, qui & curam illic diligenter habeant, & opus Dei regulari ſtudeant inſtitutione peragere, atque ita ſe in his, ſicut convenit, exhibere, ut nec illos de neglectu, nec de minori ſolicitudine culpa confundat. Quidquid vero ad eadem monaſteria pertinere cognoſcis, ſi ab aliquibus irrationabiliter detinentur, ex hac noſtra auctoritate repetendi exigendique, atque tuo monaſterio vendicandi habebis per omnia, Deo juvante, licentiam: quia dignum eſt, ut quorum curam geris, rebus nullo modo defrauderis. Monachos autem, quos in monaſterio Puteolis ſito deputaveris, ſub qua quidem diſciplina, ſed tamen Puteolano epiſcopo, cujus diœceſis eſt, non Neapolitano noveris ſubjacere.

## XL. AD NEAPOLITANOS.

Ne is qui habet filios, aut ſimplex fuerit, aut uſurarius, ad epiſcopatum eligatur.

*Gregorius clero & nobilibus civibus Neapolitanis.*

NEc novum nec reprehenſibile eſt in eligendo epiſcopo populi ſe vota in duas partes dividere, ſed grave eſt quando in hujuſmodi cauſſis non ex judicio ſed de ſolo favore venit electio. Prius enim quam ſcripta ad nos veſtra recurrerent, Joannem diaconum, qui ab altera parte electus eſt, parvulam habere filiam ex quorumdam relatione cognovimus. Unde ſi rationem voluiſſent attendere, nec alii eum eligere, nec ipſe debuerat conſentire. Nam qua præſumptione ad epiſcopatum audet accedere qui adhuc longam corporis ſui continentiam filiola teſte convincitur non habere? Petrus item diaconus quem a vobis electum aſſeritis, omnino quantum dicitur ſimplex eſt. Et noſtis quia talis hoc tempore in regiminis debeat arce conſtitui, qui non ſolum de ſalute animarum, verum etiam de extrinſeca ſubjectorum utilitate & cautela ſciat eſſe ſolicitus. Nam de eo inſuper ad nos perveniſſe cognoſcite, quod ſolidos dederit ad uſuras; quod vos oportet cum omni

Greg. I Nec a... Idem c. 4.

omni ſubtilitate perquirere, & ſi ita conſtiterit, alium eligite, & ab hujuſmodi vos perſona ſine mora ſuſpendite. Nam nos amatoribus uſurarum nulla ratione manus imponimus. Si vero ſubtili habitâ inquiſitione *hoc falſum eſſe potuerit, quia perſona ejus nobis ignota eſt, & utrum ita ſit de ſimplicitate ejus quod ad nos perlatum eſt ignoramus, cum decreto a vobis facto ad nos eum venire neceſſe eſt, ut de vita moribuſque ipſius ſolicitius inquirentes, ſcolum quoque pariter agnoſcamus, ut ſi huic judicio aptus extiterit, veſtra in eo, adjuvante domino, deſideria compleamus. Studii præterea veſtri ſit etiam alium qui aptus ſit providere, ut ſi forte huic ordini hic non videatur idoneus, ſit in quem ſe veſtra declinare poſſit electio. Nam grave cleri illius erit opprobrium, ut ſi hic fortaſſe approbatus non fuerit, alium ſe dicant qui eligi debeat non habere. Menſe Auguſti, indictione III.

## XLI. AD DOMINICUM EPISCOPUM CARTHAGINENSEM.

De peſtilentia Africana, & quid eo tempore præſtare debeat epiſcopus.

*Gregorius Dominico epiſcopo Carthaginenſi.*

QUanta in Africanis partibus lues irruerit, jampridem cognovimus: & quia nec Italia de hac cladis percuſſione eſt libera, geminati in nobis dolorum ſunt gemitus. Sed inter hæc mala, & alias calamitates innumeras, deſperata cor noſtrum, cariſſime frater, tribulatione deficeret, niſi fragilitatem noſtram vox dominica præmuniſſet. Olim enim fidelibus evangelicæ tuba lectionis intonuit, appropinquante fine mundi peſtilentiam, bella & alia multa quæ adhuc, ſicut noſtis, in metu ſunt, eventura. Quæ ergo præſcientes patimur, affligi ex his nimium tamquam de incognitis non debemus. Nam plerumque & genus mortis in alterius mortis conſideratione levamen eſt. Quantas ergo detruncationes, quantaſque crudelitates vidimus, quibus mors ſola remedium, & erat vita tormentum? Nonne cum David optio eſſet mortis oblata, recuſatis fame & gladio, populum ſuum elegit manu Dei ſuccumbere? Ex qua re colligite, in his qui divina percuſſione intereunt quanta ſit gratia, quando ea vocatione obeunt, quam prophetæ ſancto pro munere conſtat oblatam. Itaque creatori noſtro in cunctis adverſitatibus gratias referamus, atque de ejus miſericordia confidentes, patienter omnia toleremus, quia ſatis minus patimur quam meremur. Quoniam tamen ita temporaliter flagellamur, ut ſine æternæ vitæ conſolatione minime relinquamur, neceſſe eſt ut quanto his ſignis nuntiantibus venturum judicem in proximo non neſcimus, tanto rationes noſtras, quas in ejus ſumus examine poſituri, bonæ actionis ſtudio & fletu pœnitentiæ muniamus: ut tantæ nobis percuſſiones, favente ejus gratia, non damnationis initium, ſed beneficium purgationis exiſtant. Quia vero ea infirmitatis noſtræ natura eſt, ut non poſſimus de obeuntibus non dolere, fraternitatis veſtræ doctrina tribuiatis ſit ſolamen. Mantura illis bona quæ promittuntur inſinuet, ut ſpe certiſſima roborati in comparatione futuri muneris diſcant de amiſſione temporalium non dolere. Veſtra eos lingua, ſicut & credimus, magis ac magis a pravi operis perpetratione coerceat, bonorum præmia, malorum pœnas edi{ſ}erat, ut qui bona minus diligunt, ſaltem mala pertimeſcant, & ab his ſe quæ ſunt plectenda contineant. Nam inter flagella poſitos, flagellis digna committere, contra ferientem eſt ſpecialiter ſuperbire, & ſævientis acrius iracundiam irritare. Atque eſt primum genus dementiæ, nolle quempiam a malis ſuis juſte quieſcere, & Deum injuſte a ſua velle ultione ceſſare. Sed quoniam in his divino adjutorio opus eſt injunctis, dilecte frater, precibus, omnipotentis Dei clementiam exoremus, ut & nos digne iſta tribuat exhibere, & populorum ad hæc operanda miſericorditer corda compungat, quatenus in timore ipſius actus noſtros ſalubriter ordinantes, & ab ingruentibus malis erui, & ad ſuperna venire gaudia, ejus duce gratia, ſine qua nihil poſſumus, mereamur.

## XLII. AD EULOGIUM PATRIARCHAM ALEXANDRINUM.

De hæreticis Agnoitis, & expoſitione ſculneæ, ex Auguſtini ſententia. De eo quod ſcriptum eſt: *Nemo ſcit diem judicii, nec Filius, niſi Pater ſolus.* De eo quod dicitur: *Adam ubi es?* Et ad Cain: *Ubi eſt frater tuus?* Et de Lazaro; *Ubi poſuiſtis eum?* quæ omnia utiliter exponuntur.

*Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino.*

S*Icut aqua frigida animæ ſitienti, ſic nuntius bonus de terra longinqua.* Prov. 25. Quis vero mihi eſſe nuntius bonus ad ſanctæ eccleſiæ adjutorium poteſt, niſi vita atque incolumitas ſuaviſſimæ mihi veſtræ ſanctitatis, quæ ex percepta luce veritatis & eamdem eccleſiam prædicationis verbo illuminat; & ad meliorem viam morum ſuorum exemplis informat? Quotiens autem in corde meo unanimitatem veſtram relego, atque in corde veſtro fixum me permanere cognoſco, ago omnipotenti Deo gratias, quia dividi locis caritas non poteſt. Nam etſi corpore longe disjungimur, mente tamen ſemper indiviſibiles ſumus. Communis autem filius Anatolius diaconus ſuis mihi ſcriptis innotuit, in urbe regia * nonnulla eccleſiaſtica, quædam tamen de cauſſis terrenis mota. Sed credo quod prius hoc mihi nuntiaverit, quam de cauſſis eccleſiæ beatitudo veſtra loqueretur. Et gaudeo, quia ubi vos adeſſe contingit, me non arbitror defuiſſe. Nam veritatis miniſter Petri ſequax, & ſanctæ eccleſiæ prædicator, ſcio quia illa ſic loqui potuiſti, quæ de ſede Petri apoſtoli per os doctoris ſonare debuerunt. Ante hos autem dies Abramio Alexandrino veniente ſanctitati veſtræ reſcripſeram, vel quid de ſcriptis veſtris quæ contra hæreticos Agnoitas edidiſtis ſenſerim, vel cur tarde reſponderim. Sed Abramius navigii neceſſitate compulſus, diu perhibetur in Neapolitana civitate demoratus, atque in eo ſenſu * quod dudum ſcripſeram, ita reſcribo: quia de doctrina veſtra contra hæreticos, qui dicuntur, Agnoitæ, fuit valde quod miraremur:

* alii Pariſ.

* quo

mur: quod autem diſpliceret, non fuit. In A eodem autem ſenſu jamdudum communi filio noſtro Anatolio diacono plurima ſcripſeram. Ita autem doctrina veſtra per omnia Latinis patribus concordavit, ut * mihi non eſſet quod in diverſis linguis ſpiritus non fuerit diverſus. Nam hoc quod de ficulnea dixiſtis, in eo ſenſu proprie B. Auguſtinus loquitur: quia cum evangeliſta ſubjungit: *Nondum enim erat tempus ficorum*, aperte cognoſcitur, quod per ficum dominus in ſynagoga fructum quæſierat, quæ folia legis habuit, ſed fructum operis non habebat. Non enim poterat creator omnium neſcire quia fructum ficus non habuit, quod dum tempus ficorum non eſſet, omnes poterant ſcire. De eo vero quod ſcriptum eſt: B *Quia diem & horam neque Filius, neque angeli ſciunt*: omnino recte veſtra ſanctitas ſenſit quoniam non ad eumdem Filium, juxta hoc quod caput eſt, ſed juxta corpus ejus quod ſumus nos eſt certiſſime referendum. Qua de re multis in locis idem beatus Auguſtinus eo ſenſu utitur. Dicit quoque & aliud quod de eodem Filio poſſit intelligi, quia Deus omnipotens aliquando more loquitur humano, ſicut ad Abraham dicit; *Nunc cognovi quia times Deum*. Non quia ſe Deus tunc timeri cognoverit, ſed quia tunc eumdem * ad Abraham fecit agnoſcere quia Deum timeret. Sicut enim nos diem lætum dicimus, non quod ipſe dies lætus ſit, ſed quia nos lætos facit: C ita & omnipotens Filius neſcire ſe dicit diem quem neſcire facit, non quod ipſe neſciat diem, ſed quia nunc ſciri minime permittat. Unde & Pater ſolus dicitur ſcire, quia conſubſtantialis ei Filius, ex ejus natura, quæ eſt ſuper angelos, habet ut hoc ſciat quod angeli ignorant. Unde & hoc intelligi ſubtilius poteſt, quia incarnatus unigenitus factuſque pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis novit diem & horam judicii, ſed tamen hunc non ex natura humanitatis novit. Quod ergo in ipſa novit, non ex ipſa novit * quia Deus eſt homo factus, diem & horam judicii non niſi per deitatis ſuæ potentiam novit, ſicut & in nuptiis cum mater D virgo diceret vinum deeſſe, reſpondit: *Quid mihi & tibi eſt, mulier? Nondum venit hora mea*. Neque enim Jeſus angelorum dominus horæ ſubjectus erat, qui inter cuncta quæ creaverat, horas & tempora fecerat: ſed quia mater Virgo, cum vinum defuit, per eum miraculum fieri volebat, ſtatim ei reſponſum eſt: *Quid mihi & tibi eſt, mulier?* Ac ſi aperte diceret: Unde facere miraculum poſſum, hoc mihi ex Patre, non ex matre eſt. Ex matre enim mori poterat, qui ex natura Patris miracula faciebat. Unde & in cruce poſitus, eamdem matrem moriens recognovit, quam diſcipulo commendavit: dicens: *Ecce mater tua*: Ait ergo: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* E *Nondum venit hora mea*. Quod eſt dicere: In miraculo quod ex tua natura non habeo, te minime * matrem recognoſco, ſed cum hora mortis venerit, cognoſco te matrem, quia unde mori poſſum, hoc ex te habeo. Itaque ſcientiam quam ex humanitatis natura non habuit, ex qua cum angelis creatura fuit, hanc ſe cum angelis, qui creaturæ ſunt, habere denegavit. Diem ergo & horam judicii ſcit * quia Deus eſt homo. Res autem valde manifeſta eſt quia quiſquis Neſtorianus non eſt, Agnoita eſſe nullatenus poteſt. Nam qui ipſam Dei ſapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere, eſſe aliquid quod Dei ſapientia ignoret? Scriptum eſt: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Omnia per ipſum facta ſunt.* Si omnia, procul dubio etiam dies judicii & hora. Quis ergo ita deſipiat ut dicere præſumat, quia verbum Patris fecit quod ignorat? Scriptum quippe eſt: *Sciens Jeſus quia omnia dedit ei Pater in manus*. Si omnia, profecto diem judicii & horam. Quis ergo ita ſtultus eſt, ut dicat quia accepit Filius in manibus quod neſcit? De eo vero loco in quo mulieribus de Lazaro dicit: *Ubi poſuiſtis eum?* Ipſa ſpecialiter ſenſimus quæ ſenſiſtis. quia ſi negant ſciſſe dominum ubi fuerat Lazarus ſepultus, atque ideo requiſiſſe, procul dubio compellentur fateri, quia neſcivit dominus in quibus locis ſe Adam & Eva poſt culpam abſconderant, cum in paradiſo diceret: *Adam, ubi es?* aut cum Cain corripuit, dicens: *Ubi eſt Abel frater tuus?* Qui ſi neſciebat, cur protinus adjunxit: *Sanguis fratris tui * clamat ad me?* Quamvis hoc in loco Severianus Gabalenſis aliud loquitur, dicens quia hoc mulieribus dominus per increpationem quaſi dixerit, quod mortuum Lazarum ubi poſuerunt requiſivit. Ac ſi aperte Evæ culpam memorans mulieribus diceret: Ego virum in paradiſo C potui, quem vos poſuiſtis in ſepulcro. Ad hoc vero mihi idem communis filius Anatolius diaconus * repoſuit aliam quæſtionem, dicens: Quid ſi objiciatur mihi, quia ſicut immortalis mori dignatus eſt, ut nos liberaret a morte, & æternus ante tempora fieri voluit temporalis: ita Dei ſapientiam ignorantiam noſtram ſuſcipere dignatam eſſe, ut nos ab ignorantia liberaret? Sed ad hoc ei necdum reſpondi, quia gravi nunc uſque infirmitate detentus ſum. Jam nunc autem veſtra cœpi oratione convaleſcere, & ei, ſi ita perfecte convaluero ut dictare valeam, adjuvante domino reſpondebo. De quibus vobis mihi nihil dicendum eſt, ne videar docere quæ noſtis: D quia & medicamina vim medendi perdunt quæ membris ſanis & fortibus opponuntur. Indicamus præterea quia gravem hic difficultatem interpretum patimur. Dum enim non ſunt qui ſenſum de ſenſu exprimant, ſed transferre ſemper verborum proprietatem volunt, omnem dictorum ſenſum confundunt. Unde agitur ut ea quæ tranſlata fuerint, niſi cum gravi labore intelligere nullo modo valeamus. Benedictiones vero ſancti Marci evangeliſtæ & veſtræ beatitudinis accepi. Ligna autem tranſmittere volui: ſed quia navis parva fuit quæ venit, ea portare non potuit. Quamvis hæc ipſa qui viderunt Alexandrini venientes dixerunt quod * prava ſunt. Nam alia omnino vobis majora paraveram, quæ necdum ad E Romanam civitatem tracta ſunt: quia expectavi ut veniente Alexandrina navi trahi debuiſſent, & in loco ubi inciſa fuerunt remanſerunt. Omnipotens Deus vitam veſtram ad ædificationem ſanctæ eccleſiæ per longa tempora cuſtodiat, vobiſque aſpiret ut pro me enixius oretis, ut quem propria peccata deprimunt, veſtræ apud omnipotentem Deum preces levent. * Menſe Februarii, indictione III.

XLIII.

*mirum mihi Pariſ.
Marc. 11.
Marc. 13.
Geneſ. 22.
*ad deeſt in Pariſ.
*al. quia.
Joan. 2.
Joan. 19.
Joan. 2.
*matrem deeſt in Pariſ.
*Deus, a homo, ſed ideo quia &c. Pariſ.
Joan. 1.
Joan. 13.
Joan. 11.
*al. terra Pariſ.
*al. reſpo…
*parva in Pariſ.
*menſe a… Pa…

## XLIII. AD VENANTIUM EPISCOPUM LUNENSEM.

De abbatiſſa ordinanda, & de ſubſidio ei exhibendo.

*Gregorius Venantio epiſcopo Lunenſi.*

FRaternitatis veſtræ adeo nobis ſolicitudinem placuiſſe ſcribimus, ut noſtri ſtudii eſſet ea quæ voluiſtis effectu complere. Quia ergo ſcripſiſtis ut perſonam tranſmittere deberemus, quæ in monaſterio, quod in civitate veſtra ſitum eſt, abbatiſſæ regere poſſit officium, quam divina miſericordia ſuffragante in regimine ejuſdem monaſterii ſtrenuam poſſe exiſtere arbitramur, illuc prævidimus dirigendam, ut a vobis Deo protegente abbatiſſa debeat ordinari. Nam ad nos huc tantummodo cauſſa orationis venit. Quia ergo memoratam ancillam Dei ad veſtram voluntatem & ſcripta tranſmiſimus, hortamur ut circa eam monaſteriumque ipſius fraternitas veſtra ſolicitudinem gerat, atque degentem illic congregationem in Jeſu Chriſti Dei & redemptoris noſtri ſervitio adhortationis ſuæ voce & bonorum operum exhibitione corroboret, & ita ſe erga exteriores utilitates ejus, ubicumque neceſſe fuerit, & cauſſas exhibeat, ut converſantes ibidem magnum in vobis ſubſidium, ſicut decet, inveniant, & nullius rei eas neceſſitas deprimat; quatenus, dum vobis providentibus omnis eis fuerit amota neceſſitas, in oratione Dei & laudibus aſſidue ſecura valeant mente perſiſtere. Sic etenim agetur ut & illis electa converſatio ad ſalutem, & vobis proficiat ad mercedem. Nam gratia prorſus major acquiritur, ſi de commiſſis ovibus lucrum offerat domino ſolicitudo paſtoris.

## XLIV. AD EUMDEM.

Ut ad reparationem eccleſiarum viginti vel plus ſolidos conferat.

*Gregorius Venantio epiſcopo Lunenſi.*

QUid petitio Agrippini presbyteri & Servandi diaconi contineat eccleſiæ Feſulanæ, ſubjecta vobis pagina patefacit. Et ideo ſi ea quæ illic continentur veritate ſubſiſtunt, atque tales perſonæ ad vos venerint, quibus credit aliquid debeat, uſque ad viginti ſolidos, aut ſi plus vobis viſum fuerit, in reparationem eccleſiarum, quæ in ruinis eſſe perhibentur, ſub teſtamenti pagina dare vos convenit, quatenus & illic remedium ſit, & veſtra debeat eſſe munitio. De ceteris vero rebus quæ apud vos ſunt, pro memoria futuri temporis ex eiſdem deſuſceptum emittite, ut dum Deus pacem donaverit, res ipſæ juri eccleſiæ cujus ſunt ſine aliqua valeant dilatione vel controverſia reparari.

## XLV. AD PALLADIUM PRESBYTERUM.

De detractionibus non curandis.

*Gregorius Palladio presbytero de monte Sina.*

EPiſtolis dilectionis tuæ ſuſceptis, filium meum Simplicium requirere curavi, & qua tentatione tua caritas urgeretur, inveni: de qua tamen verbi mei conſolatione non indiget, cum ipſa veritas dicat: *Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus?* Quæ iterum dicit: *Si de hoc mundo eſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret. Sed quia de hoc mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Mundum videlicet corda carnalia deſignans, quæ diligunt mundum. Hæc igitur cum perfecte ſcire audiens, miror dilectionem tuam verbis hominum contriſtatam. Inter verba enim laudantium ſive vituperantium ad mentem ſemper recurrendum eſt, & ſi in ea non invenitur bonum quod de nobis dicitur, magna triſtitia generari debet. Et rurſum ſi in ea non invenitur malum quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam proſilire. Quid enim ſi homines laudant, & conſcientia accuſet? Aut quæ debet eſſe triſtitia, ſi omnes accuſent, & ſola conſcientia nos liberos demonſtret? Habemus Paulum dicentem: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Job quoque dicit: *Ecce in cælo teſtis meus.* Si ergo nobis eſt teſtis in cælo, teſtis in corde, dimitte ſtultos foris loqui quod volunt. Quid aliud detrahentes faciunt, niſi in * pulverem ſufflant, atque in oculos ſuos * terram excitant, ut unde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant? Vocandi tamen ſunt etiam ipſi, tranquille admonendi, eiſque ſatisfieri modis omnibus debet, ſcientes quid de eis veritas dicit: *Ne forte ſcandalizemus eos.* Si autem ſatisfieri ſibi ex veritate noluerint, habes conſolationem quam in ſancto evangelio conſpicias, quia cum domino dictum fuiſſet: *Scis quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt?* reſpondit: *Sinite illos, cæci ſunt, duces cæcorum.* Paulus quoque apoſtolus admonet, dicens: *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Dicturus quippe ut cum omnibus pacem habeamus, quia proſpexit & hoc eſſe difficile, præmiſit: *Si fieri poteſt.* Sed tamen adjunxit quod poſſit fieri, cum dixit; *Quod ex vobis eſt.* Quia ſi nos in mente caritatem erga odientes ſervare cupimus, etſi illi nobiſcum pacem non habent, nos tamen cum illis ſine dubio habemus. In omnibus ergo, fili dilectiſſime, cor cuſtodi, ſicut ſcriptum eſt: *Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* Hæc breviter pro caritatis commemoratione reſcripſi. Sed peto ut pro me orare debeas: quatenus omnipotens Deus & a malignis me ſpiritibus, & a perverſis hominibus cuſtodire dignetur: quia in hac vitæ meæ peregrinatione mala me ſimul multa circumdant, ita ut cum Pſalmiſta jure dicam: *In me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me: circumdederunt me ſicut aqua tota die: circumdederunt me ſimul.* Cæleſtis gratia & nos in urbibus, & vos in eremo protegat: quia antiquus hoſtis terrarum locis a tentatione non exclu-

Tranſfertur in Patr. ad ſe diſtionem IV.
Matth. 10.
Joann. 15.
2. Cor.
Job 16.
* terram
* pulverem.
Matth. 17.
Matth. 15.
Rom. 12.
Prov. 4.
Pſalm. 87.

excluditur: quia ſi in paradiſo hominem ſtravit, quis locus extra paradiſum eſſe poteſt, in quo mentem hominum penetrare non valeat? In ſola ergo creatoris noſtri protectione fidendum eſt, cui ex intimo corde clamemus; *Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, ut ſalvum me facias.* Tranſmiſimus vobis de benedictione ſancti Petri apoſtoli cucullam & tunicam, quæ ea petimus caritate ſuſcipi qua a nobis tranſmiſſa ſunt.

*Pſalm. 70.*

## XLVI. AD EULOGIUM EPISCOPUM CLUSINUM.

De epiſcopo caute eligendo, & in viſitatione Chriſtianos conſignandos ab epiſcopo.

*Gregorius * Eulogio epiſcopo Cluſino.*

* *Eccleſia ita in Pariſ.*

SCripta fraternitatis veſtræ ſuſcipientes, contriſtati ſumus quod vos per ea & graviter infirmatos, & adhuc debiles eſſe cognovimus. Et licet ſanctitatem veſtram videndi deſiderium haberemus, bene tamen feciſtis illo vos illic tempore continere, ne venientes huc de ægritudinis veſtræ moleſtia recidivam nobis triſtitiam faceretis. De epiſcopatu autem laudavimus quod perſonam non temere elegiſtis, ſed cauti, ſicut decuit, extitiſtis. Venientibus enim vobis, ſi Deo placuerit, communi deliberatione tractabimus, & quod utile viſum fuerit Deo auxiliante diſponemus. Unum autem caballum vobis, qualem invenire potuimus, de benedictione ſancti Petri tranſmiſimus, ut habeatis poſt infirmitatem cum quo vectari poſſitis. De cauſſis vero, pro quibus latores præſentium huc venerunt, quid actum ſit, ipſorum omnia renuntiatione cognoſcetis. Præterea eccleſiis ad quas ſine labore poteſtis accedere, fraternitas veſtra officium viſitationis impendat, ut ii qui illic Deo propitio baptizantur, inconſignati non debeant remanere.

## XLVII. AD JOANNEM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

Creſcentium vicarium commendat, cui publicæ utilitatis cauſa e monaſterio egredi permittit.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

CUm lator præſentium Creſcentius vicarius noſter, quem ad ſe filius noſter glorioſiſſimus dominus Leontius exconſul præcepit occurrere, exire de ſæptis venerabilibus dubitaret; ne qua per eum excuſatione aliis tortaſſe naſceretur, aut publica diceretur utilitas impediri, ei ut egredi debuiſſet æquitate ſervata permitti fecimus. Et ideo quia hæc illi res, ſicut juſſus fuerat, illic fuaſit occurrere, fraternitas veſtra ei ſalva ratione concurrat, atque apud prædictum glorioſiſſimum dominum veſtrum agere cum ea qua conſuevit caritate ſtudeat, ut in nullo eum contra leges aut rationem patiatur aliquo modo prægravari; ſed juſtitiam ei, ſicut Chriſtianitati ejus convenit, in omnibus faciat cuſtodiri; quatenus & ipſe ad mercedem ſuam, quod æquitatis ordo exigit, videatur ſalubriter ſervaſſe, & A hic ſe contra ea quæ promitti fecimus, gravari non ſentiat.

## XLVIII. AD EUMDEM.

Apollonium magiſtrum militum commendat.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

QUamvis glorioſo Apollonio magiſtro militum communi filio paternam vos pietatem noverimus impendere; quia tamen eumdem dilectionis modum, quem circa eum ſacerdotaliter exhibetis, noſtris credidit apicibus augmentandum, idcirco eum fraternitati veſtræ B his epiſtolis commendamus, hortantes ut paternam in vobis, ſicut decet, conſolationem inveniat, & ſolatiis veſtris, ſicut uſus exegerit, comitante juſtitia potiatur; quatenus dum veſtram erga ſe amplius fuerit dilectionem expertus, & ipſe quod de vobis confidit agnoſcat, & noſtram ſentiat epiſtolam profuiſſe.

## XLIX. AD LEONTIUM EXCONSULEM.

Apollonium commendat.

*Gregorius Leontio exconſuli.*

SCientes gratia paterna vos ſcripta ſuſcipere, C ſi illud peragere ſtudeamus, gloriam veſtram ultro non eſt dubium operari, quia filiorum noſtrorum deſideria non patimur contriſtari. Et ideo quia glorioſus filius noſter Apollonius magiſter militum lator præſentium noſtris ſe apud vos voluit apicibus commendari; ſalutantes gloriam veſtram paterna dilectione petimus, ut ſalva ratione gratiam veſtri favoris invenias, & patrocinii opem in quocumque neceſſe fuerit conſequatur; quatenus dum gloria veſtra ea quæ ſponte conſuevit impendere noſtræ quoque commendationi præſtiterit, & ipſe ſe optatum in vobis gaudeat invenire ſubſidium, & nos uberes ſinceriſſimæ bonitati veſtræ gratias referamus.

D

## L. AD DOMINICUM DOMITIANUM EPISCOPUM METROPOLITANUM.

De Leontio, & ſubſtantia Theodori epiſcopi.

*Gregorius * Dominico Domitiano epiſcopo metropolitano.*

* *Dominico deeſt in Pariſ.*

QUam magna caritatis ſit in mente veſtra ſinceritas, etiam res ipſa teſtatur, quod dilectionis affectum quem coram poſitis exhibetis, ſervare abſentibus non ceſſatis. Proinde E multum nos ad diligendum glorioſum Leontium communem filium epiſtolarum veſtrarum teſtificatio provocavit: quia dum illum ſanctitati veſtræ in amicitiis indicaſtis eſſe conjunctum, qualis jam ſit oſtenditur, ſcilicet quia bono viro niſi bonus placere non potuit. Et ideo non immerito diligendus eſt, qui vobis invenitur familiariter conjunctus. Idem autem glorioſus vir in Sicilia ſe retinuit, & ad Romanam urbem necdum venit. In his tamen quæ ei pro publica utilitate ſereniſſimorum dominorum juſſione mandata ſunt, inquantum

ratio ſinit, minime ſuffragari diſtulimus. Glorioſum enim Gregorium expræfecto, vel alios qui in ſeptis eccleſiaſticis reſidebant, hortati ſtudioſe curavimus, ut exire & rationes ſuas exponere debuiſſent. Qui egredientes cum * Marco viro magnifico ſcribone, qui ad exhibitionem eorum venerat, accepto verbo ad Siciliam ire parati ſunt. Præterea de ſubſtantia Theodori epiſcopi quam eccleſiæ veſtræ juri ſcripſiſtis fuiſſe ſuppoſitam, plus amplius aliud quod fieri poſſet non fuit, quam ut antefato glorioſiſſimo Leontio, de quo tanta teſtificamini, cui & cauſſam ipſam aſſeritis commendatam, atque Joanni fratri & coepiſcopo noſtro, de cujus ſanctitate & ſolicitudine certi ſumus, hujus negotii audientiam mandaremus: hortantes ut & veritatem cum omni ſtudeant ſubtilitate perquirere, & ita contentionibus partium ſecundum juſtitiam citius finem imponere, quatenus nec homines ſanctæ fraternitatis veſtræ longa valeat illic dilatio retinere, nec pars altera inaudita ſe pati præjudicium conqueratur. Quidquid enim alteri hac de re fuerit ſtatutum, certi eſtote quia ſine mora complebitur. Nam ſicut ſine judicio quemquam nolumus condemnari, ita quæ diffinita fuerint nulla patimur excuſatione differri. Omnipotens autem Deus ſua vos protectione atque propitiatione circumtegat, greſſuſque veſtros in timoris ſui tramite conſervet, voſque pro me ad orandum excitet, ut & veſtris interceſſionibus mea ſtudia in viam vitæ dirigantur.

* Al. Marischo ep. 17 & 60 [illegible]

## LI. AD LEONTIUM EXCONSULEM.

De cauſſa Libertini, & quia ira viri cauta eſſe debeat, ne judicii ac juſtitiæ ratio perturbetur.

*Gregorius Leontio exconſuli*

CAutionis exemplar Libertini ad me ſtuduit gloria veſtra tranſmittere, quatenus mihi oſtenderet cum qua obligatione vel mente ad præfecturæ dignitatem idem Libertinus acceſſerit. Quæ a glorioſo fratre meo palatino patricio vel conſiliario meo viro magnifico Theodoro relecta, mihi ſubtiliter inſinuata eſt, atque execrabilis mihi & cunctis apparuit qui cognoſcere * voluerunt. Sed debet gloria veſtra meminiſſe quia nunquam epiſtolas meas pro commendatione alicujus accepit, niſi ut protectionem veſtram, favente juſtitia, præſtaretis. Et quia de eodem Libertino tota ſimul provincia gratias referebat, * indicavi. Nam vel quis eſſet, vel quales cauſſas habuerit, neque unquam profeſſus ſum, nec hactenus ſubtiliter ſcio. Nam licet in iſta cauſſa cautionis culpabilis invenitur; & de aliis cauſſis quid pro ſe alleget neſcio: unum hoc tamen bene atque conſtanter novi, quia & ſi quam rebus publicis fraudem fecit, ſubſtantia ejus cædi debuit, non libertas. Nam in hoc quod liberi cæduntur, ut taceam quod omnipotens Deus offenditur, ut taceam quod veſtra opinio vehementer gravatur: piiſſimi tamen imperatoris noſtri omnino tempora fuſcantur. Hoc enim inter reges gentium & imperatores Romanorum diſtat, quia reges gentium domini ſervorum ſunt, imperator vero Romanorum dominus liberorum. Unde & vos quidquid agitis, prius quidem ſervata juſtitia, deinde cuſtodita per omnia libertate agere debetis. Scriptum eſt: *Quod tibi non vis fieri, vide ne ipſe alteri feceris.* Et per ſemetipſam veritas dicit: *Quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos facite eadem illis.* Libertatem ergo eorum qui vobis in diſcuſſionem commiſſi ſunt ut veſtram ſpecialiter attendere debetis: & ſi ipſi a majoribus veſtris injuriari libertatem veſtram non vultis, ſubjectorum veſtrorum honorando libertatem, cuſtodire debetis. Scimus enim qui dixit: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Cujus quia verba non tranſeunt, ſed per omnia implentur, metuamus quod iterum dicit: *In qua menſura menſi fueritis, in ea * remetietur vobis.* Quid autem gloria veſtra exiſtimat, quia ſi ſuperbe, ſi crudeliter agimus, deſpecto Deo nobis homines placamus? Nullo modo. Nam ipſe qui deſpicitur, eum contra nos, quem deſpecto Deo placare volumus, irritat. Curemus ergo per omnia placare Deum, qui potens eſt etiam iratos homines ad manſuetudinem reducere. Nam, ſicut dixi, etiam manſueti homines indignante Deo ad iracundiam provocantur. Si autem dicitur quia ſine verberibus atque terroribus fraudes publicæ invenire non poſſunt, hoc admittere poteram, ſi in ratiociniorum cauſſa dominus Leontius non veniſſet. Nam verum eſt, quia illi ſolent manibus excedere, qui in ſenſu & lingua deficiunt: de qua re ſe mihi veſtra gloria non valet excuſare. Nam vel quæ auditis, vel quid dicitis, ſubtiliter exquirens, inveni quia homines ſine cauſſa cæditis, qui auxiliante Deo verbis agere omnia poteſtis. De cauſſis vero eorum quos diſcutitis, verum fateor, quia multa audiens quæ nunquam ante cognovi, vehementer erubeſco. Unde & vobis & piiſſimo domno imperatori taceo. Nam ſi mihi conſtare potuiſſet, quia juſtas cauſſas de ſuis rationibus haberent, prius per epiſtolas vos pulſare habui, & ſi auditus minime fuiſſem, ſereniſſimo domno imperatori ſuggererem. Sed quia mihi de ſuorum rationibus nihil * dico. Turpe eſt enim me hoc defendere, quod prius mihi non conſtiterit juſtum eſſe: quia ego homines propter juſtitiam diligo, non autem juſtitiam propter homines poſtpono. Ita ergo age, glorioſe fili, ut in actione commiſſa prius illum habeas placatum qui continet omnia, ac deinde ſereniſſimi principis utilitatem cum omni ſolicitudine impleas. Nam & in ejus actione, a quo tibi commiſſa eſt, eſſe negligentem, non ſine peccato exiſtimo. Sed quia omnipotente Deo largiente, idonea eſt veſtra ſapientia & rationes vigilanter ac ſubtiliter exquirere, & creatoris vobis judicium per manſuetudinem placare, quotiens ira in animum invadit, mentem edoma, vince teipſum. Differ tempus furoris, & cum tranquilla mens fuerit, quod placet * vindica. Ira enim in vindictam malorum ſequi debet rationem animi, non præire, ut quaſi ancilla juſtitiæ, poſt tergum veniat, & non laſciva ante faciem prorumpat. Aliquando vero oſtendenda eſt, & non exhibenda. Aliquando exhibenda eſt, ſed numquam ſequenda. Quando enim in executione juſtitiæ placata mente iraſcimur, iracundiam & non ſequimur, & exhibemus. Ira enim quæ animum perturbat, quanta conſideratione cavenda eſt, monſtratur.

Margin notes: [illegible] 14 … Joan. … lib. … ep. … ; * valuerunt Paris. ; * al. indicari ; Tob. 4. Matth. 7. ; Matth. 24. ; Matth. 7. * metietur Paris. ; * conſtat, ideo, ſicut dixi, & vobis & piiſſimo principi hactenus nihil dico. Turpe &c. Paris. ; * judica Paris.

tur. De qua ſcriptum eſt: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri juſtitiam Dei non operatur.* Hinc rurſus ſcriptum eſt: *Quis poteſt habitare cum homine, cujus ſpiritus facilis eſt ad iraſcendum?* Hinc iterum dicitur: *Noli eſſe cum homine iracundo, neque ambules cum viro furioſo: ne forte diſcas ſemitas ejus, & ſumas ſcandalum animæ tuæ.* Contra hanc in laude patientiæ dictum eſt. *Melior eſt vir qui vicit iram, quam qui capit civitatem magnam.* Hinc David perſonam in ſe infirmorum ſumens ait: *Turbatus eſt præ ira oculus meus.* Atque ex ipſa turbatione quid ſequatur, adjunxit: *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* Ex ira quippe cum turbatus fuerit oculus cordis, inter inimicos noſtros ad vetuſtatem deducimur: quia inter malignos ſpiritus ad vetuſti hominis ſimilitudinem revocamur. Cum igitur iram, quæ cor permovet, ſacra eloquia tot teſtimoniis deteſtentur, perpendamus qua intentione debemus hoc vitium fugere, quod Deo judice in teſtimonium illius totiens reprobatur. Alia quoque occurrit opinio: quia alii * præ aliis gravantur, & * ex quibuſdam, quæ ex principali juſſione expenſa ſunt, minime reputantur. Quod ſi verum ſit neſcio. Si tamen ita eſt, hoc omnino facere & pro timore æterni judicii, & pro ipſius humanæ conſiderationis ratione minime debetis. Ecce, glorioſe fili, amore Dei tuoque provocatus, C cuncta quæ ſenſi, cuncta quæ audivi, breviter indicavi. Sapientis autem viri eſt & breviter audita latius penſare, & quæque Deo diſplicent in celeritate corrigere. Omnipotens Deus cæleſtis vos gratiæ protectione circumdet, ut hic vos & a pravis actibus, & a perverſis hominibus tueatur, & apud ſe poſtmodum in æterna patria pia remuneratione lætificet.

Jac. 1.
Prov. 18.
Prov. 22.
Prov. 16.
Pſalm. 6.
* al. pro.
* ex quib. in Pariſ.

## LII. AD AMANTINUM.

De cautionibus Joannis palatini. De perſona Libertini.

*Gregorius * Amantino domeſtico.* D

* Amandino. Pariſ.

EA quæ per Paulum [illegible]em præſentium & & Timarchum excubitorem gloria veſtra tranſmiſit, eo quo voluiſtis modo ſuſcepta ſunt. Sed & excellentiſſimo filio noſtro exarcho per ſupraſcriptum excubitorem qui ad eum profectus eſt ſcripſimus, ut cautiones agentium vices Joannis præfecti ſimul & palatini huc tranſmittere debeat: indicantes ei, quia niſi illas direxerit, uſque ad adventus veſtros ea quæ a gloria veſtra tranſmiſſa non tangantur, ſed vobis remeantibus conſerventur. De perſona autem glorioſi Libertini quædam ad nos ante pervenerant, & neceſſe fuit ut ea vobis ſicut revera filiis quos diligimus minime tace- E remus. Et quantum in gloriæ veſtræ epiſtolis invenimus, moleſte illa, quod non decuit, ſuſcepiſtis: quando nihil aſperum ſcripſiſſe meminimus, ſed hortati ſumus ut cum eo caritatem & gratiam haberetis. Sed quia ad hæc aſpera vobis reſcribentibus, ne ipſam ad nos epiſtolam mitteretis, per ſomnium vos ſcripſiſtis eſſe prohibitos, omnipotenti Deo gratias agimus, qui ſic vos vigilantes cuſtodit, ut etiam dormientes admoneat. Sed quia in eodem ſomnio & a me vos de eadem cauſſa re[illegible] [illegible] ſollicitis, qualis ſim vel ex hoc col[illegible] quando vos paterna adhortatione commoneo, moleſte ſuſcipere non [illegible], quia qui dormientibus parvus ſum, vigilantibus duplex eſſe non patior.

## LIII. AD ROMANUM DEFENSOREM.

De inſulis Neapolitanis.

*Gregorius Romano defenſori.*

PErvenit ad nos quod quidam prava voluntatis ſtudio contra ſeniores & cives Neapolitanæ civitatis de inſulis juris eorum Leon- B tio glorioſo filio noſtro nitantur * ſurripere, ut eos injuſte damnis poſſint afficere atque affligere. Idcirco tibi hac præceptione injungimus ut debeas eſſe ſolicitus, quamvis apud eum nullus locus ſurreptionis hac de cauſſa inveniatur ubi forte aliquid dictum fuerit vel ipſum præjudicialiter quid, quod non credimus, facere forte cognoveris, ex noſtro illi mandato dicere te volumus, ut malorum hominum verbis aſſenſum præbere, & in hoc peccato ſe immiſcere non debeat: quia licet retro principum juſſionibus omnino de eiſdem inſulis ſint muniti, nobis tamen dum in regia urbe fuimus ſuffragantibus, ita ſereniſſimi domni Mauritii principis elicita juſſione eorum ſtricte jura munita ſunt, ut non habeant unde juſte debeant formidare. Pro qua re ut & tu diligentius [illegible] formari, & antedicto glorioſo filio noſtro, [illegible] cauſſa ſe dederit, liquido ſatisfacere valeas, earum tibi juſſionum exemplaria prævidimus tranſmittenda. Sed ſi neceſſarium fuerit, ipſas facimus authenticas deſtinari. Tantum eſt, ut ſicut diximus, ſtudeas eſſe ſolicitus, ut * ſurripiendi cuiquam illic locus non pateat.

* ſubripere
* ſubripiendi

## LIV. AD BONUM EPISCOPUM MESSANENSEM.

Gregorium expræfecto commendat.

*Gregorius * Bono epiſcopo Meſſanenſi.*

* Dono vel Domno Deo, Par.

LIcet glorioſus filius noſter Gregorius expræfecto magnam de fraternitate veſtra certitudinem habeat, ut ſacerdotalem ſibi a vobis impendi affectum non dubitet: quia tamen caritatis veſtræ modum noſtra rogante commendatione ſidit augeri, his vos epiſtolis prævidimus adhortandos, ut utilitati ipſius concurrere, atque in ejus juvamine impendere vos quæcumque ſuaſerit ratio debeatis. Et quia aliqua apud fraternitatem veſtram pro ſua, ut ait, cautela agere deſiderat, locum apud vos, ſicut revera decet ſacerdotes, inveniat, & paterna ſibi competenti dilectione vos cognoſcat: quatenus dum ſolicitudinis cura ipſius veſtræ caritatis ſtudio fuerit relevata, & ipſe confidentiam quam de vobis gerit operibus valeat experiri, & fraternitas veſtra poſtulantium deſideriis ſe videatur ſalubriter impendiſſe.

## LV AD LEONTIUM EXCONSULEM.

Gregorium expræfecto commendat.

*Gregorius Leontio exconſuli.*

CUm juſtitiæ vigor in cognitione veſtra, & veritas juvare ſufficiat quos tuetur, cujuſquam apud vos commendatione opus non fuerat: quippe qui ea quæ pro æquitate petenda ſunt ex vobis impenditis. Sed ne poſtulantium deſideria, qui bonorum filiorum ſtudium paterna creſcere adhortatione confidunt, poſtponere videamur; idcirco illa apud gloriam veſtram agere quæ ultro exhibetis omnibus modis invitamur. Ea propter paterna dilectione vos ſalutantes petimus, ut glorioſo viro filio noſtro Gregorio expræfecto caritatis gratiam, qua eſtis præditi, largius tribuatis; quatenus & ille quidquid æquitatis in veſtra benignitate confidit veris poſſit effectibus experiri, & nos bona quæ de vobis multipliciter prædicantur addiſcentes, aſſidue pro gloriæ veſtræ incolumitate omnipotentem valeamus dominum deprecari.

## LVI AD AMANTINUM DOMESTICUM.

Gregorium expræfecto commendat.

*Gregorius Amantino domeſtico.*

* Amantino Paul.

COnfidentes quod gloria veſtra ſe in amicorum ſuorum ſolatiis devotam ſemper exhibeat, eorum vobis cauſſas commendare quos diligitis ſtudemus. Atque ideo ſalutantes petimus ut glorioſus filius noſter Gregorius, quales nos hic habuit, illic vos tales inveniat, & tam apud glorioſum filium noſtrum Leontium, quam alibi quocumque neceſſe fuerit, gloriæ veſtræ ſolatia conſequatur, ac magnam in vobis conſolationem inveniat, & quantum poſſibile eſt, ne cuiquam injuſtæ poſſit afflictioni vel gravamini ſubjacere, gloriæ veſtræ ſolicitudo ſtudio vigilanti provideat, ut tranquillo maturoque hoc ſtudeat conſilio declinare: quatenus dum vos, ſicut decet, adjutores habuerit, & ipſe & nos amplius cognoſcere valeamus. Quia ſicut de gloria veſtra præſumimus, non ad faciem, ſed quod eſt valde laudabile, puras noſtis & amicitias exhibere.

## LVII. AD SECUNDINUM ET JOANNEM EPISCOPOS SICILIÆ.

Gregorium commendat.

*Gregorius Secundino & Joanni epiſcopis Siciliæ.*

BOnorum nos hortatur dilectio filiorum, utilitatibus eorum ſtudioſe concurrere, & eos inquantum ratio ſuppetit adjuvare. Et ideo quia quantum ſe glorioſus filius noſter Gregorius expræfecto benigne cunctis exhibuit, tanto omnium debet uti ſolatiis: fraternitatem veſtram his hortamur affatibus, ut illic venienti tam apud Leontium glorioſum exconſulem in diſponendis rationibus ſuis, quam A apud alios ubi cauſſa popoſcerit, opem ferre, & partes illius ſublevare favente juſtitia feſtinetis, ut vobis ſacerdotaliter concurrentibus, nullam moleſtiam vel diſpendium contra ordinem poſſit æquitatis incurrere. Quem ſi, quod non credimus, gravari fruſtra in aliquo ſenſeritis, apud prædictum glorioſum virum agere vos epiſcopali modeſtia ſervata neceſſe eſt, ut verbum quod ei per * Alimarchum virum magnificum ſcribonem præbuit, cuſtodire debeat ac ſervare, atque illum irrationabiliter affligi vel ſuſtinere diſpendium minime patiatur. Ita ergo fraternitas veſtra ſe erga eum ſolicitam curet oſtendere, & in ejus ſe cauſſis ſecundum Deum ſtudeat exhibere, ut B & ſacerdotale in vobis ſubſidium, & paternam inveniat caritatem.

* Azimarchum. ita & in Tavf.

## LVIII. AD BONIFACIUM EPISCOPUM REGIENSEM.

De querimonia Gregorii adverſus eum.

*Gregorius Bonifacio epiſcopo Regienſi.*

SAcerdotali procul dubio convenit gravitati, ut ſi quas eccleſiæ ſuæ cauſſas habuerit, aut pacifica eas ordinatione, ſi fieri poteſt, aut certe judicio interveniente ſine mora diſ- C finiat, ut, ſublata e medio contentionis materia, ſola illic cum filiis ſuis pacis poſſit concordia permanere. Indicavit itaque nobis glorioſus filius noſter Gregorius expræfecto, quod inter ſe & eccleſiam veſtram de locis quæ competunt aliqua ſit orta contentio. Ob quam rem hortamur, ut eam aut ceſſante jurgio finiatis, aut certe dilatione ſubmota eccleſiæ veſtræ actores ad electorum ire judicium faciatis, ut eorum diffinitione præcedente, nec ille contra juſtitiam gravari, nec veſtra præjudicium videatur eccleſia ſuſtiner. Quia vero homines ſuos & poſſeſſiones quas illic habet voluit vobis commendari, oportet ut veſtra ſe caritas in ejus cauſſis quodcumque ratio in- D vitaverit non omittat impendere. Atque ita eum in quibuſcumque valuerit juvare feſtinet, ut concurrentibus vobis abſentem ſe a ſuis utilitatibus eſſe non agnoſcat.

## LIX. AD JOANNEM EPISCOPUM, &c.

Homines Gregorii commendat.

*Gregorius Joanni & Fortunato epiſcopis, & Anthemio ſubdiacono.*

EA quæ filiis noſtris ultro nos decet impendere negare eis petentibus non debemus. Et ideo quoniam filius noſter glorioſus Gre- E gorius expræfecto poſſeſſiones, quas illic habet, vel homines ſuos fraternitati veſtræ a nobis ſtuduit commendandos, ſcriptis vos præſentibus adhortamur, ut utilitatibus ejus ſalva ratione concurrere, & poſſeſſiones ejus atque homines tueri, ſicut deſiderat, debeatis: nec eos contra juſtitiam a quibuslibet vexari, aut patiamini prægravari. Sed id agite, ut initione veſtra prædicti filii noſtri ſupplere præſentiam valeatis: quia ita ſe, ſicut noſtis, bene exhibuit cunctis, ut omnium ſolatia habere mereatur.

LX.

A

## LX. AD AZIMARCUM SCRIBONEM.

De infirmitate Gregorii.

*Gregorius Azimarcho ſcriboni.*

QUod præſentium portitor glorioſus filius noſter Gregorius tarde ad Siciliam venit, non voluntate diſtulit, ſed ita infirmitate corporis debilis factus eſt, ut vix in multis diebus reparari potuerit. Cujus debilitatis indicia etiam ipſi adhuc in eo cognoſcetis. Mox autem ut aliquantulum convaluit, venire illuc, ſicut magnitudini veſtræ promiſerat, non neglexit. Quod ideo his apicibus ſcribendum prævidimus, ne eum diſtuliſſe ſponte credentes, hanc moram ejus forſitan ſtudio factam putaretis. B

## LXI. AD ROMANUM DEFENSOREM.

De Gentione viro magnifico.

*Gregorius Romano defenſori.*

QUoniam filius noſter Gentio vir magnificus ſcribo tantæ Deo propitio bonitatis eſt, ut valde ſit diligendus, ſi quid ei potuiſſemus conferre, debuimus. Voluerat enim poſſeſſionem juris eccleſiaſtici ſub ſpecie libel- C lorum tenere. Sed propter malos ſcribones judicavimus in hac nos cauſſa nec bono committere. Proinde excepta de poſſeſſione quæ potuerunt in ejus utilitatem verti, eadem volumus ejus magnitudini ſingulis annis offerri: id eſt, porcos viginti, qualiter ipſe prævideris, verveces viginti, & gallinas ſexaginta. Quæ omnia volumus in exceptis reputari.

## LXII. AD ADEODATAM.

De reliquiis ei conceſſis, quæ multitudine miraculorum differebantur.

*Gregorius Adeodatæ illuſtri feminæ.*

UT moram in dandis reliquiis quas gloria veſtra petit faceremus, non voluntate diſtulimus, ſed præcedentis rei nos caſus fecit ambigere. Deus autem omnipotens cordis veſtri devotionem intuens, miraculorum ſignis admonentibus a veſtra vos intentione fraudari non pertulit. Sed ideo deſiderium veſtrum modica voluit dilatione differri, ut docentibus miraculis, & amor vobis creſceret in veneratione ſanctorum, & major fieret exultatione gaudiorum. Quia ergo in affectu poſtulatæ rei gloriæ veſtræ vota completa ſunt, hortamur ut cujus prædicatores colitis, ejus ſolicite mandata ſervetis. E Et ſicut religioſa devotione terrena ſanctorum honoribus loca conſtruitis, ſic quoque cum eis manſionem vobis procurare in cæleſtibus feſtinetis, quatenus & hic illos in omnibus adjutores, & in futura mereamini habere vita conſortes.

## LXIII. AD DECIUM EPISCOPUM LILYBETANUM.

De conſecratione eccleſiæ, & ejus dote.

*Gregorius Decio epiſcopo Lilybetano.*

ADeodata glorioſa femina petitoria nobis inſinuatione ſuggeſſit, quod habetur in ſubditis: in domo ſiquidem juris ſui intra civitatem Lilybetanam monaſterium ancillarum Dei a ſolo ſe pro ſua devotione fundaſſe, quod in honorem beati Petri principis apoſtolorum, & ſanctorum Chriſti martyrum Laurentii, Hermetis, Pancratii, Sebaſtiani, & Agnetis deſiderat conſecrari. Et ideo, frater cariſſime, quia in tua civitate memorata conſtructio jure conſiſtit, ſi nullum corpus ibidem conſtat humatum, percepta prius donatione legitima, id eſt, in reditu præſtantes liberos a tributis fiſcalibus ſolidos decem, pueros tres, boum paria tria, mancipia alia quæ ſerviant in ipſo monaſterio numero quinque, equas numero decem, vaccas decem, haſtulas vinearum numero quatuor, oves numero quadraginta, & cetera ſecundum morem.

## LXIV. AD HILARIUM NOTARIUM.

De navi Adeodatæ abbatiſſæ data.

*Gregorius Hilario notario.*

NAvem in qua Vitalis præſentium portitor navigat, ad dilectiſſimam filiam noſtram Adeodatam abbatiſſam pro ſuſtentatione monaſterii ſui emiſſam cognoſcas. Quæ illuc veniente, hac tibi auctoritate præcipimus, ut ita eam in cunctis tuearis, atque ab omni angaria vel onere exuere excuſareque feſtines, ac ſi ſpecialiter noſtra ſit. Nam noſtri cauſſa in eodem monaſterio tanta congregatio, Deo propitio, degere comprobatur, ut plus illi ſolatiari atque concurrere quam noſtræ in omnibus feſtinemus eccleſiæ. D Et ideo poſtquam voluntatem noſtram experientia tua circa prædictum monaſterium talem eſſe cognoſcit, ita ſe in tuitione ſupradictæ, ut diximus, navis impendat, ut te illic poſito nullam moram vel impedimentum ab aliquo valeat ſuſtinere. Nam ſi, quod non credimus, in aliquo negligens eſſe tentaveris, vehementer te noſtram noveris offenſam incurrere.

## LXV. AD MEDIOLANENSES.

De obitu Conſtantii epiſcopi, & alio epiſcopo eligendo. *Iraſcitur in Tor. ad in. lib. XIV*

*Gregorius populo, presbyteris, diaconis & clero Mediolanenſi.*

QUantus nos de obitu fratris & coepiſcopi noſtri Conſtantii mœror afficiat, paginali explere locutione non poſſumus. Sed quam multa bona partes illæ in uno homine perdiderunt, utinam vicinæ repentinæ calamitate non ſentiant. Nam quemadmodum ſolicitus in eccleſiaſticæ regulæ diſciplinæ, vel quam fuerit vigilans in tuitione civitatis veſtræ, non habe-

habemus incognitum. Sed quoniam obeunte A paſtore ſine proprio vos eſſe non decet antiſtite, omnino grate ſuſcepimus quod Deuſdedit diaconum veſtrum ad epiſcopatus officium vos unanimes elegiſſe, Deo auctore, ſignaſtis. Unde quia bonorum ſtudiorum deſideria nulla debet tarditas impedire, vota in eo veſtra complere cum Dei gratia feſtinamus. Et quia prædictus vir nobis non moribus, ſed ſolum ſpecie tenus notus eſt; oportet ut quanto in hac electione non ſolum veſtram utilitatem, ſed etiam cauſſam Dei agi cognoſcitis, tanto debeatis eſſe ſoliciti. Et ſi ſubtiliter requirentes, nihil eſt quod ei ex anteacta vita criminis per ſacros poſſit canones obviare aut ſi ad tenendum diſciplinam, vel exhibendum re- B gimen idoneus reperitur; atque cunctorum in ejus, ſicut ſcribitis, electione concordet aſſenſus, divinitatis gratia ſuffragante eum præſentium ſcriptorum auctoritate ſolenniter decernimus ordinari. Illud autem quod vobis ab Agilulfo indicaſtis ſcriptum, dilectionem veſtram non moveat. Nam nos in hominem qui non a catholicis, & maxime a Longobardis eligitur, nulla præbemus ratione conſenſum. Nec ſi alicujus præſumptionis uſurpatione factum fuerit, in locum vel ordinem illum ſacerdotis ſuſcipimus: quia vicarius ſancti Ambroſii indignus evidenter oſtenditur, ſi electus a talibus, ordinatur. Nec enim eſt quod vos hac ex cauſſa deterreat, vel aliquam C vobis neceſſitatem incutiat: quia unde poſſunt alimenta ſancto Ambroſio ſervientibus clericis miniſtrari, nihil in hoſtium locis, ſed in Sicilia & in aliis reipublicæ partibus, Deo protegente, conſiſtit. Ut igitur in ordinando eo qui a vobis electus eſt nulla poſſit mora contingere, Pantaleonem notarium noſtrum tranſmiſimus, qui eum, ut moris eſt, annuente conſenſus noſtri auctoritate faciat conſecrari. Cui etiam, quia de poſſeſſiunculis, quas quondam Magnus presbyter commiſſas habuerat, vel de aliis eccleſiæ noſtræ utilitatibus curam gerere, vel quid aliud debeat, in præſenti mandavimus, veſtra ſe dilectio in omnibus devota, ut decet, ſtudeat ex- D hibere.

## GREGORII MAGNI PAPÆ I.

### Epistolarum Liber IX.

### *INDICTIONE IV.*

### I. AD INNOCENTIUM AFRICÆ

### Præfectum.

De Victore Fauſianenſi epiſcopo, qui conqueritur mulctas in ſacris locis fieri, & alia indigna exerceri.

*Gregorius ſervus ſervorum Dei Innocentio Africæ Præfecto.*

QUi pravorum actuum eminentiam veſtram vindicem eſſe deſiderat, quid de æquitatis ejus bono ſentiat æſtimatis. Proinde reverendiſſimi fratris & coepiſcopi noſtri Victoris Fauſianenſis epiſcopi plenam vobis doloribus querelam deferimus, ut & malos ab actione * propterea corrigatis, & ab injuſtitia E quam ſuſtinet oppreſſos eruatis. Queritur ſiquidem ſupradictus frater noſter mulctas in locis * ſacris violantes, multaque alia contra * Dei timorem Africanos judices exercere: denique ut duplicia illic tributa, quod auditu ipſo intolerandum eſt, exigantur. Et quia hujus mali emendatio veſtræ ſpecialiter auctoritatem dignitatis expectat; petimus ut ſubtili indagatione perquirere, & ita hoc Deo vobis imperante debeatis corrigere, quatenus afflictis pro mercede animæ veſtræ protectione juſtitiæ ſuccurratis, & hujus emendationis exemplo alios in futuro a pravis actionibus arceatis *.

* prepopere ſeu perpera. Pariſ. per [illegible]

* ſolo. Pariſ.

* addidi mo-[illegible]. Pariſ.

* In Pariſ. add. menſe octobri indict. IV.

### II. AD MARINIANUM RAVENNÆ

### Episcopum.

Pollicetur ſe diaconum Anatolio commendaturum, & de perſona quadam ad ſacrum ordinem promovenda agit.

*Gregorius Mariniano epiſcopo Ravennæ.*

FRaternitatis veſtræ ſcripta ſuſcepimus, in quibus indicaſtis * Florentium diaconum veſtrum pro utilitatibus eccleſiæ veſtræ ad urbem regiam vos velle tranſmittere. Et quia voluiſtis ut eum dilectiſſimo filio noſtro Anatolio diacono ſuperſcriptis debuiſſemus apicibus commendare; ſcribere ei curavimus, ut illi in quibus neceſſe fuerit & valuerit adeſſe non differat: ipſaque ſcripta ad vos tranſmiſimus, ut ſecum ea quam direxeritis perſona debeat deportare. De perſona vero quam in ſacro vos dicitis velle ordine promovere, videtur nobis, ut ſi nihil eſt quod vitæ ejus obſiſtat, & ei a nullo res quam indicaſtis objicitur, quod viſum vobis fuerit faciatis. De aliis vero cauſſis voluimus vobis, ut ſolicitudinem gereretis, ſcribere. Sed poſtquam unam vobis commiſimus, quæ per neglectum veſtrum deperiit, de aliis tacere elegimus, ne & ipſas ſimiliter perderemus.

* al. Florentinum.

### III. AD ANATOLIUM DIACONUM.

Diaconum Mariniani epiſcopi commendat.

*Gregorius Anatolio Diacono Conſtantinopolitano.*

FRater & coepiſcopus noſter Marinianus ad urbem regiam pro eccleſiæ ſuæ utilitatibus diaconum ſuum ſcripſit ſe velle tranſmittere. Et quia eum dilectioni tuæ magnopere voluit commendari: ſcriptis præſentibus adhortamur, ut ubicumque neceſſe fuerit, ſalva ei ratione concurras, & ita in cunctis illi opitulari feſtines, ut caritatem tuam, de qua prædictus frater noſter valde confidit, cognoſcat in opere.

IV.

## IV. AD ALEXANDRUM PRESBYTERUM.

Patrimonium eccleſiæ Ravennæ diminutum commendat.

*Gregorius Alexandro * presbytero Siciliæ.*

* presbri.

QUi de filii caritate non dubitat, commendare ei quos diligit non recuſat. B Et ideo quia patrimonium eccleſiæ Ravennatis, quod in Sicilia conſtitutum eſt, ita dicitur diminutum, ac ſi nullus eſſet qui utilitates ipſius illic agere potuiſſet: neceſſe fuit reverendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Marinianum de ordinando patrimonio ipſo ne amplius decreſceret cogitare. Ad cujus gubernationem, quia Joannem diaconum ſuum tranſmiſit, paterno ſalutantes affectu petimus, ut ei tamquam a nobis miſſo, ſicut de vobis confidimus, caritatem in omnibus impendatis.

## V. AD LEONEM EPISCOPUM CATANENSEM.

Severum commendat.

*Gregorius Leoni epiſcopo Catanenſi.*

FIlius noſter Severus vir magnificus præſentium lator ad Siciliam venire deſiderans, noſtris ſe apud fraternitatem veſtram petiit epiſtolis commendari. Venientem ergo cum ſacerdotali qua decet caritate ſuſcipite, eique in quo uſus exegerit veſtra ſolatia miniſtrate, quatenus vobis coram poſitis in nullo ſe contra juſtitiam ſentiat laborare, ſed magis auxilii veſtri ope ſuffultus, quiete ſua, quam ſtudioſe diligit, ſecurus perfruatur, noſque de ejus tranquillitate, quæ illic per vos fuerit procurata, lætificari poſſimus.

## VI. AD TALITANUM.

Patrimonium eccleſiæ commendat a publicorum hominum moleſtiis defendendum.

*Gregorius Talitano.*

CUm tanta nos de vobis oporteat caritate præſumere, ut ſi eccleſiæ noſtræ utilitates apud alios agerentur, veſtram illic gloriam adhiberemus adjutricem, ſatis debemus, quoniam in vobis eſt cauſſa, gaudere. Quia E vos non oportet negligere quod amore beati Petri apoſtolorum principis præſtare ipſi apud alios poteratis. Quia igitur comperimus publici patrimonii curam veſtræ ordinationi eſſe commiſſam, idcirco paterna dulcedine ſalutantes, patrimonium vobis, quod eſt noſtræ eccleſiæ, ſecundum juſtitiam commendamus. In quo ſi forte, ut fieri aſſolet, occaſione inventa homines publici aliquam velint inferre moleſtiam, hoc magnitudinis veſtræ bonitas fieri non permittat, ſed ab omni illud hominum inquietudine tueatur. Sicque

A ſalva ratione pauperum partes attendat, ut eleemoſynæ vicem impleat ſervata juſtitia, & vobis ex hoc ante Dei oculos major merces accreſcat. Hortamur, ergo, dilectiſſime fili, ut ſic vos benignos exhibere tam circa eccleſiæ noſtræ, quam diligitis, utilitates, quam etiam in omnibus curis eccleſiarum debeatis, quatenus & injuncta ſalubriter expleatis, & omnipotentem Deum vobis, quod ſummopere ſtudendum eſt, placabilem faciatis.

## VII. AD ROMANUM.

De Thecla abbatiſſa defendenda.

*Gregorius Romano defenſori.*

QUia Thecla abbatiſſa monaſterii ſanctæ Mariæ, quod Neapoli in domo quondam Felicis ſcholaſtici conſtitutum eſt, contra Alexandrum virum magnificum generum ipſius de quibuſdam rebus cauſſam habere dignoſcitur, & ad hoc præſentium portitorem tranſmiſit, ut cauſſa ipſa illic cum eo, ſi poteſt fieri, pacifice decidatur; hac experientiæ tuæ auctoritate præcipimus, ut ei quocumque uſus exegerit, ſalva ratione, ſolatiari ac con- C currere non omittat. Sed & prædictum virum magnificum hortari ſtudeat, ut omni contentione ceſſante, ad deciſionem cauſſæ ipſius, pacis & ipſe intentione pervenias, ne ſi negligendum putaverit, cum ſtrepitu poſtea & diſpendio cogatur efficere quod bona voluntate implere poſtponit: quia ſicut edocti ſumus, ſfrequenter jam prædictæ abbatiſſæ per epiſtolas ſuas promiſit ipſam decidere, & facere hoc hactenus ſuperſedit. Tua ergo experientia ita agat, ut aut ipſa cauſſa, ſicut diximus, decidatur: aut ſi certe differre voluerit, & videris quia facere quæ pacis ſunt non volet, ſubtiliter nobis ea ipſa renuntia, ut quid pro utilitate monaſterii memorati agi debeat, ſciamus.

## D VIII. AD CONONEM ABBATEM LIRINENSEM.

Qua cura & ſolertia monaſterium ſibi commiſſum regere debeat, & de Columbo presbytero, quem commendat.

*Gregorius Cononi abbati monaſterii Lirinenſi.*

PRæpoſitorum ſolicitudo ſubjectorum eſt cautela, quia qui ſuper rem creditam vigilat, hoſtis inſidias declinat. Quam autem ſolers ſis in regendis fratribus, quantoque ſtudio in eorum cuſtodia vigilans, reverendiſſimo fratre & coepiſcopo noſtro Menna referente cognovimus. Et ſicut nos audita deceſſoris tui incauta remiſſio ſæpius contriſtavit; ita proviſionis tuæ ſolicitudo lætificat: quia ſtudii tui cautelam, & tibi ad remunerationem, & aliis ad utilitatis exemplum prodeſſe non dubium eſt. Sed quia quantum ſe adverſarius noſter ex omni parte præcaverit cognoſcit, tanto per occulta quærit irrumpere, & repugnantem ſibi callida arte nititur dejicere; dilectionis tuæ vigilantia ardentiori ſe ſemper cura ſuccendat, & ita cuncta Deo adjuvante

vante præmuniat, ut lupus ſæviens huc illucque diſcurrens, in oves dominicas ingrediendi locum non habeat. Eos ergo qui tibi commiſſi ſunt, a gula, a ſuperbia, ab avaritia, a vaniloquio, & ab omni immunditia redemptoris noſtri ſuffragante gratia prohibere, ac ſtudii tui ſit per omnia cuſtodire: ut tanto tibi major de commiſſa gubernatione merces accreſcat, quanto ſubjecti tui contra adverſarii nequitias te fuerint vigilante victores. Itaque boni te dulcem, pravi ſentiant correctorem. In qua videlicet correctione hunc eſſe ordinem noveris obſervandum, ut perſonas diligas, & vitia perſequaris: ne ſi aliter agere fortaſſe volueris, tranſeat in crudelitatem correctio, & perdas quos emendare deſideras. B Sic enim vulnus debes abſcindere, ut non poſſis ulcerare quod ſanum eſt; ne ſi plus quam res exigit ferrum impreſſeris, noceas cui prodeſſe feſtinas. Ipſa enim in te dulcedo cauta, non remiſſa ſit: correctio vero diligens ſit, non ſevera: ſed ſic alterum condiatur ab altero, ut & boni habeant amando quod caveant, & pravi metuendo quod diligant. Hæc, dilectiſſime fili, ſolicite attende, ſtudioſe cuſtodi: ut dum tali moderatione Deo noſtro incolumes quos ſuſcepiſti reddideris; in die æternæ retributionis eo dicente audire ſis meritus: *Euge ſerve bone & fidelis, quia in pauca fidelis fuiſti, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium domini tui.* (Luc. 19.) Filium præterea noſtrum Columbum presbyterum, qui caritati tuæ ſuis eſt meritis commendatus, in tua dilectione proficere optamus, & ex noſtra commendatione.

## IX. AD SERENUM EPISCOPUM MASSILIENSEM.

Ut populum, quem imagines ſacras in eccleſia confringendo alienarat, demulcere ſtudeat, docens ſibi earum uſum non diſplicere, & ut malos homines a contubernio & ſocietate ſua removeat.

*Gregorius Sereno epiſcopo Maſſilienſi.*

Literarum tuarum primordia ita ſacerdotalem in te eſſe benevolentiam demonſtrabant, ut major nobis fieret de fraternitate tua lætitia. Sed tantum earum finis a ſuis diſſenſit initiis, ut non unius, ſed diverſarum eſſe mentium talis crederetur epiſtola. Ex illo autem quod de ſcriptis noſtris quæ ad te miſimus dubitaſti, quam ſis incautus apparuit. Nam ſi diligenter ea quæ fraterno amore monuimus attendiſſes, non ſolum minime dubitaſſes, quinimo quid te ſacerdotali gravitate oporteret agere cognoviſſes. Neque enim Cyriacus quondam abbas, qui ſcriptorum noſtrorum portitor extitit, iſtius diſciplinæ vel eruditionis fuit, ut vel ipſe aliud facere, ſicut putas, auderet, vel iſtam de ejus tibi perſona ſuſpicionem falſitatis aſſumeres. Sed dum monita ſalubria penſare poſtponis, contigit ut jam non ſolum actu, verum etiam eſſes interrogatione culpabilis. Perlatum ſiquidem ad nos fuerat, quod inconſiderato zelo ſuccenſus, ſanctorum imagines ſub hac quaſi excuſatione, ne adorari debuiſſent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuiſſes omnino A laudavimus, fregiſſe vero reprehendimus. Dic, frater, a quo factum ſacerdote aliquando auditum eſt quod feciſti? Si non aliud, vel illud te non debuit revocare, ne deſpectis aliis fratribus ſolum te ſanctum & eſſe crederes ſapientem? Aliud eſt enim picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam quid ſit adorandum addiſcere. Nam quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis præſtat pictura cernentibus, quia in ipſa etiam ignorantes vident quod ſequi debeant, in ipſa legunt qui literas neſciunt. Unde & præcipue gentibus pro lectione pictura eſt. Quod magnopere a te, qui inter gentes habitas, attendi debuerat, ne dum recto zelo incaute ſuccenderis, ferocibus aniB mis ſcandalum generares. Frangi vero non debuit, quod non ad adorandum in eccleſiis, ſed ad inſtruendas ſolummodo mentes fuit neſcientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus ſanctorum depingi hiſtorias non ſine ratione vetuſtas admiſit, ſi zelum diſcretione condiiſſes, ſine dubio & ea quæ intendebas ſalubriter obtinere, & collectum gregem non diſpergere, ſed potius diſperſum poteras congregare: ut paſtoris in te meritum nomen excelleret, non culpa diſperſoris incumberet. Hæc autem dum in hoc animi tui incaute nimis motus exequeris, ita tuos ſcandalizaſſe filios perhiberis, ut maxima eorum pars a tua ſe communione ſuſpenderet. Quando ergo ad C ovile dominicum errantes oves adduces, qui quas habes retinere non prævales? Proinde hortamur ut vel nunc ſtudeas eſſe ſolicitus, atque ab hac te præſumptione compeſcas, ut eorum animos, quos a tua disjunctos unitate cognoſcis, paterna ad te dulcedine omni annisu omnique ſtudio revocare feſtines. Convocandi enim ſunt diſperſi eccleſiæ filii, eiſque ſcripturæ ſacræ eſt teſtimoniis oſtendendum, quia omne manufactum adorari non licet; quoniam ſcriptum eſt: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* (Luc. 4.) Ac deinde ſubjungendum eſt, quia picturas imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, ut neſcientes literas ipſam hiſtoriam inD tendentes quid actum ſit diſcerent, quia tranſiſſe in adorationem videras, idcirco commotus es, ut eas imagines frangi præciperes. Atque eis dicendum: Si ad hanc inſtructionem, ad quam imagines antiquitus factæ ſunt, habere vultis in eccleſia, eas modis omnibus & fieri & haberi permitto. Atque indica, quod non tibi ipſa viſio hiſtoriæ, quæ pictura teſte pandebatur, diſplicuerit; ſed illa adoratio quæ picturis fuerat incompetenter exhibita. Atque in his verbis eorum mentes demulcens, eos ad concordiam tuam revoca. Et ſi quis imagines facere voluerit, minime prohibe: adorare vero imagines modis omnibus * devita. (* veta) Sed hoc ſolicite fraternitas tua admoneat, ut E ex viſione rei geſtæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione ſolius omnipotentis ſanctæ trinitatis humiliter proſternantur. Cuncta vero hæc ex amore ſanctæ eccleſiæ tuæ fraternitati loquimur. Non ergo ex mea correptione frangatur a zelo rectitudinis, ſed magis adjuvetur in ſtudio piæ diſpenſationis. Præterea pervenit ad nos quod dilectio tua libenter malos homines in ſocietate ſua recipiat, adeo ut presbyterum quemdam, qui poſtquam lapſus eſt, & in ſua adhuc dicitur iniquitatis pollutione verſari, familiarem habeat.

Quod

Quod quidem nos ex toto non credimus: quia A qui talem recipit, ſcelera non corrigit, ſed magis aliis talia perpetrandi videtur dare licentiam. Sed ne forte aliquis tibi ſurreptione vel diſſimulatione, ut a te reciperetur, atque adhuc haberetur gratus ſuaſerit, non ſolum hunc longius a te expellere, verum etiam exceſſus ipſius ſacerdotali te zelo modis omnibus convenit reſecare. Alios vero qui pravi eſſe memorantur paterna adhortatione a ſua pravitate compeſce, & ad viam ſtude rectitudinis revocare. Quod ſi quod abſit, ſalubri monitione eos videris in nullo proficere, & hos quoque curabis a te procul abjicere: ne pravitates eorum ex eo quod recipiuntur diſplicere minime videantur; & non ſolum ipſi B inemendati remaneant, ſed etiam eorum receptione alii corrumpantur. Et conſidera quam & hominibus execrabile, & periculoſum ante Dei ſit oculos, ſi per eum, a quo plectenda ſunt crimina, nutriri vitia videantur. Hæc igitur, dilectiſſime frater, aure cordis diligenter attende, & ita agere ſtude, ut & pravos ſalubriter corrigas, & ſcandalum de malorum ſocietate filiorum tuorum animis non inducas.

## X. AD MEDIOLANENSES.

De Arethuſæ legato. C

*Gregorius populo, presbyteris, diaconis, & clero eccleſiæ Mediolanenſi.*

LAtrix præſentium Arethuſa clariſſima femina, propter cauſſam legati, quod ei conjugique vel filiis ipſius Laurentius frater noſter reverendæ memoriæ epiſcopus veſter reliquerat, diu apud nos eſt, ut recolitis, demorata. Unde ſcripta noſtra recordandæ memoriæ fratri & coepiſcopo noſtro Conſtantio miſeramus, ut cum ea ſacerdotali ſtudio cauſſam ipſam definire jurgiorum ceſſante ſtrepitu debuiſſet. Quod ſicut ſcire vos credimus ſe & D olim facere voluiſſe, & adhuc facere tunc velle reſponderat. Sed quia latrix harum diu eſt in hac urbe demorata, atque illuc diſtulit remeare, nuncuſque decidi non potuit. Idcirco dilectionem veſtram ſcriptis præſentibus adhortamur, ut memoratæ mulieri illuc venienti caritatem quam decet eccleſiæ filiis impendatis. Et cum auctore Deo eccleſia fuerit ordinata, id agatis, quatenus cauſſa ipſa quæ tempore diuturno dilata eſt, ita ſine mora, æquitate ſervata, debeat terminari, ut nec antedicta femina amplius fatigari, nec vos videamini contra eccleſiaſticum propoſitum petentibus negaſſe quod juſtum eſt.

## XI. AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM. E

Theodoram relictam Sabini commendat, ne ob filii ſui crudelitatem inopiæ ſubjaceat.

*Gregorius Anthemio ſubdiacono Campaniæ.*

THeodora relicta Sabini defenſoris, miſſo huc homine ſuo, queſta eſt nobis, a filio ſuo & Aligerno quodam, cujus filiam idem filius ejus in conjugio ſuo ſortitus eſt, deceptam eſſe, ut omnes res ſuas tempore nuptiarum eidem filio donationis titulo legaret, & nunc ſe ab eis valde deſpici atque contemni; adeo ut ablatis rebus ipſius, nihil ei unde poſſit nutriri, remanſerit. A quibus inſuper etiam tantam ſe adverſitatem aſſerit ſuſtinere, ut nec ſervum juris ſui ei deſervire, nec in aliquo ſolatiari permittant. Et quia ſi ita ſe res habet, grave nimis & contra Deum eſt, hujus tibi auctoritatis tenore præcipimus, ut veritatem cures addiſcere. Et ſi ita repereris, eccleſiaſticam tuitionem impendere, atque eam ſalva in omnibus ratione adjuvare feſtines; quatenus te illic poſito nullum denuo gravamen vel oppreſſionem a prædictis viris quolibet modo ſuſtineat, ſed providere ſtudii tui ſit, ut in id quod ſe deceptam queritur, legaliter valeat ſubveniri: quia omnino crudele B eſt, ut mulier quæ ex filii perſona debet ſperare ſolatium, per eum magis neceſſitati cogatur vel inopiæ ſubjacere. Quod ſi forte quies vel ſolatium ipſius te procurante non potuit ordinari, nobis renuntiare feſtina, ut quid poſt hæc facere debeas, noſtra iterum præceptione cognoſcas.

## XII. AD EUMDEM.

De Helenæ hominibus ab eccleſia injuſte detentis.

C *Gregorius Anthemio ſubdiacono.*

GLorioſa filia Helena per ſuos nobis homines indicavit, quoſdam de ſuis ab eccleſiæ noſtræ actoribus irrationabiliter detineri. Et quia eos petit ſibi reſtitui, idcirco hac tibi auctoritate præcipimus, ut cum omni diligentia veritatem ſtudeas perſcrutari. Et ſi ita eſt, nec eſt quod in eis ad noſtræ nomen eccleſiæ poſſit vindicari, omni mora poſtpoſita aut ipſos reſtitue, aut ſi forte mancipiis eccleſiæ noſtræ conjuncti ſunt, dando pro eis vicarios recompenſa. Si vero aliquid noſtræ dicantur eccleſiæ competere, ſit ſine aliqua dilatione compendium: & quæ judicata fuerint, D ita experientia tua ad effectum ſine aliqua difficultate perducat, ut prædictæ filiæ noſtræ denuo non ſit huc neceſſitas tranſmittendi.

## XIII. AD EUMDEM.

Donatum commendat.

*Gregorius Anthemio ſubdiacono.*

DOnatus lator præſentium diverſis ſe illic oppreſſionibus gravari commemorans, eccleſiaſtica ſe petiit tuitione fulciri. Quapropter hac tuæ experientiæ auctoritate mandamus, ut eumdem Donatum ſervata æquitate E defendas, & nullis eum gravaminibus vel damnis contra juſtitiam ſubdi permittas; quatenus te ſibi opitulante, nulla ei ſit huc remandi neceſſitas.

## XIV. AD SCHOLASTICUM. DEFENSOREM.

De conduma Calumnioſo epiſcopo danda, & epiſcopio reſtituendo.

*Gregorius Scholaſtico defenſori.*

ANte aliquantum temporis experientiæ tuæ nos præcepiſſe recolimus, ut quia reverendiſſimus frater & coepiſcopus noſter Calumnioſus neceſſitatem te de ſolatiis aſſeruit ſuſtinere, unam illi de jure eccleſiæ deputare condumam debuiſſes. Sed quia conduma ipſa B vineolam parvam juris ejuſdem eccleſiæ noſtræ tenere dicitur, & ipſe ſibi pariter vineolam petiit debere locari; hac tibi auctoritate præcipimus, ut ad tres ſiliquas aureas factis libellis ei vineolam ipſam locare debeas, quatenus & ipſe exinde aliquod remedium conſequatur, & ejus eccleſiæ ſine diminutione aliqua conſervetur. Præterea queſtus nobis eſt ſupraſcriptus reverendiſſimus frater noſter, quod & epiſcopium eccleſiæ ipſius hactenus detineas, & occaſione blandiaris, ut epiſcopi patris tui veſtes tibi, vel alia quæ in epiſcopio inventa ſunt, applices. Et ideo ſi ita eſt, & ab epiſcopio te præcipimus ſine mora recedere, & quidquid prædictus pater tuus epiſcopatus ſui tempore de proprio eccleſiæ conſtiterit conquiſiſſe, ne tollas: quia & ſacri canonum le- C gibus eſſe noſcitur definitum, ut in his quæ antiſtes epiſcopatus tempore acquiſiverit, non alius, niſi ſola ſuccedat eccleſia. Aſſerit etiam Ferocinatum quemdam condito teſtamento hæredem noſtram inſtituiſſe eccleſiam, atque eccleſiæ ſancti Joannis, quæ ante portas Hortonenſis civitatis ſita eſt, duos caſales fundi campos per Auſinianum legati titulo reliquiſſe, & a noſtra eos nunc eccleſia detineri. Quos quia ſecundum voluntatem defuncti ſibi petit debere contradi, experientia tua lecta ſerie teſtamenti, ſi ita eſſe repererit, nec eſt quod rationabiliter a parte noſtræ poſſit opponi eccleſiæ, prædictos caſales tradere ſupraſcripto fratri noſtro non differat: quia dum talibus nos etiam de proprio convenit impartiri, ea quæ illis competunt, nullo modo a noſtris irrationabiliter patimur detineri.

## XV. AD EUMDEM.

De Alexandro Frige eccleſiæ colono.

*Gregorius Scholaſtico defenſori.*

ALexander Frix præſentium portitor, colonus eccleſiæ noſtræ queſtus eſt nobis in domo, id eſt, eccleſia quæ Catanæ a dilecto E fratre noſtro Cypriano diacono fabricata eſt, triennii ſe tempore laboraſſe, & mercedem non ut dignum eſt accepiſſe. Et quamquam eo tempore ipſa dicatur apud plurimos laboraſſe, unde etiam dum hic eſſet notitiam accepiſti, hac tibi tamen auctoritate præcipimus, ut diligenter inſpicias: & ſi plus in eadem domo quam mercedis acceperit operatus eſt, volumus ut ſecundum laboris modum, ſi quid ſuper quatuor ſolidos & tremiſſes duos, quos a memorato diacono accepiſſe dictus eſt, A meritus ſit, addere ei quod juſtum videris debeas, ſciens tuis rationibus imputandum.

## XVI. AD ROMANUM DEFENSOREM.

Ut Argentio colono terra eccleſiæ concedat.

*Gregorius Romano defenſori.*

QUia præſentium portitorem Argentium colonum eccleſiæ noſtræ curam hoſpitalitatis habere cognovimus, neceſſe eſt ut in parte aliqua ejus ſtudium adjuvemus. Idcirco hujus tibi præceptionis auctoritate mandamus, ut terrulam modiorum plus minus, ſicut aſſerit, B decem poſſeſſionis Diſterianæ quam tenuit, reddere ei ſine mora aliqua vel excuſatione feſtines, ut eam diebus vitæ ſuæ habeat, atque ex ipſa rationibus eccleſiaſticis nihil impendat, ſed in ea ille quam exhibet hoſpitalitate proficiat. Quia dignum eſt ut bono laudandoque operi concurrere ac ferre conſultum modis omnibus debeamus.

## XVII. AD SPESINDEO PRÆSIDEM SARDINIÆ.

De barbaris Sardiniæ convertendis.

*Gregorius Speſindeo præſidi Sardiniæ.*

PArticeps procul dubio mercedis exiſtit qui bonorum ſe operum exhibet adjutorem. Quia ergo multi de barbaris provincialibus Sardiniæ ad Chriſtianam fidem dicuntur Deo propitio devotiſſime feſtinare, magnitudo veſtra ſtudium ſuum hac in cauſa decenter accommodet, & fratri coepiſcopoque noſtro Victori in convertendis baptizandiſque eis ſtudioſe concurrat; quatenus dum de interitu multorum animæ per baptiſmatis gratiam vobis ſuffragantibus liberatæ, & apud homines laudem habere, & apud omnipotentem dominum, ſummopere ſtudendum eſt, magnam D mercedem poſſitis acquirere, atque nos vobis gratias referentes magnitudini veſtræ poſſimus modis omnibus exiſtere devotiores.

## XVIII. AD VITALEM DEFENSOREM SARDINIÆ.

De Barbaricinis mancipiis comparandis.

*Gregorius Vitali defenſori Sardiniæ.*

BOnifacium præſentium portitorem, notarium ſcilicet noſtrum, ad nos experientia tua illuc tranſmiſiſſe cognoſcat, ut in uti- E litatem parochiæ Barbaricina debeat mancipia comparare. Et ideo experientia tua omnino ei ſtudioſe ſolliciteque concurrat, ut bono pretio, & talia debeat comparare, quæ in miniſterio parochiæ utilia valeant inveniri, atque emptis eis huc Deo protegente is ipſe celerius poſſit remeare. Ita ergo te in hac re exhibere feſtina, ut te quaſi ſervientium amatorem, quorum uſibus emuntur, oſtendas, & nobis te ipſi de tua valeant ſollicitudine commendare.

XIX.

## XIX. AD JOANNEM TRIBUNUM SIPONTINUM.

De violentia Bonifacii notarii.

*Gregorius Joanni tribuno Sipontino.*

LAtor præſentium de ſtatus ſui conditione nobis ſæpius conqueſtus eſt a Bonifacio noſtro notario ſibi violentiam irrogari. Cujus rei cognitionem in fratris & coepiſcopi noſtri Vitaliani notitiam prævidimus perferendam: cujus cauſſæ meritum ſe examinaſſe profeſſus eſt. B Sed quia ad proferendum judicium ſe aſſurgere nullatenus dicit, hortamur magnitudinem veſtram, ut pro cauſſa mercedis æternæ cum prædicto reſideatis epiſcopo, & rei meritum evidentius perſcrutantes, quidquid vobis ſuadente juſtitia viſum fuerit, ſcripto decernite: & ſi de ejus vobis certius libertate conſtiterit, nullis deinceps quorum libet inquietudinibus ad rei deciſæ meritum * provocetur, ſed in ea qua vobis viſum fuerit libertate declaratus, ſecure permaneat.

## XX. AD JANUARIUM EPISCOPUM CALARITANUM.

C De monaſterio conſtruendo.

*Gregorius Januario epiſcopo Calaritano.*

GRatam vobis fraternitatis veſtræ ſollicitudinem fuiſſe cognoſcite, quod paſtorali ſe vigilantia pro tutamine animarum, ut oportebat exhibuit. Nuntiatum ſiquidem nobis eſt, quod in domo quondam Epiphanii lectoris eccleſiæ veſtræ idcirco ſecundum voluntatem ipſius monaſterium conſtrui vetuiſtis, ne pro eo quod domus ipſa ancillarum Dei monaſterio cohærebat, deceptio exinde contingeret animarum. Et valde laudavimus: quia antiqui hoſtis inſidias proviſione congrua ut D decuit, præcaviſtis. Sed quia perlatum ad nos eſt Pompejanam religioſam feminam velle de eodem monaſterio ancillas Dei tollere, & ad ſua, unde acceptæ fuerant, monaſteria revocare, atque illic congregationem reſtituere monachorum; neceſſe eſt ut, ſi impletum hoc fuerit, defuncti diſpoſitio modis omnibus conſervetur. Si vero factum hoc non fuerit, ne teſtatoris voluntas in totum videatur eſſe fruſtrata, volumus ut, quia monaſterium Urbani quondam abbatis poſitum foris extra civitatem Calaritanam ita dicitur deſtitutum, ut ne unus illic monachus remaneret, Joannem, quam memoratus Epiphanius in monaſterio quod, ſicut dictum eſt, in domo ſua fiendum E decreverat, abbatem eſſe * conſtituas: ſi tamen nihil eſt quod eum impediat, abbas debeat ordinari. Atque reliquiæ quæ in domo antedicti Epiphanii condendæ fuerant ibi recondantur, & ei modis omnibus applicetur quidquid idem Epiphanius in monaſterio, quod deputaverat, ædificari contulerat: quatenus & ſi de loco propter ſupradictam cautelam voluntas ejus non diſponitur, merces nihilo minus illibata ſervetur. Et hæc quidem omnia fraternitas veſtra una cum Vitali defenſore diA ſponat, & ita ea utiliter ſtudeat ordinare, ut ſicut de laudabili prohibitione, ita quoque de bona habere poſſit conſtructione mercedem. Ipſum vero monaſterium licet fraternitati veſtræ ſit ſupervacuum commendari, hortamur tamen ex abundanti, ut id ſalva juſtitia, ſicut vos decet, habeatis commendatum.

* conſtituis. Pariſ.

## XXI. AD PANTALEONEM NOTARIUM.

De Deuſdedit diacono ad epiſcopatum Mediolani ordinando.

*Gregorius Pantaleoni notario.*

B EXperientia tua præſenti auctoritate ſuffulta, ad Januenſem urbem auxiliante domino proficiſcens, Deuſdedit diaconum eccleſiæ Mediolanenſis, ſi tamen a cunctis electus eſt, & ſi nihil eſt quod ei ex anteacta vita per ſacros poſſit canones obviare, epiſcopum ſolenniter faciat ordinari. Præterea, quia multæ illic eccleſiæ noſtræ utilitates ſunt, quæ Deo propitio peragantur, ſolicitum te eſſe neceſſe eſt, & ita omnia ſecundum capitularem ſubter annexum requirere, utiliterque diſponere, ut in nullo te neglectus culpa reſpicere, ſed magis vigilantia Deo & hominibus valeat commendare.

## XXII. AD PROBUM ABBATEM.

C Teſtandi facultatem concedit.

Traditur in appendicem. Pariſ.

*Gregorius Probo abbati monaſterii ſancti Andreæ.*

IN nomine domini Dei noſtri & ſalvatoris Jeſu Chriſti; Imperantibus domno Mauritio, & * Tiberio Auguſtis, anno incarnationis dominicæ ſexcenteſimo primo, eodemque domno undecies conſule, ſub die tertio Nonarum Octobrium, præſidente beatiſſimo & apoſtolico papa Gregorio, atque conſidentibus reverendiſſimis Menna epiſcopo Teleſino, Baſilio D Capuano, Conſtantio Numentano, Montano Savonenſe, Victore Fauſanenſe, Joanne presbytero tituli ſanctorum Joannis & Pauli, Andromacho presbytero tituli Eudoxiæ, Ruſtico presbytero tituli ſanctæ Suſannæ, Vibulo presbytero tituli ſancti Marcelli, Probino presbytero tituli ſancti Cyriaci, Joanne presbytero tituli ſanctorum Joannis & Pauli, Agapito presbytero tituli Eudoxiæ, Felice presbytero tituli ſanctæ Sabinæ, Gratioſo presbytero tituli ſanctorum Nerei & Achillei, Bonifacio presbytero tituli ſancti Sixti. Aſtantibus etiam diaconis & clero, Paterius ſecundicerius dixit: Probus abbas monaſterii ſanctorum Andreæ & Luciæ veſtris, ſi præcipitis, deſiderat aſpectibus præſentari. Gregorius epiſcoE pus ſanctæ eccleſiæ catholicæ urbis Romæ dixit: Veniat. Cumque ingreſſus fuiſſe, dixit: Cur adeſſe volueris fateri te convenit. Probus abbas dixit: Petitionem præ manibus habeo. Poſtulo a beatitudine domini mei, ut eam ſuſcipi, & vobis relegi jubeatis. Gregorius dixit: Fiat. Quæ cum ſuſcepta fuiſſet, Paterius in his recitavit: In nomine domini Dei noſtri Jeſu Chriſti, imperante domno Mauritio & * Tiberio piiſſimo Auguſto, die tertio Kalendas Octobris, indictione quarta

* Theodoſio Mauritii.

* Theodoſio

Ea quæ nunc beatitudini veſtræ intimare deſidero, olim domino meo bene comperta ſunt, veſtramque mihi conſcientiam teſtem eſſe ſcio quæ ſuggero: quoniam dum ante hos annos ex laico ad religioſum migraſſem officium, diſpoſueram in cellula mea ſuper me ſolitarius habitare, ibique ipſis paucis diebus qui ſuper ſunt vitam tranſigere: propter quod nec aliquid de ſubſtantiola mea ante ordinavi ſive diſpoſui; ſciens tam ab inteſtato quam ex teſtamento filium mihi poſſe ſuccedere. Quadam autem die dum inter alios ad obſequia domini mei fuiſſem ingreſſus, ſubito atque inopinato introire in monaſterium, atque ut onera abbatis debuiſſem ſuſcipere, præcepiſtis. B Statimque ſurgentes, non indulto ad deliberandum vel tractandum mihi ſpatio, ad monaſterium jam cum monachis ambulare coactus ſum. Unde quia nihil antea quod de ſubſtantiola mea occurrit potui ordinare, idcirco lacrymabiliter ſupplico, ut conceſſa per conſtitutionem veſtri decreti licentia, fas mihi ſit de omnibus rebus meis voluntatem meam diſponere, quatenus nec mihi obedientia mea officiat, nec filio pauperi poſſit eſſe damnoſa. Nam cunctis notum eſt, quia illos legalis ſanctio quidquam de ſubſtantia ſua prohibet, poſtquam monaſterium ingreſſi fuerint, ordinare, quibus diſponendarum rerum ſuarum ſuppetit ante licentia. non autem eos, quos adhuc quod nunquam tractaverant præpoſito- C rum ſuorum parere cogit inſtantia. Quia ſicut legis voluntas hoc ex deliberatione facientibus contradicit, ita eis qui compelluntur majore providentia ſuccurrit. Hanc autem ſuggeſtionem ſupplicationemque meam Æmiliano notario ſanctæ eccleſiæ Romanæ noto meo ſcribendam dictavi, eique propria manu ego Probus ſervus veſter ſubſcripſi, & vobis beatiſſimo domno meo Gregorio papæ porrexi. Ego Probus ſervus veſter huic petitioni a me oblatæ ſubſcripſi. Gregorius dixit: Poſtquam textus oblatæ petitionis innotuit, Probus abbas pauliſper abſcedat, ut de his quæ petit cum fratribus filiiſque noſtris quid ſtatuendum ſit deliberare poſſimus. Quo recedente, poſtquam D diu de ejus petitione tractatum eſt, dixit papa Gregorius: Probus abbas, quem abeſſe paululum feceramus, rurſus adveniat, ut ea quæ nobis cum fratribus filiiſque noſtris in commune viſa ſunt recenſeamus. Cumque præſentatus fuiſſet, dixit: Ubi veritas cum ratione concordat, deſideria petentis implere non minus juſtum eſt quam benignum. Perpenſa igitur ſerie a te petitionis oblatæ, omnia quæ in ea locutus es, ita eſſe recolimus. Neque enim vel in noſtram unquam antea cogitationem aſcenderat, ut in quocumque monaſterio abbatis tibi curam debuiſſemus injungere. Sed quodam die dum de ordinando monaſterio, cui præeſſe dignoſceris, cum noſtris filiis tra- E ctaremus, atque diu aptam perſonam huic officio quæreremus, ex improviſo te ingrediente, cordi noſtro & eorum qui nobiſcum ad tractandum aderant, ſubito natum eſt, ut te illic abbatem Deo propitio conſtituere deberemus. Quod quia renitenti tibi conſtat impoſitum, & voluntatis tuæ rigorem vix noſtræ potuerunt adhortationes inflectere; neceſſe fuit, ne forte habere potuiſſes poſt te ſpatium redeundi, ut jam ordinatum abbatem ad ipſum te monaſterium, cujus nec monachus

A fuiſti, ante mitteremus. Ne ergo hæc obedienti tibi vel dilectioni tuæ triſtitiam, vel aliis poſſit inferre jacturam; univerſas res tuas alienandi, vel ut volueris diſponendi, liberam tibi per hujus conſtituti noſtri tribuimus ſtatuta licentiam. Per quæ eam te in diſponendis eis ut tibi placuerit habere noveris facultatem, quam habere poteras antequam monaſterium introires. Nec quidquam tibi abbatis officium, quod, ſicut dictum eſt, repente ac invitus noſceris ſuſcepiſſe, formides obſiſtere: quia ut in ordinandis diſponendiſque rebus tuis non haberes licentiam, dilectionem tuam ne poſt ſe rediret, noſtra, ut diximus, coegit inſtantia. Proinde ne qua te dubium B faciat de his quæ volueris ordinare ſuſpicio nullum unquam eccleſiæ noſtræ vel monaſterii tui, ſive quolibet nomine alio ex monachicæ * converſionis ſtatu vel abbatis officio, quocumque ingenio, vel cujuslibet excuſationis ſpecie, contra præſentis ſeriem conſtituti venire poſſe decernimus, ſed tamquam ſi ingreſſus monaſterium non fuiſſes, ita omnia quæ de univerſa facultate tua ordinaveris diſpoſuerisve illibata & ſine aliqua Deo auctore ſtatuimus retragatione ſervanda. Data menſe Novembris, indictione IV.

* al. converſationis.

## XXIII. AD JOANNEM SUBDIACONUM

De Joanne argentario afflicto juvando, & fide ejus.

*Gregorius Joanni ſubdiacono Ravennæ.*

QUaliter Joannes argentarius indigentibus fidejuſſione fuit ſæpe remedium experientia tua bene novit. Unde contingit ut nunc Importuno cuidam palatino fidejuſſor accedens, neceſſitatem non modicam patiatur, adeo ut in eccleſia diu jam reſidens vehementius affligatur. Sed quia quibuſdam non deerat ſuſpicio quod prædicto Importuno non ſimpliciter, ſed compendii cauſſa fidejuſſor acceſſerit, ac ſacratiſſimum corpus beati Petri D apoſtolorum principis diſtricta omnino ſacramenta, quantum nobis renuntiatum eſt, præbuit, non ſolum nullum ſe ab eo commodum ex toto recepiſſe, verum etiam nec aliquid promiſſum habuiſſe, ſed ei ut ceteris ſimpliciter acceſſiſſe. Et quia tam longo tempore innocentis hominis ſimplicitas non debet affligi, apud eminentiſſimum filium noſtrum præfectum modis quibus valueris age, ut una ipſa ſtatio, quæ in Romana civitate remanſit, ejus temporibus claudi non debeat: ſed ei pro mercede ſua in hac afflictione ſubveniat, atque eum directa juſſione dignetur abſolvere, & amplius illum in hac eſſe neceſſitate minime patiatur: quia quemadmodum E ſimplex benignuſque ſit, vel diverſis fuerit ſæpe in tribulatione remedium, nec ipſi habetur incognitum. Et ideo ita, ſicut diximus, cum omni dulcedine apud eum ſtude agere, ut in hujus abſolutione multis poſſit ferre * conſultum, & hæc via remedii, ſicut diximus, ejus temporibus non claudatur. Data menſe * Decembri, indictione IV.

* al. conſilium.

* al. novembri Pariſ.

XXIV.

## XXIV. AD JOANNEM RELIGIOSUM.

Joannem menſis pauperum præponit.

*Gregorius Joanni religioſo.*

LIcet eos qui pia intentione ſolicitudinis curam debilibus ac egenis impendunt ſua apud omnes valeat tueri devotio, melius tamen eſt ſi * pro quiete ſua de his muniti fuerint quæ geſſerint, ne inde eis inquietudinis occaſio, unde magis laudandi ſunt, oriatur. Quia igitur te Joannem religioſo intentionis tuæ ſtudio provocati, menſis pauperum & exhibendæ diaconiæ eligimus præponendum; ne qua tibi ex hac adminiſtratione naſcatur dubietas, hac te munitione proſpeximus fulciendum, conſtituentes ut de hoc quod ad menſas pauperum vel diaconiæ exhibitione percepiſti, ſive ſubinde perceperis erogandum, nulli unquam hominum quolibet modo ſeu ingenio cogaris ponere rationem, vel aliquam debeas moleſtiam ſuſtinere. Sed quia ita ab humanis te omnibus volumus rationibus eſſe ſolutum, ut Deo noſtro, non hominibus, de his quæ tibi commiſimus, rationem te noveris politurum, hortamur ut fidei in te integritas ac ſinceritas vigeat, ſit mens in rebus intenſior, cura propenſior, voluntas pronior, ſtudium vigilantius, devotio clarior, exhibitio efficacior; quatenus dum divino adjutus auxilio hoc opus ſolerter impleveris, & illi pro quibus ſolicitudinem geris, ſtudii tui ſolatio utiliter conſolentur, & tu mercedis tuæ bonum in æterna vita redemptoris noſtri gratia compenſante recipias. Data menſe * Januarii, indictione IV.

* propter quietem ſuam.

* Decembri Paril.

## XXV. AD VENANTIUM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

De infirmitate ſua: de pœnis præſentis ſæculi, quæ a Dei miſericordia proficiſcuntur.

*Gregorius Venantio * * epiſcopo Syracuſano.*

DEbitum ſalutationis alloquium ſolvens, ea volui loqui quæ patior. Sed incongruum puto narrare quæ noſtis. Podagræ enim doloribus torqueor, qui & mihi & vobis non diſpariliter nocivi, dum apud nos vehementer excreſcunt, nos decreſcere a vita fecerunt. Inter quos quid aliud debemus niſi ſemper delicta noſtra ad memoriam revocare, atque omnipotenti Deo gratias agere? Quoniam qui ex carnis blandimento multa peccavimus, ex carnis afflictione purgamur. Sciendum quoque eſt nobis, quia pœna præſens, ſi animum afflicti convertit, finis eſt culpæ præcedentis. Si autem ad timorem domini minime convertit; initium eſt pœnæ ſequentis. Curandum igitur nobis eſt, & ſummopere in fletibus tota mentis converſione vigilandum, ne de tormento ad tormenta tranſeamus. Conſiderandum quoque eſt, quanta erga nos diſpenſatione pietatis agat conditor noſter, quod morte dignos aſſidue percutit, & tamen adhuc minime occidit. Minatur enim quod facturus eſt, nec tamen facit, ut dolores nos præcurrentes terreant, & converſos ad timorem diſtricti judicis ab ejus nos animadverſione in * æternum abſcondant. Quis enim dicat, quis enumerare ſufficiat, quanti in ſua luxuria dimiſſi, in blaſphemiis quoque & ſuperbia prorumpentes, in rapinis & iniquitatibus permanentes uſque ad diem obitus ſui, ita in hoc ſæculo vixerunt, ut nunquam dolorem vel capitis paterentur, & ſubito percuſſi ignibus inferni ſunt traditi. Nos ergo habemus indicium quia derelicti non ſumus, qui aſſidue flagellamur, teſte ſcriptura, quæ dicit: *Quem diligit dominus, caſtigat; flagellat autem omnem filium quem recipit.* In ipſis itaque verberibus Dei revocemus ad memoriam & ejus munera & noſtri reatus damna. Penſemus quanta bona ſuper noſtram malitiam fecerit dominus, & quanta mala ſub ejus bonitate commiſimus. Impleamus quod per prophetam dominus dicit: *Reduc me in memoriam, ut judicemur ſimul.* Judicemus modo in noſtra cogitatione cum Deo, ne diſtricte poſtmodum judicemur a Deo. Quid etenim Paulus dicit: *Si noſmetipſos judicaremus, non utique a domino judicaremur.* Quiſquis ergo feſtinat evadere diſtrictionem ſententiæ, judicii ſequentis, per amaritudinem pœnitentiæ omnem ſibi dulcedinem intermittat vitæ præſentis. Quæcumque autem hujus mundi bona ſunt, cujus dona ſunt, niſi conditoris? Sed * haberi a nobis non debet donum Dei, quod per delectationem ſui ſeparat ab amore Dei; ne data danti præferamus, & dum bona percipimus, etiam mala, unde creſcere in ejus timore debuimus, inde a timore illius disjungamur. Creator autem omnium idem omnipotens Deus, hæc quæ vobis in epiſtolis loquimur, menti veſtræ per aſpirationem ſui Spiritus infundat, voſque ab omnibus culpæ inquinationibus tergat, & hic vobis conſolationis ſuæ gaudium, & apud ſe quandoque præmia æterna concedat. Dulciſſimas filias meas domnam Barbaram & domnam * Antoniam mea peto vice ſalutari.

## XXVI. AD PASCHASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

De petitione pro ſanctuariis ſancti Severini concedendis.

*Gregorius Paſchaſio epiſcopo Neapolitano.*

JOannes ſervus & Actor domni Venantii ſanctuaria * Severini confeſſoris, oblata petitione ſupraſcripto domno ſuo a nobis poſtulat debere concedi, quatenus in ejus nomine oratorium, propriis conſtructum ſumptibus, poſſit ſolenniter conſecrari. & ideo, frater cariſſime, præfatis deſideriis ex noſtra te præceptione convenit obedire, ut devotionis ſuæ, in conſecratione quam poſtulat, potiatur effectu. Data menſe Februarii, indictione IV.

* Antoniam Paril.

## XXVII. AD MAXIMUM EPISCOPUM

### ARABIÆ.

De laude Candidi abbatis, & de podagræ doloribus quibus cruciabatur.

*Gregorius * Maximiano epiſcopo Arabiæ.*

* Mariniano Ravennati ep.

LAtore huc præſentium Candido abbate pro petendis reliquiis veniente, quæ & conceſſæ ſunt, quanto de fraternitatis tuæ * nutrimento lætatus ſum, quod in eo ſtudium tuæ fraternitatis apparuit, tanto contriſtatus ſum quod ejus, ut volui, præſentia frui non potui, quod me ægrotum reperit, & diſcedens in infirmitate adhuc poſitum dereliquit. Multum jam enim tempus eſt quod ſurgere de lectulo non valeo. Nam modo me podagræ dolor cruciat, modo neſcio quis in toto corpore cum dolore ſe ignis expandit, & fit plerumque, ut uno me tempore ardor cum dolore affligat, & corpus in me animuſque deficiat. Quantis autem aliis neceſſitatibus extra hæc quæ retuli infirmitatis afficiar, enumerare non valeo. Sed breviter dico, quia ſic me infectio noxii humoris imbibit, ut vivere mihi pœna ſit, & mortem deſideranter expectem, quam gemitibus meis ſolam eſſe credo poſſe remedium. Proinde, frater ſanctiſſime, divinæ pro me pietatis miſericordiam deprecare, ut percuſſionis ſuæ erga me flagella propitius mitiget, & patientiam tolerandi concedat: ne nimio, quod abſit, tædio in impatientiam cor erumpat, & ea quæ bene curari per plagam poterat culpa, creſcat ex murmure. Data menſe Februarii, indictione IV.

* incremento

## XXVIII. AD MARINIANUM EPISCOPUM

### RAVENNÆ.

Hortatur ut diſpoſita eccleſia Romam contendat, ut ab ægritudine & vomitu ſanguinis curari poſſit, & ut a jejuniis & vigiliis aliiſque rebus abſtineat.

*Gregorius Mariniano epiſcopo Ravennæ.*

VEniente quodam Ravennate homine, graviſſimo mœrore percuſſus ſum, qui fraternitatem tuam de vomitu ſanguinis retulit ægrotare. Ex qua re ſolicite & ſingillatim eos, quos hic doctos lectione novimus medicos, ſciſcitatus inquiri, & quid ſinguli ſenſerint, quidve dictaverint, ſanctitati veſtræ ſcriptum tranſmiſimus. Qui tamen quietem & ſilentium præ omnibus dictant: quam ſi tua fraternitas in tua eccleſia poſſit habere, valde ſum dubius. Et ideo videtur mihi ut ordinata illic eccleſia, vel qui miſſarum ſolennia explere valeant, vel qui epiſcopii curam gerere, hoſpitalitatemque & ſuſceptiones poſſit exhibere, quive monaſteria cuſtodiendis præeſſe norint, tua fraternitas ad me ante æſtivum tempus debeat venire, ut ægritudinis tuæ ego ſpecialiter, inquantum valeo, curam geram, quietem tuam cuſtodiam quia huic ægritudini æſtivum tempus medici vehementer dicunt periculoſum. Et valde pertimeſco, ne, ſi curas aliquas cum adverſitate temporis habueris, amplius ex ea

A cum moleſtia periclitaris. Ego * enim ipſe valde ſum debilis, & omnino valde eſt utile ut cum Dei gratia ſanus ad tuam redeas eccleſiam: aut certe ſi vocandus es, inter tuorum manus voceris: & ego qui me proximum morti video, ſi me omnipotens ante te vocare Deus voluerit, inter tuas manus tranſire debeam. Si autem qualitas temporis ad veniendum præpedierit, aliquo parvo remedio dato, apud Agonem agi poteſt, ut ipſe vobiſcum hominem ſuum uſque Romam tranſmittat. Si autem eadem ægritudine gravari te ſentis, & venire diſponis, cum paucis tibi veniendum eſt, quia mecum in epiſcopio manens quotidiana obſequia de hac eccleſia ha-B bebis. Præterea nec hortor nec admoneo, ſed diſtricte præcipio ut jejunare minime præſumas: quia dicunt medici huic moleſtiæ valde eſſe contrarium, niſi forte, ſi grandis ſolennitas exigit, quinquies in anno vicibus concedo. Sed & a vigiliis quoque temperandum eſt, & preces, quæ ſuper cereum in Ravennati civitate dici ſolent, vel expoſitiones evangelii, quæ circa paſchalem ſolennitatem a ſacerdotibus fiunt, per alium dicantur. Et tua dilectio contra virtutem, laborem ſibi minime imponat. Hæc autem dixi, ut ſi te melius ſenſeris, & venire diſtuleris, ſcias quid debeas ex meo mandato cuſtodire.

* etiam Pariſ.

## C XXIX. AD PASCHASIUM EPISCOPUM

### NEAPOLITANUM.

Diſponit de pecunia eccleſiaſtica in pauperes diſtribuenda.

*Gregorius Paſchaſio epiſcopo Neapolitano.*

TEmpore quo fraternitas tua ad epiſcopatus officium Deo auctore provecta eſt, conſtituiſſe nos recolis, ut ex pecuniis eccleſiæ veſtræ portio cleri vel pauperum, quam minime deceſſor veſter præbuerat, id eſt, quadringenti ſolidi ſeorſum fieri debuiſſent, qui ejuſdem cleri atque pauperum erogationi pro-D ficerent: quod quia diutius non eſt differendum, volumus ut ſecundum diſtributionem præſentibus ſcriptis inſertam, coram Anthemio ſubdiacono noſtro ſine difficultate aliqua fraternitas veſtra debeat erogare. Præbendi itaque ſunt clericis veſtris per ſingulos, ſicut proſpexeritis, ſimul omni ſumma ſolidi centum: præjacentibus, quos centum viginti ſex eſſe cognovimus, dandi ſunt ſolidi ſexaginta tres, id eſt, medius ſolidus per ſingulos; presbyteris ac diaconis & clericis peregrinis ſolidi quinquaginta: hominibus honeſtis ac egenis, quos publice petere verecundia non permittit, ſolidi centum quinquaginta: ita ut quidam eorum ad ſingulos tremiſſes, * quidam ad binos, qui-E dam ad ſingulos ſolidos, vel ſi viſum fuerit amplius * dimittantur. Reliquis vero pauperibus qui eleemoſynam publice petere conſueverunt, ſolidos triginta ſex. Ecce nos quantum vel quibus dari debeat, diſtribuimus. Sed quia, ſicut prævidimus, non omnibus æqualiter eſt præbendum: neceſſe eſt ut una cum prædicto ſubdiacono, prout prævideritis, dare ſingulis debeatis, atque id modis ſtudeatis, quatenus hoc quod alter injuſte detinuit, vos devote ac celerius impendendo, ad veſtram poſſitis applicare mercedem.

* quidam ad binos deeſt in Pariſ.
* adminiſtrantur

XXX.

## XXX. AD BARBARAM ET ANTONIAM.

Conſolatur eas de infirmitate patris.

*Gregorius Barbaræ & * Antoniæ.*

SUſceptis gloriæ veſtræ epiſtolis, quæ pro verbis lacrymis loquebantur, non minor nos de * dilectiſſimi filii noſtri quam vos de patris ægritudine mœror afficit. Nec enim extraneam poſſumus reputare triſtitiam, quippe quæ nobis caritatis lege ſit propria. Sed quia in nulla deſperatione de redemptoris noſtri eſt B miſericordia diffidendum; animos veſtros ad conſolationem patris erigite; ſpem veſtram in omnipotentis Dei manu ponite; & ipſius protectione confidimus, quia & ab omni vos adverſitate cuſtodiat, atque tribulationem veſtram exhilaret, & ſecundum paternа deſideria propitius vos ordinari concedat. Si vero debitum humanæ ſortis impleverit, nec tunc deſperatio aliqua vos comprimat, vel quorumdam vobis verba terrorem incutiant. Nam poſt Deum, qui orphanorum gubernator ac protector eſt, ſic de dulciſſima gloria erimus veſtra ſoliciti, atque utilitati veſtræ providere ut poſſumus adjuvante domino feſtinabimus, ut nec vos injuſtorum hominum concuſſio ulla perturbet, C & nos debitum, quod de parentum veſtrorum benignitate contraximus, vobis per omnia rependemus. Gratia itaque cæleſtis vos ſuo favore nutriat, ſua protectione a malis omnibus defendat, ut vitæ veſtræ incolumitas gaudium noſtrum fiat.

* Antoniæ. Pariſ.

* dilectiſſimæ filiæ noſtræ. Pariſ.

## XXXI. AD JOANNEM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

De infirmitate Venantii, & filiabus ejus.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

FRaternitatis veſtræ ſcripta ſuſcepi, quæ mihi de dulciſſimi filii mei domni Venantii ægritudine loquebantur, & cuncta circa eum qualiter acta ſunt enarrabant. Sed uno tempore, auditis & illum deſperate ac graviter ægrotare, & in rebus orphanorum homines iniquos inſiſtere, vix ſe dolor in corde meo capere poterat. Sed in hoc fuit ſolatium, quod lacrymæ mihi per gemitus erumpebant. Veſtra igitur ſanctitas primam quam * decet curam negligere non debet, ut de anima ejus cogitare debeat, exhortando, rogando, Dei terribile judicium proponendo, ineffabilem ejus miſericordiam promittendo, ut ad habitum ſuum redire vel in extremis debeat, ne ei E tantæ culpæ reatus in æterno judicio obſiſtat, ac deinde veſtrum eſſe cogitare, quomodo filiæ ejus Barbara & * Antonia debeant ordinari, ut nulla occaſio malis hominibus præbeatur. Nam poſtquam me de eis ſolicitudinis curam gerere conjuravit, addens ut earum debeam ordinationi proſpicere, aliud in epiſtola ſua ſecutus eſt, quod hoc mihi ſtudenti dubium non eſt quia poſſit obſiſtere. Ait enim ut * sereniſſimo domno imperatori ſæpius ſupplicem, quatenus ipſe eas faciat ut prævide- A rit ordinari. Quod quam ſit * contrarium priori voluntati, perpenditis. Ex qua re debito ne hominibus in Sicilia poſitis, & quærentibus occaſionem in rebus ipſius apta detur occaſio. Nam * ex hoc cognoſcite quid facturi ſunt qui nulla exiſtente cauſſa jam ſigillum in ſubſtantia ipſius, quantum dicitur, nitebantur imponere. Numquid non illos videtur ratio ad faciem adjuvare, & ad hoc illis juſtam quaſi præbere materiam? Si dixerint domno imperatori commendatæ ſunt, negligere non poſſumus, periculi noſtri intereſt: res in tutum faciмus, quouſque domnus imperator Conſtantinopolim duci præceperit. Dic, rogo, quid ad hæc facturus ſum, quando homini habenti poteſtatem paterna videtur commendatio concordare? Me enim conjurat, ut ita eas ordinari provideam, quatenus aut in Romana civitate ſint, aut de Sicilia non tollantur, & ille id agit ut eas nulla nec huc deducendi nec illi ſit ratio retinendi. Vos autem inquantum poteſtis, malis hominibus obviate. Earum ſubſtantiam propter Deum omnipotentem velut propriam, defendite, & ſi adhuc licet quomodo omnis occaſio removeatur violentiæ, in prædicti viri domini Venantii teſtamento providete. Si autem ita placet ut palatio commendetur, mihi non debet imponere pondus, ut in anima mea curam ordinationis earum velit impingere: de quarum ordinatione qualiter cogitem, omnipotentem Deum ſufficiat ſcire. Unde ſtatim filio meo Anatolio dilectiſſimo diacono, ut cum glorioſa patricia Ruſticana loqui ſtudeat, & qualiter de perſonis, quarum mihi nomina tranſmiſſa ſunt, debeat exquirere & judicare, ſcribere curavi, ut nobis omnia ſub celeritate indicet: & quæ facienda ſunt, Deo ordinante diſponantur. Præterea in ſcriptis quæ ad nos miſiſtis, fraternitatem veſtram contriſtatam invenimus, eo quod huic eam quaſi pro ingratitudine aliqua venire noluiſſemus, quando non illud ob aliud niſi ſola utilitatis cauſſa fecimus, ſcientes propter perſonas ibidem conſiſtentes valde neceſſariam illic veſtram fuiſſe præſentiam. Sed ne D forte ex hoc ingratum erga vos animum noſtrum credatis, quod abſit, exiſtere, ſi veniendi vobis voluntas eſt, apto vos tempore apoſtolorum liminibus præſentate. Nam quantum ad nos pertinet, ita caritatem veſtram diligimus, ut videre vos ſæpius cupiamus.

* debet Pariſ.

* Antoniа. Pariſ.

* ſereniſſimo. Pariſ.

* diverſum. Pariſ.

* hoc cognoſcite quid &c. Pariſ.

## XXXII. AD ROMANUM DEFENSOREM.

Deferendos eſſe clericos ad epiſcopos ſuos, ne eorum juriſdictio tollatur

*Gregorius Romano defenſori Siciliæ.*

PErvenit ad nos, quod ſi quis contra clericos quoslibet cauſſam habeat, deſpectis E eorum epiſcopis eoſdem clericos in tuo facias judicio exhiberi: quod ſi ita eſt, quia valde conſtat eſſe incongruum, hac tibi auctoritate præcipimus, ut hoc denuo facere non præſumas. Sed ſi quis contra quemlibet clericum cauſſam habuerit, epiſcopum ipſius adeat, ut aut ipſe cognoſcat, aut certe ab eo judices deputentur: aut ſi forte ad arbitros eundum eſt, partes ad eligendum judicem ab ipſo executio deputata compellat. Si quis vero vel clericus vel laicus contra epiſcopum cauſſam habue-

habuerit, tunc te interponere debes ut inter A eos aut ipſe cognoſcas, aut certe te admonente ſibi judices eligant. Nam ſi ſua unicuique epiſcopo juriſdictio non ſervatur, quid aliud agitur, niſi ut per nos, per quos eccleſiaſticus cuſtodiri debuit ordo, confundatur? Item nuntiatum eſt nobis, quia quoſdam clericos, qui a reverendiſſimo fratre noſtro Joanne epiſcopo exigente culpa in pœnitentiam miſſi ſunt, neſciente illo tua illos exinde auctoritate ejeceris: quod ſi verum eſt, rem te omnino inhoneſtam & non leviter increpandam feciſſe cognoſcas. Eoſdem ergo clericos epiſcopo ſuo ſine mora reſtitue. Et hoc de cetero cave committere: quia ſi neglexeris, noſtros te noveris non mediocriter motus in- B currere.

## XXXIII. AD VITUM DEFENSOREM.

Injungit officium eccleſiæ defenſoris.

*Gregorius Vito defenſori.*

SI nulli conditioni, vel corpori teneris obnoxius, nec fuiſti clericus alterius civitatis, aut in nullo tibi canonum obviant ſtatuta; eccleſiaſticæ utilitatis intuitu id noſtro ſedit arbitrio, ut officium eccleſiæ defenſoris accipias, & quidquid pro pauperum commodis tibi a nobis injunctum fuerit, incorrupte C & * graviter exequaris. Uſurus hoc privilegio, quod in te habita deliberatione contulimus: ut omnibus quæ tibi a nobis injuncta fuerint complendis operam tuam fidelis exhibeas, redditurus de actibus tuis ſub Dei noſtri judicio rationem. Hanc autem epiſtolam Paterio ſecundicerio notario eccleſiæ noſtræ ſcribendam dictavimus, cuique ſubſcripſimus.

* al. graviter

## XXXIV. AD ROMANUM DEFENSOREM.

Vitum defenſorem conſtitutum commendat.

*Gregorius Romano defenſori.* D

VItum præſentium portitorem experientia tua olim noſtrum fuiſſe cognoſcat. Cujus quoniam bene fidem & ſolertiam novimus in defenſorum illi ſchola, data ei ſolenniter epiſtola, militandum eſſe prævidimus. Et ideo ſi quid ei pro eccleſiaſticis utilitatibus injungere forte volueris, nullam de eo dubietatem habeas, ſed omnino de puritate ipſius certus eſto, nec eum fraudulenter vel dupliciter aliquid acturum exiſtimes. Unum eſt, ut ei caritatem, quæ fidelibus debetur, impendas.

## XXXV. AD EUMDEM.

De poſſeſſionibus Fauſti injuſte pervaſis.

*Gregorius Romano defenſori.*

GLorioſiſſimus filius noſter Fauſtus epiſtola directa nos petiit, aſſerens ab actionariis Syracuſanæ eccleſiæ fines poſſeſſionis ſuæ illic intra Siciliam poſitos nuper violenter ablatos. Unde quia a cognitione fratris & coepiſcopi noſtri Joannis hoc omnino credimus A alienum, eum videre te volumus. Et ſi quidem res nuper, ut aſſeritur, a poſſidente ſublata eſt, & hoc apud te manifeſta ſatisfactione claruerit; ejus cui ſubtracta eſt, dominio reformetur. Et tunc ſi quid actores prædictæ eccleſiæ rationabiliter ſibi in finibus ſuis credunt poſſe competere, electorum ſubeant ſine dilatione judicium, ut cujus ſit proprietas, judicantium ſententia decernatur; quatenus per hoc epiſcopalis de illicita, quæ prætenditur, invaſione auferatur invidia, & cauſſa legali valeat ordine finiri.

## XXXVI. AD JOANNEM EPISCOPUM B SYRACUSANUM.

De poſſeſſionibus cujuſdam injuſte pervaſis.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

GLorioſiſſimus filius noſter Fauſtus directa petitione nos adiit, aſſerens fines poſſeſſionis ſuæ, illic intra Siciliam poſitos a veſtris nuper hominibus occupatos: atque ob hoc rem violenter ablatam ſibi per præceptionis noſtræ ſeriem debere petiit reformari. Quod quia, ſi ita ut aſſerit factum eſt, a fraternitatis veſtræ cognitione omnino credimus alie- C num, diligenter inquirite. Et ſi, ut aſſerit, contra juris ordinem fines ipſius a poſſidente ſublati ſunt, in poſſeſſoris redeat res pervaſa dominium. Et tunc ſi quid eſt quod a veſtra eccleſia proprietatis jure utiliter opponatur, electorum debet judicium provenire, eorumque judicio terminari, dummodo indecenter poſſeſſoris jus minime perturbetur. Sed cauſſa judiciali termino diffinita, ſine ſacerdotali invidia dominum atque juſtitiam res manifeſta cognoſcat.

## XXXVII. AD EUMDEM.

De poſſeſſionibus Ruſticianæ occupatis. D

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

PEtrus vir clariſſimus vicedominus glorioſæ filiæ noſtræ Ruſticianæ patriciæ, ſuis nobis epiſtolis queſtus eſt, aſſerens poſtquam fraternitas veſtra de Romana civitate reverſa eſt, fines cujuſdam poſſeſſionis prædictæ patriciæ ab hominibus eccleſiæ veſtræ vi eſſe pervaſos. De qua re ſæpius de vobis querelam * depoſuiſſe ſignificavit, & aliquando ad dicendam * vobis cauſſam Martianum tabularium deputaſſe, quem aſſerit diverſis dilationibus diſtuliſſe, ut nunc uſque ad cauſſæ dictionem partes accedere minime potuiſſent. Et quia E quanto fraterna vos caritate diligimus, tanto audire aliquid quod ad veſtram pertineat invidiam contriſtamur: id ſcriptis vos præſentibus adhortamur, ut omni mora vel excuſatione ceſſante, de finibus, qui dicuntur invaſi ſubire homines veſtros judicium cum parte altera faciatis, quatenus & pervaſionis quæſtio, & ſi qua eſt proprietatis contentio finiatur. Hæc igitur fraternitas veſtra fieri ſine dilatione provideat, ut nec vos invidia tangere, nec nos denuo exinde valeat querela pulſare.

* ſe poſuiſſe.
* vos. Pariſ.

XXXVIII.

## XXXVIII. AD RUSTICIANAM.

Dolet ipſam gravi infirmitate vexari: narratque miracula monaſterii ſancti Andreæ ad clivum Scauri.

*Gregorius Ruſticianæ patriciæ.*

EXcellentiæ veſtræ ſcripta ſuſcepi, quæ me in graviſſima ægritudine poſitum de ſalute, de devotione, ac de dulcedine ſua omnino relevarunt. Unum vero ægre ſuſcepi, quia in eiſdem epiſtolis ad me, quod ſemel * eſſe poterat, ſæpius dicebatur: Ancilla veſtra, ancilla veſtra. Ego enim qui per epiſcopatus onera ſervus ſum omnium factus, qua ratione illa ſe mihi ancillam dicit, cujus ante ſuſceptum epiſcopatum proprius fui? Et ideo rogo per omnipotentem Deum, ne hoc verbum aliquando ad me in ſcriptis veſtris inveniam. Ea autem quæ ex puriſſimo, ſinceriſſimoque corde B. Petro apoſtolorum principi munera tranſmiſiſtis, præſente omni clero ſuſcepta, atque illic ſuſpenſa ſunt. Filius enim meus vir * memorandus domnus Symmachus, quia ægrotum me ex podagræ dolore, & pene deſperatum reperit, ſcripta veſtra mihi dare diſtulit, & poſt multum temporis quam vela ſuſcepta ſunt dedit. Poſtmodum vero in ſcriptis excellentiæ veſtræ invenimus, ut cum litania ad beati Petri eccleſiam portari debuiſſent. Quod ideo minime factum eſt, quia ſicut prædixi, ante vela quam ſcripta ſuſcepimus. Tamen prædictus vir cum omni familia domus veſtræ hoc fecit, quod nos cum clero facere voluiſtis. Sed & ſi voces defuerunt hominum, habet ipſa veſtra oblatio apud omnipotentem Deum vocem ſuam. In ejus enim pietate confido quia cujus corpus vos cooperuiſtis in terra, ejus vos interceſſio ab omnibus peccatis proteget in cælo: omnemque domum veſtram ſua proviſione reget, & ſua vigilantia cuſtodiet. De podagræ autem moleſtia quam vobis eveniſſe ſignaſtis, & contriſtatus vehementer ſum, & lætatus. Lætatus, quia humor noxius inferiora petens ſuperiora perfecte deſeruit: contriſtatus vero, quia in tam tenuiſſimo corpore dolores vos nimios perpeti pertimeſco. Ubi enim caro deeſt, quæ virtus eſſe poterit doloribus reſiſtens? Me etenim, quem qualis fuerim noſtis, ita amaritudo animi & aſſidua exacerbatio, atque præter hoc podagræ moleſtia afficit, ut corpus meum tamquam in ſepultura ita ſiccatum ſit. Unde fit ut jam de lectulo raro ſurgere valeam. Si ergo mei molem corporis in tantam podagræ dolor ariditatem redegit, quid de veſtro corpore ſentiam, quod nimis ſiccum ante dolores fuit? De eleemoſyna vero quam beati Andreæ apoſtoli monaſterio feciſtis, quid neceſſe eſt me aliquid dicere, cum ſcriptum ſit: *Abſconde eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit?* Si ergo apud ſecretas aures Dei habet ipſa bona operatio vocem ſuam; ſive nos clamemus, ſive taceamus, hoc ipſum quod bene egiſtis clamat. Indico autem, quia * ob tanta miracula, tanta cura, tanta cuſtodia monachorum in eodem monaſterio ejuſdem apoſtoli eſt, ac ſi ſpecialiter abbas monaſterii ipſe ſit. Nam ut pauca de multis loquar, quæ abbate ac præpoſito monaſterii narrantibus agnovi, edicam. Quadam die duo exinde fratres tranſmiſſi ſunt, qui aliquid emere pro monaſterii utilitate debuiſſent: unus junior, qui prudentior videbatur, alter ſenior, qui cuſtos junioris eſſet. Perrexerunt utrique, & de pretio quod acceperunt, ipſe qui cuſtos * miſſus fuerat, neſciente altero, de eodem pretio furtum fecit. Qui mox ut ad monaſterium ſunt reverſi, atque ante oratorii limen venerunt, arreptus a dæmonio is qui furtum fecerat, cecidit, & vexari cœpit. Dimiſſus autem a dæmonio, concurrentibus monachis requiſitus eſt, num forſitan de eo quod acceperat furtum feciſſet: negavit; iterum vexatus eſt. Dimiſſus, atque iterum requiſitus: negavit; atque iterum vexatus eſt. Octo itaque vicibus negavit; octo vicibus eſt vexatus. Poſt octavam vero negationem, nec non vexationem confeſſus eſt quantos nummos furto abſtulerat. Et agens pœnitentiam proſtratus, ſe peccaſſe teſtatus eſt. * Ulterius vero ad eum dæmonium non acceſſit. Alio quoque tempore, dum in die natalitio ejuſdem apoſtoli jam meridianis horis fratres quieſcerent, ſubito quidam frater apertis oculis cæcatus cœpit tremere, voces ingentes emittere, quibus vocibus teſtabatur ferre ſe non poſſe quod patiebatur. Concurrentes fratres viderunt cæcum apertis oculis trementem, & clamantem, & a præſentibus alienum, nihilque quod foris agi poterat ſentientem. Eumque in manibus levaverunt, atque ante altare ſancti Andreæ apoſtoli projecerunt, ipſique pro eo in oratione proſtrati ſunt. Qui ſtatim ad ſe reverſus, quid paſſus fuerat, confeſſus eſt: quia ſenex quidam ei apparuit, & canem nigrum ad eum dilaniandum dimiſit, dicens: Quare fugere voluiſti de monaſterio iſto? Cumque evadere de canis morſibus nullo modo potuiſſem, venerunt quidam monachi, & eumdem ſenem pro me rogaverunt. Qui ſtatim juſſit canem abſcedere, & ipſe ad me reverſus ſum. Qui * etiam confeſſus eſt, quia eo die quo iſta pertuli, conſilium habueram de eodem monaſterio fugere. Alius quoque monachus diſcedere ex eodem monaſterio latenter voluit. Cumque hoc mente tractaſſet, voluit oratorium ingredi, ſed ſtatim dæmonio traditus vehementiſſime vexatus eſt. Relinquebatur vero a dæmonio, & ſi extra oratorium ſtetiſſet, nihil patiebatur adverſi. Si vero conatus fuiſſet ingredi, ſtatim maligno ſpiritui traditus vexabatur. Cumque hoc ſæpius fieret, culpam ſuam confeſſus eſt, quia de monaſterio egredi cogitabat. Tunc collecti pro eo fratres ſeſe per triduum in precibus aſtrinxerunt, atque ita curatus eſt, ut ad eum poſtmodum nunquam ſpiritus malignus accederet. Dicebat autem ſe eumdem beatum apoſtolum dum vexaretur vidiſſe, ſeque ab eo increpatum eſſe cur de monaſterio voluiſſet abſcedere. Alii quoque duo fratres de eodem monaſterio fugerunt, atque aliqua prius colloquendo fratribus ſigna dederunt, quod per viam Appiam deſcendentes Hieroſolymam tenderent. Qui exeuntes diverterunt ab itinere. Et ut a ſequentibus inveniri minime potuiſſent, retruſas cryptas juxta Flaminiam portam invenientes, in eis ſeſe occultaverunt. Cum vero veſpertinis horis requiſiti minime in congregatione inventi eſſent, aſcenſis caballis eos quidam fratres ſecuti ſunt, per Metroni portam exeuntes, ut eos in Latinam vel Appiam viam ſeque-

ſalis. — * magnificus. Pariſ. — Eccl. 29. — * ob deeſt in Pariſ. — * junioris. Pariſ. — * perceptaque pœnitentia ulterius ad eum &c. Pariſ. — * etiam ſæpe confeſſus eſt, poſtea dicens quia &c. Pariſ.

querentur. Subito autem eis conſilium ortum eſt, ut eos in Salaria via requirerent. Extra civitatem igitur pergentes deflexerunt iter in Salariam. Eos vero minime invenientes, * portam Flaminiam decreverunt reverti. Cumque reverterentur, mox ut equi eorum ante cryptas illas venerant, in quibus ſe abſconderant, fixerunt gradum, pulſati & compulſi paſſum movere * non potuerunt. Conſideraverunt monachi rem talem ſine myſterio eſſe non poſſe. Attenderunt ad cryptas, viderunt earum aditus miſsa maceria damnatos, ſed caballis eorum nuſquam euntibus deſcenderunt. Depoſuerunt lapides qui in ore cryptarum poſiti fuerant, ingreſſi ſunt, eoſque in eiſdem tenebroſis latibulis terræ conſternatos invenerunt. Qui ad monaſterium reducti, ex eodem miraculo ita ſunt meliorati, ut eis multum profuerit ad parum temporis de monaſterio fugiſſe. Hæc dixi, ut excellentiæ veſtræ innoteſceret cujus oratorio eleemoſynam feciſtis. Omnipotens autem Deus & in anima & in corpore, & in omni * domo, cæleſti vos protectione cuſtodiat, & ad conſolationem noſtram diu vos vivere concedat. Dilectiſſimum filium meum dominum Strategium, cum glorioſis parentibus tuis filiis veſtris mea peto vice ſalutari.

* por. Pariſ. — * volueruat. Pariſ. — * al. dono.

## XXXIX. AD THEOCTISTAM.

I. *Detractiones multorum curandas non eſſe, ſi noſtra conſcientia non accuſat, plurimis exemplis oſtendit.*

II. *Quod religionis gratia conjugia non ſolvantur.*

III. *Contra illos qui dicunt peccata per baptiſmum penitus non auferri.*

IV. *De his qui aſſerunt poſt pœnitentiam triennio factam, licentiam eſſe peccandi, quos omnes anathematizat.*

*Gregorius Theoctiſtæ patriciæ.*

MAgnas omnipotenti Deo gratias agere debemus quod piiſſimi & benigniſſimi imperatoris noſtri tales de ſuo genere juxta ſe propinquos habent, de quorum converſatione nobis omnibus grande ſit gaudium. Unde & pro eiſdem dominis continue nobis orandum eſt, ut eorum vita cum ſuis omnibus, protegente cæleſti gratia per longa tempora & tranquilla ſervetur.

I.

Indico autem, quod levitate populi tumultum contra vos detractionis exortum nuntiantibus quibuſdam agnovi. Qua ex re excellentiam veſtram audio fuiſse tædio non modico contriſtatam. Quod ſi ita eſt, valde miror cur vos, qui cor fixiſtis in cælo, verba hominum agitent in terra. Beatus enim Job cum amici ejus qui ad conſolandum venerant, in increpationem proſiluiſſent, ait: *Ecce enim in cælo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis.* Qui enim vitæ ſuæ in cælo teſtem habet, judicia hominum in terra pertimeſcere non debet. Dux quoque bonorum Paulus dicit. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Qui iterum dicit: *Opus ſuum probet unuſquiſque, & ſic in ſemetipſo gloriam habebit, & non in altero.* Si enim laudibus lætamur, & detractionibus frangimur, gloriam noſtram non in nobis, ſed in aliorum ore poſuimus. *Et fatuæ virgines in vaſis ſuis oleum non ſumpſerunt, ſapientes autem ſumpſerunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus.* Lampades quippe noſtræ bona ſunt opera. De quibus ſcriptum eſt: *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui eſt in cælis.* Tunc autem oleum in vaſis cum lampadibus ſumimus, quando de bonis actibus nitorem gloriæ non a laudantibus proximis quærimus, ſed hunc in teſtimonio conſcientiæ ſervamus. In omne autem quod agimus, vel quod extra de nobis dicitur, recurrere ad arcana mentis debemus. Et ſi omnes vituperent, liber eſt tamen quem conſcientia non accuſat. Quia etſi omnes laudent, liber eſſe non poteſt ſi hunc conſcientia accuſat. Unde de Joanne veritas dicit: *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?* Quod videlicet per negationem dicitur, non per confirmationem, cum ſubditur: *Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.* Quamvis enim, juxta veritatem evangelii, Joannes veſtimento aſpero fuerit indutus; per ſignificationem tamen mollibus veſtiti ſunt, qui adulationibus ac laudibus delectantur. Negantur autem quia Joannes arundo vento agitata fuerit; quoniam mentis ejus fortitudinem nulla humani oris aura flectebat. Nos enim ſi laudibus erigimur, aut vituperationibus humiliamur, arundo vento agitata ſumus. Sed abſit hoc, abſit a corde excellentiæ veſtræ. Scio quia magiſtrum gentium ſtudioſe legiſtis, qui ait: *Ego ſi hominibus adhuc placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Si qua tamen vel parva triſtitia hac ex re menti veſtræ exorta eſt, credo quod hoc fieri omnipotens Deus benigne permiſit. Neque enim electis ſuis in hac vita promiſit gaudia delectationis, ſed amaritudinem tribulationis ut medicinæ more, per amarum poculum ad dulcedinem æternæ ſalutis redeant. Quid namque dicit: *Mundus gaudebit, & vos lugebitis?* Sed qua ſpe, qua promiſſione, paulo poſt additur: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum & gaudium veſtrum nemo * tollet a vobis?* Hinc iterum diſcipulis dicit: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Penſate, quæſo, ubi erit patientia, ſi deeſt quod toleretur. Ego Abel eſſe non ſuſpicor, qui Cain * non habuerit. Boni enim ſi ſine malis fuerint, perfecti eſſe boni non poſſunt, quia minime purgantur. Ipſa autem malorum ſocietas purgatio bonorum eſt. Tres in arca filii Noe fuerunt, unus irriſor patris extitit, qui etſi in ſe benedictus fuit, maledictionis tamen ſententiam in filio ſuſcepit. Duos Abraham, priuſquam uxorem Ceturam acciperet, filios habuit; ſed tamen carnalis ejus filius eſt repromiſſionis filium perſecutus. Quod magnus doctor exponit, dicens: *Sicut autem is qui ſecundum carnem eſt, perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum, ita & nunc.* Duos Iſaac filios habuit, ſed unus, qui ſpiritalis extitit, ante minas carnalis fratris fugit. Duodecim Jacob filios habuit, ſed unum, qui rectius vivebat, decem in Ægypto vendiderunt. In David propheta, quia fuit quod purgari debuiſſet, actum eſt, ut perſecutorem filium pateretur.

Job 16. — 2 Cor. 1. — Galat. 6. — Matth. 25. — Matth. 5. — Matth. 11. — Galat. 1. — Joann. 16. — * auferet. Pariſ. — Luc. 21. — * fratrem. Pariſ. ad. — Gen. 9. — Galat. 4.

tur. Beatus Job de ſocietate reproborum di- A cit: *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum.* (Job 30.) Ad Ezechielem dominus ait: *Fili hominis, increduli & ſubverſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas.* (Ezech. 2.) In duodecim apoſtolis unus reprobus mixtus eſt, ut eſſet cujus perſecutione undecim tentarentur. Apoſtolorum princeps diſcipulis loquitur, dicens: *Juſtum Lot oppreſſum a nefandorum injuria converſatione eripuit. Aſpectu enim & auditu juſtus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam juſti iniquis operibus cruciabant.* (2. Pet. 2.) Paulus quoque apoſtolus diſcipulus ſcribit, dicens: *In medio nationis pravæ & perverſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* (Philipp. 2.) Quia ergo ſcriptura teſte cognoſcimus in B hac vita bonos ſine malis eſſe non poſſe, de ſtultorum vocibus excellentia veſtra turbari nullatenus debet, maxime quia * in omnipotentis Dei miſericordia tunc certa fiducia eſt, quando pro bono opere adverſitatis aliquid in hoc mundo recipitur, ut plena merces in æterna retributione ſervetur. (* in omnipotente Deo, tunc &c.) Unde & in ſancto evangelio veritas dicit: *Beati eritis cum adverſum vos omne malum dixerint homines, mentientes propter nomen meum.* (Matth. 5.) Qui in conſolatione noſtra ſua in exemplum adducere opprobria dignatus eſt, dicens: *Si patrem familias Belzebuth vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus?* (Matth. 10.) Sunt autem plurimi qui vitam bonorum amplius quam debent laudant, & ne qua elatio C de laude ſurrepat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectationem & objurgationem prorumpere, ut ſi qua culpa ab ore laudantium in corde naſcitur, ab ore vituperantium ſuffocetur. Hoc eſt ergo quod doctor gentium ſe in prædicatione currere teſtatur per infamiam & bonam famam. Qui etiam dicit: *Ut ſeductores & veraces.* (2. Cor. 6.) Si ergo fuerunt qui malam famam Paulo imponerent, qui hunc ſeductorem vocarent, quis rogo nunc Chriſtianus debet indignum ducere, pro Chriſto injurias audire? Quantæ autem virtutis præcurſor noſtri redemptoris fuit, novimus, qui per ſacrum eloquium non ſolum pluſquam propheta, ſed etiam angelus vocatur: & tamen ſic- D ut mortis ejus hiſtoria teſtatur, poſt mortem a perſecutoribus ejus corpus incenſum eſt. Sed quid iſta de ſanctis hominibus dicimus? De ipſo ſancto ſanctorum, id eſt, de Deo qui pro nobis homo factus eſt, loquamur, qui ante mortem injuriam, quia dæmonium haberet, audivit. Poſt mortem vero a ſuis perſecutoribus ſeductor appellatus eſt, cum dicerent: *Scimus quia ſeductor ille dixit: Poſt tres dies reſurgam.* (Joann. 6. Matth. 27.) Quanta ergo nos peccatores a lingua vel manibus iniquorum hominum portare neceſſe eſt, qui in adventu æterni judicis judicandi ſumus, ſi & ipſe tanta tam ante quam poſt mortem pertulit, qui & judex venit? Hæc, dulciſſima & excellentiſſima filia, bre- E viter dixi, ne quotiens ſtultos homines tibi derogare cognoſcis, qualibet vel parvula mentis triſtitia tangaris. Sed quia ſedari hoc ipſum ſtultorum hominum murmur tranquilla ratione poteſt, eſſe peccatum credo, ſi * ne bonum quod valet fieri, negligitur ut fiat. (* ne deeſt in Pariſ.) Nam eum placare inſanas mentes, atque ad ſalutem reducere poſſumus, ſcandalizare eos minime debemus. Sunt enim quædam ſcandala, quæ omnino deſpicienda ſunt: quædam vero, cum vitari ſine culpa poſſunt, deſpicienda non ſunt,

ne cum culpa ſerventur. Quod ſacro evangelio teſtante cognovimus quia cum veritas diceret: *Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem:* (Matth. 15.) & diſcipuli reſponderunt dicentes: *Scis quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt?* protinus reſpondit: *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur. Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.* Et tamen cum tributum peteretur, prius rationem reddidit per quam tributum ſolvere non deberet, atque illico ſubjunxit: *Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore ejus, invenies ſtaterem. Illum ſumens, da eis pro me & te.* (Matth. 17.) Quid eſt quod de ſcandalizatis aliis dicitur: *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum,* & aliis ne ſcandalizentur a domino tributum ſolvitur, quod etiam non debetur? Quid eſt autem quod aliud ſcandalum eſſe permiſit, aliud vero aliis venire prohibuit? niſi ut nos doceret & illa ſcandala quæ nos ad peccata implicant contemnere, & ea quæ placare ſine peccato poſſumus modis omnibus mitigare. Veſtra itaque excellentia poteſt, protegente domino, pravorum hominum ſcandala cum magna tranquillitate declinare. Priores enim eorum ſponte vobis ſecreto vocandi ſunt, atque ipſis ratio reddenda, & perverſa quædam capitula, quæ tenere vos exiſtimant, coram ipſis ſunt anathematizanda. Quod ſi etiam, ſicut dicitur, dari a vobis anathema ficte ſuſpicantur, etiam jurejurando firmandum eſt vos nunquam eadem capitula tenere, nunquam tenuiſſe. Nec vobis indignum videatur tali eis modo ſatisfacere, nec de imperiali genere ſit contra eos aliquod in veſtra mente faſtidium. Omnes etenim fratres ſumus, unius imperatoris poteſtate conditi, & ſanguine redempti. Et ideo fratres noſtros quantumlibet pauperes & abjectos in nullo deſpicere debemus. Certe etenim Petrus poteſtatem regni cæleſtis acceperat, ut quæque in terra ligaret vel ſolveret, eſſent in cælo ligata vel ſoluta. ſupra mare ambulavit, ægrotantes umbra curabat, peccantes verbo occidebat, mortuos oratione ſuſcitabat. Et quia ex admonitione Spiritus ad Cornelium gentilem fuerat ingreſſus, contra eum quæſtio a fidelibus facta eſt cur ad gentiles intraſſet, & comediſſet cum eis, cur eos baptiſmate ſuſcepiſſet. Et tamen idem apoſtolorum primus tanta donorum gratia repletus, tanta miraculorum poteſtate ſuffultus, querelæ fidelium non ex poteſtate, ſed ex ratione reſpondit, cauſſam per ordinem expoſuit: quo modo vas quoddam velut linteum in quo quadrupedia terræ & beſtiæ & reptilia atque volatilia inerant de cælo ſubmitti viderit, vocemque audierit: *Surge, Petre, occide, & manduca:* (Act. 10.) qualiter tres viri venerint, cum ad Cornelium vocantes: qualiter Spiritus ſanctus hunc cum eis ire præceperit: qualiter idem Spiritus ſanctus qui venire in baptizatos in Judæa poſt baptiſmum conſueverat, in gentibus ante baptiſmum venit. Si enim cum a fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in ſancta eccleſia acceperat, attendiſſet, reſpondere poterat ut paſtorem ſuum oves, quæ ei commiſſæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed ſi in querela fidelium aliquid de ſua poteſtate diceret, profecto doctor manſuetudinis non fuiſſet. Humili ergo

eos ratione placavit, atque in cauſſa reprehen- A ſionis ſuæ etiam teſtes exhibuit, dicens: *Venerunt autem mecum ſex fratres iſti*. Si ergo paſtor eccleſiæ apoſtolorum princeps ſigna & miracula ſingulariter faciens, non dedignatus eſt in cauſſa reprehenſionis ſuæ rationem humiliter reddere; quanto magis nos peccatores cum de re aliqua reprehendimur, reprehenſores noſtros ratione humili placare debemus? Ad me etenim, ſicut noſtis, cum apud veſtigia dominorum in regia urbe demorarer, multi ex eis venire conſueverant, qui de prædictis capitulis accuſabantur. Sed teſte conſcientia fateor, nunquam in eis aliquid errotis, aliquid pravitatis, aliquid de his quæ contra eos dicebantur, inveni. Unde & eos B opinione contempta familiariter ſuſcipere, & magis ab inſequentibus defendere curabam.

Act. 11.

## II.

Dicebatur namque contra eos, quia ſub obtentu religionis conjugia ſolverent, & quia dicerent, quod baptiſma peccata penitus non auferret, & ſi de iniquitatibus ſuis quis in triennium pœnitentiam ageret, poſtmodum ei perverſe vivere liceret. Et quia ſi compulſi aliquid de quibus reprehendebantur anathematizare ſe dicerent, anathematis vinculo nullo modo teneri. Et ſi ſunt qui certiſſima talia ſentiunt, vel tenent, quia Chriſtiani non ſunt dubium non eſt. Eoſque & C ego & omnes catholici epiſcopi, atque univerſa eccleſia anathematizamus: quia veritati contraria ſentiunt, contraria loquuntur. Si enim dicunt religionis cauſſa conjugia debere diſſolvi ſciendum eſt, quia etſi hoc lex humana conceſſit, lex divina tamen prohibuit. Per ſe enim veritas dicit: *Quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Quæ etiam ait: *Non licet dimittere uxorem, excepta cauſſa fornicationis*. Quis ergo huic cæleſti legiſlatori contradicat? Scimus quia ſcriptum eſt: *Erunt duo in carne una*. Si ergo vir & uxor una caro ſunt, & religionis cauſſa vir dimittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel D etiam fortaſſe ad illicita * vota migrantem; quæ eſt iſta migratio vel converſio, in qua una eademque caro, & ex parte tranſit ad continentiam, & ex parte remanet in pollutione? Si vero utrique conveniat continentem vitam ducere, hos quis audeat accuſare, quando certum eſt quod omnipotens Deus, qui minora conceſſit, majora non prohibuit? Et quidem multos ſanctorum novimus cum ſuis conjugibus & prius continentem vitam duxiſſe, & poſtmodum ad ſanctæ eccleſiæ regimina migraſſe. Duobus enim modis ſancti viri etiam a licitis abſtinere ſolent. Aliquando ut merita ſibi apud omnipotentem Deum augeant, aliquando vero, ut anteactæ vitæ culpas detergant. Tres etenim pueri in regis Babylonici obſequium deducti legumina ad veſcendum petentes, cibis regiis uti noluerunt, non quia culpa eſſet, ſi ea quæ Deus creaverat ederent. Noluerunt ergo ea ſumere quæ licebat, ut per continentiam virtus excreſceret. David vero qui alienam conjugem tulerat, & pro ſua culpa valde fuerat flagellatus, aquam bibere longe poſt de Bethlemitica ciſterna voluit. Quam cum ei fortiſſimi milites detuliſſent, bibere recuſavit, eamque funden- E

Matth. 19. Marc. 10. Luc. 16.

1. Cor. 6.

* vota deſid... Paris.

do, domino libavit. Licebat enim ei bibere ſi voluiſſet: ſed quia illicita ſe feciſſe meminerat, laudabiliter & a licitis abſtinebat. Et qui prius pro culpa ſua morientium ſanguinem fundi non timuit, poſtmodum ſi aquam biberet, etiam viventium militum ſanguinem ſe fudiſſe judicavit, dicens, *Num ſanguinem iſtorum hominum qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam?* Proinde cum boni conjuges aut meritum augere deſiderant, aut anteactæ vitæ culpas delere; ut ſe ad continentiam adſtringant, & meliorem vitam appetant, licet. Si vero continentiam, quam vir appetit, uxor non ſequitur, aut quam uxor appetit, vir recuſat, dividi conjugium non licet, quia ſcriptum eſt: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier*.

1. Par. 11.

1. Cor. 7.

## III.

* Similiter ſi qui ſunt qui dicunt peccata in baptiſmate ſuperficie tenus dimitti, quid eſt hac prædicatione infidelius, in qua ipſum fidei ſacramentum feſtinant ſolvere? in quo principaliter ad cæleſtis munditiæ myſterium anima ligatur, ut abſoluta radicitus a peccatis omnibus, ſoli illi inhæreat, de quo propheta ait: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt*. Certe enim maris rubri tranſitus figura ſancti baptiſmatis fuit, in quo hoſtes a tergo ſunt mortui, ſed alii contra faciem in eremo ſunt inventi. Si quippe omnes qui in ſancto baptiſmate tinguntur, eorum peccata præterita omnia laxantur: quia eis veluti Ægyptii hoſtes a tergo moriuntur. Sed in eremo alios hoſtes invenimus: quia dum in hac vita vivimus, priuſquam ad promiſſionis patriam pertingamus, multæ nos tentationes fatigant, & ad terram viventium tendentibus iter intercludere feſtinant. Qui ergo dicit peccata in baptiſmate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Ægyptios veraciter mortuos, fateatur neceſſe eſt peccata in baptiſmate funditus mori: quia nimirum plus valet in abſolutione noſtra veritas, quam umbra veritatis. In evangelio dominus dicit: *Qui lotus eſt, non indiget * niſi ut pedes lavet, ſed mundus eſt totus*. Si igitur peccata in baptiſmate funditus minime dimittuntur, quomodo is qui lotus eſt, mundus eſt totus? Totus enim mundus dici non poteſt, cui de peccato aliquid remanſit. Sed nemo reſiſtit voci veritatis, quæ ait: *Qui lotus eſt, mundus eſt totus*. Nihil ergo ei de peccati ſui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipſe qui redemit.

* Si qui vero ſunt. Pariſ.

Pſalm. 72.

Joann. 13.

* ut lavet, ſed &c. Pariſ.

Ibidem.

## IV.

Si qui autem ſunt, qui dicunt, quia de peccato quolibet triennio pœnitentia agenda eſt, & poſt triennium in voluptatibus vivendum: iſti adhuc nec prædicamenta veræ fidei, nec ſacræ ſcripturæ præcepta & teſtimonia noverunt. Contra hos prædicator egregius * dicit: *Qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem*. Contra hos iterum dicit: *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*. Ubi diſcipulis ſubjungit: *Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu*. Hi quippe in carne ſunt, qui in carnalibus voluptatibus vivunt. Contra hos

* Paulus dicit. Pariſ.

Galat. 6.

Rom. 8.

hos dicitur: *Neque corruptio incorruptionem poſſidebit*. Si autem dicunt pauci temporis pœnitentiam contra peccatum debere ſufficere, ut iterum liceat ad peccatum redire, recte eos paſtoris primi percutit ſententia, qui ait: *Contigit illi illud veri proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti.* Magna eſt enim contra peccatum virtus pœnitentiæ: ſed ſi quis in eadem pœnitentia perſeveret. Nam ſcriptum eſt: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Hinc rurſum ſcriptum eſt. *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio ejus?* Mortuum quippe eſt omne opus perverſum quod pertrahit ad mortem, quod vita juſtitiæ non vivit. Baptizatur ergo a mortuo, & iterum tangit mortuum, qui prava opera quæ ſe meminit egiſſe deplorat: ſed in eiſdem ſe iterum poſt lacrymas implicat. Anima itaque quælibet ejuſdem mortui lavatione non proficit, quæ hoc iterum faciendo quod planxit, nec per lamenta pœnitentiæ ad rectitudinem juſtitiæ exurgit. Pœnitentiam enim vere agere, eſt commiſſa flere, ſed iterum plangenda declinare. Si vero ſunt qui dicunt, quia compulſus quiſpiam neceſſitate, ſi * anathematizatus fuerit, anathematis vinculo non tenetur: Ipſi ſibi teſtes ſunt, quia Chriſtiani non ſunt. Quia ligamenta ſanctæ eccleſiæ variis ſe exiſtimat conatibus ſolvere, ac per hoc nec abſolutionem ſanctæ eccleſiæ, quam præſtat fidelibus, veram putant, ſi ligaturas ejus veras eſſe atque valere non æſtimant. Contra quos diutius diſputandum non eſt, quia deſpiciendi per omnia & anathematizandi ſunt; ut unde veritatem fallere ſe credunt, inde in peccatis ſuis veraciter ligentur. Si qui ſunt igitur qui ſub nomine Chriſtiano hæc quæ prædiximus errorum capitula aut prædicare audent, aut taciti apud ſemetipſos tenere; hos procul dubio & anathematizavimus, & anathematizamus. Ex omnibus tamen capitulis in eis, ſicut prædixi, qui ad me in urbe regia venire conſueverunt, nullum omnino errorem cujuſlibet prædicti capituli agnovi: ſed neque fuiſſe exiſtimo. Nam ſi fuiſſet, agnoviſſem. Quia vero ſunt multi fidelium qui imperito zelo ſuccenduntur, & ſæpe, dum quoſdam quaſi hæreticos inſequuntur, hæreſes faciunt, eorum infirmitati conſulendum eſt: &, ſicut prædixi, ratione & manſuetudine ſunt placandi. Illis quippe ſunt ſimiles de quibus ſcriptum eſt: *Teſtimonium illis perhibeo, quod æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.* Veſtra itaque excellentia quæ in lectione, in lacrymis atque in eleemoſynis inceſſabiliter vivit, eorum ſicut petii imperitiam placare manſuetis exhortationibus ac reſponſionibus debet: ut non ſolum de ſemetipſa, ſed etiam de illis gloriam æternæ retributionis inveniat. Hæc me vobis dicere nimius amor ſuaſit: quia & in veſtra lætitia me creſcere, & in veſtra triſtitia me exiſtimo minorari. Omnipotens Deus gratia vos cæleſti cuſtodiat, & ſalva domini noſtri pietate, & piiſſimæ domnæ tranquillitate, pro dominorum parvulorum nutrimento vitam veſtram longius extendat.

1. Cor. 15. — 2. Petr. 2. — Matth. 10. & 24. — Eccleſ. 34. — * anathematizaverit. Vatic. — Rom. 10.

## XL. AD ISICIUM EPISCOPUM HIEROSOLYMITANUM.

Synodicæ epiſtolæ reſpondet: agitque de unitate eccleſiæ ſervanda, de cura paſtorali, & de Simoniaca hæreſi fugienda.

*Gregorius * Iſicio epiſcopo Hieroſolymorum.*

* Heſicio. Vatic.

SErvata veritate hiſtoriæ, quid aliud eſt quod diluvii tempore humanum genus extra arcam moritur, ad vitam vero in arca ſervatur, niſi hoc quod aperte nunc cernimus: quia infideles quoſque extra eccleſiam peccati ſui unda perimit, & fideles ſuos in fide atque in caritate ſanctæ eccleſiæ unitas quaſi arcæ compago cuſtodit? Quæ arca videlicet de imputribilibus lignis compingitur, quia de animabus fortibus atque in bono ſuo perſeverantibus ædificatur. Et cum a ſæculari vita unuſquiſque convertitur, quaſi adhuc ligna de montibus ſucciduntur. Cum vero ad ſanctæ eccleſiæ ordinem ad aliorum cuſtodiam ducitur, quaſi de exciſis atque compoſitis lignis ad ſervandam vitam hominum arca ædificatur. Quæ profecto arca, ceſſante diluvio, in monte requievit: quia hujus vitæ corruptione ceſſante, cum malorum operum fluctus tranſierint, in cæleſti patria ſancta eccleſia velut in monte requieſcet excelſo. In hujus itaque arcæ ædificatione vos currere relecta fraternitatis veſtræ epiſtola rectæ fidei compage gaudemus: magnaſque omnipotenti Deo gratias exolvimus, qui & immutatis gregis ſui paſtoribus fidem, quam ſemel ſanctis patribus tradidit, etiam poſt eos immutabilem cuſtodit. Prædicator autem egregius dicit: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.* Quiſquis igitur cum dilectione Dei & proximi fidei quæ eſt in Chriſto firmitatem tenet, eumdem Jeſum Chriſtum Dei & hominis filium apud ſe a Patre poſuit fundamentum. Sperandum ergo eſt, quia ubi Chriſtus fundamentum eſt, bonorum quorumque operum ſequatur ædificium. Ipſa quoque veritas per ſe dicit: *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro. Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ovium.* Et paulo poſt ſubjicit, dicens: *Ego ſum oſtium.* Ille ergo ad ovile ovium intrat per oſtium, qui intrat per Chriſtum. Ipſe autem per Chriſtum ingreditur, qui de eodem creatore redemptore humani generis vera ſentit & prædicat, prædicata cuſtodit, culmen regiminis ad officium portandi oneris ſuſcipit, non ad appetitum gloriæ tranſitorii honoris. Curæ quoque ſuſcepti ovilis ſolerter invigilat, ne oves Dei aut perverſi homines prava loquentes dilanient, aut maligni ſpiritus oblectamenta vitiorum perſuadentes devaſtent. Sed in his omnibus ipſe nos inſtruat, qui propter nos homo factus eſt. Qui dignatus eſt fieri quod fecit ipſe, & infirmitatis meæ, & tuæ caritati ſpiritum ſui amoris infundat, atque in omni ſolicitudine & cuſtodia circumſpectionis oculum noſtri cordis aperiat. Quod vero ad ſacros ordines rectæ fidei viri perducuntur, eidem omnipotenti Deo ſine ceſſatione gratiæ ſolvendæ ſunt, & pro vita piiſſimi & Chriſtianiſſimi imperatoris domini

1. Cor. 3. — Joann. 10.

mini noſtri, & tranquilliſſima ejus conjuge, & ejus manſuetiſſima ſobole ſemper orandum eſt, quorum temporibus ora hæreticorum conticeſcunt: quia etſi eorum corda in inſaniam perverſi ſenſus ebulliunt, orthodoxi tamen imperatoris tempore prava quæ ſentiunt eloqui non præſumunt: ita ut aperte videamus impleri quod ſcriptum eſt: *Congregans ſicut in utre aquas maris*. Aqua enim maris ſicut in utre congregata eſt, quia amara hæreticorum ſcientia quidquid hodie pravum ſentit, in pectore comprimit, & aperte dicere non præſumit. Tua ergo fraternitas ſpiritaliter edocta rectam per omnia fidem protulit, & quæ quærenda erant ſubtiliter enarravit. Fides itaque veſtra, fides eſt noſtra. Ea tenemus quæ dicitis, ea dicimus quæ tenetis. Quia vero pervenit ad nos in orientis eccleſiis nullum ad ſacrum ordinem niſi ex præmiorum datione pervenire: ſi ita eſſe veſtra fraternitas agnoſcit, hanc primam oblationem omnipotenti Deo offerat, ut a ſubjectis ſibi eccleſiis errorem Simoniacæ hæreſeos compeſcat. Nam ut alia taceam, quales eſſe in ſacris ordinibus poterunt, qui ad hos non merito, ſed præmio provehuntur? Scimus autem quanta animadverſione hanc apoſtolorum princeps inſecutus eſt, qui primam damnationis ſententiam contra Simonem protulit, dicens: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*. Ipſe quoque creator ac redemptor humani generis dominus Deus noſter cum flagellum de reſticulis feciſſet, de templo cathedras vendentium columbas evertit. Quid eſt enim aliud in templo columbas vendere, niſi in eccleſia eam, per quam Spiritus ſanctus datur, ad pretium manus impoſitionem dare? Sed cathedræ vendentium columbas everſæ ſunt, quia talium ſacerdotium in ſacerdotio non deputatur. Præterea pervenit ad me, quia in ea eccleſia, quæ Neas dicitur, ſæpe in Hieroſolymorum urbe veſtræ eccleſiæ jurgia naſcuntur. Unde ſanctitas veſtra debet ſolicite cuncta penſare, & quædam manſuete corrigere, quædam vero, quæ corrigi nequeunt, æquanimiter tolerare. Aperte enim videmus quod per pſalmiſtæ vocem a ſancta eccleſia dicitur: *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores*, in dorſo quippe onera portantur. Supra dorſum ergo noſtrum fabricant peccatores, quando eos quos corrigere non poſſumus patiendo portamus. Navis etenim gubernator cum adverſari ſibi ventum conſiderat, quoſdam fluctus directo clavo exuperat, quoſdam vero, quos ſuperari non poſſe prævidet, inflexo curſu prudenter declinat. Sic itaque ſanctitas veſtra quædam compeſcendo, quædam tolerando mitiget, ut in ſancta Hieroſolymorum eccleſia pacem cohabitantium per omnia conſervet. Scriptum quippe eſt: *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum*. In rixa etenim mentis ipſum lumen clauditur bonæ intentionis. Unde pſalmiſta dicit: *Turbatus eſt præ ira oculus meus*. Quid jam in nobis boni operis remanet, ſi pacem ex corde perdimus, ſine qua dominum videre non valeamus? Vos itaque ita agite, ut de his quoque qui per jurgium perire poterant, mercedis veſtræ lucra colligatis. Omnipotens Deus dilectionem tuam gratia cæleſti cuſtodiat, & de his qui tibi commiſſi ſunt, fructu multiplicet, ac menſuram ſupereffluentem ad æterna gaudia reportare concedat.

Pſalm. 32 · Act. 8 · Matth. 21 · Pſalm. 128 · Heb. 12 · Pſalm. 6

## XLI. AD ANATOLIUM DIACONUM.

De Joanne epiſcopo primæ Juſtinianæ, quod nec ipſe nec alius propter infirmitatem deponatur.

*Gregorius Anatolio diacono Conſtantinopolitano.*

SCripſit mihi tua dilectio piiſſimum dominum noſtrum reverendiſſimo fratri meo Joanni primæ Juſtinianæ epiſcopo, pro ægritudine capitis quam patitur, percipere ſuccedi, ne forte dum epiſcopi * jura eadem civitas non habet, quod abſit, ab hoſtibus pereat. Et quidem nuſquam canones præcipiunt, ut pro ægritudine epiſcopo ſuccedatur. Et omnino injuſtum eſt, ut ſi moleſtia corporis irruit, honore ſuo privetur ægrotus. Atque ideo hoc per nos fieri nullatenus poteſt, ne peccatum in mea anima ex ejus depoſitione veniat. Sed ſuggerendum eſt, ut ſi is qui eſt in regimine ægrotat, diſpenſator illi requiratur talis, qui poſſit ejus curam omnem agere, & locum illius in regimine eccleſiæ, ipſo non depoſito, conſervare, ac in cuſtodia civitatis implere, ut nec omnipotens Deus offendatur, neque civitas inveniatur eſſe neglecta. Si vero idem reverendiſſimus Joannes fortaſſe pro moleſtia ſua petierit, ut ab epiſcopatus honore debeat vacare, eo petitionem ſcripto dante concedendum eſt. Aliter autem nos id facere pro omnipotentis Dei timore omnimodo non * audemus. Quod ſi hoc ita petere ille noluerit, quod piiſſimo imperatori placet, quidquid jubet facere, in ejus poteſtate eſt. Sicut novit, ipſe provideat. Nos tantummodo in depoſitione talis viri non faciat permiſceri. Quod vero ipſe fecerit, ſi canonicum eſt, ſequimur: ſi vero canonicum non eſt, inquantum ſine peccato noſtro valemus, portamus.

* curam.
* valemus Paris.

## XLII. AD URBICUM ABBATEM.

De diſſenſione congregationis ejus, & abbate ordinando.

*Gregorius Urbico abbati.*

VAlde me contriſtatum dilectio tua cognoſcat, quod tantam in congregatione monaſterii noſtri confuſionem eveniſſe cognovi, quod dum de ordinando abbate aliquid in Lucuſiano monaſterio diſponeres, non unum, ſed duos pene abbates feciſti: mane, ſicut audio, Domitium presbyterum, veſpere vero latorem præſentium Bonum ſervum Dei. Ex qua re aſpicio, quam diſſoluta ſit regula monaſterii, dum nec monachi ejuſdem monaſterii tibi ad obediendum parati extiterint, nec tu conſtanter aliquid diſponere potuiſti. Unde vehementer ingemiſco, quia aliter eſſe monaſterium noſtrum quam putabam invenio. Quod ex nulla alia re evenire valuit, niſi quia tua dilectio in regimine ſuo inordinata eſt, nec cum gravitate aliquid valet diſponere: ſed modo ſtudet peccantibus * leniter blandiri, modo inordinate & extra modum nimie iraſci. Nam ſi temetipſam in mentis tuæ ratione tenere potuiſſet, ipſa ejus maturitas haberi in reve-

* aſperius Paris.

reverentiæ potuit, & diſciplinæ in monaſterio ordo ſervari. Hoc autem factum deterius puto, quod prædictum Bonum monachum de monaſterio quod conſtruxit ſine juſſione mea tollere præſumpſiſti; maxime quia nec ætati ejus expedire ſuſpicor, ut poſſit in regimine præeſſe. Ideoque volumus, ut Domitius presbyter abbas eſſe Lucuſiani monaſterii debeat, eique præpoſitus Lucifer monachus fiat, in cujus requieſcere ſolatio valeat. Ex noſtra itaque auctoritate hæc te diſponere Deo adjuvante præcipimus. Cui diſpoſitioni ſi quis præſumpſerit ingratus exiſtere, ad nos ſine dubio tranſmittatur. Acceptis ergo ſcriptis noſtris, fratrem & coepiſcopum noſtrum Victorem ad Lucuſianum monaſterium dilectio tua invitet, quatenus ipſe illic miſſarum ſolemnia celebrare, & prædictum Domitium auctore Deo abbatem ordinare debeat, ne dum tuum conſilium ſequimur, in errorem ſicut cæci ducamur. Nam Catellum monachum in Lucuſiano monaſterio præpoſitum dilectio tua fieri voluerat. Quod poſtquam fieri mandavimus, quia monachus non ſit agnovimus. Ex parva enim eulogia, quam Bonus monachus accepit, partem petendo contentionem facere in itinere minime timuit. Quod ex quanta amaritudine cordis deſcenderit, tua poterit dilectio ſcire, ſi regulam monachorum noſſe voluiſſet. Ex diſcipulo autem tuo cognovimus, quia tu, qui abbas diceris eſſe, adhuc eſſe monachus neſcis. Et credo quod non diſparis mentis ſit in hac diviſione * cellarius etiam Lucifer, quem præpoſitum fieri diximus. Sed tolerabilius eſt antiquiorem fratrem quam novum & puerum tolerare.

* cellarius.

## XLIII. AD EUMDEM.

De quadraginta ſolidis Petro Tricalitano dandis.

*Gregorius Urbico abbati.*

DIlectio tua præſentia ſcripta ſuſcipiens, de ſolidis Lucuſiani monaſterii, quos apud eum Salerius notarius noſter eſſe renuntiavit, ſine mora vel excuſatione aliqua quadraginta ſolidos fratri noſtro Petro Tricalitano epiſcopo dare ſtudeat: ſed & monachis quos apud ſe pro eorum ſalute de eodem monaſterio præfatus frater noſter abſtulit, ſtudii tui ſit abbati antefati Lucuſiani monaſterii diſtrictius imminere, ut alimoniam & veſtimenta annis ſingulis exinde præbere modis omnibus debeat.

## XLIV. AD HADRIANUM NOTARIUM.

Præcipit ut Agathoſæ maritum jam tonſuratum & monachum factum reddere debeat.

*Gregorius Hadriano notario Panormitano.*

AGathoſa latrix præſentium queſta eſt maritum ſuum contra voluntatem ſuam in monaſterio Urbici abbatis eſſe converſum. Quod quia ad ejuſdem abbatis culpam & invidiam non eſt dubium pertinere, experientiæ tuæ præcipimus, ut diligenti inquiſitione diſcutiat, ne forte cum ejus voluntate converſus ſit, vel ipſa ſe mutare promiſerit. Et ſi hoc repererit, & illum in monaſterio permanere provideat, & hanc, ſicut promiſit, mutare compellat. Si vero nihil horum eſt, nec quoddam fornicationis crimen, propter quod viro licet relinquere uxorem, prædictam mulierem commiſiſſe cognoverit, ne illius converſio uxori relictæ in ſæculo fieri poſſit perditionis occaſio, volumus ut maritum ſuum illi, etiamſi jam tonſuratus eſt, reddere omni debeat excuſatione ceſſante: quia etſi mundana lex præcipit, converſionis gratia, utrolibet invito poſſe ſolvi conjugium, divina hoc tamen lex fieri non permittit. Nam, excepta fornicationis cauſſa, vir uxorem dimittere nulla ratione conceditur, quia poſtquam copulatione conjugii viri atque mulieris unum corpus efficitur, non poteſt ex parte converti, & ex parte in ſæculo remanere.

## XLV. AD EPISCOPOS SICILIÆ.

Ut in hoſtium invaſione litaniæ fiant, & pravi hominum mores emendentur.

*Gregorius univerſis epiſcopis Siciliæ.*

SUper afflictiones & gemitus quos annoſa hic continuatione de hoſtibus ſuſtinemus, major nos metus excruciat, quod inimicos noſtros omni admiſſa ad Siciliæ invaſionem cognoſcimus feſtinare. Sed ne hæc illis molientibus proſperitatem multitudo noſtrorum præbeat peccatorum, toto nos corde ad redemptoris noſtri remedia conferamus, & quibus reſiſtere virtute non poſſumus, lacrymis obviemus. Nam quid vobis cavendum, quidve ſit vehementius formidandum, ex illius provinciæ debetis deſolatione colligere. Itaque hortor, fratres cariſſimi, ut omni hebdomada quarta & ſexta feria litaniam inexcuſabiliter indicatis, & contra barbaricæ crudelitatis incurſus supernæ protectionis auxilium imploretis. Sed ut ad aures Dei viam precibus faciatis, vigilantius ſtudendum eſt, ut voces actibus adjuventur. Nam inanis fit oratio, ubi prava eſt actio. Quia igitur quanto immane cernitis imminere periculum, tanto ſimul omnes in fletu debetis & gemitu occupari, filios veſtros a ſæculari perverſitate ſacerdotali quam primum adhortatione compeſcite. Diſcant injuſta contemnere, & quæ Deo placita ſunt amare, ut illos poſſitis habere ad impetrandam divinæ miſericordiæ gratiam adjutores: ne ſi neglexeritis, actio eorum preces orationum ſuperet, & ſævientis inimici gladius, quod abſit, feriat quos monentis verba non corrigunt. Deus autem noſter juſtus & pius eſt, & ſicut perſeverantibus in pravitate diſtrictus eſt, ita converſis miſericors. Ad ipſum ergo tota mente contriti cordis ejulatione curramus, ab ipſo ereptionis noſtræ ſolatia poſtulemus. Quoniam benignus & mitis eſt, ſi nos a malis noſtris emendatos ſua viderit mandata diligere, & hic nos potens eſt ab hoſte defendere, & in futuro æterna nobis gaudia præparare.

XLVI.

## XLVI. AD DONUM EPISCOPUM MESSANENSEM.

De contentione inter Placidum & eccleſiam ejus.

*Gregorius Dono epiſcopo Meſſanenſi.*

NUllus unquam contentionibus finis imponitur, ſi impleri ea quæ judicata fuerint differantur. Filius itaque noſter Placidus, vir * memorandus, queſtus eſt nobis ea quæ inter eum & actores eccleſiæ veſtræ Dei judicio definita ſunt fraternitatem veſtram nolle B complere. Quod ſi ita eſt, miramur, ut dum quieti veſtræ vos decet ſtudere, contentionis vobis ſcrupulum reſervetis. Proinde ſcriptis vos præſentibus adhortamur, ut ſubtiliter requirere debeatis. Et ſi quid minus impletum eſt, ſi tamen nihil eſt quod juſte poſſit obſiſtere, ſine diſcordia compleatur; quatenus nec * ſint quibus ſupradictus magnificus vir ſe queratur irrationabiliter fatigari, nec vos contra ordinis * noſtri propoſitum videamini deſpexiſſe quod juſtum eſt. Data menſe Junii, indictione IV.

* magnificus Paris.
* non deest in Paris.
* vestri Paris.

## XLVII. AD HADRIANUM NOTARIUM.

De incantationibus & Sortilegiis inſequendis.

*Gregorius Hadriano notario.*

PErvenit ad nos, quod quoſdam incantatores atque ſortilegos fueris inſecutus. Et omnino nobis ſolicitudinem zelumque tuum gratum fuiſſe cognoſcas: ſed moleſte tulimus, quod te dubitare ne ab eis nobis contra experientiam tuam ſurripi potuiſſet didicimus, cum certus eſſe ac ſcire debueras, hoc tibi apud nos ad commendationem magis proficere, non ad culpam adſcribi. Et ideo ſtudii tui ſit ſolicite quærere, & quoſcumque hujuſmodi inimicos Chriſti inveneris, ita diſtricta ultione corrigere, ut & nos de experientia tua melius debeamus habere judicium, & Deo noſtro te, quod maxime ſtudendum eſt valeas commendare.

## XLVIII. AD DESIDERIUM EPISCOPUM.

Quod epiſcopus grammaticam artem docere non debeat. Commendat illi monachos quos cum Laurentio & Mellito mittit in Britanniam.

*Gregorius Deſiderio epiſcopo * Galliæ.*

* Viennensi.

CUm multa nobis bona de veſtris ſuiſſent ſtudiis nuntiata, ita cordi noſtro nata eſt lætitia, ut negare ea quæ ſibi fraternitas veſtra concedenda popoſcerat, minime * valeremus. Sed poſt hoc pervenit ad nos, quod ſine verecundia memorare non poſſumus, fraternitatem tuam grammaticam quibuſdam exponere. Quam rem ita moleſte ſuſcepimus, ac ſumus vehementius aſpernati, ut ea quæ prius dicta fuerunt in gemitum & triſtitiam verterimus: quia in uno ſe ore cum Jovis lau-
A dibus Chriſti laudes non capiunt. Et quam grave nefandumque ſit epiſcopis canere, quod nec laico religioſo conveniat, ipſe conſidera. Et quamvis dilectiſſimus filius noſter Candidus presbyter poſtmodum veniens, hac de re ſubtiliter requiſitus negaverit, atque conatus vos fuerit excuſare, de noſtris tamen adhuc animis non receſſit: quia quanto execrabile eſt hoc de ſacerdote enarrari, tanto utrum ita necne ſit, diſtricta & veraci oportet ſatisfactione cognoſci. Unde ſi poſt hoc evidenter ea quæ ad nos perlata ſunt falſa eſſe claruerint, nec vos nugis & ſæcularibus literis ſtudere conſtiterit, Deo noſtro gratias agimus, qui cor veſtrum maculari blaſphemis nefando-
B rum laudibus non permiſit, & de concedendis quæ poſcitis, ſecuri jam & ſine aliqua dubitatione tractabimus. Monachos vero, quos una cum dilectiſſimo filio noſtro Laurentio presbytero, & Mellito abbate, ad reverendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Auguſtinum tranſmiſimus, vobis in omnibus commendamus, ut fraternitate veſtra ſolatiante, nulla illos ad proficiendum mora valeat impedire.

* par esse non Paris.

## XLIX. AD VIRGILIUM EPISCOPUM ARELATENSEM.

C Ut de ſynodo ad eruendam ſimoniam cogenda inſiſtat, & Serenum epiſcopum a pravorum hominum ſocietate cohibeat, monachos ad Auguſtinum euntes habeat commendatos.

*Gregorius Virgilio epiſcopo Arelatenſi.*

CUm divinæ lectionis teſtimonio idolorum ſervitus avaritia nuncupetur, quo ſtudio de templo Dei ſit pellenda, cognoſcitur, & a quibuſdam ſacerdotibus, quod gementes dicimus, non cavetur. Tenet enim captivum cor ſæva cupiditas, licitum ſuadet eſſe malum quod imperat, atque id agit, ut uno eodemque gladio & dantem & accipientem interi-
D mat. Quis igitur poſt hoc locus contra avaritiam tutus eſſe prævaleat, ſi Dei illi a pravis ſacerdotibus aperitur eccleſia? Quando ovium ſepta inviolata cuſtodiet, qui intrare lupum invitat? Proh nefas! manus illicito munere polluit, & alios ſe benedictione credit erigere, cum ipſe jam ſit propria iniquitate * ſubtractus, & ſua nihilo minus ambitione captivus. Hujus ergo mali rapacitas quia arcem veſtræ mentis nunquam intraverit, & innoxias habere vos manus de ordinationibus perhibetis, omnipotenti Deo gratias agite, & tanto vos * Dei debitores eſſe cognoſcite, quanto illæſi ab hujus morbi contagione eo cuſtodiente manſiſtis. Sed hæc vobis minus quam po-
E terant bona proficiunt, ſi hæc & in aliis ſolicite non vetaſtis. Sicut autem in te iſtud tibi malum diſplicuit, ita hoc & in fratre cum dolore zelo debueras. Nam dum divina præcepta moneant, proximos noſtros ſicut nos ipſos debere diligere, non parvæ culpæ eſt deſpicere, & quod ſibi quiſque metuit, aliis non timere. Vel nunc ergo, dilectiſſime frater, da operam, ut quod a correptione quieſcendo in aliis perdidiſti reſarcias, & ab hac quos potueris pravitate compeſcas; atque ut ſynodus ad * eruendam ipſam hæreſim congregari poſ-

ſit

* ſubtractus. Paris.
* Dei deest in Paris.
* eruendam Paris.

ſit inſiſte, quatenus cum dilectionis veſtræ mercede melius ab omnibus caveatur, quod auctore Deo omnibus fuerit conſtitutione damnatum. Pervenit præterea ad nos fratrem & coepiſcopum noſtrum Serenum Maſſilienſem pravos homines omnino in ſocietate ſua recipere: ita denique ut presbyterum quemdam, qui poſt lapſum in ſuis adhuc dicitur iniquitatibus volutari, familiarem habeat. Quod a vobis ſubtiliter requirendum eſt. Et ſi ita conſtiterit, cum vobis ſit noſtra hoc ſic vice corrigere, ut & qui talem recipit, non familiaritate fovere, ſed diſcat potius ultione comprimere; & qui receptus eſt, idem diſcat cum lacrymis peccata diluere, non iniquitatem in immunditiis cumulare. Monachos vero, quos ad reverendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Auguſtinum tranſmiſimus, fraternitas veſtra habeat in omnibus commendatos, & ita eis ad proficiſcendum ſolatiari ſtudeat, atque concurrere, ut vobis ſibi opitulantibus celeriter Deo protegente quo directi ſunt valeant pervenire.

## L. AD ÆTHERIUM EPISCOPUM LUGDUNENSEM.

Ut inſiſtat ad ſynodum cogendam de privilegiis eccleſiæ ſuæ mittat exemplaria. Irenæi ſcripta non inveniri, & de monachis, quos commendat.

*Gregorius Ætherio * epiſcopo Galliæ.*

EPiſtolarum veſtrarum plena venerabili gravitate locutio ita ſibi cordis noſtri fixit affectum, ut mutuum ſemper libeat miſcere ſermonem; quatenus etſi corporali veſtra præſentia frui non valemus, nil ſibi contra nos abſentia hoc intercurrente valeat commercio vendicare. Quatenus autem in vobis eccleſiaſtici ordinis amor eniteat, quanta ſit dilectio diſciplinæ, quantum obſervantiæ ſtudium ſalubrium decretorum, ex illo, quod noſtram ſubmiſſe & omnino libenter adhortationem accipitis, & ſervandam inviolabiliter prædicatis, oſtenditis. Quia igitur ad aliorum emendationem promptum cor geritis, & vetuſtatis malum libera ſicut decet voce damnatis, poſtquam & aliis fratribus coepiſcopiſque noſtris ipſa voluntas eſt, oportet ut unanimes contra dominicos hoſtes inſurgere, & avaritiam de domo Dei ſynodali debeatis definitione projicere. Nihil in dandis eccleſiaſticis ordinibus auri fames inveniat, nil blandimenta ſurripiant, nil gratia conferat, honoris præmium * vitæ ſit provectus, ſapientiæ incrementum, modeſtia morum: ut obtinente hujuſmodi obſervantia, & indignus qui præmiis quærit aſcendere judicetur, & digne cui bonum teſtimonium actio perhibet honoretur. Hæc vobis, dilectiſſime frater, cura ſit, hæc animis veſtris ſollicitudo ſemper invigilet, ut & zelum, quem literis oſtenditis, cordis veſtri teſtem opere demonſtretis. Itaque aſſidue inſtanterque ad congregandam ſynodum imminere, & ita vos enixius exhibete, ut nominis dignitatem officii adminiſtratione compleatis. De eo vero quod eccleſiæ veſtræ concedendum ex antiqua conſuetudine depoſcitis, requiri in ſcrinio fecimus, & nihil inventum eſt. Unde nobis epiſtolas ipſas, quas vos dicitis habere, tranſmittite, ut ex eis quid concedendum eſt colligamus. Geſta vero vel ſcripta beati Irenæi jamdiu eſt quod ſollicite quæſivimus: ſed haćtenus ex eis inveniri aliquid non valuit. Præterea fraternitas veſtra monachos, quos ad reverendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Auguſtinum direximus, habere ſtudeat in omnibus commendatos, ſuamque illis caritatem propter Deum exhibeat; atque illis ita ſtudio ſacerdotali obviæ concurrat, & ſuo eos ſolatio ad agendum iter adjuvare feſtinet, ut dudum nulla eis illic res morandi cauſſas intulerit, & hi celerius pergere, & vos mercedem de præſtitis invenire poſſitis. Data die decimo Julii, indictione IV.



* de quo vide Greg. Turonenſem in vita S. Nicetii ep. Lugdunenſis, cui ſucceſſit Ætherius, de quo etiam in vita S. Auſtregiſili Bituricenſis ep.

* vita ſit, provectus incrementum modeſtia, ut Pariſ.

## LI. AD AREGIUM EPISCOPUM VAPINCENSEM.

De ſynodo congregande, & de monachis quos commendat.

*Gregorius Aregio epiſcopo Galliæ.*

CUm in fraterna dilectione unum cor, unus ſit animus, ſicut in alterius proſperis mens lætatur, ita in adverſis affligitur; quia in utroque particeps eſſe lege caritatis adſtringimur. Atque ideo major nos de triſtitia veſtra mœror invaſerat, ne fortaſſe prolixi luctus afflictio aſſiduo cor veſtrum dolore pulſaret, & vitam gemitibus oneraret. Sed ſuſceptis caritatis veſtræ epiſtolis optato ſumus gaudio conſolati, atque omnipotenti Deo gratias egimus, quia & * humanitatem veſtram incolumem, & animum ad conſolationem rediſſe cognovimus. Nec enim aliter de vobis fuerat exiſtimandum, niſi quia quidquid adverſitatis eſſet, ſacerdotali ſine dubio patientia vinceretis. Qualiter præterea in abſcindenda Simoniaca hæreſi fraternitatis veſtræ zelus olim exarſerit, bene recolimus. Unde hortamur, ut operam ſtudioſius impendentes, diſtricta inter alia quæ ſcripſimus concilii definitione damnentur: quatenus dum voluntatis noſtræ intentio ſollicitudinis veſtræ fuit ope completa, & omnipotenti Deo oblationem gratiſſimam de vitiorum correptionibus offeratis, & ad aliorum ædificationem, qualiter in vobis paſtoralis officii cura fulgeat, oſtendatis. Experientia autem vitæ veſtræ nos provocat, quam valde multis præeminere cognovimus, ut de vobis hæc in re grande ſolatium præſumamus. Et ideo * fervorem veſtrum ſicut Deo auctore cœpiſtis explete, ut bona quæ in vobis recta intentione cœpta ſunt, juvante Deo creatore omnium rectius impleantur. Præterea monachis, quos ad reverendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Auguſtinum tranſmiſimus, caritatem ſuam fraternitas veſtra, ut conſuevit, impendat, & ita eis tam per ſe, quam per alios quos potuerit, ad proficiſcendum ſolatiari ſtudeat; ut dum vobis providentibus nullas illic difficultates vel moras habuerint, & nos quod de vobis confidimus ſentiamus, & Deus vobis omnipotens pro converſione animarum, pro quibus tranſmiſſi ſunt, ſuam gratiam recompenſet.

* [illegible]

* fervorem Pariſ.

## LII AD DIVERSOS EPISCOPOS GALLIÆ.

Commendat monachos quos in Angliam mittit ad Auguſtinum.

*Gregorius Menna Toloſano, Sereno Maſſiliæ, Lupo Cabilonenſi, Aguſio Meriti, Simplicio Pariſius, Melantio Rothomagenſi, & Licinio epiſcopis Francorum, a paribus.*

LIcet fraternitatem veſtram ſuſcepi officii cura commoneat, ut religioſis viris, & præcipue in cauſſa animarum laborantibus, omni debeat annisu concurrere; non tamen ab re eſt, ſi ſolicitudinem veſtram epiſtolarum noſtrarum ſermo pulſaverit: quia ſicut ignis aura ſlante fit grandior, ita bonæ mentis ſtudia commendatione proficiunt. Quia igitur redemptoris noſtri gratia cooperante tanta de Anglorum gente ad Chriſtianæ fidei gratiam multitudo convertitur, ut reverendiſſimus communis frater & coepiſcopus noſter Auguſtinus eos qui ſecum ſunt ad hoc opus exequendum, per diverſa loca aſſerat non poſſe ſufficere, aliquantos ad eum monachos, cum dilectiſſimis & communibus filiis, Laurentio presbytero, & Mellito abbate, prævidimus tranſmittendos. Et ideo fraternitas veſtra eis caritatem quam decet exhibeat, atque ita illis ubicumque neceſſe fuerit auxiliari feſtinet, quatenus dum vobis opitulantibus nullas illic remorandi cauſſas habuerint, & ipſi veſtra ſe relevatos conſolatione congaudeant, & vos ſolatiorum exhibitione in cauſſa pro qua directi ſunt poſſitis participes inveniri.

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Aguſio Meriti.*) Legendum fortaſſe *A*[illegible] *Meriti.* [illegible] verò [illegible] ſedes non deſignatur, epiſcopus fuit Andegavenſis.

## LIII AD THEODORICUM REGEM FRANCORUM.

Hortatur ad ſynodum convocandam.

*Gregorius Theodorico regi Francorum.*

EXcellentiæ veſtræ inde cordis epiſtola quanta in vobis fulgeat cum regia poteſtate prudentia vos luculenti copia ſermonis edocuit, ut dubium eſſe non valeat quidquid laudabile de vobis fama narraverat. Et quoniam adhortationem noſtram adeo regiis animis veſtris per laudis prædicamenta placuiſſe ſignaſtis, ut quidquid ad Dei noſtri cultum, quidquid ad eccleſiarum reverentiam, quidquid ad honorem pertinere cognoſcitis ſacerdotum, & ſtudiose ſtatui, & ventis in omnibus cuſtodiri; iterata vos pro veſtra magna mercede adhortatione pulſamus, ut congregari ſynodum jubeatis, & ſicut dudum ſcripſimus, corporalia in ſacerdotibus vitia, & Simoniacæ hæreſeos pravitatem omnium epiſcoporum definitione damnari, atque de regni veſtri amputari finibus faciatis; nec plus illic pecuniam obtinere, quam præcepta dominica permittatis. Nam cum omnis avaritia idolorum ſit ſervitus, quiſquis hanc, & maxime in dandis eccleſiaſticis honoribus, vigilanter non præcavet, infideli-

A tatis perditioni ſubjicitur, etiamſi tenere fidem quam negligit videatur. Sicut ergo contra exteriores hoſtes, ita quoque contra interiores animarum adverſarios ſtudere eſſe ſoliciti: ut per hoc quod Dei noſtri inimicis fideliter repugnatis, & hic feliciter ipſius protectione regnetis, & ad æterna poſtmodum gaudia ejus duce gratia veniatis. Quanta præterea bona reverendiſſimo fratri & coepiſcopo noſtro Auguſtino ad Anglorum gentem proficiſcenti excellentia veſtra præbuerit, revertentes ab eo quidam monachi retulerunt. Unde uberes gratias referentes petimus, ut his quoque monachis, qui ad eum directi ſunt, ſuffragia veſtra copioſius præbere, atque eos ad proficiſcen-

B dum juvare dignemini; ut quanto beneficia veſtra eis amplius exhibetis, tanto majorem viciſſitudinem ab omnipotente Deo, cui ſervitur, expectetis.

## LIV. AD THEODEBERTUM REGEM FRANCORUM

Iterum hortatur ad ſynodum congregandam, & monachos commendat.

*Gregorius Theodeberto regi Francorum.*

QUi paternæ adhortationis verba libenti

C animo ſuſcipit, & ſinu cordis amplectitur, emendatorem ſe vitiorum fore procul dubio profitetur. Ex qua re ſatis nos excellentiæ veſtræ certos reddit abſoluta promiſſio. Nam ejus quem idoneum ad ſolvendum eſſe cognoſcimus verba pro pignore retinemus. Itaque excellentia veſtra, Dei noſtri mandatis inhærens, ſtudium ad congregandam ſynodum pro ſua mercede adhibere dignetur, ut omne a ſacerdotibus corporale vitium, & ſimoniaca hæreſis, quæ prima in eccleſiis iniqua ambitione ſurrexit, poteſtatis veſtræ imminente cenſura, concilii definitione tollatur, & abſciſſa radicitus amputetur: ne ſi plus illic aurum quam Deus diligitur, qui modo tran-

D quillus in ſuis præceptis deſpicitur, iratus in vindicta poſtmodum ſentiatur. Et hæc quidem quia pro vobis loquimur, idcirco imminere ſæpius non ceſſamus, ut prodeſſe excellentiſſimis ac dulciſſimis filiis noſtris vel importunitate poſſimus. Nam regno veſtro per omnia proficit, ſi quod contra Deum in illis partibus geritur, emendatione veſtræ excellentiæ corrigatur. Quanta præterea bona proficiſcenti ad Anglorum gentem reverendiſſimo fratri & coepiſcopo noſtro Auguſtino excellentia veſtra impenderit, referentibus quibuſdam monachis, qui ab eo reverſi ſunt, cognovimus. De qua re maximas gratias exolventes petimus, ut & monachis præſentium portitoribus, quos ad

E eumdem fratrem noſtrum direximus, veſtra uberius beneficia miniſtretis, quatenus dum vobis patrocinantibus nullas illic difficultates invenerint, ſed cœptum iter facile Chriſto adjuvante peregerint, uberiorem mercedis veſtræ fructum ante Dei noſtri oculos faciatis.

## LV. AD CLOTARIUM REGEM FRANCORUM.

Monachos ad Auguſtinum euntes commendat, & ut ſynodus fiat contra Simoniacos.

*Gregorius Clotario regi Francorum.*

INter tot curas & ſolicitudines, quas pro ſubjectarum vobis gentium regimine ſuſtinetis, exiſtere vos in cauſſa Dei laborantibus adjutores, eximiæ laudis & magnæ mercedis eſt. Et quia tales vos bonis præcedentibus oſtenditis, ut præſumere de vobis meliora B poſsimus, petere quæ pro mercede veſtra ſunt libentiſsime provocamur. Quidam igitur, qui cum reverendiſsimo fratre & coepiſcopo noſtro Auguſtino ad Anglorum gentem perrexerant, revertentes, quanta eumdem fratrem noſtrum excellentia veſtra in præſentia poſitum caritate * refecerit, quantiſque ſuffragiis proficiſcentem adjuverit, narraverunt. Sed quia * illa Deo noſtro opera grata ſunt ſemper, * quæ a bonis cœptis non recedunt; paterno affectu ſalutantes petimus, ut monachos præſentium portitores, quos ad prædictum fratrem noſtrum una cum dilectiſsimis filiis noſtris Laurentio presbytero & Mellito abbate tranſmiſimus, habeatis peculiariter commendatos. C Et quidquid illis ante exhibuiſtis, his quoque ad laudis veſtræ cumulum uberius impendatis: quatenus dum vobis providentibus cœptum ſine mora iter expleverint, bonorum veſtrorum omnipotens Deus recompenſator exiſtat, atque vobis & in proſperis cuſtos, & in adverſitatibus ſit adjutor. Præterea pervenit ad nos, quod ſacri illic ordines cum datione pecuniæ conferantur. Et vehementer affligimur, ſi ad Dei dona non meritis acceditur, ſed præmiis proſilitur. Et quia hæc ſimoniaca hæreſis prima in eccleſia ſurgens apoſtolorum eſt auctoritate damnata, petimus ut pro mercede veſtra congregari ſynodum faciatis; quatenus omnium ſacerdotum definitione compreſſa, & radicitus amputata, nullas illic vires de cetero in periculum animarum inveniat, nec ulterius ſub qualibet excuſatione permittatur exurgere: ut tanto vos omnipotens Deus noſter contra adverſarios veſtros exaltet, quanto vos in ſuis mandatis zelum habere, & pro animarum ſalute, quæ hujus fuerant ſceleris gladio perituræ, viderit cogitare.

* recreaverit.
* illorum *Tarſ.*
* qui a bonis, quæ cœperunt non &c. *Tarſ.*

Ut Laurentium cum ſociis foveat.

## LVI. AD BRUNICHILDEM REGINAM FRANCORUM.

Monachos in Britanniam euntes commendat.

*Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.*

GRatias omnipotenti Deo referimus, qui inter cetera pietatis ſuæ dona, quæ excellentiæ veſtræ largitus eſt, ita vos amore Chriſtianæ religionis implevit, ut quidquid ad animarum lucrum, quidquid ad propagationem fidei pertinere cognoſcitis, devota mente, & pio operari ſtudio non ceſſetis. Quanto autem favore, quantaque opitulatione excellentia veſtra reverendiſſimum fratrem & A coepiſcopum noſtrum Auguſtinum proficiſcentem ad Anglorum gentem adjuverit, nec ante ſilentio fama conticuit, & poſtea quidam ab eo ad nos monachi redeuntes ſubtiliter retulerunt. Et quidem hæc de Chriſtianitate veſtra mirentur alii, quibus adhuc beneficia veſtra minus ſunt cognita: nam nobis, quibus experimentis jam nota ſunt, non mirandum eſt, ſed gaudendum; quia per hoc quod aliis impenditis, vos juvatis. Qualia autem quantaque in converſatione ſupraſcriptæ gentis redemptor noſter fuerit miracula operatus, excellentiæ veſtræ jam notum eſt. Ex qua re magnam vos oportet habere lætitiam, quia majorem ſibi partem hac in re præſtitorum B veſtrorum ſolatia vendicant, cujus poſt Deum auxiliis verbum illic prædicationis innotuit. Nam qui alterius bonum adjuvat, ſuum facit. Sed ut mercedis veſtræ magis magiſque ſit fructus uberior, petimus ut monachis præſentium apicum portitoribus, quos cum dilectiſſimis filiis noſtris Laurentio presbytero & Mellito abbate ad prædictum reverendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum, pro eo quod illos qui ſecum ſunt ſufficere ſibi dicit non poſſe, tranſmittimus, patrocinii veſtri ſuffragia benignius miniſtretis, atque ita eis in omnibus adeſſe dignemini, quatenus dum bonis excellentiæ veſtræ initiis meliora ſucceſſerint, & nullas illic moras vel difficultates invenerint, tanto erga C vos, ac dulciſſimos nobis nepotes veſtros, Dei noſtri miſericordiam provocetis, quanto pro ejus amore vos in hujuſmodi cauſſis miſericorditer exhibetis.

Laudat & reddit gratias ob Auguſtinum receptum.

Petit ut Laurentium & Mellitum cum ſociis ſuſcipiat.

## LVII. AD EAMDEM.

Ut ſynodus fiat ad evellendam ſimoniam.

*Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.*

QUanta in vobis bona divino munere ſint collata, quantaque vos ſuperna gratiæ pietas impleverit, inter cetera veſtrorum teſtimonia meritorum, illud etiam cunctis paten- D ter inſinuat, quia & efferа corda gentilium providi gubernatis * arte conſilii, & regiam, quod majoris adhuc laudis eſt, ornatis ſapientiæ poteſtatem. Et quoniam ſicut multis in utroque gentibus eminetis, ita quoque eis fidei ſinceritate præcellitis, magnam de vobis in emendandis illicitis fiduciam capimus. Nam qualiter adhortationem noſtram excellentia veſtra amplexa ſit, quantaque eamdem devotione geſtiat adimplere; ſcriptorum veſtrorum emiſſa dudum pagina teſtis eſt. Sed quia ipſe bonarum mentium eſſe conſuevit adjutor, qui etiam earum largitor eſt, confidimus quod tan- E to * propitius * cauſſas ſua pietate diſponat, quanto ipſe de ſua vos videt eſſe cauſſa ſolicitos. Facite quod Dei eſt, & Deus faciet quod veſtrum eſt. Itaque ſynodum congregari præcipite, & peccatum Simoniacæ hæreſis de regno veſtro inter alia, ſicut antea ſcripſimus, definitione concilii ſtudioſius prohibete. Sacrificium Deo, devicto interiori hoſte, offerte, ut exteriores adverſarios ipſo adjuvante vincatis: ut quale vos contra inimicos ipſius ſtudium geſſeritis, talem illum in veſtro juvamine ſentiatis. Mihi autem credite: quia ſicut jam experimento multorum didicimus, in damno expenditur quidquid cum peccato congrega-

* &c.

* cauſſas veſtras *Tarſ.*
* promoveat.

tur. Si vultis igitur nihil injuſte perdere; ſum- A
mopere ſtudete per injuſtitiam nihil habere.
In terrenis etenim rebus ſemper cauſſa damni
eſt origo peccati. Vos itaque, ſi eminere ad-
* in Pariſ. verſantibus gentibus vultis, ſi * earum auctore
* al. debdere tis Deo victrices exiſtere * feſtinatis, ejuſdem
omnipotentis Dei cum tremore præcepta ſuſci-
pite, ut ipſe pro vobis contra adverſarios ve-
ſtros pugnare dignetur, qui per ſacrum elo-
Exod. 14. quium pollicitus eſt dicens: *Dominus pugnabit*
*pro vobis, & vos tacebitis.*

## LVIII. AD AUGUSTINUM EPISCOPUM ANGLORUM.

De converſione gentis ipſius: & ut non glorietur in operationum virtute, quas plerumque faciunt mali.

*Gregorius Auguſtino epiſcopo Anglorum.*

Luc. 2. Joan. 12. G*Loria in excelſis Deo, & in terra pax ho-*
*minibus bonæ voluntatis*, quia granum
frumenti mortuum cadens in terram multum
fructum attulit, ne ſolum regnaret in cælo,
cujus morte vivimus, cujus infirmitate robora-
mur, cujus paſſione a paſſione eripimur, cu-
jus amore in Britannia fratres quærimus, quos
ignorabamus, cujus munere quos neſcientes C
quærebamus, invenimus. Quis autem narrare
ſufficiat quanta hic lætitia in omnium corde
fidelium fuerit exorta quod gens Anglorum
operante omnipotentis Dei gratia, & tua fra-
ternitate laborante, expulſis errorum tenebris
* & devotione ... Pariſ. ſanctæ fidei luce perfuſa eſt, quod mente * &
devotione integerrima jam calcat idola, quibus
prius veſano timore ſubjacebat, quod omnipo-
tenti Deo puro corde ſubſternitur, quod a pravi
operis lapſibus ſanctæ prædicationis regulis li-
gatur, quod præceptis divinis animo ſubjacet,
& intellectu ſublevatur, quod uſque ad terram
ſe in oratione humiliat, ne mente jaceat in
terra? Cujus hoc opus eſt, niſi ejus qui ait:
* uſque modo Pariſ. Joan. 5. *Pater meus * uſque nunc operatur, & ego operor?* D
Qui ut mundum oſtenderet non ſapientia ho-
minum ſed ſua ſe virtute convertere, prædi-
catores ſuos, quos in mundum miſit, ſine li-
teris elegit; hoc etiam modo faciens, quia in
Anglorum gente fortia dignatus eſt per infir-
Monet Auguſtinum ne inflaretur quod magna fecit miracula. mos operari. Sed eſt in iſto dono cæleſti,
frater cariſſime, quod cum magno gaudio ve-
hementiſſime debeat formidari. Scio enim quod
omnipotens Deus per dilectionem tuam in
gente quam eligi voluit magna miracula oſten-
dit. Unde neceſſe eſt, ut de eodem dono cæ-
leſti & timendo gaudeas, & gaudendo perti-
meſcas. Gaudeas videlicet, quia Anglorum
animæ per exteriora miracula ad interiorem
gratiam pertrahuntur: pertimeſcas vero, ne E
inter ſigna quæ fiunt, infirmus animus in
ſui præſumptione ſe elevet, & unde foras
in honore attollitur, inde per inanem gloriam
intus cadat. Meminiſſe etenim debemus, quod
diſcipuli cum gaudio a prædicatione redeuntes,
dum cæleſti magiſtro dicerent: *Domine in no-*
Luc. 10. *mine tuo dæmonia nobis ſubjecta ſunt*; protinus
audierunt: *Nolite gaudere ſuper hoc, ſed potius*
*gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cæ-*
*lo*. In privata enim & temporali lætitia men-
tem poſuerant, qui de miraculis gaudebant.

A Sed de privata ad communem, de temporali
ad æternam lætitiam revocantur, quibus dici-
tur: *In hoc gaudete, quia nomina veſtra ſcripta*
*ſunt in cælo*. Non enim omnes electi miracula
faciunt, ſed tamen eorum omnium nomina in
cælo tenentur adſcripta. Veritatis enim diſci-
pulis eſſe gaudium non debet, niſi de eo bono
quod commune cum omnibus habent, & in
quo finem lætitiæ non habent. Reſtat itaque,
frater cariſſime, ut inter ea quæ operante Deo
exterius facis, ſemper te interius ſubtiliter ju-
dices, ac ſubtiliter intelligas & temetipſum qui
ſis, & quanta ſit in eadem gente gratia, pro
cujus converſione etiam faciendorum ſignorum
dona percepiſti. Et ſi quando te creatori no-
B ſtro ſeu per linguam, ſive per opera remini-
ſceris deliquiſſe, ſemper hæc ad memoriam re-
voces, ut ſurgentem cordis gloriam memoria
reatus premat. Et quidquid de faciendis ſignis
acceperis vel accepiſti, hæc non tibi ſed illis
deputes donata, pro quorum tibi ſalute colla-
ta ſunt. Occurrit autem menti iſta cogitanti,
quid de uno Dei famulo actum ſit, etiam
egregie electo. Certe Moyſes dum Dei popu-
lum ex Ægypto educeret, mira, ſicut tua fra-
ternitas novit, ſigna in Ægypto operatus eſt.
In Sina monte quadraginta diebus & noctibus
jejunans legis tabulas accepit, inter coruſcos
tonitruos, pertimeſcente omni populo, omni-
potentis Dei ſervitio ſolus familiari etiam col-
C locutione conjunctus eſt, rubrum mare ape-
ruit, in itinere ducem habuit nubis colum-
nam, eſurienti populo manna de cœlo depo-
ſuit, carnes deſiderantibus uſque ad ſatietatem
nimiam in eremo per miraculum miniſtravit.
Sed cum jam ſitis tempore ad petram ventum
fuiſſet, diffiſus eſt, ſeque de eadem aquam
educere poſſe dubitavit, quam, jubente domi-
no, * percuſſit, atque aquas effluentes ape- * largis uſque fluentis aperuit. Quanta &c. Pariſ.
ruit. Quanta autem poſt hæc per triginta &
octo annos in deſerto miracula fecerit, quis
enumerare, quis inveſtigare valeat? Quotiens
res dubia animum pulſaſſet, recurrens ab ta-
bernaculum, ſecreto dominum requirebat, at-
que de ea protinus, Deo loquente, docebatur.
D Iratum populo dominum placabat ſuæ precis
interventione, ſurgentes in ſuperbia, atque in
diſcordia diſſidentes dehiſcentis terræ hiatibus
abſorbebat, victoriis premebat hoſtes, ſigna
monſtrabat civibus. Sed cum jam ad repromiſ-
ſionis terram ventum fuiſſet, vocatus in mon-
tem eſt, & quam culpam ante annos trigin-
ta, ut dixi, & octo fecerat, audivit, quia de
educenda aqua dubitavit. Et propter hoc quia
terram repromiſſionis intrare non poſſet, agno-
vit. Qua in re conſiderandum nobis eſt quam
timendum ſit omnipotentis Dei judicium, qui
per illum famulum ſuum tot ſigna faciebat,
cujus culpam tam longo tempore adhuc ſer-
vabat in cogitatione. Igitur, frater cariſſime,
E ſi & illum agnoſcimus poſt ſigna pro culpa
mortuum, quem omnipotenti Deo novimus
præcipue electum; quanto nos debemus * mo- * al. metu ita & in Pariſ.
tu contremiſcere, qui necdum adhuc novimus
ſi electi ſumus? De reproborum vero miracu-
lis quid dicere debeo, cum tua bene fraterni-
tas noverit quid in evangelio veritas dicit:
*Multi venient in illa die dicentes mihi; Domine,* Matth. 7.
*in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo*
*dæmonia ejecimus, & in tuo nomine virtutes*
*multas fecimus: ſed dicam illis; quia neſcio qui*
*eſtis, recedite a me omnes operarii iniquitatis.*

Valde ergo premendus eſt animus inter ſigna & miracula, ne fortaſſis in his propriam gloriam quærat, & privato ſuæ exaltationis gaudio exultet. Per ſigna enim animarum lucra quærenda ſunt, & illius gloria, cujus virtute ipſa eadem ſigna geruntur. Unum vero dominus nobis ſignum dedit, de quo & vehementer gaudere, & electionis gloriam in nobis poſſimus agnoſcere, dicens: *In hoc ſcietur quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis adinvicem.* Quod ſignum propheta requirebat, cum diceret: *Fac mecum, domine ſignum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur.* Hæc autem dico, quia auditoris mei animum in humilitate ſternere cupio. Sed ipſa tua humilitas habeat fiduciam ſuam. Nam peccator ego ſpem certiſſimam teneo, quia per omnipotentis creatoris ac redemptoris noſtri Dei & domini Jeſu Chriſti gratiam jam peccata tua dimiſſa ſunt, & idcirco electus es, ut per te dimittantur aliena. Nec habebis luctum de quolibet reatu in poſterum, qui de multorum converſione gaudium conaris facere in cœlo. Idem vero conditor & redemptor noſter cum de pœnitentia hominis loqueretur, ait; *Ita dico vobis, majus gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis, quibus non opus eſt pœnitentia.* Et ſi de uno pœnitente grande ſit gaudium in cœlo, quale gaudium factum credimus de tanto populo a ſuo errore converſo, qui ad fidem veniens, mala quæ egit pœnitendo damnavit? In hoc itaque cœli & angelorum gaudio repetamus ipſas quas prædiximus voces angelorum. Dicamus igitur, dicamus omnes: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis,*

*Joan. 13.* — *Pſalm. 85.* — Suadet humilitatem; — *Luc. 15.* — & pœnitentiam. — *Luc. 2.*

## LIX. AD ALDIBERGAM REGINAM ANGLORUM

De conjuge ejus ad meliora exhortando.

*Gregorius * Aldibergæ reginæ Anglorum.*

* Berta Tariſ.

QUi poſt terrenam poteſtatem regni cæleſtis gloriam cupit acquirere, ad faciendum lucrum creatori ſuo debet enixius laborare, ut ad ea quæ deſiderat operationis ſuæ gradibus poſſit aſcendere, ſicut vos feciſſe gaudemus. Remeantes igitur dilectiſſimus filius noſter Laurentius presbyter, & Petrus monachus, qualis erga reverendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Auguſtinum gloria veſtra extiterit, quantaque illis ſolatia vel qualem caritatem impenderit, retulerunt. Et omnipotentem Deum benediximus, qui converſionem gentis Anglorum mercedi veſtræ dignatus eſt propitius reſervare. Nam ſicut per recordandæ memoriæ Helenam matrem piiſſimi Conſtantini imperatoris ad Chriſtianam fidem corda Romanorum accendit, ita & per gloriæ veſtræ ſtudium in Anglorum gentem ejus miſericordiam confidimus operari. Et quidem jamdudum glorioſi filii noſtri conjugis veſtri animos prudentiæ veſtræ bono, ſicut revera Chriſtianæ, debuiſtis inflectere, ut pro regni & animæ ſuæ ſalute fidem quam colitis ſequeretur, quatenus & de eo, & per eum, de totius gentis converſione digna vobis in cæleſtibus gaudiis retributio naſceretur. Nam poſtquam, ſicut diximus, & recta fide gloria veſtra munita, & literis docta eſt; hoc vobis nec tardum nec debuit eſſe difficile. Et quoniam, Deo volente, aptum nunc tempus eſt, agite ut divina gratia cooperante cum augmento poſſitis quod neglectum eſt reparare. Itaque mentem glorioſi conjugis veſtri in dilectione Chriſtianæ fidei adhortatione aſſidua roborate, veſtra illi ſolicitudo augmentum in Deum amoris infundat, atque ita animus ejus, etiam pro ſubjectæ ſibi gentis pleniſſima converſione ſuccendat, ut & magnum omnipotenti domino de devotionis * ſuæ ſtudio ſacrificium offeratis, & ea quæ de vobis narrata ſunt, creſcant, & vera eſſe modis omnibus approbentur: quia bona veſtra non ſolum jam apud Romanos, qui pro vita veſtra fortius oraverunt, ſed etiam per diverſa loca, & uſque Conſtantinopolim ad ſereniſſimum principem pervenerunt: ut ſicut nobis de Chriſtianitatis veſtræ ſolatiis lætitia facta eſt, ita quoque de perfecta operatione veſtra angelis fiat gaudium in cælis. Sic vos in adjutorio ſupradicti reverendiſſimi fratris & coepiſcopi noſtri, & ſervorum Dei, quos illuc miſimus in converſione gentis veſtræ, devote ac totis viribus exhibete, ut & hic feliciter cum glorioſo filio noſtro conjuge veſtro regnetis, & poſt longa annorum tempora futuræ quoque vitæ gaudia, quæ finem habere neſciunt, capiatis. Oramus autem omnipotentem Deum, ut gloriæ veſtræ cor & ad operanda quæ diximus gratiæ ſuæ igne ſuccendat; & æternæ mercedis fructum vobis de placita ſibi operatione concedat.

Eam laudat tamquam in convertendis Britannis meruiſſet inſtar Helenæ matris imperatoris in Romanis. — Hortatur ut animum conjugis ſui in Chriſtianam religionem magis magiſque accendat. — * ſuæ a Tariſ.

## LX. AD ALDIBERTUM REGEM ANGLORUM.

Congratulatur de converſione gentis ipſius.

*Gregorius * Aldiberto regi Anglorum.*

* Edilberto Tariſ.

PRopter hoc omnipotens Deus bonos quoſque ad populorum regimina perducit, ut per eos omnibus quibus prælati fuerint dona ſuæ pietatis impendat. Quod in Anglorum gente factum cognovimus, cui veſtra gloria idcirco præpoſita eſt, ut per bona quæ vobis conceſſa ſunt, etiam ſubjectæ vobis genti ſuperna beneficia præſtarentur. Et ideo, glorioſe fili, eam quam accepiſti divinitus gratiam ſolicita mente cuſtodi. Chriſtianam fidem in populis tibi ſubditis extendere feſtina, zelum rectitudinis tuæ in eorum converſione multiplica, idolorum cultus inſequere, fanorum ædificia everte, ſubditorum mores in magna vitæ munditia exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, & boni operis exempla monſtrando ædifica; ut illum retributorem invenias in cælo, cujus nomen atque cognitionem dilataveris in terra. Ipſe enim veſtræ quoque gloriæ nomen etiam poſteris glorioſius reddet, cujus vos honorem quæritis & ſervatis in gentibus. Sic enim Conſtantinus quondam piiſſimus imperator Romanam rempublicam a perverſis idolorum cultibus revocans, omnipotenti domino noſtro Jeſu Chriſto ſecum ſubdidit, ſeque cum ſubjectis populis tota ad Deum mente convertit. Unde factum eſt, ut antiquorum nomen principum ſuis vir ille laudibus vinceret, & tanto in opinione prædeceſſores

Laudat & hortatur ut acceptam fidem cuſtodiat, exemplo Conſtantini imperatoris.

ſores ſuos, quanto in bono opere ſuperaret. A Et nunc itaque veſtra gloria cognitionem unius Dei Patris & Filii & Spiritus ſancti regibus ac populis ſibimet ſubjectis ſeſtinet infundere, ut & antiquos gentis ſuæ reges laudibus ac meritis tranſeat, & quanto in ſubjectis ſuis aliena peccata deterſerit, tanto etiam de peccatis propriis ante omnipotentis Dei terribile examen ſecurior fiat. Reverendiſſimus autem frater noſter Auguſtinus epiſcopus in monaſterii regula doctus, ſacræ ſcripturæ ſcientia repletus, bonis auctore Deo operibus præditus, quæque vos admonet, libenter audite, devote peragite, ſtudioſe in memoria reſervate: quia ſi vos eum in eo quod pro omnipotente Deo loquitur auditis, idem omnipotens Deus hunc B pro vobis exorantem celerius exaudict. Si enim, quod abſit, verba ejus poſtponitis, quando eum omnipotens Deus poterit audire pro vobis, quem vos negligitis audire pro Deo? Tota igitur mente cum eo vos in fervore fidei ſtringite, atque adniſum illius virtute quam vobis divinitas tribuit adjuvate; ut regni ſui vos ipſe faciat eſſe participes, cujus vos fidem in regno veſtro * recipitis, & facitis cuſtodiri. Præterea ſcire veſtram gloriam volumus, quia ſicut in ſcriptura ſacra ex verbis domini omnipotentis agnoſcimur, præſentis mundi jam terminus juxta eſt, & ſanctorum regnum venturum eſt; quod nullo unquam poterit fine terminari. Appropinquante autem eodem mun- C di termino, multa imminent quæ ante non fuerunt, videlicet immutationes aeris, terroreſque de cælo, & contra ordinem temporum tempeſtates, bella, fames, peſtilentiæ, terremotus per loca. Quæ tamen non omnia noſtris diebus ventura ſunt, ſed poſt noſtros dies omnia ſubſequentur. Vos itaque, ſi qua ex his evenire in terra veſtra cognoſcitis, nullo modo veſtrum animum perturbetis: quia idcirco hæc ſigna de fine ſæculi præmittuntur, ut de animabus noſtris debeamus eſſe ſoliciti, de mortis hora ſuſpecti, ut venturo judici in bonis actibus inveniamur præparati. Hæc nunc, glorioſe fili, paucis locutus ſum, ut cum Chriſtiana fides in regno veſtro excreverit, D noſtra quoque apud vos locutio latior excreſcat & tanto plus loqui libeat, quanto ſe in mente * veſtra gaudia de gentis veſtræ perfecta converſione multiplicant. Parva autem zenia tranſmiſi, quæ vobis parva non erunt, cum a nobis ex beati Petri apoſtoli fuerint benedictione ſuſcepta. Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam ſuam, quam cœpit, cuſtodiat atque perficiat, atque & hic vitam veſtram per multorum annorum curricula extendat, & poſt longa tempora in cæleſtis patriæ congregatione ſuſcipiat (a).

Auguſtinum habent eximium doctorem

* recipit. Pariſ.

Appropinquante fine mundi, ſed ne timeat.

* noſtra. Pariſ.

## LX. AD EPISCOPOS HIBERNIÆ.

De his qui ab hæreticis Trinitatis nomine baptizantur non rebaptizandis, qui in occidente per manus impoſitionem, chriſmate vero in oriente, ſanctæ eccleſiæ reconciliantur. De his vero qui in Trinitatis nomine non baptizantur rebaptizandis. Scribit etiam de ſancta Maria, quare dicatur mater & ancilla. Et Neſtoriani hæretici ad fidem reverſi, quid promittere debeant.

*Gregorius Quirino epiſcopo, & ceteris in * Hibernia catholicis.*

QUia caritati nihil eſt longe; quos dividunt loca, jungat epiſtola. Lator itaque præſentium ad beati Petri apoſtolorum principis limina veniens, fraternitatis veſtræ ſe aſſeruit ad nos epiſtolas accepiſſe, eaſque in Hieroſolymorum urbe cum rebus quoque aliis perdidiſſe. In quibus, ſicut ipſe ait, ſtuduiſtis inquirere, ſacerdotes ac plebes quæ Neſtorianæ hæreſeos errore confuſæ ſunt, cum ad matrem electorum omnium catholicam eccleſiam revertuntur, utrum debeant baptizari, an certe ſolius veræ fidei confeſſione ejuſdem matris eccleſiæ viſceribus adjungi. Et quidem ab antiqua patrum inſtitutione didicimus, ut qui C apud hæreſim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad ſanctam eccleſiam redeunt, aut unctione chriſmatis, aut impoſitione manus, aut ſola profeſſione fidei ad ſinum matris eccleſiæ revocentur. Unde Arianos per impoſitionem manus occidens, per unctionem vero ſancti chriſmatis ad ingreſſum ſanctæ eccleſiæ catholicæ oriens reformat. Monophyſitas vero & alios ex ſola vera confeſſione recipit: quia ſanctum baptiſma, quod ſunt apud hæreticos conſecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cum vel illi per impoſitionem manus Spiritum ſanctum acceperint, vel iſti propter profeſſionem veræ fidei ſanctæ, & univerſalis eccleſiæ viſceribus fuerint uniti. Hi vero hæ- D retici qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, ſicut ſunt Bonoſiani & Cataphrygæ, quia & illi Chriſtum dominum non credunt, & iſti ſanctum Spiritum perverſo ſenſu eſſe quemdam pravum hominem Montanum credunt, quorum ſimiles multi * ſunt, & alii tales cum ad ſanctam eccleſiam veniunt, baptizantur: quia baptiſma non fuit quod in errore poſiti in ſanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt. Nec poteſt hoc ipſum iteratum dici baptiſma: quod, ſicut dictum eſt, in Trinitatis nomine non erat datum. Neſtoriani vero quia in ſanctæ Trinitatis nomine baptizantur, ſed eos Judaicæ perfidiæ ſimiles, incarnationem unigeniti non credentes, ſuæ hæ- E reſeos error obſcurat; & ideo ad ſanctam ecclaſiam catholicam venientes, de veræ fidei firmitate & confeſſione docendi ſunt, ut unum eumdemque Dei & hominis filium Deum dominum noſtrum Jeſum Chriſtum credant, ipſum exiſtentem in divinitate ante ſæcula, & ipſum factum hominem in fine ſæculorum: quia, *Ver-*

* Iberia quæ inter Ponti Euxini Caſpiique maris anguſtias ſita eſt

Baptizatos ab hæreticis in nomine Trinitatis, non rebaptizandos

Baptizatos, & non in nomine Trinitatis, baptizandos eſſe.

* ſunt alii, cum &c. Pariſ.

Chriſtum eximie probat eſſe verum Deum & hominem.

(a) *In Pariſ. et ſine Beda additur* incolumem excellentia veſtra gratia ſuperna cuſtodiat, Domine fili. Data die X. Kal. Juliarum imperante Domino noſtro Mauricio Tiberio piiſſimo auguſto an. XIX. poſt conſulatum ejuſdem Domini noſtri an. XVIII. indict. IV.

*Joan. 1.* *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* A Verbum vero carnem ſic dicimus factum, non * immutando quod erat, ſed ſuſcipiendo quod non erat. Incarnationis enim ſuæ myſterio unigenitus Patris noſtra auxit, ſua non minuit. Una itaque perſona eſt Verbum & caro, ſicut ipſe ait: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit, Filius hominis qui eſt in cælo.* (*Joan. 3.*) Qui Filius Dei in cælo, erat Filius hominis qui loquebatur in terra. Hinc Joannes ait: *Scimus quia Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum.* (*1. Joan. 5.*) Qui nobis quem ſenſum dederit, illico ſubjunxit: *Ut cognoſcamus verum Deum.* Quem in hoc loco *verum Deum* inſinuat, niſi Patrem omnipotentem? Sed quid etiam de omipotente Filio ſentiat adjunxit: *Et ſimus in vero ejus* B *Filio Jeſu Chriſto.* Ecce ait verum Deum Patrem, verum ejus Filium Jeſum Chriſtum. Quem verum Filium quid eſſe ſentiat, apertius oſtendit: *Hic eſt*, inquit, *verus Deus: & vita æterna.* Si igitur juxta errorem Neſtorii alius Verbum, atque alius eſſet homo Jeſus Chriſtus, qui verus eſt homo, utique verus Deus non eſſet vita æterna. Sed unigenitus Filius Verbum ante ſæcula factus eſt homo. Hic eſt ergo verus Deus & vita æterna. Certe cum hunc ſancta virgo conceptura eſſet, & loquentem ad ſe angelum audiret, ait: *Ecce ancilla domini, fiat mihi ſicut dicis.* (*Luc. 1.*) Quæ cum eum concepiſſet, & ad Elizabeth cognatam ſuam pergeret, ab eadem Elizabeth protinus C audivit: *Unde ergo digna, ut mater domini mei veniat ad me?* (*Luc. 1.*) Ecce eadem virgo & ancilla domini dicitur & mater. Ancilla enim domini, quia Verbum ante ſæcula unigenitus æqualis eſt Patri, mater vero, quia in ejus viſceribus ex ſancto Spiritu de ejuſque carne factus eſt homo. Nec alterius ancilla alterius mater quia dum unigenitus Dei exiſtens ante ſæcula ex ejus utero natus eſt homo, inveſtigabili miraculo facta eſt & ancilla hominis per divinitatem, & mater Verbi per carnem. Non autem prius in utero virginis caro concepta eſt, & poſtmodum divinitas venit in carnem: ſed mox ut Verbum venit in utero, mox Verbum ſervata propriæ * veritate naturæ factum D eſt caro. Et perfectus homo, id eſt in veritate carnis & animæ rationalis, natus eſt per uterum virginis unigenitus Filius Dei. Unde & unctus præ participibus dicitur, ſicut pſalmiſta ait: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* (*Pſal. 44.*) Unctus quippe eſt oleo, dono videlicet Spiritus ſancti. Sed præ conſortibus unctus eſt: quia omnes nos prius peccatores homines exiſtimus, & poſtmodum per unctionem ſancti Spiritus ſanctificamur. Ipſe autem qui exiſtens Deus ante ſæcula per ſanctum Spiritum in utero virginis homo conceptus eſt in fine ſæculorum, ibi ab eodem Spiritu unctus eſt, ubi conceptus. Nec ante conceptus, & poſtmodum unctus eſt, ſed hoc E ipſum de Spiritu ſancto ex carne virginis concipi, a ſancto Spiritu ungi fuit.

*Qui a Neſtoriana hæreſi revertentes prodiderit debent.* Hanc ergo nativitatis ejus veritatem quicumque a perverſo errore Neſtorii revertuntur, coram ſancta fraternitatis veſtræ congregatione fateantur, eumdem Neſtorium cum omnibus ſequacibus ſuis, & reliquas hæreſes anathematizantes. Venerandas quoque ſynodos quas univerſalis eccleſia recipit, ſe recipere & venerari promittant, & abſque ulla dubitatione eos ſanctitas veſtra ſervatis eis propriis ordinibus in ſuo cœtu recipiat, ut dum & per ſolicitudinem occulta menti eorum diſcutitis, atque eos per veram ſcientiam recta quæ tenere debeant docetis, & per manſuetudinem nullam eis contrarietatem, vel difficultatem de propriis ſuis ordinibus facitis, eos ab antiqui hoſtis ore rapiatis. Et tanto vobis apud omnipotentem Deum æternæ gloriæ creſcat retributio, quanto multos colligitis qui vobiſcum in domino ſine fine glorientur. Sancta itaque Trinitas orantes pro nobis ſua vos protectione cuſtodiat, vobiſque in amore ſuo dona adhuc multipliciora concedat.

## LXII. AD AREGIUM EPISCOPUM VAPINCENSEM.

Commendat Candidum presbyterum.

*Gregorius Aregio epiſcopo Galliarum.*

IN quanta apud nos memoria fraternitatis veſtræ ſit caritas, cordis veſtri ſecreta requirite, & ex eo quem circa nos habet amorem colligetis. Et quoniam ſincera in dilectione, nec vires abſentia, nec locum habet oblivio, ita ſibi ſæpius imaginata veſtræ fraternitatis præſentia mens noſtra reficitur, ac ſi corporeis vos oculis coram nobis ſiſti cernamus: quia nec abeſſe credendus eſt, qui per dilectionis vinculum animis inhæret. Quia ergo tanta in vobis ſacerdotalis gravitatis ornamenta conſpeximus, ut de veſtro omnino inſtituto & moribus lætaremur, multa animis noſtris de ſolicitudine veſtra promittimus. Unde quia ſic ea quæ Dei ſunt agitis, ſic in commiſſi vobis gregis cuſtodia vigilatis, ut tamen ea quæ ex latere ſunt prudenti moderamine diſpenſetis, latorem vobis præſentium Candidum presbyterum communem filium commendamus, ut opem illi in quibus neceſſe fuerit pro utilitate pauperum impendatis; quatenus dum fraternitatis veſtræ fuerit, ſicut confidimus, * fultus auxilio, in ejus vos conſolatione nos inveniſſe ſe ſentiat.

* *juvus Pariſ.* (*margin: virtute Pariſ.; ammutando, Pariſ.*)

## LXIII. AD VIRGILIUM EPISCOPUM ARELATENSEM.

* Commendat Auguſtinum epiſcopum, ſi ad eum venerit.

* *Gregorius Virgilio epiſcopo Arelatenſi.*

QUantus ſit affectus venientibus ſponte fratribus impendendus, ex eo quod plerumque ſolent caritatis cauſſa invitari, cognoſcitur. Et ideo ſi communem fratrem Auguſtinum epiſcopum ad vos venire contigerit, ita illum dilectio veſtra, ſicut decet, affectuoſe dulciterque ſuſcipiat, ut & ipſum conſolationis ſuæ bono refoveat, & alios qualiter fraterna caritas colenda ſit doceat. Et quoniam ſæpius evenit, ut hi qui longe ſunt poſiti, prius ab aliis quæ ſunt emendanda recognoſcant, ſi quas fortaſſe fraternitati veſtræ ſacerdotum vel aliorum culpas intulerit, una cum eo reſidentes, ſubtili cuncta inveſtigatione perquirite. Et ita vos in ea quæ Deum offendunt, & ad iracundiam provocant, diſtrictos ac

ſoli-

* Vide Bedam l. 1. c. 28. hiſt. eccl. Angl.

* Reverendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Virgilio coepiſcopo Gregorius ſervus ſervorum Dei

ſolicitos exhibete, ut ad aliorum emendàtionem & vindicta culpabilem feriat, & innocentem falſa opinio non affligat. * Data die x Kalendas Julias, indictione iv. A

* apud Bed. Deus te incolumem cuſtodiat reverentiſſime frater. Data die x Kalendarum Juliarum imperante D. N. Mauritio Tiberio piiſſimo Auguſto anno XIX. poſt conſulatum ejuſdem D. N. anno XVIII. indictione 4. Tom. 14.

## LXIV. AD BRUNICHILDEM REGINAM FRANCORUM.

De corrigendis ſacerdotibus qui vitam prave inſtituunt.

*Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.*

CUm ſcriptum ſit, *Juſtitia elevat gentem, miſeros autem facit populo peccatum*; tunc B regnum ſtabiliri creditur, cum culpa quæ cognoſcitur citius emendatur. Multorum igitur ad nos relatione pervenit, quod dicere ſine afflictione cordis nimia non valemus, itaquoſdam ſacerdotes in illis partibus impudice ac nequiter converſari, ut & audire nobis opprobrium, & lamentabile ſit referre. Ne ergo poſtquam hujus nequitiæ hucuſque ſe tetendit opinio, aliena pravitas aut noſtram animam, aut veſtrum regnum peccati ſui jaculo feriat, ardenter ad hæc debemus ulciſcenda conſurgere, ne paucorum facinus multorum poſſit eſſe perditio. Nam cauſſa ſunt ruinæ populi ſacerdotes mali. Quis enim populi ſe peccatis interceſſor objiciat, ſi ſacerdos, qui exorare C debuerat, graviora committat? Sed quoniam eos, quorum eſt locus hæc inſequi, nec ſolicitudo ad requiſitionem, nec zelus excitat ad vindictam, ſcripta ad nos veſtra diſcurrant, ut perſonam, ſi præcipitis, cum veſtræ auctoritatis aſſenſu tranſmittamus, quæ una cum aliis ſacerdotibus hæc & ſubtiliter quærere, & ſecundum Deum debeat emendare. Nec enim ſunt diſſimulanda quæ dicimus: quia qui emendare poteſt & negligit, participem ſe procul dubio delicti conſtituit. Providete ergo animæ veſtræ, providete nepotibus quos cupitis regnare feliciter, providete provinciis: & priuſquam creator noſter manum ſuam ad feriendum excutiat, de correctione hujus ſceleris D ſtudioſiſſime cogitate; ne tanto poſtmodum acrius feriat, quanto modo diutius & clementer expectat. Scitote autem, quod Deo noſtro magnum ſacrificium placationis offertis, ſi tanti labem facinoris de veſtris citius finibus amputatis. *

Burch. 15. 19.

* Dat. die x Kal. Julii ind. iv.

## LXV. AD CANDIDUM PRESBYTERUM

Aurelium presbyterum commendat, ut ei oratorium, vel locum aliquem committat.

*Gregorius Candido presbytero Galliæ.*

LAtor præſentium filius noſter Aurelius preſ- E byter e Galliarum partibus veniens petiit, ut ſicubi in poſſeſſionibus beati Petri apoſtolorum principis oratorium, aut locus, qui presbytero vel abbate indiget, inveniri potuerit, ei debeat committi; quatenus & ipſe ſubſidium vitæ præſentis inveniat, & nos inveniamur petitioni illius paruiſſe. Proinde dilectioni tuæ cum omnibus modis commendamus, ut in quo uſus exegerit, ei tua dilectio concurrat, & ſcriptorum noſtrorum illic ſolatium inveniat.

## LXVI. AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM

De Hilario criminatore Joannis non punito & ſi negligens ſit epiſcopus in vicedomino eligendo, eum clerus poſſit eligere.

*Gregorius Anthemio ſubdiacono Campaniæ.*

CUm fortius punienda ſint crimina quæ in fontibus & maxime ſacratis ordinibus ingeruntur; quam ſitis culpabiles omnes qui in cauſſa Joannis diaconi reſediſtis attendite, ut Hilarium criminatorem ipſius nulla ex definitione veſtra pœna veniens caſtigaret. Nec illud ad excuſationem veſtram credatis eſſe idoneum, quod vobis quaſi judicare volentibus, ſolus frater & coepiſcopus noſter Paſchaſius dicitur diſtuliſſe. Nam ſi zelus in vobis rectitudinis viguiſſet, facilius uni a multis rationabiliter ſuaderi, quam multi ab uno poterant ſine cauſſa differri. Quia ergo tantæ nequitiæ malum ſine digna non debet ultione tranſire, ſupraſcriptum fratrem noſtrum Paſchaſium volumus admoneri, ut eumdem Hilarium prius ſubdiaconatus, quo indignus fungitur, privet officio, atque verberibus publice caſtigatum, faciat in exilium deportari, ut unius pœna multorum poſſit eſſe correctio. Cujus ſi forte lenitatem diaconi ſui adhuc opinio lacerata non commovet, & in hoc, quod non credimus, torpens extiterit; experientia tua hæc quæ diximus faciat, & de illius nobis neglectu renuntiet. Hortandus præterea idem frater ex noſtro mandato eſt, ut ſe in omnibus vigilantem exhibeat, & eccleſiæ ſuæ amplius diſciplinam non negligat, ne & peccatum de his qui ei commiſſi ſunt ſuſtineat, & nos contra ſe vehementer ſtimulet, ſi in officii ſui cura, quod non optamus, incautus vel lentus extiterit. Volumus autem, ut memoratus frater noſter Paſchaſius & vicedominum ſibi ordinet, & majorem domus; quatenus poſſit vel hoſpitibus ſupervenientibus, vel cauſſis quæ eveniunt, idoneus & paratus exiſtere. Si vero & negligentem eum proſpicis, & ea quæ diximus implere differentem, omnis clerus ejus adhiberi debet, ut communi conſilio ipſi eligant quorum perſonæ ad ea quæ prædiximus valeant ordinari.

## LXVII. AD AGAPITUM ABBATEM.

De monaſterio Marciano, illius monaſterio conjungendo.

*Gregorius Agapito abbati.*

NE * rebus venerabilibus vel * cuilibet cultui deſit obſequium, noſtra debet ſolicite cura proſpicere. Quia igitur monaſterium quod in fundo Marciano provinciæ Campaniæ ſitum eſt, ita hoſtilitate faciente, a congregatione funditus dicitur deſolatum, ut ne unus exinde monachus, qui aliquam illic ſolicitudinem vel curam debeat adhibere, remanſerit: tuo illud monaſterio cum omnibus rebus ſuis,

* locis Paris.
* vel quando licet culturæ deſit &c. Paris.

ſuis, vel quæ ei competunt actiones, utile prospeximus uniendum, ut res ejus tenendi, vel a detinentibus vendicandi libera tibi ſit & ſine aliqua dubietate licentia. In quo etiam ſtudii tui ſit monachos deputare, qui illic tempore quo intervallum de hoſte fuerit, & opus Dei celebrare, & decenter debeant deſervire. Nec aliqua illud præſumas excuſatione negligere; quod ideo curæ tuæ, ut ſolicitudinem illic debeas adhibere, committitur. Ipſum autem monaſterium ſic tuæ nos ordinationi commiſiſſe cognoſcas, ut tamen juriſdictionem illic non epiſcopus Surrentinus, in cujus civitate monaſterium tuum eſt, ſed Nucerinus, cujus eſt diœceſis, habeat. Nam ſic hujus loci ordinationem diſponimus, ut tamen jura ſua ſingulis epiſcopis inviolata ſervemus.

## LXVIII. AD MARINIANUM ABBATEM.

De eccleſia ſancti Georgii reſtauranda.

*Gregorius Mariniano abbati.*

QUia eccleſ[i]am ſancti Georgii poſitam in loco, qui Ad ſedem dicitur, minorem quam oportet diligentiam habere cognovimus, utile eſſe proſpeximus, quoniam monaſterium tuum eidem eccleſiæ noſcitur eſſe conjunctum, ejus tibi curam committere: hortantes ut & ſolicitudinem illic congruam ſtudeas adhibere, & pſalmodiæ officium ſolenniter exhibere facias. Et quia eccleſiam ipſam reparatione certum eſt indigere, volumus ut quidquid illuc accedere potuerit, ipſe accipere, atque in ejus reparationem, ut prævideris, debeas erogare. Hanc vero ſolicitudinis curam, quam tibi hujus pagina præcepti mandavimus, tam te quam etiam ſucceſſores tuos qui monaſterii regimen Deo auctore ſuſceperint, exhibere, & quæ conſtituimus per omnia volumus obſervare.

## LXIX. AD EUSEBIUM EPISCOPUM THESSALONICENSEM.

De perverſitate Andreæ monachi, qui falſavit literas Gregorii, qui Græcam linguam ignorabat.

*Gregorius Euſebio epiſcopo Theſſalonicenſi.*

LAtor præſentium Theodorus eccleſiæ veſtræ lector ad ſanctorum apoſtolorum limina veniens, dum omnes, homo quippe novus, haberet incognitos, Andreæ monacho, qui ad ſanctum Paulum incluſus fuerat, res & chartas quas detulit, ut revera olim noto, innocentor depoſuit, credens quidem quod mens ipſius, ſicut & nos ante habueramus, cum habitu concordaret. Sed tantæ ille pravitatis inventus eſt, ut ſi ejus ſtultitiæ ſub incluſionis ſuæ ſpecie paulo adhuc amplius licuiſſet, multorum animas malitiæ ſuæ falſitate deciperet, & quocumque potuiſſet non levia ſcandala generaret. Nam inter alia quæ idem Andreas peſſime cogitavit & fecit, eam quoque, quam ad nos miſiſtis, dum apud ipſum a præfato latore eſſet depoſita, ita falſavit epiſtolam, ut quicumque eam legeret, vos nec catholica, nec recta ſapere evidenter



A argueret. Ex qua re contigit, ut dum veritatem ſtudioſe quæreremus, ejus quæ latebat iniquitas vulgaretur. Et tanta in eo reperta ſunt, quanta nec de ſcelerato quocumque laico crederentur. Et quia inter diverſa mala aliquos etiam ſermones ſcripſit, atque eos ex noſtro nomine titulavit, & ſuſpecti ſumus ne eos alicubi tranſmiſerit, fraternitas veſtra ſolicitudinem gerat, & ſi quid tale repererit, eos & exſcindi, & omnino faciat aboleri: ut quod imperitus literarum & ſcripturæ divinæ neſcius noſtro, ſicut diximus, nomine prænotavit, quorumdam animos non poſſit inficere. Nam nos nec Græcum novimus, nec aliquod opus aliquando Græce conſcripſimus.
B Alia vero mala ipſius, vel quid de eo a nobis in concilio ſtatutum ſit, antedicti portitoris, quem fraternitati veſtræ in omnibus commendamus, quia præſens inventus eſt, relatione cognoſcetis. Hortamur præterea atque admonemus, ut communem filium Lucam presbyterum, de quo populus, quantum dicitur, non modica ſuſpicione mordetur, publice de ſe ſatisfacere, & fidem ſuam moneas confiteri atque ſanctas ſynodos, quas apoſtolica veneratur eccleſia, ſe ſuſcipere & ſequi modis omnibus fateatur, atque inter alia Neſtorium & Severum, ac ſequaces eorum ſpecialiter anathematizando condemnet: ut hac ſatisfactione in filiorum veſtrorum cordibus nul-
C lum per illius occaſionem contra vos poſſit ſcandalum remanere. Qui ſi forte, quod non credimus, facere hoc aliqua excuſatione diſtulerit, nihil vobis cum illo commune ſit, ſed a familiaritate atque communione veſtra por omnia ſegregandus eſt. Nam ſicut ante jam ſcripſimus, melius eſt de ovili dominico morboſam ovem ejicere, quam unius vitio ſanas amittere. Hæc igitur, frater cariſſime, diligenter attende, & ita ſtude, ut filios veſtros unitos ac devotos, ſicut decet, habere poſſitis, & hac de cauſſa denuo ad nos querela non redeat. Latorem vero præſentium, ut præfati ſumus, in omnibus commendamus: qui quoniam prius a malo monacho innocenter deceptus eſt, & poſtmodum in convictione ejus fortiter perſtitit, laboris ſui retributionem
D hic apud veſtram fraternitatem inveniat; quamvis quia in æterna ei patria compenſetur certus exiſto. Si autem rurſus ad orationem huc ad ſanctos apoſtolos venire voluerit, eum fraternitas veſtra ſine aliqua mora retranſmittat.

## LXX. AD AURELIUM.

Conſolatur de morte fratris, & tribulationibus quas patiebatur.

*Gregorius Aurelio ex Francis.*

AUdito dulciſſimi filii mei fratris veſtri
E tranſitu, quo ſim mœrore perculſus, epiſtolaris non valet explere locutio. Sed omnipotentem Deum rogo, ut ſuæ vos gratiæ aſpiratione conſoletur, voſque & a malignis ſpiritibus, & a perverſis hominibus cæleſti protectione cuſtodiat. Nam ſi quos poſt illius obitum tumultus quorumdam advertantium ſuſtinetis, nolite mirari. Si vos frui bonis in terra veſtra, id eſt in terra viventium quæritis, mala hominum in terra aliena portare de-

debetis. Peregrinatio quippe eſt vita præſens, **A** & qui ſuſpirat ad patriam, ei tormentum eſt peregrinationis locus, etiam ſi blandus eſſe videatur. Vobis autem, qui patriam quæritis, inter ſuſpiria quæ habetis, etiam gemitus audio humanæ oppreſſionis exurgere. Quod mira omnipotentis Dei diſpenſatione agitur, ut dum veritas per amorem vocat, mundus præſens a ſeipſo animum veſtrum, per tribulationes quas ingerit, repellat; tantoque facilius ab amore hujus ſæculi mens exeat, quanto & impellitur dum vocatur. Itaque quod cœpiſtis, hoſpitalitatis curam impendite. In oratione & lacrymis inſtantiſſime laborate: eleemoſynis, quas ſemper amaſtis, jam nunc largius atque uberius operam date, ut tanto poſt in retri- **B** butione creſcat vobis fructus operis, quanto hic excreverit ſtudium laboris.

## LXXI. AD MELLITUM ABBATEM.

Dat mandata Auguſtino epiſcopo porrigenda in gentium converſione.

*Gregorius Mellito abbati in Franciis.*

POſt diſceſſum congregationis noſtræ, quæ tecum eſt, valde ſumus ſuſpenſi redditi: quia nil de proſperitate veſtri itineris audiſſe nos contigit. Cum vero vos Deus omnipotens ad reverendiſſimum virum fratrem noſtrum **C** Auguſtinum epiſcopum perduxerit; * dicite quod diu mecum de cauſſa Anglorum cogitans tractavi, videlicet quia fana idolorum deſtrui in eadem gente minime debeant, ſed ipſa, quæ in eis ſunt, idola deſtruantur. Aqua benedicta fiat, in eiſdem fanis aſpergatur, altaria conſtruantur, reliquiæ ponantur; quia ſi fana eadem bene conſtructa ſunt, neceſſe eſt ut a cultu dæmonum in obſequium veri Dei debeant commutari: ut dum gens ipſa eadem fana ſua non videt deſtrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoſcens ac adorans, ad loca quæ conſuevit familiarius concurrat. Et quia boves ſolent in ſacrificio dæ- **D** monum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua ſolennitas immutari, ut die dedicationis, vel natalitio ſanctorum martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula ſibi circa eaſdem eccleſias quæ ex fanis commutatæ ſunt de ramis arborum faciant, & religioſis conviviis ſolennitatem celebrent. Nec diabolo jam animalia immolent, ſed ad laudem Dei in eſu ſuo animalia occidant, & donatori omnium de ſatietate ſua gratias referant; ut dum eis aliqua exterius gaudia reſervantur, ad interiora gaudia conſentire facilius valeant. Nam duris mentibus ſimul omnia abſcindere, impoſſibile eſſe non dubium eſt: quia is qui locum ſummum aſcendere nititur, neceſſe eſt ut gradibus vel paſſibus, non au- **E** tem ſaltibus elevetur. Sic Iſraelitico populo in Ægypto dominus ſe quidem innotuit, ſed tamen eis ſacrificiorum uſus, quos diabolo ſolebant exhibere, in cultu proprio reſervavit, ut eis in ſacrificio ſua animalia immolare præciperet, quatenus cor mutantes, aliud de ſacrificio amitterent, aliud retinerent, ut etſi ipſa eſſent animalia quæ offerre conſueverant, verumtamen Deo hæc & non idolis immolantes, jam ſacrificia ipſa non eſſent. Hæc igitur dilectionem tuam prædicto fratri neceſſe eſt dicere, ut ipſe in præſenti illic poſitus perpendat qualiter omnia debeat diſpenſare *. Data die XII. Kalendas Julii, indictione IV. (a)

* dicite ei. *Pariſ.*

Fana Anglorum idolis deſtructis in eccleſias conſecranda.

Vice ſacrificiorum convivia adhibenda.

* Deus te incolumen cuſtodiat dilectiſſime frater. Data die XV. *Pariſ.*

## LXXII. AD CLAUDIUM ABBATEM.

Præcipit ut Romam quantocius veniat.

*Gregorius Claudio abbati.* *

VEniente viro reverendiſſimo Severo epiſcopo tuam quoque dilectionem credidi ad beati Petri apoſtolorum principis limina pariter venire, quia & ita mihi fuerat nuntiatum, & valde ex eodem nuntio * lætabatur. Sed credo te occupationibus monaſterii præpeditum, & idcirco ad me minime veniſſe. Epiſtolas vero quas dilectio tua ante hoc tempus tranſmiſerat accipiens ſicut voluiſti, ſecreto relegi. Sed * de quibus ſcripſeras, nihil vidi eſſe poſſibile: de ea maxime perſona, quæ hic apud me fuit, non ſuſpicor poſſe aliquid tale utiliter fieri, quæ aut naturæ ſimplicitate, aut negligentia torpere mihi viſa eſt. Et ideo dilectio tua ſi quid valet illic requirat, & ſolicite diſponat, atque ad me veniat. Si vero venire non valet, vel poſt aliquantum temporis venire debet, ut uſque ad quinque vel ſex menſes, ſi vita comes fuerit, mecum faciat, & poſtea ad propria revertatur. Omnipotentis Dei gratia ab omni te adverſitate cuſtodiat.

* transfertur in *Pariſ.* ad indict. XV.

* lætabar. *Pariſ.*

* de tribus perſonis de &c. *Pariſ.*

## LXXIII. AD PETRUM EPISCOPUM HYDRUNTINUM.

De reliquiis ſancti Leontii.

*Gregorius Petro epiſcopo Hydruntino* *.

OPportunus abbas monaſterii ſancti Leontii, quod in quinto Romanæ urbis miliario ſitum eſt, ſanctuaria ejuſdem martyris quæ de eccleſia nomini ipſius dicata, ut aſtruit, furto ablata [illegible], ſibi denuo poſtulat debere concedi, ut in loco eodem recondantur. Et ideo frater cariſſime, quia ejuſdem beatiſſimi martyris corpus in Brunduſii eccleſia, cui viſitationis impendis officium, eſſe dignoſcitur, præfati viri deſideriis ex noſtra te præceptione convenit obedire, ut in devotione quam poſtulat, ſortiatur effectum. * Data menſe Auguſti, indictione IV.

* transfertur in *Pariſ.* ad indictionem XIV.

* Data deeſt in *Pariſ.*

LXXIV.

(a) *Pariſ.* ad. imperante Domino noſtro Mauritio Tiberio piiſſimo Auguſto ann. XIX. poſt Conſulatum ejuſdem Domini noſtri ann. XVIII.

## LXXIV. AD BONIFACIUM DEFENSOREM.

De Aleria atque Adiacio civitatibus ſine epiſcopis.

*Gregorius Bonifacio defenſori Corſicæ.*

EXperientia tua non ſine culpa eſt, quod Aleriam atque Adiacium civitates Corſicæ diu ſine epiſcopis eſſe cognoſcens, clerum & populum earum ad eligendum ſibi ſacerdotem diſtulerit commonere. Quæ quoniam ſine proprio amplius non debent eſſe rectore, præſenti auctoritate ſuſcepta, clerum & populum ſingularum civitatum hortari feſtina, ut inter ſe diſſentire non debeant, ſed uno ſibi conſenſu, unaquæque civitas conſecrandum eligat ſacerdotem. Et facto decreto ad nos is qui fuerit electus adveniat. Si autem in uno conſentire noluerint, ſed in duorum ſe electione diviſerint, ſimiliter decretis ad nos de more factis adveniant, ut requirentes de vita, actu & moribus eorum, is qui utilior viſus fuerit ordinetur. Quia vero multi illic pauperes opprimi ac pati præjudicium perhibentur, experientia tua ſolicitudinem gerat, & gravari eos contra juſtitiam non permittat, ſed ita ſtudeat, ut nec agentes contra rationem impediri, nec hi contra quos agitur injuſte valeant diſpendium ſuſtinere. Præterea pervenit ad nos, quod quidam clericorum te illic poſito a laicis teneantur. Quod ſi ita eſt, tuæ hoc culpæ noveris reputari, quia hoc fieri, ſi homo eſſes, non * debuit. [* habuit. Pariſ.] Et ideo de cetero ſolicitudinem te habere neceſſe eſt, ut hoc fieri non permittas: ſed ſi quis contra aliquem clericum cauſſam habuerit, epiſcopum ipſius adeat. Qui ſi forte ſuſpectus fuerit, executor vel ab ipſo, aut ſi & hoc actor refugerit, a tua eſt experientia deputandus, qui partes ſibi mutuo conſenſu judices compellat eligere. A quibus quidquid fuerit definitum, ita vel tua vel epiſcopi ſolicitudine, ſervata lege, modis omnibus compleatur, ut non ſit unde ſe poſſint litigiis fatigare.

## LXXV. AD BARBARAM ET ANTONIAM.

De eo quod eas commendaverit Joanni epiſcopo, & Romano defenſori: & de xenio ab eis ſibi tranſmiſſo.

*Gregorius Barbaræ & * Antoniæ.* [* Antoninæ. Pariſ.]

SUſceptis epiſtolis veſtris, omnimodo cognita veſtra ſoſpitate lætatus ſum, atque omnipotentem Deum deprecor, quo vos & a malignis ſpiritibus in cogitatione, & a perverſis hominibus, atque ab omni contrarietate, ſua protectione cuſtodiat: ſicque vos cum timoris ſui gratia dignis conjunctionibus ordinet, ut omnes nos in veſtra ordinatione lætificet. Vos autem, dulciſſimæ filiæ, in ejus adjutorio ſpem veſtram ponite, & ſub umbra defenſionis illius ſemper, & orando, & bene agendo malorum hominum inſidias declinate. Quæcumque enim humana ſolatia vel adverſitates fuerint, nulla ſunt, niſi aut ejus gratia protegat, aut ejus offenſa perturbet. In nullo igitur hominum ſpem ponatis, ſed totam mentem in fiducia Dei omnipotentis aſtringite. Nobis ergo dormientibus, ille vos protegat, de quo ſcriptum eſt: *Ecce non dormitavit neque obdormiet, qui cuſtodit Iſrael.* [Pſalm. 120.] Quod autem ad beati Petri apoſtolorum principis limina feſtinare vos dicitis, opto nimis, & æſtuantis animi deſiderio expecto, ut dignis meritis junctas vos in ejus eccleſia videam quatenus & vos de me ſolamen aliquantulum, & ego de veſtri præſentia non parvam lætitiam acquiram. Viro autem reverendiſſimo fratri meo epiſcopo Joanni & Romano defenſori cauſſas veſtras ſtudui commendare; ut quæ cœperunt, Deo auctore, debeant perficere. Xenium autem veſtrum duas racanas, quas de labore veſtro eſſe mandaſtis libenter accepi. Sed tamen cognoſcite, quia non mihi mandatum credidi. Nam vos de labore alieno laudem quæritis, * quæ fortaſſe adhuc ad fuſum manum [* quia. Pariſ.] nunquam miſiſtis. Nec tamen me res iſta contriſtat, quia opto ut ſanctam ſcripturam legere ametis; ut quamdiu vos omnipotens Deus viris conjunxerit, ſciatis qualiter vivere, & domum veſtram quomodo diſponere debeatis.

# GREGORII MAGNI PAPÆ I.

## EPISTOLARUM LIBER X.

*Indictione V. anno ordinationis ejus XII.*

## I. AD DOMINICUM EPISCOPUM CHARTAGINENSEM.

Docet poſt ægritudines ſæpe nobis vitæ inducias concedi, ut paratiores ad judicium veniamus.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Dominico epiſcopo Chartaginenſi.*

QUam copioſa cordis veſtri ſit caritas, lingua interprete demonſtratis, dum ſic ejuſdem ſuavitate epiſtolarum veſtrarum verba conditis, ut dulce & jucundum ſit omne quod ſcribitis. Unde fit ut fraternitatem veſtram, quam corpore non poſſumus, dilectionis brachiis amplectamur. Nam quod animis concordibus longitudo negat itineris, præſtat officium caritatis. Et quoniam ſicut amantiſſimorum fratrum ſanitate reficimur, ita ægritudine contriſtamur, omnipotenti Deo gratias agimus, qui mœſtitiam noſtram nuntio ſolatus eſt proſperorum. Qui audientes vos infirmitatem graviſſimam incurriſſe, priuſquam ſcripta veſtra ſuſcepiſſemus, majori triſtitia tenebamur. Sed quia quando de periculo mortis eripimur, ad quid, frater cariſſime, reſervemur incertum eſt. Induciarum ergo tempus ad utilitatem animæ convertamus, & poſituri venturo judici rationes, cauſſam noſtram apud eum lacrymis & bonis operibus muniamus, ut ſecuritatem de his quæ geſſimus accipere mereamur. Nam & in cauſſis ſæcularibus ad hoc frequenter benignus concedit judex inducias, ut qui ante paratus non fuerat, poſtmodum paratus ad judicium veniat. Et quale

eſt, ſi quod in terrenis * judiciis cuſtodimus, ne ſe quoque oſtendit obſtrictum, pro ſalute animæ negligamus? Et ideo quia juxta Joannis apoſtoli vocem, *nullus ſine peccato eſt*, cogitationum illecebras, linguæ incontinentiam, delictorum opera ad memoriam revocemus: & dum licet magno pulſatu iniquitatum noſtrarum maculas deleamus, ut juſtus & pius redemptor noſter non juxta merita noſtra vindictam exerceat, ſed ſecundum miſericordiam ſuam flectatur ad veniam. Et quia officium noſtrum ſua ſolum flere non ſufficit, niſi & de alienis ſolicitudinem geſſerit, curam in commiſſi gregis cuſtodia ſtudioſius impendamus, & ſuadendo, hortando, terrendo, prædicando, inqua tum ſuperna clementia vires donat officium opere implere feſtinemus, ut deſideratum, creatore noſtro largiente, præmium expectemus. Sed quia boni aliquid operari ſine divino auxilio non valemus, junctis omnipotentem Deum dilectiſſime frater, precibus exoramus, ut in mandatorum ſuorum viam cum commiſſo grege gratia ſua duce nos dirigat, atque ipſe nobis & intelligere & agere quæ ſibi placita ſunt concedat, qui miſericordiæ ſuæ dono nomen nos voluit habere paſtorum. Præterea & tranſmiſſione veſtræ ſanctitatis, beati Agilei martyris * benedictionem ea caritate qua nobis eſt a vobis tranſmiſſa, percepimus

* negotiis. Tarif.

1. Joann. 1.

* die 11. Octobris.

*Menſe Septembri, indictione quinta.*

## II. AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

De Matthæo viro clariſſimo.

*Gregorius Anthemio Subdiacono.*

QUotiens digna conſideratione, ſuſtentationis cauſſa aliqua mer[illegible]ntibus conceduntur, & Deum lætificant, & ipſum ditant ſine dubio largientem. Ideo experientiæ tuæ hac auctoritate præcipimus, quatenus Matthæo viro clariſſimo ſcholaſtico duodecim ſolidos dare non differas, quos tuis ſcito rationibus procul dubio imputandos. Ita ergo cum gratiarum actione juſſionem noſtram feſtina implere, ut nulla accipientem poſſit fatigare dilatio.

## III. AD EUMDEM.

De puero quodam de tranſmarinis educto, qui habitum religionis ſuſceperat.

*Gregorius Anthemio Subdiacono.*

LAtor præſentium Gallus nauclerus oblata nobis petitione noſcitur intimaſſe, aſſerens puerum ſe quemdam de Siciliæ partibus venientem orationis gratia ad Campaniæ partes perduxiſſe, qui in Meſſenati portu conjungens illic in monaſterio converſionis cauſſa ſeſe retinuit. Quem cum hic de conditione ſua pro ſui periculo diligenter inquireret, quantum aſtruit, jurisjurandi interveniente vinculo, liberum ſe, nullique conditioni obnoxium publica voce proteſſus eſt. Pro quo ab actionariis publicis ſe remeantem queritur eſſe conſtrictum impetentibus cur ſervum juris publici furtim de illis partibus auferre præſumpſerit. Qui poſt illata ſibi damna cautione ſe quoque oſtendit obſtrictum, eumdem puerum ad partes illas quibus valeret viribus revocare. Unde pietatis cauſſa permoti, hoc experientia tua nos decreviſſe cognoſcat, ut ad Panormitanas partes, ubi res agitur, ipſum mancipium, licet jam monachi habitum ſumpſerit, debeat revocare, eumque Fantino defenſori noſtro contradere: ut ipſe quid de eo fieri debeat, ſecundum præceptionis noſtræ ſeriem, cujus & te quoque textus poterit informare, ſalubriter exequatur. A latore ergo præſentium experientiam tuam volumus fidei juſſionem accipere, qui mancipium ipſum in ſua a te manu ſuſcipiens, illic tibi in Neapolitana civitate pro eo ſcriptis evidenter ſpondeat, quod illum Fantino defenſori noſtro ſine aliqua excuſatione contradat: ut hac præveniente cautela, & precator liber a cautionis ſuæ reddatur vinculo, & cauſſa mancipii, ſicut conſtituimus, auxiliante domino diſponatur.

## IV. AD FANTINUM DEFENSOREM.

Cauſſam Maurentii commendat.

*Gregorius Fantino defenſori.*

GLorioſiſſimus filius noſter Maurentius magiſter militum, cauſſam de maſſa Gentina contra Panormitanam eccleſiam habere ſe quæritur: & ad hoc latorem præſentium facto mandato tranſmiſit, quod debeat ſine excuſatione aliqua terminari. Ideoque experientia tua reverendiſſimum fratrem & coepiſcopum Victorem noſtrum, ſervato honore commoneat, ut aut pacifice cauſſam ipſam ſine delatione ſtudeat terminare, aut certe, ſi utilius ſibi eſſe crediderit eam judicio diffiniri, omni mora ceſſante, vice ſua perſonam [illegible] ſtituat, quæ de eadem maſſa apud glorioſiſſimum filium noſtrum domnum Venantium patricium, & experientiam tuam debeat ſubire judicium, ut cauſſa ipſa poſſit cognita veritate diſtingui, aut certe alios ſibi, ſi partes voluerint, te imminente eligant cognitores. Et quidquid mediis ſacroſanctis evangeliis ab eis fuerit ſtatutum, ita lege ſervata, tua volumus ad effectum executione perduci, ut nihil inter partes remaneat, unde poſt hæc * recidivo poſſint litigio fatigari.

* redivivo. Tarif.

## V. AD MARINIANUM EPISCOPUM RAVENNÆ.

Homines Maurentii commendat.

*Gregorius Mariniano epiſcopo Ravennæ.*

POſtquam glorioſiſſimo filio noſtro Maurentio hoc apud vos ſolum poteſt ſufficere, quod eum noſtrum eſſe proprium non neſcitis, qualiter ei a vobis ſit concurrendum ſcribere non debemus. Sed ne data occaſione fraternitatem veſtram in cauſſa ipſius prætermittere videamur, latores præſentium commendantes hortamur, ut quia eos pro percipiendo precario ſuo illuc noſcitur tranſmiſiſſe, veſtra ope in omnibus fulciantur. Cui, ut melius præſtare poſſitis, quia vos in multis eſſe non eſt dubium occupatos, Mennam notarium,

tarium, quia bene novit eſſe ſolicitus, deputate; ut ipſe eos veſtro nomine in cunctis, ubi neceſſe fuerit, ſtudeat adjuvare: quia quid agere debeant, dato ſibi capitulari, ut perhibent, ſunt inſtructi. Cumque ego ſanctitatem veſtram ſua in præſenti relatione informaverim, ita vos in ejus cauſſis impendite, ut ſicut & nos de fraternitate veſtra certi ſumus, & ille omnino confidit, vobis ſuffragantibus utilitas ipſius, Deo adjutore, ſalubriter peragatur.

## VI. AD THEODORUM CURATOREM.

Maurentium magiſtrum militum commendat.

*Gregorius Theodoro curatori.*

QUia ſic de gloria veſtra ſicut de cariſſimo revera filio omnino præſumimus, certi de vobis, eos qui noſtri ſunt commendamus. Ob quam rem paterno ſalutantes affectu, quæſumus ut præſentium portitoribus, quos glorioſiſſimus Maurentius magiſter militum ad precarium ſuum accipiendum tranſmiſit, veſtram tuitionem impartire dignemini: quatenus vobis patrocinantibus, nec moram illic contra rationem, nec laborem debeant ſuſtinere: ſed quid prædicto glorioſiſſimo viro competit, gloriæ veſtræ opitulatione ſine difficultate percipiat, ut & ipſe noſtris amplius ſit devotus obſequiis, & nos pro eo referre gratias, ſicut dignum eſt, valeamus.

## VII. AD SABINELLAM, COLUMBAM ET GALLAM.

De eleemoſyna ſæpius facienda.

*Gregorius Sabinellæ, Columbæ & * Gallæ a paribus.* * Agnellæ. Pariſ.

SAtis me glorioſa filia, operationis tuæ audita bona lætificant, quod illa agere perhiberis, per quæ dum egentibus miſericorditer ſubvenis, ipſa miſericordiam conſequaris: & alios temporaliter nutriendo, bonis in æternum cœleſtibus ſatieris. Et ideo quia fidelis eſt cui credis, ſecura commoda ea quæ tribuis, ut in die retributionis recipias quod impendis. Ait namque egregius prædicator: *Scio cui credidi & certus ſum, quia potens eſt ſervare depoſitum meum in illum diem.* (2. Tim. 1.) Ecce glorioſa filia, quanta ſit bonorum operum certitudo conſidera, & larga ſit ſemper manus in opere, ut fiat vobis quod ſcriptum eſt: *Abſconde eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit.* (Eccl. 29.) Quiſquis igitur copioſum in cælis fructum habere deſiderat, ſeminare dum tempus eſt non omittat, ut manipulos in die meſſis cum lætitia colligat. Nam *qui ſeminant in lacrymis, in * exultatione ac gaudio metent.* (Pſalm. 125. * exultatione ac deſunt in Pariſ.) Sed qualis meſſis ex hujuſmodi ſemente futura ſit, dicat apoſtolus: *Qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu & metet vitam æternam.* (Galat. 6.) Ne vero inopia nos egeſtatis inveniat, hanc nobis meſſem in ſatione multiplici præparemus, & quanto uberius ſatiari cupimus, tanto ei a quo totum accepimus largius conferamus. Nam ipſe de ſe dominus ait: *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes fui, & collegiſtis me: nudus fui, & operuiſti me*, &c. (Matth. 25.) atque in concluſione ſubjungit: *Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Hoc igitur ſtudioſius agite, & hæc agentes in terra vobis retribui nil quæratis: quia ſuperna deſiderantibus temporalia nulla ſunt. Sed ibi deſideria veſtra figite, ubi quidquid retribuitur finem non ſuſcipit. (Matth. 6.) Bonum ergo facientes non deficiatis, ut illic vobis theſauros theſaurizare poſſitis, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur. Præterea gloriam veſtram paterno ſalutantes affectu, indicamus per latorem præſentium Hilarum chartularium noſtrum, clavim nos a ſacratiſſimo corpore beati Petri apoſtolorum principis tranſmiſiſſe, in qua de catenis quoque ipſius benedictio continetur. Quæ collo veſtro ſuſpenſa, hoc vobis eo intercedente gratia abſolutionis fiat, quod illi fuit cauſſa martyrii. Omnipotens Deus in ſuo vos timore cuſtodiat, atque ſic cor veſtrum ad bonam ſemper operationem accendat, ut & hic vobis ſuam gratiam tribuat, & ad gaudia vos poſtmodum æterna perducat.

## VIII. AD COLUMBUM EPISCOPUM NUMIDIÆ.

De Donadeo diacono injuſte damnato.

*Gregorius Columbo epiſcopo Numidiæ.*

QUam gravis & auditu ipſo intolerabilis Donadei latoris præſentium, * qui aſſerit fuiſſe diaconum, ſit querela, ab eo data petitio quæ tenetur in ſubditis, fraternitati veſtræ faciet manifeſtum. (* qui ſe. Pariſ.) Sed quia pervenit ad nos quod pro corporali peccato fuiſſet depoſitus, dilectio veſtra ſubtili hoc inquiſitione perquirat, & ſi ita eſt, in pœnitentia retrudatur, ut commiſſi flagitii vinculum lacrymis poſſit abſolvere. Si vero inſons ab hujuſmodi perpetratione claruerit, una cum primate concilii vel aliis fratribus coepiſcopiſque noſtris omnia quæ petitio ejus continet diligenti a vobis examinatione quærenda ſunt. Et ſi querela ejus veritate fulcitur, & in epiſcopo ejus victore, qui contra Deum & ſacerdotale propoſitum tantum committere nefas non metuit, canonici * vigoris ita diſtrictio teneatur, (* rigoris.) ut ex diffinitione veſtra quam ſit iniquum quod fecit intelligat, & hic ſuo ordini reformetur: quia ſatis perverſum & contra eccleſiaſticam probatur eſſe cenſuram, ut fruſtra pro quorumdam voluntatibus quis privetur, quem ſua culpa vel facinus ab officii quo fungitur gradu non deiicit. * Data menſe Octobri, indictione v. (* Data &c. deſunt in Pariſ.)

IX.

## IX. AD CASTORIUM NOTARIUM.

De monaſterio Marci, Marcellini & Feliculæ.

*Gregorius Caſtorio notario.*

EXperientiæ tuæ in præſenti nos recolis præcepiſſe, ut de poſſeſſione quæ monaſterio ſanctorum Marci, Marcellini & Feliculæ, quod Ravennæ ſitum eſt, largitatis titulo dicitur eſſe conceſſa, quia cauſſam bene noſti, debuiſſes quod juſtum eſt facere. Pro qua re hac te iterum noſtra præceptione duximus commonendum, ut in re ipſa vigilans debeas eſſe atque ſolicitus. Et ſi manifeſte donatam eſſe cognoveris, & nihil eſt quod a partibus noſtræ objici poſſit eccleſiæ, impedimentum aliquod monaſterio ad tenendum ipſam poſſeſſionem non facias. Si vero quia, prout diximus, cauſſa bene tibi eſt cognita, habes quod juſte poſſit pro eccleſiæ partibus allegari; electorum te cum parte altera neceſſe eſt ſubire judicium, ut & veritas cognoſci, & quod æquitatis ordo ſuaſerit, valeat diffiniri.

## X. AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

De Adeodato, & conſtructione baſilicæ.

*Gregorius Anthemio Subdiacono.*

INdicavit nobis Adeodatus præſentium lator ante multos annos in ſolo ſe juris eccleſiæ noſtræ hac conditione ædificium poſuiſſe, ut duos ſolidos annis ſingulis eccleſiaſticæ rationi perſolveret, & poſt ejus obitum, ſolum ipſum cum impoſito ædificio ad jus eccleſiæ ſine dubitatione aliqua remaneret. Sed quia aſſerit ſe in tantam pauperiem perveniſſe, ut eoſdem duos ſolidos, ſicut promiſerat, ſingulis non poſſit annis impendere, & ob hoc unum ſibi petiit relaxari, experientia tua curet addiſcere. Et ſi pauper, ita ut aſſerit, manifeſte eſt, noſtra præſtatione partem mediam relaxatam volumus, ut annis ſingulis non amplius quam unum ſolidum exolvet; quia & ætatis ſenium & pauperies ejus indicat, ut onus quod petit, ei debeat relaxari. Ita ergo hoc ſervari ſtudii tui ſit, ut tamen proprietatem ſoli, atque impoſiti ædificii, poſt obitum ipſius eccleſiæ ſolicitudine & vigilanti cura conſerves.

## XI. AD FANTINUM DEFENSOREM

De xenodochio conſtruendo.

*Gregorius Fantino defenſori.*

EA quæ fienda mandat piæ voluntatis intentio, ut ad effectum valeant pervenire, curæ debet ſacerdotalis exiſtere. Proinde experientiæ tuæ præcipimus, ut hæredibus Iſidori illuſtris memoriæ viri aſſidue & fortius debeat imminere, ut xenodochium, quod auctor eorum per ultimæ voluntatis arbitrium in Panormitana fieri civitate conſtituit, ſine aliqua difficultate ſecundum ea quæ ſunt diſpoſita implere feſtinent; ne ſi amplius hoc adhuc A negligendum putaverint, tam noſtram quam Dei iram de legibus venientem, quam hujuſmodi diſpoſitionem * implere differentes, incurrant. Si vero deputata in eorum xenodochio quod fiendum eſt quantitas videtur forte non poſſe ſufficere, locus in quo xenodochium ipſum fuerat conſtituendum, vel quidquid ibi relictum eſt, xenodochio ſancti Theodori, quod in prædicta civitate a Petro quondam conſtitutum eſt, applicetur; quatenus & hæredes a ſolicitudine vel labore conſtituendi xenodochii valeant exui, & voluntas defuncti ſalubriter ſumat effectum, dum etſi in loco alio ipſi tamen rei quidquid a teſtatore deputatum eſt, erogetur. Ita ergo experientia tua B ſolicitudinem gerat, ut unum e duobus ſine aliqua debeat fieri tarditate.

* differentes mereantur, incurrant &c. *Pariſ.*

## XII. AD PASSIVUM EPISCOPUM FIRMANUM.

Mandat oratorium conſecrare, facta primum donatione legitima.

*Gregorius Paſſivo epiſcopo Firmano.*

ANio comes caſtri Aprutienſis, * Firmenſis territorii, petitoria nobis inſinuatione ſuggeſſit, quæ habetur in ſubditis, in ſu- C praſcripto caſtro oratorium ſe ſumptu proprio pro ſua devotione fundaſſe, quod in honorem beati Petri apoſtolorum principis deſiderat conſecrari. Et ideo, frater cariſſime, ſi in tuæ diœceſeos, in qua viſitationis impendis officium, memorata conſtructio jure conſiſtit, & nullum corpus ibidem conſtat humatum, percepta primitus donatione legitima, id eſt fundos campulos cum conduma una, boves domitos parium unum, vaccas duas, argenti libras quatuor, lectum ſtratum unum, in peculio capita quindecim, armenti capita duo, ferramenta numero quinque, præſentes liberos a tributis fiſcalibus ſolidos ſex, geſtiſque municipalibus alligata, prædictum oratorium D ſolenniter conſecrabis. Presbyterum quoque te illic conſtituere volumus cardinalem, ut quotiens præfatus conditor fieri ſibi miſſas fortaſſe voluerit, vel fidelium concurſus exegerit, nihil ſit quod ad miſſarum ſacra exhibenda ſolennia valeat impedire: ſanctuaria vero ſuſcepta ſui cum reverentia collocabis.

* Firmani

## XIII. AD EUMDEM.

De Aprutina civitate diu paſtore viduata.

*Gregorius Paſſivo epiſcopo Firmano.*

E BEne novit fraternitas veſtra, quam longo ſit tempore Aprutium paſtorali ſolicitudine deſtitutum. Ubi diu quæſivimus quis ordinari debuiſſet, & nequaquam potuimus invenire. Sed quia Opportunus mihi in moribus ſuis, in pſalmodiæ ſtudio, in amore orationis valde laudatur, & religioſam vitam omnimodo agere dicitur, hunc volumus ut fraternitas veſtra ad ſe faciat venire, & de anima ſua admoneat, quatenus in bonis ſtudiis creſcat. Et ſi nulla ei crimina quæ per legis ſacræ regulam morte mulctanda ſunt obviant, tunc hortandus eſt, ut vel monachus vel a vobis ſubdia-

ſubdiaconus fiat. Et poſt aliquantulum temporis, ſi Deo placuerit, ipſe ad paſtoralem curam debeat promoveri. Si quæ vero gravia obviant, multo magis admonendus eſt, ut ſæculum relinquat, & hæc perfectius deſleat. Peto autem ut pro me orare debeas: quia cum tribulationibus cordis fatigor nimis doloribus corporis.

## XIV. AD OPPORTUNUM.

Contriſtari non debere de admonitione ſua.

*Gregorius Opportuno de Aprutio* *.

* transfertur in Pariſ. ad Indict. III.

PErvenit ad me, quia ex eo tempore quo dilectionem tuam verbis aſperis propter quædam quæ mihi jure diſplicuerant contriſtavi, magna tibi ſit oborta triſtitia, atque continuus animi mœror. Unde te, dilectiſſime fili, volo cognoſcere, quia ego illa verba non aſperitate cordis, ſed amore tuæ animæ ſum locutus. Tu itaque ad omnipotentem Deum tota mente convertere, quantum ſit fugitiva præſens vita conſidera æterna præmia lucrari feſtina: inquantum virtus ſufficit, caſtiga carnem quæ quandiu in voluptatibus vixit, animam caſtigavit. Benignitatem tuam proximis exhibe, pſalmodiæ & lacrymis horas vitæ frequentius impende, illata mala a proximis æquanimiter tolera. Si contra veritatem injuriam pertuleris, lucrum puta: ut hæc agens, per temporalia, quæ deſpiciendo pateris, ad cæleſtia regna pertingas. Omnipotens autem Deus & cor & corpus tuum cæleſtis gratiæ ſalute perfundat, ut de ejus ſpiritu & recta interius ſentire, & recta exterius ſufficias agere.

## XV. AD FANTINUM DEFENSOREM.

De morte Primogeniti notarii, qui heredem eccleſiam Romanam reliquerat.

*Gregorius Fantino defenſori.*

COgnoſcat experientia tua Primogenitum notarium noſtrum de hac pro peccatis luce tranſiſſe. Et quoniam ſanctam Romanam, cui auctore Deo deſervimus, eccleſiam, & conjugem ſuam, quæ ſe tuitioni eccleſiaſticæ poſtea commendavit, heredes, nec non & filium fratris ſui, in unam unciam heredem idem noſcitur reliquiſſe; eapropter ſtatim ut hoc præceptum ſuſceperis, antequam eum quiſquam obiiſſe cognoſcat, & in ſubſtantia illius aliquid fraudis committat, ad locum in quo res ejus ſunt reconditæ ſine mora curabis accedere, & cum omni ſolicitudine ac diligentia ſtudii tui ſit, præſente Conſentio puero, qui rerum ipſarum eſſe cuſtos aſſeritur, adhibitis teſtibus ſolenniter ac ſubtiliter facere, eaſque res in loco tutiſſimo, ut utile prævideris, collocare, quatenus apto tempore huc cum eodem puero, Deo auxiliante, valeant tranſmitti. Sed & cetera in quibuslibet rebus ſive * corporalibus quæ de ſubſtantia ipſius eſſe didiceris, cum omni ſtrenuitate in unum congregare & conſtituere feſtina, ut nihil de ejus poſſit qualibet occaſione deperire ſubſtantiæ. Hæc igitur omnia ita ſolicita & ſubtili

* corporibus Pariſ.

A ſtude cura pergere, ut te illic poſito ne diſpendium in rebus ipſis eveniat, & cujuslibet fraudis ſub qualibet occaſione ſine exquiſitione locus aliquis patere non valeat. Summa vero redituum ejus quæ ſit, nobis pariter tuis ſcriptis indicare feſtina.

## XVI. AD ROMANUM DEFENSOREM.

De rationibus Boniſacii numerarii.

*Gregorius Romano defenſori.*

EXperientiam tuam non latet, quod in rationibus Bonifacii numerarii noſtri, * ſuorum aliquid apud te intereſſe audivimus: propter quod, partem aliquam ſubſtantiæ ſuæ xenodochio quod ad beatum Petrum apoſtolorum principem conſtitutum eſt, dereliquit, & ſuam nobis conjugem commendavit. Et ideo quia Laurentius vir clariſſimus præſentium portitor pro rationibus ipſis, id eſt, nonæ ac decimæ indictionis faciendis tranſmiſſus eſt; hujus tibi præceptionis ſerie injungimus, ut ei hac in cauſſa, quocumque neceſſe fuerit præbere ſolatia, atque eum æquitate ſervata juvare feſtines, quatenus dum te ſolicito rationes ipſæ ſalubriter fuerint terminatæ, & pauperum fiat utilitas, & mulieris quæ commendata eſt quies procuretur atque ſecuritas. Quia C vero noſti quemadmodum cauſſæ & maxime tales agantur, ſi forſitan videris, quia rationes ipſæ finiri ſine diſpendio non poſſunt, ad glorioſiſſimum Leontium una cum reverendiſſimo fratre & coepiſcopo noſtro Joanne, te ire neceſſe eſt, & communi cum eo conſilio agere, & ad quantum potueris eloqui; & promittere quidquid vel ipſi, vel diverſis dandum ſuffragatoribus fuerit, dummodo per partes non eat, ſed celerius finem accipiat. Illud autem præ omnibus tractare vos convenit, utrum cum prædicto glorioſiſſimo viro antequam rationes incipiantur, aut certe loqui propterea debeatis: ne forte cauſſa in examinatione miſſa, nobis poſtea ad decidendum difficultatem adducat. Sed quia melius in præſenti quid oporteat poteris advertere, quod utilius viſum fuerit, agite. In hac tamen promiſſione ſolicitos vos eſſe neceſſe eſt, ut omnia inibi comprehenſa pro totius cauſſæ deciſione plura ſolida nullo modo promittantur, indicantes ei, ſi cauſſa exegerit, quia pauper omnino defunctus eſt. Quod ut ita eſſe cognoſcat, exemplar rerum inventarum de ſubſtantia ipſius ſibi prævidimus dirigendum. Quod ſi forte apud prædictam ſolidorum quantitatem conſentire noluerit, eligimus potius hoc quod pervenit ad xenodochium reddere, quam inanem invidiam ſuſtinere. Si vero conſenſerit, ſtudioſe agendum eſt, ut exinde ſecuritas remittatur, quatenus poſt datam ſecuritatem & deciſionem, cauſſa recidiva exinde alterius nullo modo valeat quæſtionis ſuſcitari. Quod autem dederis, tuis rationibus imputamus

* ſecundum aliquid intereſſe propter &c. Pariſ.

XVII.

## XVII. AD AZIMARCHUM

### Scribonem.

De naufragio ejus.

*Gregorius Azimarcho* [illegible]*riboni.*

QUanto nos cognitus caſus veſtri naufragii contriſtavit, tanto ſubſequens epiſtola relevavit, quod magnitudinem veſtram incolumem ad Siciliam perveniſſe cognovimus, Et creatori noſtro gratias agimus, qui ſolita vos pietate protexit, & de maris periculo liberavit. Unde neceſſe eſt, ut Dei miſericordiam, quam in vobis ſæpe collatam inſpicitis, ita ſemper in omni actu præ oculis habeatis, ut ejus in vobis gratia cumuletur, & ſicut ab exterioribus periculis, ita quoque ab interioribus eripiat. Paterna igitur dulcedine ſalutantes petimus, ut de veſtra nos incolumitate, quotiens ſe occaſio dederit, relevetis.

## XVIII. AD EUMDEM.

De rationibus Bonifacii.

*Gregorius Azimarcho ſcriboni.*

MAgnitudinem veſtram, quo tempore hic in Romana urbe fuit, cognoviſſe recolimus, Bonifacium quondam numerarium condito teſtamento partem aliquam hæreditatis ſuæ xenodochio, quod ad ſanctum Petrum apoſtolorum principem ſitum eſt, reliquiſſe. Et quoniam gerere nos ſolicitudinem diximus, ut ad glorioſum filium noſtrum Leontium perſona pro exponendis ratiociniis ipſius mitteretur, curam ut compleri debuiſſet habuimus. Idcirco quia Laurentius vir clariſſimus præſentium portitor ad hoc illuc noſcitur eſſe tranſmiſſus, magnitudinem veſtram paterna dilectione ſalutantes, petimus, ut ei hac in cauſſa concurrere, atque veſtra, ſicut de vobis confidimus, ſalva juſtitia impendere patrocinia debeatis; quatenus dum ſinceriſſimæ bonitatis veſtræ fuerit ope ſuffultus, & de viduitate mulieris quondam Bonifacii, & de pauperibus, quibus, ſicut dicimus, idem Bonifacius hæreditatis ſuæ partem aliquam dereliquit, mercedem apud omnipotentem Deum acquiratis.

## XIX. AD MAURILIONEM

### Expræfectum.

Ut ſæpius ſcripta ſua ei dirigat.

*Gregorius Maurilioni expræfecto.*

[illegible] diverſis de Si[illegible] venientibus, gloria veſtra incolumitatis [illegible] nuntio relevare poſtponit. Et utrum oblivioni caritatis, an occupationi debeat reputari, neſcimus. Et ideo ſalutantes paternæ caritatis affectu petimus, ut quotiens ſcribendi ſe occaſio dederit, de veſtra nos ſalute, & qualiter circa vos agatur, refoveatis; quatenus dum ſecundum deſiderium noſtrum

A de proſperitate veſtra læti fuerimus, redemptori noſtro pro vobis agere gratias valeamus. Omnipotens Deus miſericordiæ ſuæ vos gratia tueatur, & ab omni adverſitate ſervet illæſos, atque cuſtodiat.

## XX. AD MAURENTIUM MAGISTRUM

### Militum.

Comitiolum commendat.

*Gregorius Maurentio magiſtro militum.* *

VEniens dilectiſſimus filius noſter Cyprianus diaconus, laudabile Comitioli ſtu- B dium, & quam vobis utilitatem Urminati caſtro fecerit indicavit. Sed & multa de eo bona diverſis teſtificantibus olim cognovimus. Et quia eum apud vos, ſicut ante fuit, modo non eſſe audivimus, gloriam veſtram petimus, ut ſi quid eſt unde juſte veſtros animos fortaſſis offendit, nobis, quidquid illud eſt, remittatis, eique plenam gratiam reddere, atque illum in ea qua apud vos dudum fuit familiaritate recipere debeatis, & veſtrum illi favorem, ſicut revera proprio, ſalva ratione quocumque uſus exegerit impendatis. Ita ergo facite, ut de integro ei gratia reſtituta, aut ipſo renuntiante, aut aliis referentibus, C poſſimus agnoſcere.

* In Pariſ transfertur ad indict. I.

## XXI. AD EUPATOREM DUCEM

### Sardiniæ.

Valdericum commendat.

*Gregorius Eupatori Duci Sardiniæ.*

CUm lator præſentium Valdaricus illa nos pro ſua commendatione ſcribere poſtulet, quæ magnitudinem veſtram æquitatis intuitu ſine cujuſquam etiam interceſſione non dubitamus efficere, petitionem ipſius minime D deſpiciendam proſpeximus. Quia ergo cum uxore ſua, quam hic de Romana civitate eſſe perhibet, reverti, ſicut deſiderat valeat, veſtris ſe poſcit patrociniis adjuvandum; paternæ dilectionis ſalutantes affectu petimus, ut hac in re magnitudinis veſtræ tuitionem habeat, & a nullo eos illic contra rationis ordinem impediri permittatis: ſed deſideriis eorum pro veſtra mercede adeſſe & concurrere debeatis, quatenus & illi ſe adjutos veſtra ope congaudeant, & magnitudo veſtra poſcentibus impendiſſe quod juſtum piumque eſt videatur.

## XXII. AD JOANNEM SUBDIACONUM.

E De monachis monaſterii Claudii abbatis. De peculiaritate a monaſteriis funditus extirpanda: & de quibuſdam ſcriptis beati Gregorii [illegible] recte a Claudio abbate [illegible].

*Gregorius Joanni Subdiacono Ravennæ.*

VEnientes monachi monaſterii quondam abbatis Claudii, petiverunt ſibi Conſtantium monachum abbatem debere conſtitui. Quos valde ego in ſua petitione deteſtatus ſum,

ſum, quia mihi terrenæ mentis eſſe omnimodo apparuerunt, quia terrenum nimis hominem abbatem quæſiverunt habere. Cognovi enim quod idem Conſtantius peculiaritati ſtudeat. Quæ res maxime teſtatur eum cor monachi non habere.. Ac deinde cognovi, quia ad monaſterium, quod in Piceni provincia ſitum eſt, ſolus pergere ſine aliquo fratrum ſuorum præſumpſit. Ex qua ejus actione cognoſcimus, quia qui ſine teſte ambulat, recte non vivat. At quomodo aliis regulam teneat, quam ſibimetipſi neſcit tenere? Ab hoc igitur recedentes, cellerarium quemdam nomine Maurum petiverunt, cujus vitæ atque induſtriæ multa teſtificantur, quia & quondam abbas Claudius eum quibuſdam * laudavit. Tua itaque experientia ſolicite requirat, & ſi ejus vita ad locum regiminis digna eſt, a reverendiſſimo fratre & coepiſcopo noſtro Mariniano hunc abbatem ordinari faciat. Si vero eſt quod ei omnino obviet, & ex ſua congregatione invenire aptum minime poſſunt, ipſi ſibi aliunde eligant, & is quem elegerint fiat. Hoc autem prædicto fratri & coepiſcopo noſtro omnino dicere ſtude, ut peculiaritatem a quatuor aut quinque monaſterii monachis, in quibus corrigi hactenus minime potuit, ſtudioſiſſime compeſcat, & hoc ipſum monaſterium a tali peſte mundare feſtinet: quia ſi illic peculiaritas a monachis habetur, neque concordia, neque caritas in congregatione eadem poterit permanere. Quid eſt autem habitus monachi, niſi deſpectus mundi? Quomodo igitur mundum deſpiciunt, qui in monaſterio poſiti aurum quærunt? Ita igitur tua experientia faciat, ut neque loci ordinatio differatur, neque ad nos ulterius hac de re querela perveniat. Præterea quia idem cariſſimus quondam filius meus Claudius aliqua me loquente de Proverbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, & de libris quoque Regum, & de Heptateucho audierat, quæ ego ſcripto tradere præ infirmitate non potui, ipſe ea ſuo ſenſu & ſtylo dictavit, ne oblivione deperirent, ut apto tempore hæc eadem mihi inferret, & emendatius dictarentur. Quæ cum mihi legiſſet, inveni dictorum meorum ſenſum valde * in multis inutilibus fuiſſe permutatum. Unde neceſſe eſt, ut tua experientia, omni excuſatione atque mora ceſſante, ad ejus monaſterium accedat, convenire fratres faciat, & ſub omni veritate quantaſcumque de diverſis * ſcripturæ chartas detulit, ad mediu deducant. Quas tu ſuſcipe, & mihi celerrime tranſmitte. De tuo autem reditu, qui moleſtiam te validam incurriſſe cognovimus, Deo propitio, in ſubſequentibus cogitamus. Illud autem quod ad me quorumdam relatione perlatum eſt, quia reverendiſſimus frater & coepiſcopus meus Marinianus legi commenta beati Job publice ad vigilias faciat, non grate ſuſcepi: quia non eſt illud opus populare, & rudibus auditoribus impedimentum magis quam provectum generat. Sed dic ei ut commenta pſalmorum legi ad vigilias faciat, quæ mentes ſæcularium ad bonos mores præcipue informant. Neque enim volo dum in hac carne ſum, ſi qua dixiſſe me contigit, ea facile hominibus innoteſci. Nam quia dilectiſſimæ memoriæ Anatolius diaconus quærenti ac jubenti domno imperatori librum regulæ paſtoralis dedit, ægre ſuſcepi: quem ſanctiſſimus frater & coepiſcopus meus Anaſtaſius Antiochenus in Græcam linguam tranſtulit, & ſicut mihi ſcriptum eſt, ei valde placuit: ſed mihi valde diſplicuit, ut qui meliora habent, in minimis occupentur. In parte autem tertia beati Job, in eo verſu in quo ſcriptum eſt: *Scio quod redemptor meus vivit*, ſuſpicor quia prædictus frater, & coepiſcopus meus Marinianus mendoſum codicem habeat: nam in ſcrinio noſtro idem locus aliter habetur, quam in aliorum codicibus eſſe cognovi. Atque ideo eumdem locum relevari feci, ut ſicut in ſcrinio noſtro eſt, ita quoque hunc & ſæpefatus frater meus habeat. Quatuor enim verba ſunt, quæ ſi eidem loco defuerint, non modicum poſſunt lectori ſcrupulum generare. Hæc omnia ſubtiliter & celeriter * exequere. Et ſi apud excellentiſſimum exarchum nihil potes, vel hæc non videaris neglexiſſe quæ potes. De loco autem Albini quid dicam, de quo nobis aperte contra juſtitiam reſpondetur? De quo tamen debes diſtrictius cogitare. Præterea ante aliquantum temporis experientiæ tuæ præceperamus, apud eminentiſſimum filium noſtrum præfectum ageret, quatenus cura formarum committi Auguſtino viro clariſſimo debuiſſet, pro eo quod omnino ſolicitus atque ſtrenuus vir eſt. Et ita hactenus diſtuliſti, ut nobis nec quid egeris indicares. Et ideo apud eumdem eminentiſſimum filium noſtrum vel modo omni agere intentione feſtina, ut formæ prædicto clariſſimo viro per omnia committantur, quatenus ſolicitudine ſua * aliquid in eas valeat reformare. Nam ſic deſpiciuntur atque negliguntur formæ ipſæ, ut niſi major ſolicitudo fuerit, intra paucum tempus omnino depereant. Sicut ergo noſti, quam neceſſaria cauſſa ſit, & generalitati utilis, ſic ſtudendum tibi eſt, ut prædicto, ſicut diximus, viro, * per ſolicitudinem tuam modis omnibus committantur. Data menſe * Februarii, indictione v.

* laudabat. Pariſ.
* Inutilius fuiſſe &c. Pariſ.
* ſcripturis. Pariſ.
Job 19.
* al. exquire.
* aliquatenus ea valeat. Pariſ.
* pro ſua ſolicitudine. Pariſ.
* Januario. Pariſ.

## XXIII. AD MAURENTIUM MAGISTRUM MILITUM.

De ſellis plectilibus dirigendis.

*Gregorius Maurentio magiſtro militum.*

COgnoſcat gloria veſtra mandaſſe nos Anthemio ſubdiacono, ut aliquantas ſellas plectiles nobis dirigere ſtudeat. Aut ſi factas non invenerit, ipſum apud ſe artificem tollat, ut in domo ipſius debeat laborare, & vel xxiv. ſellas omnino bonas faciat. Et ideo quia omnino nobis ſunt neceſſariæ, gloria veſtra, ut hoc fieri poſſit, provideat. Et ſi forte vos jam aliquas conquiſiſtis, nobis eas tranſmittite. Sed & Juliano viro clariſſimo majori excellentiæ veſtræ, aut ſi quis alter habuerit, eas nobis mittere procuret. Ita ergo gloria veſtra faciat, ut hæc quæ ſcripſimus ſolicitudinis veſtræ debeant modis omnibus inſtantia procurari.

A

## XXIV. AD AROGEM.

De trabibus in eccleſiis ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli.

*Gregorius* * *Arogi duci*.

* Arichi Beneventano duci, de quo Paulus Diac. IV. 6

QUia ſic de gloria veſtra ſicut revera de filio noſtro confidimus, petere aliqua a nobis fiducialiter provocamur, arbitrantes quod minime nos patiamini contriſtari, maxime in tali re, unde anima veſtra multum poterit adjuvari. Indicamus autem propter eccleſias B. Petri & Pauli aliquantas nobis trabes neceſſarias eſſe, & ideo Sabino Subdiacono noſtro B injunximus, ut de partibus * Britannorum aliquantas incidere, & uſque ad mare in locum aptum trahere debeat. Et quia in hac re ſolatiis indiget, ſalutantes gloriam veſtram, paterna caritate petimus, ut actionariis veſtris qui in illo loco ſunt deputetis, ut homines qui ſub eis ſunt cum bobus ſuis in ejus tranſmittere debeant ſolatium, quatenus vobis concurrentibus melius quod ei injunximus poſſit perficere. Nos enim promittimus quia dum res perfecta fuerit, dignum vobis xenium, quod non ſit injurioſum, tranſmittemus. Nam ſcimus nos conſiderare, & filiis noſtris qui bonam voluntatem exhibent reſpondere. Unde iterum petimus, glorioſiſſime fili, ut ita C facere debeatis, ut & nos vobis poſſimus eſſe de præſtito beneficio debitores, & vos mercedem pro ſanctorum eccleſiis habeatis.

* Rectius Bruttiorum, ut probat Baronius annal. tom 8. ad annum 601 ita in Pariſ.

## XXV. AD MAURENTIUM MAGISTRUM MILITUM.

De trabibus in eccleſia ſancti Petri neceſſariis.

*Gregorius Maurentio magiſtro militum*.

PRopterea quod in eccleſiis beatorum Petri & Pauli trabes ſunt neceſſariæ, omnino D Sabino ſubdiacono injunximus, ut aliquantas de partibus * Britannorum incidere, & ad locum unde huc per mare duci poſſint, trahere debeat. Sed quoniam ſolus hoc facere non aſſurgit, Arogi ſcripſimus, ut homines qui ſub eo, cum bobus ſuis, in ejus deputet ire ſolatiis; promittentes quia dum res perfecta fuerit, dignum ei xenium tranſmittemus. Gloria ergo veſtra epiſtolam noſtram ad eum ſub urbana perſona ſtudeat ſub celeritate tranſmittere, quæ ei hoc quod ſcripſimus deferat, ut antedictus ſubdiaconus voluntatem ipſius poſſit agnoſcere. Si vero navigii proſperitate inventa diſceſſerit, cuncta ei gloria veſtra per E ſuas epiſtolas innoteſcat, ut ſciat quid agere debeat: ſed & nobis ſimiliter quæ acta fuerint indicate.

* Bruttiorum ita & in Pariſ.

## XXVI. AD GREGORIUM EXPRÆFECTUM.

De trabibus in eccleſiis ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli.

*Gregorius Gregorio expræfecto*.

SCientes quanta erga beatorum Petri & Pauli eccleſias in gloriæ veſtræ mente maneat dilectio, veſtrum nobis poſt Deum adjutorium ſcriptis decurrentibus adhibere neceſſario procuramus, confidentes vos facile & devote quidquid pro earum utilitate cognoſcitis impartire, quibus gloriam veſtram etiam ſponte non dubitamus velle præſtare. Et ideo quia in prædictis eccleſiis trabes omnino ſunt neceſſariæ, atque Sabino ſubdiacono, ut interim uſque ad viginti incidere feſtinet, & ad mare trahere debeat injunximus; paterno ſalutantes affectu petimus, ut gloria veſtra de poſſeſſionibus quas illic in emphytheoſim habet, hac in re homines cum bobus ſuis faciat præbere ſolatia: quatenus & ipſe veſtra opitulatione ſuffultus, ad ea explenda quæ ſibi injuncta ſunt poſſit eſſe idoneus, & vos mercedem valeatis acquirere. Ita ergo, ſicut diximus, & ut de vobis confidimus, agite, glorioſe fili, ut & vobis gratias referamus, & beatos apoſtolorum principes pro amore & devotione veſtra, quam eorum eccleſiis exhibetis, habeatis in omnibus adjutores.

## XXVII. AD STEPHANUM EPISCOPUM.

De trabibus conducendis.

*Gregorius* * *Stephano epiſcopo*.

* Vercello.

QUamvis fraternitatem veſtram officii ſui qualitas pro eccleſiarum utilitatibus ultro ſolatiari commoneat; non tamen ab re eſt, ſi illud ex abundanti noſtra hortemur epiſtola, quod facere vos convenit prona voluntate. Proinde in eccleſiis beatorum Petri & Pauli trabes valde neceſſarias fraternitati veſtræ duximus indicandum. Et quoniam Sabino ſubdiacono ut aliquantas incidere, & uſque ad mare trahere debeat, unde huc adduci valeant, injunximus, atque in ea re manifeſtum eſt eum opus habere ſolatiis; ſanctitas veſtra, ut oportuerit, ei toto ſtudio totaque intentione opem ferre ſtudeat, ac in ejus ſolatio boves homineſque tranſmittat, ut nullam excuſationem inveniat, ſed quæ ei præcipimus vobis opitulantibus implere ſufficiat. Ita ergo fraternitas veſtra faciat, ut ei ſe quantum valeat impendat. Nam quantum prædicti ſubdiaconi culpa eſt, ſi vobis concurrentibus piger extiterit, tanto culpabilius erit & gravius, ſi qua ſe occaſione fraternitas veſtra aut excuſare, aut indevotam, quod non credimus, monſtrare voluerit. Debes autem ſcire hanc fraternitati tuæ vehementer incumbere, cujus eccleſiæ trabes olim cultu proprio conſueveras procurare.

XXVIII.

## XXVIII. AD ROMANUM

### DEFENSOREM.

De filiis Petri defenſoris extra maſſam in qua nati ſunt non jungendis.

*Gregorius Romano defenſori.*

PEtrus quem defenſorem fecimus, quia de maſſa juris eccleſiæ noſtræ quæ Vitelas dicitur oriundus ſit, experientiæ tuæ bene eſt cognitum. Et ideo quia ita circa eum benigni debemus exiſtere, ut tamen eccleſiæ utilitas non lædatur; hac tibi præceptione mandamus, ut eum diſtricte debeas commonere, ne filios ſuos quolibet ingenio vel excuſatione foris alicubi in conjugio ſociare præſumat, ſed in ea maſſa cui lege & conditione ligati ſunt ſocientur. In qua re etiam & tuam omnino neceſſe eſt experientiam eſſe ſollicitam, atque eos terrere, ut qualibet occaſione de poſſeſſione, cui oriundo ſubjecti ſunt exire non debeant. Nam ſi quis eorum exinde, quod non credimus, exire præſumpſerit, certum illi ſit quia noſter conſenſus nunquam illi aderit, ut foris de maſſa in qua nati ſunt, aut habitare, aut debeant ſociari, ſed & ſuperſcribi terram eorum. Atque tunc ſciatis vos non leve periculum ſuſtinere, ſi vobis negligentibus quiſquam ipſorum quidquam de iis quæ prohibemus facere qualibet ſorte tentaverit.

## XXIX. AD MAURENTIUM MAGISTRUM

### MILITUM.

De filio Domitii relaxando.

*Gregorius Maurentio magiſtro militum.*

PEtiit Domitius vir magnificus ut veſtræ gloriæ ſcribere deberemus, quatenus navigantibus aliis, & filio ſuo ſimiliter eſſet licentia navigandi. Et quamvis de gloria veſtra certi ſumus quia nihil quod indiſcretum eſt faciat, ſed omnia ſapienter intendat: hortamur tamen ut ſi alii relaxantur, ille non debeat retineri, ne forſitan non ex ratione, ſed ſola fratrum inimicitia retineri videatur. Vos tamen qui præſentes eſtis, æquitatis conſideratione generalem etiam utilitatem attendentes, melius quid expediat poteſtis advertere.

## XXX. AD QUERTINUM

### EXPRÆFECTUM.

De Bonito viro glorioſo, qui præfecturæ adminiſtrationem expetebat.

*Gregorius Quertino expræfecto.*

EPiſtolam * gratiæ veſtræ ſuſcepimus, in qua ſcripſiſtis, ut pro * religioſo Bonito filio noſtro agere debeamus, quatenus præfecturæ illi adminiſtratio committatur. Equidem nos eumdem filium noſtrum non modo, ſed multi ſunt anni quod novimus, & idcirco

* gloria. Paris.

* glorioſo. Paris.

A concurrere illi per omnia feſtinamus, ſed non illa re de qua amaritudines poſſit & tribulationes aſſumere. Nam adminiſtratio ipſa uni priori ipſius & alteri minori ipſius oblata eſt, & miſcere ſe nullo modo voluerunt, ſcientes omnino grave eſſe, & præſertim hoc tempore hanc adminiſtrationem ſuſcipere. Si ergo illis grave fuerit, quanto magis iſti debet eſſe difficile, qui nobis in actione eſt? Additur quia inutile & valde laborioſum eſt, hominem literatum ratiociniorum cauſſas aſſumere, & in eis ſe, quod non expedit, obligare. Super hæc autem res illa nos revocat: quia nullum de hac actione bene exiſſe recolimus, niſi gloriam veſtram, de quo omnipo-
B tentem dominum petimus, ut eam uſque ad finem continua protectione cuſtodiat. Et ideo hoc conſiderantes, in ejus læſione miſcere nos nolumus. Nam quod modo putatur utile, certum eſt quia poſtmodum plenum laboris erit atque diſpendii. Si autem ſic utilitatibus ſuis æſtimat oportere, & vult agere ut hæc adminiſtratio ſibi committatur, nos contrarii non ſumus, ſed etiam modo futuris tribulationibus ipſius condolemus: quia quid paſſurus ſit, exemplo præcedentium non neſcimus.

## XXXI. *Promiſſio cujuſdam epiſcopi hæreſim ſuam anathematizantis, quam ſolvi fecit in nomine domini imperator Conſtantinopoli, ſub die de-*
C *cimo menſis Februarii, indictione* v.

QUotiens cordis oculus nube erroris obductus, ſupernæ illuſtrationis lumine fit ſerenus, magna cautela nitendum eſt, ne latenter auctor ſchiſmatis irruat, & ab unitatis radice eos qui ad eam reverſi fuerant, telo iterum erroris abſcindat. Et ideo ego ille civitatis illius epiſcopus, comperto diviſionis laqueo quo tenebar, diutina mecum cogitatione pertractans, prona & ſpontanea voluntate ad unitatem ſedis apoſtolicæ, divina gratia duce, reverſus ſum. Et ne non pura mente, ſeu ſimulate reverſus exiſtimer, ſub mei ordinis caſu ſpondeo, & anathematis obliga-
D tione, atque promitto tibi, & per te ſancto Petro apoſtolorum principi, atque ejus vicario beatiſſimo Gregorio, vel ſucceſſoribus ipſius, me nunquam quorumlibet ſuaſionibus vel quocumque alio modo ad ſchiſma, de quo redemptoris noſtri miſericordia liberante ereptus ſum, reverſurum, ſed ſemper me in unitate ſanctæ eccleſiæ catholicæ & communione Romani pontificis per omnia permanſurum. Unde jurans dico per Deum omnipotentem, & hæc ſancta quatuor evangelia, quæ in manibus meis teneo, & ſalutem * gentium atque illuſtrium dominorum noſtrorum rempublicam gubernantium, me in unitate, ſicut dixi, eccleſiæ catholicæ, ad quam Deo
E propitio ſum reverſus, & communione Romani pontificis ſemper & ſine dubio permanere. Quod ſi, quod abſit, aliqua excuſatione vel argumento ab hac me unitate diviſero, perjurii reatum incurrens, æternæ pœnæ obligatus inveniar, & cum auctore ſchiſmatis habeam in futuro ſæculo portionem. Hanc autem confeſſionis promiſſioniſque meæ chartulam notario meo cum conſenſu presbyterorum & diaconorum atque clericorum, qui me in hac unitate obligantes in ſupraſcriptis omnibus prona ſimul voluntate ſecuti atque propriis mani-

* gentiumque illuſtrium. Paris.

manibus ſubſcripturi ſunt, ſcribendam dictavi, & propria manu ſubſcribens tibi tradidi. Acta in loco illo, die & conſulibus ſuprascriptis: *Subſcriptio epiſcopi illius*. Ego ille epiſcopus civitatis illius huic confeſſioni promiſſionique meæ præſtito de conſervandis ſupraſcriptis omnibus ſacramento ſubſcripſi.

## XXXII. AD COLUMBUM EPISCOPUM NUMIDIÆ.

De perverſitate Paulini Regenſis epiſcopi, qui in ſuum clerum exceſſerat, & per ſimoniam ſubditos ordinabat.

*Gregorius Columbo epiſcopo Numidiæ.*

QUia bene olim nobis eſt cognitum fraternitatem tuam ſacerdotali gravitate & zelo eſſe eccleſiaſtico decoratam, ſatis oportere proſpeximus, ut intereſſe ad cognoſcenda ea quæ correptionis indigent debeat, ne ſi fuerint diſſimulatione poſtpoſita, licitum eſſe ſibi creat quiſque quod poteſt. Qualiter autem fratrem noſtrum Paulinum * Regenſis civitatis epiſcopum clerus ſuus, vel hi qui in ſacro ſunt ordine conſtituti, in ſe perhibeant corporaliter exceſſiſſe, audire non indiges; quippe quia priuſquam hæc ad nos querela pertingeret, tibi jam factum eſt, ſicut eis aſſerentibus didicimus, manifeſtum. Et quoniam præpoſitis in ſubjectorum pœnam * eſſe non debet ſæviendi, Victori fratri & coepiſcopo noſtro, qui primatus inter vos locum ten[...]ravimus ſcribendum, ut una cum tua fraternitate vel cum aliis fratribus & coepiſcopis noſtris quos adhibere proſpexeritis, inter memoratum fratrem conſacerdotemque noſtrum & clerum ipſius cauſſa ſubtili debeat inveſtigatione cognoſci. Et ideo dilectio tua immineat atque ſolicitudinem gerat, ut ea quæ ad nos perlata ſunt, inaudita non tranſeant, ne diſcordia in eccleſia, unde magnopere pellenda eſt, nutriatur. Et ſi quidem contra eum clericorum ſuorum vera querela eſt, culpam ſuam, quam ſponte emendare deſpexit, in eccleſiaſtici vigoris diffinitione cognoſcat, ut & de præſenti ſentiat quam ſit grave quod fecit, & diſcat de futuro nil ſe plus agere poſſe quam licet. Præ omnibus igitur hortamur, ut zelum quem propter Deum habere te novimus, ardentius ſtudeas exercere. Et quia memoratus frater noſter Paulinus eccleſiaſticos ordines per ſimoniacam dare hæreſim, quod auditu nefas eſt, dicitur: una cum antedicto primate vel aliis ſubtilius hoc & cum omni tibi diligentia ſit curæ perquirere. Et ſi ita, quod abſit, inventum fuerit, ſtudendum atque agendum eſt, ut & eum qui præmium accipere, & eum qui dare non metuit, canonicæ ultionis ſententia feriat; quatenus horum emendatio multorum poſſit eſſe correptio. E priuſquam hæc radix mortifera convaleſcat, & plures interimat, totius concilii diffinitione damnetur, ut nullus unquam pro quovis ordine accipere, nullus dare aliquid audeat, nec quiſquam ex gratia, ſed promoveatur ex merito: ne & ordo eccleſiaſticus confundatur, & ſit probitas vitæ deſpecta, ſi præmium meriti indignus acceperit. Hilaro autem chartulario noſtro injunximus

A ut ſi cauſſa popoſcerit, cognitioni veſtræ intereſſe non renuat. Si ergo neceſſarium fuerit, veſtris illum apicibus, ut illuc venire debeat facite certiorem; quatenus ſimul cum ipſo tractantes, melius decernere quæ ſtatuenda ſunt debeatis.

## XXXIII. AD VICTOREM EPISCOPUM PANORMITANUM.

De querela adverſus Paulinum epiſcopum.

*Gregorius Victori epiſcopo * Panormitano.*

B QUanto lætitiæ nobis eſt fratres noſtros cognoſcere erga filios ſuos paterna caritate decenter eſſe ſolicitos, tanto triſtitiæ deputamus, quando eos ab illicitis nec aliorum fratrum reverentia nec ſacerdotii prævalet conſideratio temperare. Quam igitur gravis & aſpera adverſus fratrem noſtrum Paulinum * Tegenſis civitatis epiſcopum, clericorum ejus, vel eorum qui in ſacro ſunt ordine poſiti, ſit querela fraternitati tuæ liquere non dubium eſt; quia latere te in vicino non potuit, quod ad nos in longinquo pervenit. Et quoniam valde cavendum eſt, ne hoc quod eum fruſtra in ſe corporali injuria queruntur excedere, aut licite præſumatur, aut fiat diſſimulatione deterius; ſic C manifeſti exceſſus canonica ſemper moderatione premendi ſunt, ut una res & præteritorum correptio, & eſſe poſſit regula futurorum. Proinde ſimul cum dilectiſſimo communi fratre Columbo epiſcopo, vel aliis ſacerdotibus, quos prævideris, inter ſupraſcriptum fratrem noſtrum & clericos ipſius cauſſam ſubtili inveſtigatione rimari te convenit. Et ſi ſupplicantium querela veritate ſubſiſtit, ita hoc regulari emendatione corrigite, ut & quam ſit malum quod fecit agnoſcat, & officii ſui terminos diſcat de cetero non exire. Nec loci tui, ſicut dicitur, ab eo poſtponi ordinem patiaris, ne illi deſpectus ſuus ad periculum D & tibi fiat ad culpam. Nam ad perſonam in priori loco poſitam reſpicit quidquid a minore committitur, niſi ſolicite corrigatur. Illud autem quod idem frater noſter Paulinus eccleſiaſticos ordines dare ſub præmio perhibetur, ſubtilius a vobis & omnino diſtricte quærendum eſt. Et ſi ita, quod non optamus, eſſe claruerit, ſic ad ulciſcendum hoc veſter ſe propter Deum zelus accendat, ut & ordinanti avaritia ſua convertatur ad pœnam, & illicita ordinatio effecta carens ambitionis ſuæ deſiderio non fruatur. In qua re hortamur atque præ omnibus admonemus, ut ita fraternitas veſtra ſtudeat eſſe ſolicita, quatenus priuſquam unius vitio ſimoniacæ illic hæreſeos E nequitia convaleſcat, ſententiæ veſtræ falce, facto ex opere concilio, radicitus amputetur. Nam quiſquis ad hoc facinus emendandum officii ſui conſideratione vehementer non arſerit, cum ipſo ſe non dubitet habere portionem, a quo prius hoc piaculare flagitium ſumpſit exordium. Et ideo, ſicut diximus, hinc vigilanter atque ſtudioſe agendum eſt, ut concilium veſtrum, quod nuncuſque ſine hujuſmodi parva opinione Deo cuſtodiente ſervatum eſt, hujus ſceleris venena nec polluere poſſint, nec perdere. Præterea Hilaro chartulario

rio

* Tegeſſis, Tar iſ.
* ſas eſſe Tar iſ.
* deeſt in Tar iſ. Panormitano.
* Tegeſſis. Tar iſ.

rio noſtro præcepimus, ut ſi res exegerit, intereſſe vobiſcum non differat. Unde ſi neceſſe fuerit, veſtris illi ut ad vos venire debeat, epiſtolis indicate, quatenus hæc omnia una cum eo ſalubriter Deo poſſitis adjuvante dirimere.

## XXXIV. AD JOANNEM EPISCOPUM PRIMÆ JUSTINIANÆ.

De Paulo Docleatinæ civitatis epiſcopo lapſo, qui res quoque eccleſiæ deprædatus fuit.

*Gregorius Joanni epiſcopo primæ Juſtinianæ.*

QUando mala quæ pœnitentiæ fletu purganda ſunt augentur exceſſibus, ita major delinquentibus eſt adhibenda correptio, ut & ipſi facinus ſuum ſaltem pœna vindicante cognoſcant, & alios ab illicitis * eccleſiæ ultionis timor inhibeat. Dilectiſſimus itaque lator præſentium Neemeſion ad nos veniens indicavit, ſicut & geſtorum exemplaria quæ huc detulit continebant, Paulum Docleatinæ civitatis epiſcopum inter alia mala in corporale crimen lapſum, a ſuis fuiſſe clericis accuſatum, atque habita cognitione, ita, quod ſine dolore dicere non poſſumus, claruiſſe, atque inſuper, poſtquam convictus eſt etiam eum libellum, in quo ea de quibus accuſatus fuerat vera eſſe confeſſus eſt, obtuliſſe. Qua de re ſententia illum epiſcopali depoſitum, & ejus loco ſe cum fraternitatis veſtræ conſenſu eſſe epiſcopum ordinatum. Sed nunc eumdem Paulum cum auxilio quorumdam ſæcularium judicum venientem epiſcopium more prædonis ingreſſum, ablatiſque violenter rebus eccleſiæ ab eo ſe projectum, ac ad ſummam injuriam ac necem pene perductum. Et quoniam tantæ nequitiæ pravitas nec diſſimulanda nec leviter attendenda eſt, fraternitas veſtra hæc omnia diligenter curet addiſcere, & ſi ita ſe, ut edocti ſumus, veritas habet, prædictum Paulum diſtricta faciat executione compelli, ut quæcumque abſtulit, omni mora vel excuſatione ceſſante reſtituat. Si vero nihil eccleſiæ, ſed ſuum proprium ſe dixerit abſtuliſſe, quamvis grave & iniquum fuerit ut non a vobis vel a metropolitano ejus hoc peteret, ſed temerario auſu manu præſumeret agere; verumtamen ſi quid proprium tulit, ſub fraternitatis veſtræ debet examinatione conſtare ſi verum eſt. Sed & illud diligenter quærendum eſt, ſi quid male de rebus dilapidavit eccleſiæ, ut ex eo quod nunc abſtulit, hoc reformare ac ſatisfacere modis omnibus compellatur. Si autem differre tentaverit, quouſque omne quod dilapidavit, vel de ſubſtantia tulit, eccleſiæ reſtituat, in monaſterium mittendus eſt, ut ſaltem coactus reddat quod male auferre non timuit. Qui ſi forte, quod non credimus, poſt depoſitionem ſuam inverecunde ac mente perverſa aliquid de epiſcopatu loqui, atque rurſus ad hoc qualibet aſpirare præſumptione tentaverit, fraternitatis veſtræ ſe contra improbitatem ipſius omnino vigor accendat, atque dominici corporis ac ſanguinis communione privatum in monaſterium eum uſque ad diem obitus ſui ad agendam curet pœnitentiam retrudendum, quatenus perpetrati ſceleris maculas dignis diſcat fletibus emundare, quas magis in interitu animæ ſuæ nequiter augere deſiderat. Supraſcriptus autem dilectiſſimus frater noſter Neemeſion in loco ſuo & epiſcopatus officio procul dubio reformetur, & ne denuo hac de re inquietudinem ac moleſtiam patiatur, ſolicitos vos eſſe neceſſe eſt, quia hoc non ſolum ad hujus monitionem, verum etiam ad aliorum conſtat emendationem proficere, ut pravorum hominum præſumptio nihil de cetero contra ſacrorum canonum ſtatuta, vel eccleſiaſticam diſciplinam ullo modo audeat attentare.

* eccleſiaſticæ Pariſ.

## XXXV. AD CONSTANTIUM EPISCOPUM SCODRITANUM.

De Pauli Doclealini facinore.

*Gregorius Conſtantio epiſcopo Scodritano.*

QUæ dilectiſſimus nobis lator præſentium Neemeſion, qui ſe dicit * Doclealinæ civitatis eſſe antiſtitem de facinore Pauli Docleatini, ut ipſe aſſerit, quondam epiſcopi queſtus ſit, fraternitati tuæ fuerint ſubtilius indicanda, niſi ſcire te omnia teſtaretur: quippe quem & compaſſum ſibi, & voluiſſe ſubvenire * perhibet, ſed minime potuiſſe. Et quia * viſa tanti cauſſa flagitii negligi, vel * tranſiri non debet impunita, ne ejus imitatione ſceleſta ab aliis, quod abſit, ſumatur audacia; fraternitas tua exemplaria ſcriptorum his ſubdita, quæ ad reverendiſſimum fratrem noſtrum Joannem primæ Juſtinianæ civitatis epiſcopum ſervantem vices noſtras direximus, diligentius relegat. Et ſi ſecundum eorum ſeriem explere ſe cuncta poſſe cognoſcit, ea quæ illi mandavimus, ipſe omnia ex noſtra auctoritate exequatur & faciat. Si vero hoc tibi quibuſdam forte adverſantibus obſtaculis vides eſſe difficile, ſtudendum eſt, ut eadem ſcripta noſtra ad antedictum fratrem noſtrum ſine excuſatione perveniant. Cui etiam & te convenit imminere, ut ea quæ ei a nobis mandata ſunt, diſtrictius exequi, & nulla debeant occaſione lentari: ſed ita quæ nequiter acta ſunt emendatione congrua corrigantur, quatenus una res & ultio competens delinquentis, & formido ſit aliis in eodem ordine conſtitutis.

* Docleal. ... ita in Pariſ.
* ſed perhibet minime Pariſ.
* viſa deeſt in Pariſ.
* tranſire

## XXXVI. AD EPISCOPOS CONCILII BYZACENI:

Ut de Clementii primatis eorum cauſſa diligenter inquirant.

*Gregorius univerſis epiſcopis concilii Byzacii.*

SIcut laudabile diſcretumque eſt reverentiam & honorem debitum exhibere prioribus, ita rectitudinis & Dei timoris eſt, ſi qua in eis correctione indigent, nulla diſſimulatione poſtponere; ne totum, quod abſit, corpus incipiat morbus invadere, ſi languor non fuerit curatus in capite. Ante multum ſiquidem temporis quædam ad nos de fratre noſtro * Clementino primate veſtro perlata ſunt, quæ

* Crementino Pariſ.

cor

cor noſtrum non modico mærore transfixerunt. Sed prementibus diverſis tribulationibus, & maxime circumſævientibus hoſtibus, ea nobis non fuit ſpatium requirendi. Et quoniam ita ſunt gravia, ut tranſire indiſcuſſa nullo modo debeant, fraternitatem veſtram his hortamur affatibus, ut cum omni ſolicitudine ac vivacitate veritatis indagare ſubſtantiam multis modis debeatis, ut aut, ſi ita ſunt ut audita ſunt, ultione canonica reſecentur; aut ſi falſa, fratris noſtri innocentia diu ſub nefandæ opinionis dilaceratione non jaceat. Unde ne quis deſidiæ torpor in requiſitione ſit, admonemus ut non cujuſquam perſonæ gratia, non favor, non blandimenta, vel quodlibet aliud quemquam veſtrum vel ad diſcutiendum quæ nobis nuntiata ſunt molliat, vel a tramite veritatis excutiat: ſed ſacerdotaliter ad inveſtigandam vos propter Deum veritatem accingite. Nam ſi quis in hoc aut pigrum ſe aut negligentem præſumpſerit exhibere, dictis criminibus apud omnipotentem dominum ſe noverit eſſe participem, cujus zelo ad perſcrutandas ſubtiliter nefandi cauſſas facinoris non movetur.

## XXXVII. AD FIRMINUM EPISCOPUM

### ISTRIÆ.

De converſione ejus ad ſanctam eccleſiam catholicam.

*Gregorius Firmino epiſcopo Iſtriæ.*

QUem redemptor noſter de ſervorum ſuorum numero perire non patitur, ita miſericordiæ ſuæ inſpiratione cor ejus illuſtrat, ut deſerto erroris obſcuro, ad cognitionem lucis & viam redeat veritatis. Unde ſuſcepta, cariſſime, fraternitatis tuæ epiſtola, magna in domino exultatione gaudemus, quod divina te gratia ad unitatem eccleſiæ, a qua pertinacium & imperitorum hominum * inſtinctu disjunctus fueras, revocavit. Sed quia quanto antiquus hoſtis ſuperatum ſe conſpicit, tanto inſidiari acrius non quieſcit; omnino ſolicitum vigilantemque te eſſe convenit, atque ſcutum conſtantiæ contra jacula ipſius præparare, ut illiſa frangantur, & vim interius penetrandi non habeant. Nulla ergo te, cariſſime frater, rerum deſideria, nulli terrores, nulla blandimenta, nullæ ſeductiones, quæ venenatis verborum ſagittis animas * inficiunt, a reverſionis tuæ fervore te molliant, aut retro redire compellant: ne qui fortem ſuperaveras, * gravius forti ſupereris, & captivus, quod abſit, poſt victoriam tenearis; ſed magis ut mater eccleſia per totum, Deo propitio, orbem diffuſa ad ſuum te rediiſſe gremium non inertem agnoſcat ſtudioſiſſime tibi vigilandum ac laborandum eſt, ut tecum poſſis & alios revocare; quatenus damna quæ tuæ averſionis exemplo commiſeras, non ſolum reverſionis bono reſarcias, ſed etiam lucrum exhibeas, ut & ad promerendam præteritorum veniam, & futurorum præmia capeſſenda, plus domino tuo videaris revocaſſe quam tuleras. Nobis ergo omnino curæ erit de fraternitatis tuæ quiete, ut dignum eſt, cogitare: quia poſtquam nobiſcum jam Deo protegente unus es, non aliter utilitates tuas quam noſtras attendimus. Aliqua vero nobis de neceſſitatibus veſtris Joannes ſubdiaconus ſcripſit, ſed credimus de Dei noſtri potentia, quia ſanctus Petrus, ad quem reverſi eſtis, vos deſerere non habet. Modo autem de benedictione ejuſdem ſancti Petri tranſmiſimus fraternitati veſtræ paraturam unam, quam vos neceſſe eſt cum ea caritate qua a nobis eſt tranſmiſſa ſuſcipere.

* inſtinctione. Pariſ.

* ferlunt. Pariſ.

* graviter ſupereris. Pariſ.

*Menſe Maii, indictione quinta.*

## XXXVIII. AD CIRIDANUM.

De cura ſitonici.

*Gregorius Ciridano.*

GLoriæ veſtræ dudum ſcripta ſuſcepimus, in quibus indicaſtis ſolicitudini veſtræ ſereniſſimorum principum juſſione cura ſitonici fuiſſe mandatam, atque præceptum eſſe ut omnis tritici quantitas quæ in horreis noſtræ eccleſiæ ſuſcepta fuerat, vobis tradi per omnia debuiſſet, & ſcripſiſtis, ut hoc ipſum parare in ſpecie faceremus. Quod quidem quia veſtrum, cujus ad nos quidem bona tanta perlata ſunt, non fuerit, novimus: & ſcitis quam durum quamque omnino difficile ſit, ut res quæ nec ſervari, nec eo tempore ad emendum poterat inveniri, in ſpecie reſtitui peteretur. Verumtamen, ut exui ab hujus rei ſolicitudine valeremus, ſtudii noſtri fuit, ut etſi cum majori diſpendio omnino frumenta ipſa, ſicut voluiſtis, in ſpecie faceremus præparari. Poſt vero per latorem præſentium Eutychium virum magnificum, qui ſe illuſtrem præfectum eſſe commemorat, aliam nobis epiſtolam tranſmiſiſtis, ut quæ ſumma ejuſdem ſitonici ab horreariis eccleſiæ ſit ſuſcepta prodi inter acta publica debuiſſet. Et ideo ne per occaſionem eccleſiæ quædam cuiquam naſci videatur occaſio, ſeu excuſatio, & quantitatem, ſicut ſcripſiſtis defenſores eccleſiæ prodiderunt, & quæ putaverunt utilia, petiverunt. Quod gloria veſtra diligenter ſoliciteque pertractet, & verba eorum non negligat. Nam quidquid poſt hæc in prædicti ſitonici ſpecie damni contigerit, amplius jam ad eccleſiæ diſpendium ſciatis nullo modo pertinere: quia nec habitatores civitatis iſtius, afflicti revera homines, prædictum ſitonicum in ſuo ſe aſſerunt detrimento poſſe ſuſcipere. Hæc igitur omnia gloria veſtra cognoſcens, ita de his quæ ſibi ſunt commiſſa ſtudeat cogitare, ut & utilitatem publicam faciat, & hujus operis pondus eccleſiæ noſtræ denuo ad gravamen pauperum non incumbat.

## XXXIX. AD DESIDERIUM EPISCOPUM.

De Pancratio ipſius clerico, ne illum revocet a monaſtica converſatione, quam appetiit.

*Gregorius Deſiderio epiſcopo in Gallia.*

PAncratius lator præſentium, ut aſſerit, diaconus apoſtolorum ſe liminibus repræſentans, a nobis noſcitur petiiſſe, ut eum fraternitati veſtræ deberemus ſpecialiter commendare. Intimavit etiam nobis, quod in clericatus officio veſtræ ſit eccleſiæ mancipatus. Unde

Unde divini motus inſpiratione compunctus, A gratiam monaſticæ converſationis appetiit, illicque in eodem quem ſumpſit habitu deſiderans permanere, etiam diaconum ſe ejuſdem monaſterii factum eſſe commemorat. De cujus loci ſervitio avelli nulla patitur ratione. Nunc, quantum aſſerit, fraternitas veſtra, non quidem impedimentis intentum, ſed affectu benevolentiæ in officium eum ſuæ vult revocare eccletiæ. Hortamur igitur, ut tam promptæ devotionis ejus, quam in ſancto ſtudet habere propoſito, minime veſtra ſit impedimento fraternitas. Magis autem quibus valetis adhortationibus paſtorali admonitione ſuccendite, ut fervor hujus deſiderii in eo non tepeſcat; ut qui a turbulento curarum ſæcu- B larium tumultu ſe ſegregans quietis deſiderio portum monaſterii appetiit, rurſum in eccleſiaſticarum curarum non debeat perturbationibus implicari, ſed in Dei laudibus permittatur ſecure ab his omnibus remanere ut poſtulat.

## XL. AD BONITUM DEFENSOREM.

De mancipio Furtunati abbatis.

*Gregorius Bonito defenſori.*

FIlius noſter Fortunatus abbas monaſterii ſancti * Severini, quod in hac urbe Ro- C mana ſitum eſt, latores præſentium monachos ſuos illic pro recolligendis mancipiis juris ſui monaſterii, quæ illic latitare dicuntur, dirigens petiit ut experientiæ tuæ ei debeant adeſſe ſolatia. Epropter præſenti tibi auctoritate præcipimus, ut eis in omnibus ſalva ratione concurrere ac opitulari feſtines; quatenus te illic coram poſito, atque in hac cauſſa ferente ſolatia, ſalubriter hæc citius valeant quæ ſibi injuncta ſunt ad effectum Deo auctore perducere.

* Hemeterii.

## XLI. AD ROMANUM DEFENSOREM &c.

Romanum cum hominibus ſuis commendat. D

*Gregorius Romano defenſori, Anthemio ſubdiacono, & Savino ſubdiacono.*

EA quæ ſponte præbere nos convenit, petiti negare non poſſumus. Et ideo quia glorioſus filius noſter Romanus exprætore poſſeſſiones ſuas & homines qui in illis ſunt partibus veſtræ voluit experientiæ commendari; hac vobis præceptione mandamus, ut poſſeſſiones hominesque ipſius ſervata æquitate tueri non deſinatis, atque ita in omnibus cauſſis utilitatibuſque ipſius concurrere ac ſolatiari ſtudeatis, quatenus & ille ſe hac adjutum commendatione cognoſcat, & vos E ſalubriter injuncta exhibuiſſe comprobemini.

## XLII. AD DEODATUM EPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

De Luminoſa ancilla Dei, & teſtamento Conſtantii fratris.

*Gregorius * Deodato epiſcopo Mediolanenſi.*

* Deuſdedit

NUlli dubium eſt, quia ſicut ſacerdotibus res in epiſcopatu acquiſitas nulla eſt alienandi licentia, ita de eis quas ante habuerint quidquid judicare voluerint non vetantur. Itaque fraternitatem veſtram tempore quo * ad nos fuit queſtam eſſe recolimus, quod quædam immobilia quæ Conſtantius deceſſor veſter Luminoſæ ancillæ Dei filiæ fratris ſui teſtamenti ſerie legati titulo dereliquit, jam epiſcopus acquiſiſſet, decreviſſetque nos ut ſi hoc conſtaret, nullum ex his eccleſia veſtra præjudicium pateretur. Quod & vos oportet recolere, & moleſtiam aliquam prædictæ ancillæ Dei non facere, nec ei ſine cognitione de his quæ poſſidet quidquam auferre. Sed ſi hoc eccleſiæ veſtræ actores probari poſſe confidunt, veſtris nobis epiſtolis indicate, ut qualiter hoc ipſum conſtare debeat diſponamus; dummodo cognita veritate, nec eccleſia veſtra pati præjudicum, nec illa injuſte videatur affligi: quia, quantum aliqui perhibent, hoc ſupradictus deceſſor veſter non in epiſcopatu, ſed dum adhuc eſſet diaconus acquiſivit. Unde neceſſe eſt, ut, ſicut diximus, facta probatione debeat conſtare quod verum eſt. Eamdem vero ancillam Dei fraternitati veſtræ commendamus, ut a nullo eam patiatur gravari vel opprimi; ne ſi inquietata fuerit, ex hujus cauſſæ occaſione hoc pati quod non decet exiſtimetur. Et ideo ſi quid forte fuerit quod debeat emendari, aut a plano adhortationis veſtræ moderamine corrigatur, aut certe nobis ſubtiliter nuntietur; quatenus & vos ab invidia ſitis extranei, & nos quod convenit facere nullatenus omittamus.

* apud

*Menſe * Auguſti, indictione quinta.*

* Majo. Pariſ.

## XLIII. AD FANTINUM DEFENSOREM.

De capitibus equarum Florentino dandis.

*Gregorius Fantino defenſori.*

EXperientiam tuam jam credimus cognoviſſe, dilectiſſimum filium noſtrum Servumdei diaconum heredem ſanctam Romanam eccleſiam, cui Deo auctore deſervimus, reliquiſſe. Et quia legati titulo quatuor equarum capita Luminoſæ ancillæ Dei proximæ ſuæ dari conſtituit, atque nos, petente dilectiſſimo filio noſtro Florentino diacono, xenodochio Anichiorum, cui præeſſe dignoſcitur, decem equarum capita cum emiſſario ſuo prævidimus largienda: hac tibi idcirco præceptione mandamus, ut latori præſentium, qui ad hoc illuc ex opere miſſus eſt, tam quatuor quæ legata ſunt, quam decem equarum capita, quas xenodochio conceſſimus, de equabus præfati quidem diaconi, ſimul & emiſſarium ſine aliqua debeas excuſatione vel mora contradere.

XLIV.

## XLIV. AD GENNADIUM.

Droculſum de hoſtibus reverſum commendat.

*Gregorius Gennadio patricio Africæ.*

Hanc epiſtolam indict. IX. ſcriptam cenſent Benedictini.

DRoculſus præſentium portitor de hoſtibus ad rempublicam veniens, opinionis veſtræ, quæ longe lateque diffuſa eſt, bono ſuccenſus, ad excellentiæ veſtræ obſequia ſummo deſiderio feſtinavit occurrere. Et quoniam noſtra ſe apud vos poſcit epiſtola commendari, paterna dulcedine ſalutantes, petimus ut eum, ſicut Deus vobis in cor miſerit ac utile fuerit, excellentia veſtra ordinare dignetur, quatenus bona quæ de vobis etiam poſitus adhuc inter hoſtes audivit, in ſe valeat experiri, & excellentiæ veſtræ ejus quoque ante omnipotentis Dei oculos inter ceteras merces accreſcat.

## XLV. AD VENANTIUM.

Aſſerit ſe propter ægritudinem facta Samſonis allegorice exponere non poſſe.

*Gregorius Venantio patritio Panormitano.*

DEſideratiſſimæ excellentiæ veſtræ ſcripta ſuſcepi, in quibus tantum de abſentis collocutione gaviſus ſum, quantum ipſum qui locutus eſt ſemper mihi cupio eſſe præſentem. Vultis ergo ut quædam de Samſonis factis allegorice diſſerantur: ſed tanta mihi debilitas corporis accedit, ut ſi qua ſubire valuerim, exercere animus non aſſurgat. Bono autem deſiderio veſtro congaudeo: quia dum expoſitionem ſacrorum verborum cupitis, quam ſtricte ipſum auctorem eorumdem verborum quærere demonſtratis. Si igitur vires ſalutis recepero, auctore omnipotente domino veſtris deſideriis parebo. Oro autem ut in cunctis actibus veſtris gratia vos ſuperna cuſtodiat, quatenus in bono opere & aſpirando vos repleat, & adjuvando confortet.

## XLVI. AD PANTALEONEM NOTARIUM.

De argento eccleſiarum ſecum deferendo.

*Gregorius Pantaleoni notario.*

EXpectabamus ut nos experientia tua de argento eccleſiarum vel aliis quas invenit rebus omnino ſubtiliter redderet certiores, ut ex ejus renuntiatione quod fieri debuiſſet deliberare minutius potuiſſemus. Sed non nos ita renuntiatio tua ut oportebat inſtruxit. Curæ ergo tuæ ſit, ut argentum eccleſiarum, quod clerus & populus habet, apud quos præviderìs, in cimeliarchio eccleſiæ ſub omni ſolicitudine atque cautela deponas, atque de eodem depoſito deſuſceptum accipias. Argentum vero eccleſiarum, quod pro peccatis a clero & populo deſtitutum eſt, tecum huc defer. Si forte tres aut quatuor clericos de ipſis eccleſiis cognoveris remanſiſſe, facta notitia, quis, quomodo eſt, vel ubi habitat, nobis defer: ut eis, ſi neceſſarium viderimus, quid ſingulis annis accipere debeant, ſtatuere valeamus. Res vero quæ vetuſtate perire poſſunt, tecum ſimiliter defer, ut ex eis quod utile viſum fuerit diſponatur. Tu autem protegente domino inventa navigii proſperitate revertere.

## XLVII. AD ROMANUM DEFENSOREM.

De præſumptione tonſuratorum in Sicilia, qui nomen defenſorum temere uſurpabant.

*Gregorius Romano defenſori.* *

* transfertur in Pariſ. ad indict. II.

PErvenit ad nos quod tonſuratores in Sicilia prava ſibi præſumptione nomen defenſorum ſumerent, atque eos non ſolum utilitatibus eccleſiaſticis non eſſe utiles, ſed etiam hac occaſione multa indiſciplinata committere. Proinde experientiæ tuæ præſenti auctoritate præcipimus ut hoc diligenter inquirat. Et ſi quos ſibi, præter eos qui hujus rei epiſtolas habent, hoc denuo nomen uſurpare repererit, diſtricta illud emendatione compeſcat. Si vero quoſdam ſtrenuos ac fideles in eccleſiaſticis negotiis eſſe probaveris, ſubtiliter nobis de eis te renuntiare neceſſe eſt, ut utrum digni ſint epiſtola judicemus. Præterea a Fortunato de iis quæ geſſit rationes ſubtiliter perſcrutari te volumus, & ſatisfactis omnibus quæ debere conſtiterit, eum per patrimonium vel actionem aliquam eccleſiæ noſtræ tranſire ulterius non permittas; quia ita ſe, quantum ad nos pervenit, exhibuit, ut commune aliquid deinceps cum noſtris habere non debeat. Præterea nuntiatum eſt nobis, * Martianum quemdam, qui nomen ſibi defenſoris aſſumpſit, fratri & coepiſcopo noſtro Joanni, cui curam patrimonii noſtri commiſeramus, exhibere obedientiam diſtuliſſe. Require ergo, & ſi verum eſt, exilio tranſmittatur: ut ex cujus eccleſia honoris ſibi falſum nomen arripuit, adminiſtranti utilitates ipſius minime obediſſe impunitum non ſit. Sed & ſi qui ſunt alii ordinationi memorati fratris noſtri inobedientes, diſtricta in eos ultione modis omnibus vindicabis.

* Martinianum.

## XLVIII. AD EUMDEM.

Ut Luminoſum violentiam paſſum eccleſiaſtica tuitione defendat.

*Gregorius Romano defenſori.*

LUminoſus præſentium portitor violentiam ſe uxoremque ſuam a Salluſtio viro clariſſimo aſſerens ſuſtinere, huc neceſſitate eadem faciente venire compulſus eſt. Unde quia ſervum ſanctæ Mariæ, quod eſt parochiæ Grumentinæ, ſe eſſe aſſerit, neceſſe eſt ut eccleſiaſtica tuitione valletur. Experientia itaque tua præfato ſupplici eccleſiaſtica non deſiſtat impartire ſolatia, eumque de quo queritur admonere, quatenus ſe ab eorum inquietudine compeſcat. Sin vero eſt quod ſibi in eis rationabiliter dicat poſſe competere, electorum judicio terminetur, tuaque quidquid definitum fuerit executione modis omnibus impleatur.

XLIX.

## XLIX. AD JOANNEM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

De reditibus eccleſiæ ſuſcipiendis.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

FIlii noſtri Paſchaſius vir magnificus, & Plancho vir clariſſimus conqueſti ſunt nobis ſanctitatem veſtram reditus, qui ſanctæ Romanæ eccleſiæ debentur, non alibi niſi aut in ſuburbano civitatis, aut in maſſa quæ dicitur Gelas, velle percipere. Quod ego non ita actum intelligo, ſicut hi qui murmurant B putant. Scio enim ſapientiam fraternitatis veſtræ; & idcirco vos arbitror ſic talia propoſuiſſe, ut per eamdem propoſitionem quocumque in loco reditus utiles potuiſſetis accipere. Laudo, frater cariſſime, intentionem caritatis tantæ, & vehementer amplector, quia ſic curam eccleſiæ noſtræ agitis, quæ profecto veſtra eſt, ſicut & veſtræ quæ noſtra eſt: tamen nec in ſuburbano, nec de maſſa Gelas filii mei excellentiſſimi Italici & domus Venantii reditus quos promiſerunt ſunt petendi. Sed ſive in Syracuſana, ſive in Panormitana parte dare voluerint, ad hoc ſolum veſtra ſanctitas ſit intenta, ut utiles per omnia reditus accipiat ſecundum promiſſionem pacti vel C cautionis quam miſimus. Ita ergo ſanctitas veſtra provideat, ut nec dilecti filii mei prædicti derelictis ſuburbanis ſibi neceſſariis contriſtentur, nec noſtra Romana eccleſia damnum aliquod vel minorem utilitatem in eorum redituum perceptione ſuſtineat.

## L. AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

De uxore Stephani redimenda.

*Gregorius Anthemio ſubdiacono Campaniæ.*

STephanus præſentium portitor, qui uxorem ſe eccleſiæ noſtræ ancillam habere perhibet, D octo ſe ſolidis ab Accello ſeniore de hoſtibus comparatum innotuit. Et quia ad eorum reſtitutionem ſe inopem eſſe commemorat, experientia tua diligenter inquirat, & ſi ita eſſe cognoverit, nec habere unde ſuum poſſit pretium reddere cum prædicto ſeniore ad quantum potueris ordina, & pretium ei quod tibi ſtatuerit reſtitue: ſecurus quia tempore quo rationes tuas poſiturus adveneris, de captivorum redemptione quod dederis tibi reſtitui faciemus

## LI. AD EUGENIUM DIACONUM. E

De ſervis Dei Bleranæ civitatis.

*Gregorius Eugenio diacono.*

SErvi Dei monaſterii quod in Blerana civitate eſt conſtitutum, de terris ſuggeſſerunt neceſſitatem ſe graviſſimam ſuſtinere. Et quia talibus nos perſonis oportet ferre conſultum, experientiæ tuæ hac auctoritate præcipimus, quatenus appendicem quæ Agellus dicitur, ex corpore maſſæ Gratilianæ cum ſuis finibus eis debeas contradere, quod eis ſalvo jure eccle- A ſiæ noſtræ in trigintaſex annorum ſpatium conceſſimus habere. Sed & terrulam modiorum triginta ex prædicta maſſa, quam pridem a nobis ſibi datam poſſidere noſcuntur, pariter in prædicto annorum ſpatio eos habere concedimus: quatenus tali proviſione congregatio illic conſiſtens hujus rei valeat habere ſolatium. Experientia itaque tua hujus præcepti auctoritate ſuffulta prædictas terras eis tradere non moretur, ut liberiori animo in Dei laudibus valeant permanere.

## LII. AD FELICEM EPISCOPUM PORTUENSEM.

Joannem famulum dat.

*Gregorius Felici epiſcopo Portuenſi.*

CAritatis veſtræ gratia provocati, ne infructuoſi vobis videamur exiſtere, præcipue cum & minus vos habere ſervitia novimus, ideo Joannem juris eccleſiaſtici famulum, natione Sabinum, ex maſſa Flaviana, annorum plus minus decem & octo, quem noſtra voluntate diu jam poſſidetis, fraternitati veſtræ jure directo donamus atque concedimus, ita ut eum habeatis, poſſideatis, atque juri proprietatique veſtræ vindicetis atque defendatis, C & quidquid de eo facere volueritis, quippe ut dominus, ex hujus donationis jure libero potiamini arbitrio. Contra quam munificentiæ noſtræ chartulam, nunquam nos ſucceſſoreſque noſtros noveris eſſe venturos. Hanc autem donationem a notario noſtro perſcriptam legimus atque ſubſcripſimus, tribuentes, etiam non expectata profeſſione veſtra, quo volueritis tempore alligandi licentiam legitima ſtipulatione & ſponſione interpoſita. Actum Romæ.

## LIII. AD VENANTIUM EPISCOPUM PERUSINUM.

D

De Eccleſio epiſcopo frigore laborante.

*Gregorius Venantio epiſcopo Peruſino.*

FRatrem & coepiſcopum noſtrum Eccleſium frigore omnino laborare cognovimus, pro eo quod hiemalem veſtem non habeat. Et quia aliquid ſibi a nobis petiit debere tranſmitti, fraternitati tuæ ad hoc per latorem præſentium tranſmiſimus * amphimaltum tunicam, vel pectoralem, ut a te ei debeat ſine mora tranſmitti. Et ideo ad prædictum fra- E trem noſtrum ſub omni illud celeritate ſtude tranſmittere, atque nobis hoc ipſum quia tranſmiſeris, tuis renuntiare epiſtolis non omittas: ſed ita fac ut ad tranſmittendum, quia vehemens frigus eſt, moram aliquam minime facias.

* amphibalum

## LIV. AD LUCIDUM EPISCOPUM

### LEONTINUM.

Ut ordinet in presbyterum quem Joannes abbas pro ſua congregatione delegerit.

*Gregorius Lucido epiſcopo Leontino.*

FIlius noſter Joannes abbas presbyterum ſibi in monaſterio ſuo ex congregatione eadem petit ordinandum. Itaque fraternitatem veſtram præſenti auctoritate duximus adhortandam, quatenus virum quem vobis de congregatione ſua ad ordinationem presbyterii obtulerit B conſecrandum, de eo, ſicut eſt conſuetudinis, quæque ſunt diſcutienda ſubtiliter perquiras: & ſi nihil in eo repertum fuerit quod ei poſſit obviare, canonice, ſicut moris eſt, conſecres. Nihil ei aliud privilegii concedentes, niſi ut in congregatione ſua, quoties opportunum fuerit, ſacra miſſarum debeat tantummodo celebrare myſteria. *

* Tarif. ad. menic Auguſto indict. V.

## LV. AD EULOGIUM PATRIARCHAM

### ALEXANDRINUM.

De converſione Monophyſitarum. *

*Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino.*

LAtores præſentium Siciliam venientes, a Monophyſitarum errore converſi ſunt, atque ſanctæ univerſali eccleſiæ ſemetipſos adunaverunt. Qui ad beati Petri apoſtolorum principis eccleſiam pervenientes, popoſcerunt a me, ut eos meis epiſtolis veſtræ beatitudini commendare debuiſſem, quatenus ab hæreticis, qui juxta ipſos ſunt poſiti, nullam jam violentiam perpeti permittantur. Et quia unus eorum dicit monaſterium in quo fuit a parentibus ſuis fuiſſe conſtructum, auctoritatem deſiderat a ſanctitate veſtra percipere, ut hi qui in eo ſunt hæretici, aut ad ſinum ſanctæ D eccleſiæ redeant, aut de eodem monaſterio repellantur. Hæc a nobis indicata vobis eſſe ſufficiant: nam de veſtra beatitudine novimus, quia quidquid ad zelum Dei omnipotentis pertinet, cum omni ſacere fervore feſtinet. Pro me vero ut oretis peto: quia inter gladios Longobardorum quos ſuſtineo, podagræ doloribus vehementer affligor.

## LVI. EXEMPLUM CONCESSIONIS

### PALLII.

*Dilectiſſimo fratri Petro Gregorius.*

OMni convenire novimus rationi, ut eos amictu pallii decoremus, quos in illis civitatibus, divina inſpirante miſericordia, ſacerdotii honor illuminat: in quibus hoc jam illis qui præteritis temporibus pontifices fieri meruerunt & ab apoſtolica ſede conſtat eſſe indultum. Ideoque caritati tuæ dum pallii, ſicut deceſſores tui habuiſſe noſcuntur, præſenti auctoritate concedimus, atque ea omnia circa honoris tui privilegium volumus permanere, quæ anterioribus temporibus eccleſiæ

A tuæ conſtat eſſe ſervata, ut nihil prorſus de privilegiis ejus doleas diminutum, *& ſubſcriptio domni papæ:* & Deus te incolumem cuſtodiat. Data x. Kalendas Octobris, imperante domno * Juſtino Auguſto, *& ſubſcripſit domnus papa.* * Mauritio.

# GREGORII MAGNI PAPÆ I.

## EPISTOLARUM LIBER XI.

*Indictione VI.*

## I. DE PHOCA CORONATO,

### ET MAURITIO INTERFECTO CUM FILIIS SUIS.

IN nomine domini Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti per indictionem ſextam, die XXIII. menſis Novembris, temporibus domini & beatiſſimi papæ Gregorii, coronatus eſt Phocas, & Leontia Auguſta Septimo in palatio, quod dicitur Secundianas, & occiſus eſt Mauritius imperator cum omnibus filiis ſuis maſculis, id eſt, Theodoſio jam coronato, * Petro, Paulo & Juſtiniano ſimul & Petro fratre ſupraſcripti Mauritii Auguſti. Sed & aliqui procerum qui ei cohærebant, id eſt, Conſtantius patricius & curator, & Placidas, ſed C & Georgius notarius principis. Venit autem icona ſupraſcriptorum Phocæ & Leontiæ Auguſtorum Romam VII. Kalendas Maii, & acclamatum eſt eis in Lateranis in baſilica Julii ab omni clero, vel ſenatu: Exaudi Chriſte: Phocæ Auguſto & Leontiæ Auguſtæ vita. Tunc juſſit ipſam iconam dominus beatiſſimus & apoſtolicus Gregorius papa reponi in oratorio ſancti Cæſarii martyris intra palatium.

* Tiberio, Petro. Tarif.

## II. SERMO BEATI GREGORII PAPÆ

### TEMPORE MORTALITATIS.

*Denuntiatio pro ſeptiformi litania. Ut plebs faciat ſeptem litanias diviſim ſecundum ſtatus rationem in uno die.*

OPortet, fratres cariſſimi, ut flagella Dei quæ metuere ventura debuimus, ſaltem præſentia & experta timeamus. Converſionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis noſtri duritiam ipſa jam quam patimur pœna diſſolvat. Ut enim propheta teſte prædictum eſt: *Pervenit gladius uſque ad animam.* Ecce enim Jer. 4. cuncta plebs cæleſtis iræ mucrone percutitur, & repentina ſinguli cæde vaſtantur. Nec languor mortem prævenit, ſed & languoris moras, ut cernitis, mors ipſa præcurrit. Percuſſus quiſque ante rapitur quam ad lamenta pœ- E nitentiæ convertatur. Penſate ergo qualis ad conſpectum diſtricti judicis pervenit, cui non vacat flere quod fecit. Habitatores quippe non ex parte ſubtrahuntur, ſed pariter corruunt. Domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes aſpiciunt, & ſui eos ad interitum heredes præcedunt. Unuſquiſque ergo noſtrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percuſſionem vacat. Revocemus ante oculos mentis quidquid errando commiſimus: & quod nequiter egimus, flendo puniamus. *Præveniamus faciem ejus in confeſſione,* & ſicut Propheta Pſ.

pheta admonet, levemus corda noſtra cum manibus ad Deum. Ad Deum quippe corda cum manibus levare, eſt orationis noſtræ ſtudium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profecto, dat tremori noſtro fiduciam, qui per prophetam clamat: *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat.* (Ezech. 18.) Nullus autem de iniquitatum ſuarum immanitate deſperet. Veternoſas namque Ninivitarum culpas triduana Pœnitentia abſterſit, & converſus latro vitæ præmia etiam in ipſa ſententia ſuæ mortis emeruit. * Mutemus igitur corda, & præſumamus, nos jam percepiſſe quod petimus. (* al. Levemus.) Citius ad precem judex flectitur, ſi a pravitate ſua petitor corrigatur. Imminente ergo tantæ animadverſionis gladio, nos im- B portunis precibus inſiſtamus. Ea namque quæ ingrata eſſe hominibus importunitas ſolet, judici veritatis placet: quia pius ac miſericors Deus a ſe vult veniam precibus exigi, qui quantum meremur, non vult iraſci. Hinc etenim per Pſalmiſtam dicitur: *Invoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te, & magnificabis me.* (Pſal. 49.) Ipſe ergo ſibi teſtis eſt, quia invocantibus miſereri deſiderat, qui monet ut invocetur. Proinde, fratres cariſſimi, contrito corde, & correctis operibus craſtina die primo diluculo ad ſeptiformem litaniam juxta diſtributionem inferius deſignatam devota mente cum lacrymis veniamus. Nullus veſtrum ad terrena opera in agros exeat, nullus quodlibet C negotium agere præſumat: quatenus ad ſanctæ genitricis domini eccleſiam convenientes, qui ſimul omnes peccavimus, ſimul omnes mala quæ fecimus deploremus: ut diſtrictus judex dum culpas noſtras nos punire conſiderat, ipſe a ſententia propoſitæ damnationis parcat. Litania clericorum exeat ab eccleſia beati Joannis Baptiſtæ: litania virorum, ab eccleſia beati martyris Marcelli: litania monachorum, ab eccleſia martyrum Joannis & Pauli: litania ancillarum Dei, ab eccleſia beatorum martyrum Coſmæ & Damiani: litania feminarum conjugatarum, ab eccleſia beati primi martyris Stephani: litania viduarum, ab eccleſia beati martyris Vitalis: litania paupe- D rum & infantium, ab eccleſia beatæ martyris Cæciliæ. Facta ſunt hæc in baſilica ſanctæ Sabinæ ſub die quarto Kalendas Septembris, indictione VI.

## III. AD CIVES ROMANOS.

De ſabbato non cuſtodiendo, cum præcepta legis per figuram tradita abolita ſint: & quod die dominico corpus neceſſitatis cauſſa lavari poſſit.

*Gregorius * gratia Dei epiſcopus dilectiſſimis filiis ſuis Romanis civibus.* (* Servus ſervorum Dei dilectiſſimis &c. Pariſ.)

E

PErvenit ad me quoſdam perverſi ſpiritus homines prava inter vos aliqua & ſanctæ fidei adverſa ſeminaſſe, ut die ſabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud niſi Antichriſti prædicatores dixerim? Qui veniens diem ſabbatum atque dominicum ab omni faciet opere cuſtodiri. Quia enim mori ſe & reſurgere ſimulat, haberi in veneratione vult diem dominicum: & quia Judaizare populum compellit, ut exteriorem ritum legis revocet, & ſibi Judæorum perfidiam ſubdat, coli vult A ſabbatum. Hoc enim quod per prophetam dicitur. *Ne inferatis onera per portas veſtras die ſabbati*, (Jer. 17.) tamdiu teneri potuit, * quamdiu licuit juxta literam cuſtodiri. (* Quamdiu legem liceb. &c. Pariſ.) At poſtquam gratia omnipotenti Dei domini noſtri Jeſu Chriſti apparuit, præcepta legis, quæ per figuram dicta ſunt, juxta litteram ſervari non poſſunt. Nam ſi quis dicit hoc de ſabbato eſſe ſervandum, dicat neceſſe eſt etiam carnalia ſacrificia perſolvenda, dicat præceptum quoque de circumciſione corporis hucuſque retinendum. Sed contra ſe Paulum apoſtolum audiat dicentem: *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil prodeſt.* (Galat. 5.) Nos itaque hoc quod de ſabbato ſcriptum eſt ſpiritaliter accipimus, ſpiritaliter B tenemus: ſabbatum enim requies dicitur. Verum autem ſabbatum ipſum redemptorem noſtrum Jeſum Chriſtum dominum habemus. Et qui lucem fidei ejus agnoſcit, ſi peccata concupiſcentiæ ad mentem per oculos trahit, in die ſabbati onera per portas introducit. Non ergo in die ſabbati per portas introducimus onera, ſi in redemptoris noſtri gratia conſtituti pondera peccati ad animam per ſenſus corporeos non trahamus. Nam idem dominus ac redemptor noſter multa in die ſabbati legitur operatus, ita ut Judæos reprehenderet, dicens: *Quis veſtrum bovem aut aſinum ſuum non ſolvit in die ſabbati, & ducit adaquare?* (Luc. 14.) Si ergo ipſa per ſe veritas non cuſtodiri C juxta literam ſabbatum præcepit, quiſquis otium ſabbati ſecundum legis literam cuſtodit, cui alteri niſi ipſi veritati contradicit? Aliud quoque ad me perlatum eſt, vobis a perverſis hominibus eſſe prædicatum, ut dominicorum die nullus debeat lavari. Et quidem ſi pro * luxuria ac voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. (* luxu animi Pariſ.) Si autem pro neceſſitate corporis, hoc nec dominicorum die prohibemus. Scriptum namque eſt: *Nemo carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam.* (Epheſ. 5.) Et rurſum ſcriptum eſt: *Carnis curam ne feceritis in concupiſcentiis.* (Rom. 13.) Qui igitur carnis curam in concupiſcentiis fieri prohibet, profecto in neceſſitatibus concedit. Nam ſi D dominicorum die corpus lavare peccatum eſt, lavari ergo die eodem nec facies debet. Si autem hoc in corporis parte conceditur, cur hoc exigente neceſſitate toti corpori negatur? Dominicorum vero die a labore terreno ceſſandum eſt, atque omnimodo orationibus inſiſtendum, ut ſi quid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis dominicæ precibus expietur. Hæc, filii cariſſimi, certa conſtantia & recta præditi fide cuſtodite, ſtultorum hominum verba deſpicite, & omnia quæ ab eis dici cognoſcitis nolite facile credere: ſed in rationis trutina penſate, ut dum erroris vento forti ſtabilitate reſiſtitis, ad ſolida cæleſtis regni gaudia pervenire valeatis.

## IV. AD ADEODATUM ABBATEM.

De Craterenſi monaſterio ſuo jungendo.

*Gregorius Adeodato * epiſcopo Neapolitano.* (* abbati. Pariſ.)

QUantum bene diſpoſitæ fratrum congregationi animus noſter ex interni deſiderii intentione congaudet, tantum ex deſtitutis & pene in deſolatione poſitis fratribus monaſterii ſancti Marcellini, ut paſtoralis ſolicitudinis

eis citius cura ſubveniat, vehementi mœrore concutitur. Monachi ſi quidem monaſterii quod Crateras dicitur, Neapolitanæ urbi e vicino fundati, porrecta nos petitione informaſſe noſcuntur, locum ipſum ita pene funditus ſervorum Dei obſequiis deſtitutum, ut vi illic remanſerint qui loci ipſius ſolummodo valeant eſſe cuſtodes. Ob quam rem lacrymabiliter ſupplicantes a nobis popoſciſſe noſcuntur, ut monaſterio veſtro ipſum unire monaſterium deberemus, quatenus per ſolicitudinem tuam, & deinceps ſuccedentibus aliis, locus ipſe auctore Deo regulari valeat ordinatione diſponi. Sed dum huic rei frater & coepiſcopus noſter Baſilius Capuanæ eccleſiæ præſens fuiſſet inventus, extitit valde contrarius, aſſerens locum ipſum olim monaſterio alio diœceſis ſuæ fuiſſe conjunctam, & idcirco minime in alterius eccleſiæ jus debere contradi. Contra quam objectionem Neapolitanæ rurſus clerus eccleſiæ multo eſſe aliter, quam dicebatur oppoſitis allegationibus replicabat: quibus diverſa ſentientibus, ne conſtituere quidquam dubie videremur, deputatis cognitoribus, inſtituimus inter eos eſſe judicium. Quibus renuntiantibus, manifeſta ratione comperimus, fratrem & coepiſcopum noſtrum Baſilium nullum in prædicto Craterenſi monaſterio jus habere. Quo cognito, monachis pia poſcentibus, neceſſario duximus præbere conſenſum. Præſentis itaque præcepti noſtri auctoritate idem Craterenſe monaſterium cellæ veſtræ conſtituimus uniendum. Hoc præcipue commonentes, ut locus ipſe ita cum divino ſolatio per vos deinceps debeat ordinari, quatenus dum ab hoſte licuerit, deputati a vobis illic monachi debeant jugiter in Dei laudibus permanere: perturbationis vero tempore intra urbem, in cellam quippe propriam revocari. Res vero omnes eidem monaſterio competentes diligenti volumus cura perquiri atque recolligi, eaſque, ut tibi viſum fuerit, apte diſponi. Nihilque quod eidem monaſterio competit a quoquam detineri permittas: ſed omnia in jus cellæ quippe jam tuæ reformare non negligas, ut cunctis ſalubri ordinatione diſpoſitis, quæ Deo placita & noſtra ſunt auctoritate ſuffulta, perpetuis maneant inconvulſa temporibus.

## V. AD EUMDEM.

Permittit donationem ante ſuſceptum monachatum verbo factam ſcriptis conſignari, & firmam haberi.

*Gregorius Adeodato ſervo Dei.*

EFfectum juſta poſtulantibus indulgere, & vigor æquitatis, & ordo exigit rationis, præſertim quando petentium voluntatem & pietas adjuvat, & veritas non relinquit. Quia E igitur priuſquam in monaſterio ſancti Hadriani, ubi es converſus, intrares, rerumque tuarum illic donationem emitteres, domos & hortos intra civitatem, ſeu terras ſationales, vel vineas in fundo, ſicut nos docuiſti, * Carſiniano, pariter & portiones tuas in fundo Fulloniaco, vel ex aliquibus mancipiis tuis, quibus ante conceſſa a te libertas eſt, verbo largitus es; ipſa quoque donatio licet poſſit jure ſubſiſtere, præcipue in hoc quod ab illis tribuitur qui cum pompis ſuis ſæculum relin- A quentes ad Dei ſe eligunt conferre ſervitium, tam ne quid futurum tempus oblivionis nubilo huic derogare quidquam valeat largitati, ſcripturæ hoc deſideras tradere monumentis. Quod ut queat robuſtum exiſtere, a nobis tibi poſcis dari licentiam. Idcirco hujus præcepti noſtri pagina liberam tibi hoc faciendi concedimus facultatem, quatenus dum omnia a te fuerint diligenter expreſſa, & deſignatione tua noverint eſſe * ſuum, quod cunctis modo commune eſt, & ipſe ſine contentione donata poſſideant, & voluntas tua quid ad quem pertinere voluerit, eſſe non poſſit ambigua. Quidquid enim hujuſmodi ſcriptura interveniente feceris, firmum ſtabileque, & ex B rei ipſius veritate, & hac noſtra auctoritate non dubites: quippe qui non novum aliquid facere quod lege eſt vetitum, ſed dudum factum videris exprimere, & ſalubriter amputandi cauſſa litigii literarum memoriæ ſervanda reponere.

* Corſiniano.

* quod ſuum eſt Pariſ.

## VI. AD JANUARIUM EPISCOPUM

### CALARITANUM.

De abbatiſſa Deſideria.

*Gregorius Januario epiſcopo Calaritano.*

C QUando inter religioſas perſonas de terrenis rebus controverſia naſcitur, ita ſacerdotali eſt ſolicitudine finienda, ut creſcere non poſſit ex mora contentio. Deſideria ſiquidem abbatiſſa latrix præſentium huc veniens queſta eſt, ſubſtantiam parentum ſuorum pariter & germani ſui ſibi rationabiliter competentem a Joanne abbate indebite detineri. Et quia eamdem cauſſam interveniente petit judicio terminari, fraternitas veſtra adhibitis ſibi Innocentio atque Libertino fratribus & coepiſcopis noſtris cum eis negotii hujus qualitatem diligenter examinet, & pari conſilio communique tractatu ita ſe in definiendo ex omni latere feſtinet exhibere ſoli- D citam, quatenus & ipſa omni invidia favoris ac negligentiæ careat, & inter illos poſt definitionem veſtram aliquod non poſſit litigium remanere. Si vero aliqua ex lege vobis ad proferendam ſententiam fuerit nata dubietas, ſapientem virum, & quem noſtis Dei timorem habere præ oculis, requirite, ut ab eo quid ſit legitimum informati, nullam reprehenſionem veſtræ definitionis valeat calculus ſuſtinere.

*Menſe * Decembri, indictione ſexta.*

* Novembri Pariſ.

## VII. AD ÆTHERIUM EPISCOPUM

### LUGDUNENSEM.

Qua ratione providendum ſit, cum epiſcopus in capitis infirmitatem incidit, & officio ſuo fungi non poteſt.

*Gregorius Ætherio epiſcopo Lugdunenſi.*

QUamvis triſte ſit nobis valde quod loquimur, atque fraterna nos compaſſio flere potius urgeat, quam aliquid de auditis definire permittat; ſuſcepti tamen ſolicitudo regiminis

minis cor noſtrum inſtanti pulſat aculeo, magna nos eccleſiis cura proſpicere, & ne qua earum poſſit utilitas deperire, quod fieri debeat, Deo auctore diſponere. Pervenit igitur ad nos quibuſdam referentibus quemdam epiſcopum ita paſſionem capitis incurriſſe, ut quod mente alienata agere ſoleat, gemitus & fletus audire ſit. Ne ergo languente paſtore grex, quod abſit, inſidiatoris laniandus dentibus exponatur, vel eccleſiæ ipſius utilitates depereant, cauta nos neceſſe eſt proviſione tractare. Et ideo quia vivente epiſcopo, quem ab officio ſuo neceſſitas infirmitatis non crimen abducit, alium loco ejus recuſante eo nulla ſinit ratio ordinari. * Sed ſi intervalla ægritudinis habere eſt ſolitus, ipſe data petitione non ſe ulterius ad hoc miniſterium * intellectum habere, nec ad alia officia ſubvertente infirmitate poſſe fateatur aſſurgere, & alium loco ſuo expetat ordinandum. Quo facto, omnium ſolenniter electione alter qui dignus fuerit epiſcopus conſecretur. Sic tamen, ut quouſque eumdem epiſcopum in hoc ſæculo vita tenuerit, ſumptus ei debiti de eadem eccleſia miniſtrentur. Enimvero ſi nullo tempore ad ſanæ redit mentis officium, perſona fidelis ac vitæ probabilis eſt eligenda, quæ ad regimen eccleſiæ idonea poſſit exiſtere, atque de animarum utilitate cogitare, inquietos ſub diſciplinæ vinculo conſtringere, eccleſiaſticarum rerum curam gerere, & maturum atque efficacem ſe in omnibus exhibere. Qui etiam, ſi epiſcopo, qui nunc ægrotat, ſuperſtes extiterit, loco ejus debeat conſecrari. Ordinationes vero presbyterorum vel diaconorum, ſeu alterius ordinis, ſi fieri in eadem eccleſia cauſſa popoſcerit, fraternitati tuæ noveris reſervandum; quatenus ſi tuæ eſt diœceſeos, de ejus qui ad hoc eligitur vita, moribus, actuque perquiras & ſi placuerit, nec eſt quod in eo canonicæ diſtrictionis judicium reprehendat, ad deſtinatum ordinem non aliter niſi te ordinante perveniat. Ita ergo fraternitas tua faciat, atque hæc vigilanti providentia diſponat, ut nec Dei eccleſia neglectum ulterius habeat, & conſacerdotes ſuos non ſolum verbo, ſed etiam exemplo, locorum venerabilium curam laudabiliter habere commoneat.

## VIII. AD BRUNICHILDEM REGINAM.

### FRANCORUM.

De privilegiis monaſterio & xenodochio conceſſis, legatis ejus auditis, Menna epiſcopo abſoluto. De epiſcopo qui capitis infirmitate laborabat. De bigamo non ordinando. Miſſurum ſe in Gallias qui ſynodo interſit. Ut privilegia quæ mittit actis publicis inſerantur.

*Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.*

INter alia bona hoc apud vos præ ceteris tenet principatum, quod in mediis hujus mundi fluctibus, qui regentis animos turbulenta ſolent vexatione confundere, ita cor ad divini cultus amorem, & venerabilium locorum diſponendam quietem reducitis, ac ſi nulla vos alia cura ſolicitet. Unde quia hujuſmodi præpoſitorum actio, ſubjectorum magna ſolet eſſe munitio, præ aliis gentibus gentem Francorum aſſerimus felicem, quæ ſic bonis omnibus præditam meruit habere reginam. Epiſtolis autem veſtris indicantibus agnoſcentes eccleſiam vos ſancti Martini in ſuburbano Auguſtodunenſi, atque monaſterium ancillarum Dei, nec non & xenodochium in urbe eadem conſtruxiſſe, valde lætati ſumus, & gratias omnipotenti Deo retulimus, qui cordis veſtri ſinceritatem ad hæc operanda compunxit. Qua de re ut & nos bonis veſtris in aliquo participes haberemur, privilegia locis ipſis pro quiete & munitione illic degentium, ſicut voluiſtis, indulſimus, nec excellentiæ veſtræ amplectenda nobis deſideria vel ad modicum differre pertulimus. Paterna præterea caritate ſalutationis permittentes alloquium, indicamus illuſtribus filiis noſtris, veſtræ vero excellentiæ famulis ac legatis, Burgoaldo & Varmaricario, noſtrum nos ſecundum veſtra ſcripta præbuiſſe ſecretum. Qui omnia quæ ſibi injuncta * dixeratis ſubtili nobis inſinuatione reſeraſſe noſcuntur. De quibus curæ nobis erit, ſequenti tempore excellentiæ veſtræ quid actum fuerit indicare. Nam nos quidquid poſſibile & utile ad ordinandum pacem inter vos & rempublicam pertinet, ſumma Deo auctore cupimus devotione compleri.

Mennam vero reverendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum, poſtquam ea quæ de eo dicta fuerant requirentes in nullo invenimus eſſe culpabilem, qui inſuper ad ſacratiſſimum corpus beati Petri apoſtoli ſub jurejurando ſatisfaciens, ab his quæ objecta ejus opinioni fuerant ſe demoſtravit alienum, reverti illuc purgatum abſolutumque permiſimus: quia ſicut dignum erat, ut ſi in aliquo reus exiſteret, culpam in eo canonice puniremus; ita dignum non fuit, ut cum adjuvante innocentia diutius retinere vel affligere in aliquo deberemus.

De quodam autem epiſcopo, quem capitis infirmitas, ſicut nobis prædicti magnifici viri dixerunt adminiſtrare ſuum non ſinit officium, fratri coepiſcopoque noſtro. Ætherio ſcripſimus, ut ſi intervalla ejuſdem infirmitatis habuerit, data petitione ad implendum ſe locum ſuum profiteatur non poſſe ſufficere, ſed alium eccleſiæ ſuæ poſtulet ordinandum: quia vivente epiſcopo, quem ab adminiſtratione officii ſui non culpa ſed ægritudo ſubducit, alium loco ipſius ſacri nullo modo permittunt canones ordinari. Si vero nullo tempore ad mentis ſanæ redit officium, quæri perſona debet vita & moribus decorata, quæ & animarum curam gerere, & ejuſdem eccleſiæ cauſſas utilitateſque ſalubri valeat ordinatione diſponere: taliſque *, ſi ſuperſtes extiterit, ejus poſſit loco ſuccedere. Sed & ſi qui ſunt in ſacro ordine vel ad clericatus miniſterium promovendi, antefato reverendiſſimo fratri noſtro Ætherio, ſi tamen ipſius eſt diœceſos, reſervandum nuntiandumque decrevimus; ut inde habita inquiſitione, ſi nulli culpæ quas ſacri canones inſequuntur ſubjecti ſunt, ipſe eos debeat ordinare. Excellentiæ ergo veſtræ cura noſtræ ſe diſpoſitioni conjungat; quatenus nec eccleſiæ utilitates, quarum * nobis maximus amor eſt, pereant, & bonis excellentiæ veſtræ mercedis augmenta ſuccreſcant.

Similiter vero de quodam bigamo requiſiti, an ad ſacrum ordinem potuiſſet accedere, juxta canonicam regulam omnino vetuimus. Abſit

* ſi intervalla. Pariſ.
* intellectualia, ſempe officia ſubvertente. Pariſ.
* dixerunt. Pariſ.
* &c, ſi &c. Pariſ.
* vobis. Pariſ.

ſit enim, ne veſtris temporibus, in quibus tam multa pia ac religioſa agitis, aliquid contra eccleſiaſticum inſtitutum fieri permittatis.

Præfati autem viri magnifici filii noſtri dato capitulari inter cetera petierunt, quod ſibi ex veſtra perhibuere juſſione mandatum, ut talis debeat a nobis in Gallias perſona tranſmitti, quæ facta ſynodo cuncta quæ contra ſanctiſſimos canones perpetrantur omnipotenti Deo auctore poſſit corrigere. In qua re gloriæ veſtræ curam cognovimus, quam de vita animæ, & de regni veſtri ſoliditate cogitatis: quia redemptorem noſtrum formidantes, ejuſque in omnibus præcepta ſervantes, & hic agitis ut diu regni veſtri gubernacula ſubſiſtant, & poſt longa annorum curricula vos quoque de terreno regno ad regnum cæleſte tranſeatis. Apto autem tempore, ſi *Deo placuerit, venerandæ excellentiæ veſtræ deſideria implere curabimus. Nos itaque pro munitione locorum, de quibus excellentia veſtra ſcripſit, omnia ſicut voluit ſancire ſtuduimus. Sed ne fortaſſe ab eorum locorum præpoſitis eadem decreta noſtra quoquo tempore ſupprimantur, pro eo quod eis quædam interdicta eſſe noſcuntur, hæc eadem conſtitutio geſtis eſt publicis inſerenda; quatenus ſicut in noſtris, ita quoque in regalibus ſcriniis teneatur. Omnipotens Deus excellentiam veſtram in ſuo ſemper timore cuſtodiat; atque ita veſtra vota in filiorum excellentiſſimorum regum nepotum veſtrorum, intercedente beato Petro apoſtolorum principe, cui eos commendatis, * ſoſpitate adimpleat, ut ſtabile vobis gaudium de eorum ſemper incolumitate, ſicut cupitis, habere concedat. Data menſe Novembri, indictione VI.

## IX. AD THEODORICUM REGEM FRANCORUM.

De privilegiis iiſdem, legatiſque de pace cum imperatore ſtabilienda.

*Gregorius Theoderico regi Francorum.*

SCriptorum veſtrorum eloquia incolumitatem veſtram ſignantia læti ſucepimus: ex quibus ita tranſcendere vos prudentia ætatem cognovimus, ut evidenter appareat pro gentis Francorum felicitate excellentiæ veſtræ poteſtatis regiæ gubernacula ſupernæ gratiæ favore fuiſſe commiſſa. Inter quæ hoc quoque in vobis ſatis laudabile mirandumque eſt, quod in his quæ filiam noſtram præcellentiſſimam aviam veſtram pro omnipotentis Dei amore deſiderare cognoſcitis, juvare ſic ſtudioſiſſime feſtinatis, ut per hoc & hic feliciter vivatis, & in futura vita regnum cum angelis teneatis. Quia ergo hoc Deo donante ex magna venit diſcretione judicii, ita quia quæ excellentia veſtra voluit citius ac libenter implevimus, ut quantum nobis bona veſtra placuerint, affectus noſtri celeritate monſtraremus. Salutantes præterea vos paterna dulcedine indicamus, omnia quæ viris illuſtribus famulis veſtris Burgoaldo ac Varmaricario filiis noſtris apud nos agenda mandaſtis, facta nobis fuiſſe habito ſecreto colloquio manifeſta. Et valde laudavimus, quia & præſentia ſapienter ſicut decet attenditis, & ſic munire futura, ſempiternæ pacis interventu inter vos & rempublicam feſtinatis, ut unum facti regni veſtri firmitatem in perpetuum extendere ſalubriter poſſitis. De quibus ſuccedenti vobis tempore quæ Deo fuerint placita nuntiamus. Nam nos quidquid utile, quidquid probatur eſſe pacificum deſideramus, ut fieri valeat ſtudemus. Tantum eſt ut ſicut noſtra, ita quoque Dei, quo ſine nihil poſſumus, in ea quæ expediunt ſit voluntas. Sancta Trinitas in ſuo ſemper faciat vos timore proficere, & ita cor veſtrum placita moderatione diſponat, ut & nunc ſubjectis veſtris de vobis, & poſtmodum vobis de ſe gaudium ſine fine concedat.

## X. AD SENATOREM ABBATEM.

Privilegium xenodochii.

*Gregorius Senatori presbytero & abbati.* *

QUando catholicorum regnum corda ad ea quæ pontificalibus ſunt monitis provocanda, ita ardenti deſiderio divina præveniente gratia ſuccenduntur, ut ab eis ultro poſcantur: tanto alacri & læto ſunt animo concedenda, quanto & ea ipſa quæ cupiunt, ſi nollent facere, peti debuerant. Proinde juxta ſcripta filiorum noſtrorum præcellentiſſimorum regum, Brunichildis ac nepotis ipſius Theodorici, xenodochio quod in civitate Auguſtodunenſi a Syagrio reverendæ memoriæ epiſcopo, & prædicta excellentiſſima filia noſtra regina conſtructum eſt, cui tu præeſſe dignoſceris, hujuſmodi privilegia præſentis auctoritatis noſtræ decreto indulgemus, concedimus atque firmamus: Statuentes nullum regum, nullum antiſtitum, nullum quacumque præditum dignitate, vel quemquam alium, de his quæ xenodochio a ſupraſcriptis præcellentiſſimis filiis noſtris regibus jam donata ſunt, vel in futuro a quibuslibet aliis de proprio fuerint jure collata, ſub cujuslibet cauſſæ, occaſioniſve ſpecie minuere vel auferre, ſive ſuis uſibus applicare, vel aliis quaſi piis cauſſis, pro ſuæ avaritiæ excuſatione poſſe concedere: ſed cuncta quæ ibi oblata ſunt, vel offerri contigerit, tam a te, quam ab eis, qui in tuo officio locoque ſucceſſerit, perenni tempore illibata, & ſine inquietudine aliqua volumus poſſideri. Eorum tamen uſibus, pro quorum ſuſtentatione gubernationeque conceſſa ſunt, modis omnibus profutura. Item conſtituimus, ut obeunte abbate atque presbytero ſupraſcripti xenodochii atque monaſterii, non alius ibi quacumque obreptionis aſtutia ordinetur, niſi quem rex ejuſdem provinciæ, cum conſenſu monachorum, ſecundum * timorem Dei elegerit ac præviderit ordinandum. Hoc quoque capitulo præſenti ſubjungimus, ut locum avaritiæ excludamus, nullum de regibus, nullum de ſacerdotibus, vel quemcumque alium, per ſe, ſuppoſitamve perſonam de ordinatione ejuſdem abbatis, vel quibuſcumque cauſſis xenodochio ipſi pertinentibus, audere in auro, ſive alia qualibet ſpecie commodi quidquam accipere; neque eumdem abbatem ordinationis ſuæ cauſſa dare aliquid præſumere: ne hac occaſione ea quæ a fidelibus piis locis offeruntur, aut jam oblata ſunt, conſumantur. Et quoniam multæ occaſiones in deceptione religioſorum perſonarum a pravis illis, ut dicitur

* Deo dictum placuerit. Pariſ.

* ſoſpitate deeſt in Pariſ.

* Xenodochii Pariſ. addit.

* amorem

tur, hominibus exquiruntur, abbatem atque A presbyterum prædicti xenodochii nullo modo privandum deponendumque cenſemus, niſi cauſſa ſpecialiter criminis exigente. Unde neceſſe eſt, ut ſi qua contra eum hujuſmodi querela ſurrexerit, non ſolus epiſcopus civitatis Auguſtodunenſis cauſſam examinet, ſed adhibitis ſex aliis epiſcopis ſuis, ſubtili hoc inveſtigatione perquirat: quatenus cunctis concorditer judicantibus, canonicæ diſtrictionis cenſura, aut reum punire, aut innocentem poſſit abſolvere. Simili quoque definitione juxta deſiderium conditorum decernimus, ut nullus eorum qui eidem xenodochio atque monaſterio abbas, aut presbyter in poſterum fuerit ordinatus, ad epiſcopatus officium quacumque B obreptione ſit auſus accedere (a) ne res xenodochii vel monaſterii iniqua erogatione conſumens, graviſſimam egeſtatis neceſſitatem pauperibus ac peregrinis, vel ceteris exinde viventibus generet. Epiſcopum vero tollendi de eodem loco monachum, ad eccleſiaſticum ordinem promovendum, vel pro aliqua quacumque cauſſa, ſine conſenſu abbatis atque presbyteri habere licentiam prohibemus: ne hujus rei uſque ad hoc uſurpatio perducatur, ut loca quæ acquiſitione hominum conſtruenda ſunt ablatione deſtruantur. Hæc igitur omnia, quæ hujus præcepti decretique noſtri pagina continet, tam tibi, quam cunctis qui in eo quo es ordine locoque ſucceſſerint, vel C eis quorum intereſſe potuerit, in perpetuum ſervanda decernimus. Si quis vero regum, ſacerdotum, judicum perſonarumque ſæcularium, hanc conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat. Et niſi vel ea quæ ab illo male ablata ſunt reſtituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & domini noſtri redemptoris Jeſu Chriſti alienus fiat, atque in æterno examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus, ſit pax domini noſtri Jeſu Chriſti; D quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

## XI. AD THESSALIAM ABBATISSAM.

Privilegium monaſterii ſanctæ Mariæ in urbe Auguſtodunenſi.

*Gregorius * Theſſaliæ abbatiſſæ.*

* Theſſalæ. Thalaſſiæ. *Pariſ.*

QUando ad ea, ad quæ catholicorum regum corda pontificalibus ſunt monitis provocanda, ita ardenti deſiderio divina præveniente gratia ſuccenduntur, ut ab eis ultro E poſcantur; tanto ſunt alacri & læto animo concedenda, quanto & ea ipſa quæ cupiunt, ſi nollent facere, peti debuerant. Proinde juxta ſcripta filiorum noſtrorum præcellentiſſimorum regum, Brunichildis ac nepotis ipſius Theodorici, monaſterio ſanctæ Mariæ, ubi ancillarum Dei congregatio eſt conſtituta, in urbe Auguſtodunenſi, *&c. ut ſupra.*

## XII. AD LUPPONEM ABBATEM.

Privilegium eccleſiæ ſancti Martini in ſuburbanos Auguſtodunenſi.

*Gregorius Lupponi presbytero & abbati.*

QUando ad ea, ad quæ catholicorum regum corda pontificalibus ſunt monitis provocanda, ita ardenti deſiderio divina præveniente gratia ſuccenduntur, ut ab eis ultro poſcantur, tanto ſunt alacri & læto animo concedenda, quanto ea ipſa quæ cupiunt, ſi nollent facere, peti debuerant. Proinde juxta ſcripta filiorum noſtrorum præcellentiſſimorum regum, Brunichildis ac nepotis Theodorici, eccleſiæ ſancti Martini, quæ in ſuburbano civitatis Auguſtodunenſis, *&c. ut ſupra.*

## XIII. AD MAXIMUM EPISCOPUM SALONITANUM.

De ſcriptis eius ſubſcriptione non ſuſcipiendis.

*Gregorius Maximo epiſcopo Salonitano.*

ALia quidem ſcripta ad fraternitatem tuam antea feceramus; ſed tempore quo homines tuos, quos ad nos miſiſti, relaxare voluimus, ſcripſiſſe te quibuſdam noſtris comperimus, quod Veteranum presbyterum atque Optatum defenſorem tunc minime in cauſſa tranſmiſeris, & * Thomas eccleſiæ tuæ defenſor ſibi verbo a te dictum perhibuit. Ex qua re jam nec præſentium portitoribus judicavimus eſſe credendum, ne de ipſis quoque poſt hæc ſimiliter * diceres. Quia ergo hæc res nos valde fecit ambigere, & cautos eſſe debere præmonuit, ſi cauſſam vultis dicere, inſtructam de cetero perſonam cum mandato legaliter facto tuis ac presbyterorum ſeu diaconorum in teſtimonium ſubſcriptionibus roborato, geſtiſque ex more indito tranſmittite, ut quidquid cum ea actum fuerit, poſſit jure ſubſiſtere. Nam nos non ſolum tibi, ſed etiam omnibus quod juſtum legitimumque fuerit parati ſumus Deo juvante per omnia cuſtodire: tantum ut tu, quod lege præcipitur, facere non omittas.

* Ideo quæ cum eis acta ſunt non debere ſubſiſtere; ſed & Thomas. *Pariſ. ad.*

* diceretur. *Pariſ.*

## XIV. AD VENANTIUM.

De perſona Urbici abbatis.

*Gregorius Venantio patricio Panormitano.*

EXcellentiæ veſtræ * electionem in perſona Urbici abbatis quia valde nobis placuit indicamus: quoniam ſicut judicii veſtri diſcretione oportuit, ad eccleſiæ gubernationem virum quæſiſtis vigilantem atque ſolicitum, & divinæ ſcripturæ ſcientia, quod maxime in ſacerdotibus eligendum eſt, inſtitutum. Sed quia ceteris ſic eſt aliquis præponendus, ut dum ipſe exterius proficit, interius non decreſcat, quietem ipſius turbare non poſſumus, ne cum eum ad altiora producimus, minorem illum ſeipſo fieri miſſum in fluctibus com-

* electio. *Pariſ.*

(a) *Pariſ. addit.* niſi prius abbatis officio ſit privatus, aliuſque loco ipſius ſubrogatur, ne res &c.

compellamus. Perſona vero Creſcentis diaconi præter quod omnino nobis ignota eſt, prima nobis cura fuit requirere, quemadmodum xenodochium, cui præfuerat, gubernaſſet, ut ex minimis qualis eſſe poſſit in maximo noſceremus. Sed quid nobis portitores ſcriptorum veſtrorum reſponderint, ab ipſis addiſcetis. * Hunc autem presbyterum dare omnino nobis excellentia veſtra ſciat eſſe difficile, quia perſonarum nos neceſſitas ad ordinanda alia loca paſtoribus deſtituta non levis anguſtat. Et ideo quia Deum timere, & animæ veſtræ novimus vos habere reſpectum, paterna caritate ſalutationis alloquium præmittentes hortamur, ut ſicut decet, cauta diligentique inveſtigatione ſcrutari interius de vita, moribus, actuque præfati diaconi debeatis. Et ſi eum ad eccleſiæ aſſurgere regimen gnoſcatis, veſtra adhortatione omnes in eo concordent. Si autem aliud veſtri ſentit ſolicitudo judicii, & eum paſtoralem curam efficaciter adminiſtrare non poſſe conſiderat; agendum eſt cum omnibus concorditer, ut alterum, qui aptus viſus fuerit, de eccleſia ipſa poſſint eligere, ut venientes ad nos tam diaconus qui jam electus eſt, quam etiam qui adhuc eligendus eſt, is qui Deo placuerit, ordinetur. Enimvero ſi in eccleſia illa neque de presbyteris vel diaconis, neque de reliquo clero hujuſmodi inveniri potuerit, de alia ſibi eccleſia talem ordinandum eligere feſtinent antiſtitem, qui vigilanti ſolicitudine in exterioribus eorum utilitatibus & ſacerdotali adhortatione animabus valeat Deo miſerante utilis reperiri. Præterea ne qua hac in cauſſa poſſit eſſe dilatio, & peccatis facientibus nullus de electis aptus exiſtat; hortandus eſt clerus & populus, ut eis qui ad nos venerint, ſua debeant vice mandare, quatenus hic habeant eligendi licentiam, nobiſque hoc ipſum apicibus ſuis roboratis propriis ſubſcriptionibus innoteſcant, ut ſi * vel inveniri potuerit, ſine difficultate aliqua Chriſti cooperante gratia conſecretur. Quod tamen * nos voluntate impulſi loquimur, ſed neceſſitate compulſi: quia quantum eſt ad noſtræ auctoritatis judicium, de ſuis volumus ut debeant habere paſtorem.

* Hinc: Pariſ.
* vel hic. Pariſ.
* nos non. Pariſ.

## XV. AD PASCHASIUM EPISCOPUM

### NEAPOLITANUM.

Ne Judæos opprimat, ſed illis ſuas ſolennitates ſervare permittat.

*Gregorius Paſchaſio epiſcopo Neapolitano.*

QUi ſincera intentione extraneos ad Chriſtianam religionem & ad fidem cupiunt rectam adducere, blandimentis non aſperitatibus debent ſtudere; ne quorum mentem reddita ad planum ratio poterat * provocare, pellat procul adverſitas. Nam quicumque aliter agunt, & eos ſub hoc velamine a conſueta ritus ſui volunt cultura ſuſpendere, ſuas illi magis quam Dei cauſſas probantur attendere. Judæi ſiquidem Neapoli conſiſtentes, queſti nobis ſunt, aſſerentes quod quidam eos a quibuſdam feriarum ſuarum ſolennitatibus irrationabiliter nitantur arcere, ne illis ſit licitum feſtivitatum ſuarum ſolennia colere, ſicut eis nuncuſque & parentibus eorum longis retro temporibus licuit obſervare vel colere. Quod ſi ita ſe veritas habet, ſupervacuæ rei videntur operam adhibere. Nam quid utilitatis eſt, quando, etſi contra longum uſum fuerint vetiti, ad fidem illis & converſionem nihil proficit? Aut cur Judæis qualiter cærimonias ſuas colere debeant regulas ponimus, ſi per hoc eos lucrari non poſſumus? Agendum ergo eſt ut ratione potius & manſuetudine provocati ſequi nos velint, non fugere; ut eos, ex eorum codicibus oſtendentes quæ dicimus, ad ſinum matris eccleſiæ Deo poſſimus adjuvante convertere. Itaque fraternitas tua eos monitis quidem prout poterit Deo adjuvante ad convertendum accendat, & de ſuis illis ſolennitatibus inquietari denuo non permittat: ſed omnes feſtivitates feriaſque ſuas, ſicut hactenus tam ipſi quam parentes eorum per longa colentes retro tempora tenuerunt, liberam habeant obſervandi celebrandique licentiam.

* al. revocare.

## XVI. AD BARBARUM EPISCOPUM

### BENEVENTANUM.

De obitu Victoris epiſcopi, & de alio eligendo.

*Gregorius Barbaro epiſcopo Beneventano.*

OBitum Victoris Panormitanæ civitatis antiſtitis directa relatio patefecit. Quapropter viſitationis deſtitutæ eccleſiæ fraternitati tuæ operam ſolenniter delegamus. Quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, miniſteriiſque, vel quidquid eſt in patrimonio ejuſdem, a quoquam præſumatur eccleſiæ. Et ideo dilectio tua ad prædictam eccleſiam ire properabit, & aſſiduis adhortationibus clerum plebemque ejuſdem eccleſiæ admonere feſtinet, ut remoto ſtudio, uno eodemque conſenſu talem ſibi præficiendum expetant ſacerdotem, & qui tanto miniſterio dignus valeat reperiri, & a venerandis canonibus nullatenus reſpuatur. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolennitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & dilectionis tuæ teſtimonio literarum ad nos ſacrandus occurrat. Commonemus etiam fraternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permittas eccleſia, niſi forte inter clericos ipſius civitatis, in qua viſitationis impendis officium, nullus ad epiſcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri; proviſurus ante omnia, ne ad hoc cujuslibet converſationis vel meriti laicam perſonam aſpirare permittas, ne & conatus eorum habeatur inefficax, & in periculum ordinis tui, quod abſit, incurras. Monaſteria autem ſi qua ſunt in ipſius conſtituta parochia, ſub tua cura diſpoſitioneque, quouſque illic proprius fuerit ordinatus epiſcopus, eſſe concedimus.

XVII.

## XVII. * AD PLEBEM TURRITANENSEM ET TAURIANENSEM.

* tranſfertur in Pariſ. ad indict. III.

Ut Venerio epiſcopo viſitatori obtemperent.

*Gregorius * plebi Turritanenſi & Taurianenſi.*

* Clero & ordini & plebi conſiſtenti Taurianæ, Turris & Conſentiae. Pariſ.

VEſtri antiſtitis obitum cognoſcentes, curæ nobis fuit deſtitutæ eccleſiæ viſitationem fratri & coepiſcopo noſtro Venerio ſolenniter delegare, cui dedimus in mandatis, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, miniſteriiſque a quoquam uſurpari patiatur: cui vos aſſiduis adhortationibus convenit obe- B dire, & remoto ſtrepitu, uno eodemque conſenſu, talem vobis præficiendum expetite ſacerdotem, qui & a venerandis canonibus nulla diſcrepet ratione, & tanto miniſterio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolennitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & viſitatoris pagina proſequente, *&c. ut in aliis continetur*.

## XVIII. * AD VENERIUM EPISCOPUM.

* transfertur ad indict. III. in Pariſ.

Munus viſitationis injungit.

*Gregorius Venerio * epiſcopo.*

* Pariſ. ad. & Stephano epiſcopis.

OBitum Paulini Taurianenſis * & Turritanenſis eccleſiæ antiſtitis directa relatio patefecit. Quapropter viſitationis * deſtitutarum eccleſiarum fraternitati tuæ operam ſolenniter delegamus: quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, miniſteriiſque a quoquam uſurpari patiaris. Et ideo dilectio tua ad prædictas eccleſias ire properabit, & aſſiduis adhortationibus clerum plebemque earumdem eccleſiarum admonere feſtinet, ut remoto ſtrepitu, uno eodemque conſenſu, *&c. ut ſuperius*. Commonentes etiam fraternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permittas eccleſia, niſi forte inter clericos * ea- D rumdem civitatum, in quibus viſitationis impendis officium, nullus ad epiſcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri &c.

* Eccleſiæ, ſed & N Turritanæ eccleſiæ antiſtitum directa &c. Pariſ.
* deſtitutæ eccleſiæ Pariſ.
* Ipſius civitatis. Pariſ.

## XIX. AD PANORMITANOS.

De eligendo epiſcopo.

*Gregorius clero, ordini & plebi Panormitanæ civitatis.*

VEſtri antiſtitis obitum cognoſcentes, curæ nobis fuit deſtitutæ eccleſiæ viſitationem fratri & coepiſcopo noſtro Barbaro ſo- E lenniter delegare. Cui dedimus in mandatis, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, miniſteriiſque a quoquam uſurpari patiatur. Cujus vos aſſiduis adhortationibus convenit obedire, & remoto ſtrepitu, uno eodemque conſenſu talem vobis præficiendum expetite ſacerdotem, qui & a venerandis canonibus nulla diſcrepet ratione, & tanto miniſterio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolennitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati & viſitatoris



A pagina proſequente ad nos veniat ordinandus: proviſuri ante omnia, ne cujuslibet vitæ vel meriti laicam perſonam præſumatis eligere, & non ſolum ille ad epiſcopatus apicem nulla ratione provehatur, verum etiam vos nullis interceſſionibus veniam promereri poſſe cognoſcite: ſed & omnes quos ex vobis de laica perſona aſpiraſſe conſtiterit, ab officio & a communione alienos faciendos procul dubio noveritis.

## XX. AD PASSIVUM EPISCOPUM FIRMANUM.

B De reliquiis ſancti Savini, & oratorio conſtruendo.

*Gregorius Paſſivo epiſcopo Firmano.*

PRoculus diaconus eccleſiæ Aſculanæ petitoria nobis inſinuatione ſuggeſſit, in fundo Greſſiano juris ſui monaſterium ſe pro ſua devotione fundaſſe, quod in honorem S. Savini martyris deſiderat conſecrari. Et ideo, frater cariſſime, ſi in tuæ parochiæ memorata conſtructio jure conſiſtit, & nullum corpus ibidem conſtat humatum, percepta primitus donatione legitima, id eſt, conduma * una, boves par unum, armenta capita quinque, C oves & capras promiſcuas capita viginti, in fundo Greſſiano ubi ipſum monaſterium fundatur uncias octo, in fundo Staciani uncias octo, fundum Paterni in integro porcos decem, lectiſternia, geſtiſque municipalibus alligata, *&c.* ſecundum morem. Data menſe Decembri, indictione VI.

* condumia.

## XXI. AD JOANNEM SUBDIACONUM.

De Exuperantio epiſcopo, qui in aliena diœceſi oratorium conſtruxerat.

*Gregorius Joanni Subdiacono Ravennæ.*

D LAtor præſentium Joannes frater & coepiſcopus noſter aliqua nobis de cauſſis eccleſiæ ſuæ dato capitulari noſcitur intimaſſe. Quibus cognitis, culpanda a nobis experientia tua fuerat, ſi ad te perlata hactenus indefinita remanſerint. Sed inquirentes agnovimus quod ad notitiam tuam minime ſunt perducta. Ipſum ergo quod nobis capitulare porrectum eſt, his fecimus ſubter annecti. Agnitis itaque omnibus ac diſcuſſis, ſi ita apud te eſſe ut ſuggeſtum eſt manifeſta veritate patuerint, fratrem & coepiſcopum noſtrum Marinianum adire te volumus, eumque modis omnibus adhortari, ut his quorum in peragendis negotiis eccleſiæ ipſius intereſſe dignoſcitur, de- E beat deputare, quatenus perpenſis omnibus cum prædicto viro de his quæ * mota fuerint, eccleſiaſtica inter ſe debeant tranquillitate decidere. Si vero elegerint renitendum, experientia tua immineat eſſe judicium: & quidquid cognitorum inter eos fuerit ſententia definitum, te debeat exequente compleri: ne diutinis protractionibus dilata paupertas eccleſiæ ipſius diverſis, ſicut jam factum aſſerit, diſpendiis ingravetur. Indicavit etiam nobis, quod quidam Exuperantius epiſcopus auſu temerario in diœceſi ipſius oratorium

* al. nota.

Z con-

A conſtruxerit, idque ſine præcepti auctoritate contra morem præſumpſerit dedicare, Miſſaſque illic publicas celebrare non metuit. Quam rem cum ſumma te celeritate ac diſtrictione convenit emendare, ne ulterius tale aliquid attentare permittas. Oratorium vero quod ab incompetenti perſona repereris eſſe conſtructum, huic cum proprio te volumus epiſcopo, ſi res, ut dictum eſt, ita ſe habere conſtiterit, ſine mora aliqua reformare.

## XXII. AD QUOSDAM EPISCOPOS

### SICILIÆ.

Ne ad conſignandos infantes egreſſi nimium aggravent eccleſias.

*Gregorius Leoni epiſcopo, Secundino, Joanni, Donno, Lucido, Trajano, epiſcopis Siciliæ.*

SIcut nos nobis invicem * ſpecialia per apoſtolorum orationem admonemur impartiri ſuffragia: ita in his quæ neceſſitate injuncti regiminis pro diſpenſatione rerum pauperum Deo per nos fuerint auctore diſpoſita, ſacerdotalia dignum eſt ſolatia non deeſſe. Latorem ſiquidem præſentium Hadrianum chartularium noſtrum ad regendum eccleſiæ noſtræ patrimonium, Syracuſanarum videlicet partium, dirigentes, fraternitati veſtræ neceſſario duximus commendandum, ut in quo uſus exegerit, veſtra eis ſolatia conferatis; quatenus dum & ad agendum per vos corporalibus & ad facilitatem explendi quæ cœperit ſpiritalibus orationum fuerit fultus auxiliis, proſpere ea quæ a nobis ei injuncta ſunt Deo quoque valeat cooperante perficere. Voſmetipſos autem ita ante conſpectum omnipotentis Dei in bonis operibus debetis exhibere, ut inveniri in veſtra actione nequeat quod vel Deo judice percuti, vel quolibet homine inſidiante valeat accuſari. Nam eidem præfato chartulario noſtro injunximus, ut ſi qua de reverendiſſimis fratribus noſtris epiſcopis inordinate acta cognoverit, prius quidem ſecreta ac modeſta adhortatione ipſe corripiat. Quæ ſi ita emendata non fuerint, nobis celeriter innoteſcat. Præterea relatum eſt nobis, ſanctæ memoriæ deceſſoris mei temporibus per Servumdei diaconum, qui jam tunc eccleſiaſtici patrimonii curam geſſit, fuiſſe diſpoſitum, ut ſacerdotes per univerſas veſtras diœceſes conſtituti quotiens ad conſignandos infantes egredimini, ultra modum gravari minime debuiſſent. Summa enim præfixa fuerat, vobis ut audio conſentientibus, quæ ab eiſdem ſacerdotibus pro labore clericorum dari debuiſſet. Atque hoc quod tunc placuit, ſicut nunc dicitur, minime cuſtoditur. Unde fraternitatem veſtram admoneo, ut ſubjectis veſtris graves non ſtudeatis exiſtere, ſed ſi qua ſunt gravamina temperetis: quia nec ab eo quod ſemel definitum eſt deflectere debuiſtis. Etenim in futura & in præſenti vobis vita proſpicitis, ſi eos qui vobis commiſſi ſunt ſine gravamine conſervatis.

* ſpiritalia. Pariſ.

## XXIII. AD JULIANUM.

De beneficio ejus monaſterio collato.

*Gregorius Juliano.*

GLoriæ veſtræ ſcripta ſuſcipiens, legenda lætus aperui; ſed triſtis perlecta replicavi. In eis quippe dicebatur quod pudoris cauſſa fuerat, mihi vos ea quæ dicenda erant tempore multo tacuiſſe. Et certum eſt quia minus amatur qui adhuc erubeſcitur. Atque omnimodo contriſtatus ſum, quia me a vobis comperi minus quam æſtimaveram amari. B In hoc autem valde me * contemnitis, ſi mercedis cauſſas mihi aſſidue providendas ſtudioſe non requiritis. Nec vobis debet eſſe verecundiæ ei aliquid de eleemoſynis importune dicere, quem conſtat non res ſuas, ſed ad diſpenſandum res pauperum habere. De cauſſis itaque mercedis apud epiſcopum libere agere debuiſtis, etiam ſi meum animum qualis in amore veſtro exiſteret neſciretis. Poſtquam enim & nos omnino gloriam veſtram diligimus, & diſpenſatoris locum in rebus, ſicut ſcitis, pauperum tenemus; veſtra fateor verecundia valde accuſabilis fuit. Quam ideo tot verbis increpando inſequor, ut hanc a corde veſtro funditus repellam, & in mercedis C cauſſa magnum ſolatium veſtræ proviſionis habeam. Monaſterio itaque veſtro, quod a vobis in Catanenſi urbe conſtructum eſt, per Hadrianum notarium & rectorem patrimonii emiſſa præcepti pagina decem annuos ſolidos dari deputavimus, quos petimus ſine injuria ſuſcipi: quia non hæc vobis noſtra oblatio, ſed ſancti Petri apoſtolorum principis benedictio offertur.

* continetis. Pariſ.

* *Menſe Februarii, indictione ſexta.*

* data deeſt in Pariſ.

## XXIV. AD HONORIUM EPISCOPUM

### TARENTINUM.

De baptiſterio conſtruendo.

D *Gregorius Honorio epiſcopo Tarentino.*

FRaternitate tua indicante didicimus in civitate Tarentina, in qua præeſſe dignoſceris, in eccleſia ſanctæ Mariæ baptiſterium te noviter conſtruxiſſe. Et ideo, frater cariſſime, præſenti auctoritate ſuſcepta, tui deſiderii complebis effectum: quatenus per ſacrum lavacrum peccatorum illic maculæ deleantur *.

* Pariſ. addit menſe Februarii indict. VI.

## XXV. AD PASCHALEM CONSULEM

### SICILIÆ.

E De ſpe ad æternam patriam tenenda.

*Gregorius Paſchali * Conſuli Siciliæ.*

* & Conſolantiæ. Pariſ.

EPiſtolam magnitudinis veſtræ latore præſentium deferente ſuſcepimus. Et licet tempora reſtituendæ pecuniæ in induciis data defluxerint, petitionem tamen veſtram nullo modo duximus contriſtandam. Hadriano itaque

que chartulario noſtro, quem illuc ad regendum eccleſiæ noſtræ patrimonium direximus, de præſenti injunximus quæ vobiſcum exinde loqui debeat, ut nec eccleſiaſtica in aliquo negligatur utilitas, & poſtulatio veſtra ſortiatur effectum. Quia ergo plus de animæ veſtræ ſalute quam de terrenarum rerum utilitate * debemus eſſe ſoliciti, ſalutantes paterno affectu hortamur, ut mens onere tribulationis oppreſſa, contra Deum non murmuret, ne poſt amiſſionem rerum etiam animæ ſequantur diſpendia. Nihil de pravis actibus, nil cum peccato, neceſſitate quaſi faciente, feſtinetis acquirere: ſed ſpem in redemptoris noſtri miſericordia habentes, qui confidentes in ſe non deſerit, tolerabiliter quæ pertuliſtis incommoda ſuſtinete. Erigite animos: tribulatio vires non opprimat: adverſa ſæculi patientia ſuperet: pompam mundi mens ſecura deſpiciat: actio veſtra ſe ad ea quæ Dei ſunt occupet; conſiderantes quam nullum ſit quidquid caſibus ſubjacet, quidquid fine concluditur. Et cor ſe veſtrum ultra quam convenit non affligat, ſed ſtudeat quatenus in omnipotentis Dei protectione jure confidat; qui & non habita donat, amiſſaque reparat, & reparata cuſtodit. Potens eſt enim ſi vos in mandatorum ſuorum via ambulare cognoverit, & hic illata damna multiplici compenſatione ſarcire, & vitam vobis quæ toto magis adniſu petenda eſt, æternam concedere.

* debetis. Pariſ.

## XXVI. AD RUSTICIAM.

Conqueritur de quodam Beatore, qui plurima injuſte faciebat.

*Gregorius * Ruſticæ patriciæ.*

* Ruſticianæ. Pariſ.

QUotiens de urbe regia ad nos aliquis venit, curæ nobis eſt de corporis veſtri ſoſpitate requirere: ſed peccatis meis facientibus ea ſemper audio quæ me tædet audire: quia in tanta tenuitate atque debilitate adhuc in vobis referunt podagræ dolores excreſcere. Sed oro omnipotentem dominum, ut omnia quæ in veſtro corpore aguntur, ad ſalutem animæ dirigantur, ut flagella temporalia æternam quietem vobis præparent, & per eos dolores, qui cum fine ſunt, gaudia vobis ſine fine concedat. Ego autem in tanto gemitu & occupationibus vivo, ut ad dies quos ago me perveniſſe pœniteat, ſolaque mihi conſolatio ſit mortis expectatio. Unde peto ut pro me debeatis orare; quatenus de hoc carnis carcere citius educar, ne tantis laboribus diutius torquear. Præterea indico quemdam hic nomine Beatorem, qui quaſi comes privatorum dici vult, veniſſe, & multa contra omnes agere, maxime autem contra excellentiæ veſtræ homines, vel nobiliſſimarum neptium veſtrarum, quaſi res publicas quærens. Et nos quidem perverſe eum agere non permittimus, ſed neque utilitatibus publicis poſſumus obviare. Vos ergo apud piiſſimos principes, ſicut poteſtis, agite, ut ei agere prava contradicant. Nam cum omni ſtrepitu neque utilitas publica agitur, neque magni eſt compendii quod repetere videtur. Dulciſſimum filium meum domnum Strategium mea peto vice ſalutari, quem omnipotens Deus ſibi vobiſque nutriat, voſque ſemper de ſua gratia & de vita illius conſoletur. De reverſione autem veſtra quid ſcribere debeo, qui quantum eam deſiderem ſcitis. Sed dum cauſſarum obligationes aſpicio, mihi in deſperatione eſt, atque ideo creatorem omnium exoro, ut ubicumque eſtis, ubicumque fueritis, ſuæ vos dexteræ extenſione protegat, atque a malis omnibus conſervet.

## XXVII. AD BONIFACIUM NOTARIUM.

De Joanne Ravennate clerico.

*Gregorius Bonifacio notario * Conſtantinopolitano.*

* Cogitæ. Pariſ.

EA quæ nobis experientia tua de Joanne Ravennate clerico indicavit facere idcirco diſtulimus, quia de qualitate perſonæ abſentis judicare non poſſumus. Sed hortare eum ut ad nos venire feſtinet; quatenus in præſenti mores & perſonæ ipſius qualitatem ſubtiliter addiſcentes, quid de his quæ petit fieri debeat, ſine dubietate aliqua diſponamus.

## XXVIII. AD PHILIPPUM EPISCOPUM.

De obitu Andreæ presbyteri.

*Gregorius Philippo * epiſcopo.*

* presbytero. Pariſ.

SUſcepi epiſtolas dilectionis tuæ, in quibus mihi innoteſcere curavit, quod vir venerabilis Andreas presbyter de hac luce migravit. De cujus ereptione gaviſus ſum, quia ad ea quæ ſemper expetiit gaudia æterna pervenit. De ſolidis vero qui pro faciendo xenodochio a filio noſtro Probo abbate Hieroſolymis relicti ſunt, hoc quod deliberatum fuerat, ut fieri debuiſſet, immutari non potuit. Sed benedictionem parvulam quinquaginta ſolidos ſanctitati veſtræ tranſmiſi. Vos igitur pro me, ſicut credo quia facitis, enixius orate, ut de præſentis vitæ pelago me omnipotens Deus ſua manu eripiat, atque me quieſcere in æternæ vitæ litore concedat. Graves enim hic gladiorum oppreſſiones & cauſſarum tumultus patior. Sed ſi me diligitis, orando monſtrate; quatenus orationis veſtræ interceſſionem ſentiam, & amplius in tot malis atque perturbationibus non affligar. Omnipotens Deus ſua vos manu protegat, & pervenire cum veſtris ad cæleſtia bona concedat.

*Menſe Martii, indictione ſexta.*

## XXIX. AD SAVINUM SUBDIACONUM

De negligentia Proculi epiſcopi.

*Gregorius Savino ſubdiacono regionario.*

QUare venerabilis frater noſter Proculus epiſcopus ab eccleſia ſua diu abfuerit, experientia tua non ignorat. Ad quam quoniam Deo propitio habita nunc, ut oportuit, ſatisfactionis purgatione reverſus eſt, ne forte per ejus abſentiam in aliquo eccleſiæ ipſius ſit neglecta utilitas, aut aliqua ſint de ejus jure ſubtracta, reparare ea vel corrigere cupienti, illi

illi in omnibus æquitate ſervata ſolatiari te volumus atque concurrere: ut tua opitulatione ſuffultus, in his quæ ab eo agenda ſunt, nec difficultatem aliquam quorumdam impedimento ſuſtineat, nec diutius debeat laborare

## XXX. AD EUMDEM.

De abſentia Proculi epiſcopi.

*Gregorius Savino ſubdiacono regionario.*

PErvenit ad nos reverendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum * Proculum ita, quod dici grave eſt, eccleſiæ ſuæ vel parochiarum cauſſas & utilitates negligere, ut non ſolum res aliquas vel mancipia earum, ſed etiam & miniſteria apud diverſos eſſe incaute patiatur. Quod ita eſſe hoc etiam in nobis ex parte aliqua innuit ac confirmat, quod Gregorius lator præſentium, qui juris ſe Emolitanæ eccleſiæ, quæ in ejus diœceſi conſtituta eſt, eſſe perhibet, ab alio ſe indebite eo præſente quæritur ſervitio ſubjugari. Ideoque experientia tua prædictum fratrem noſtrum ſtudeat commonere, ut res eccleſiarum vel parochiarum ſuarum ſive miniſteria rationabiliter vendicet atque defendat, & ab aliis detineri nullo modo patiatur. In qua re ne quam forte excuſationem valeat invenire, tua ei volumus ſalva æquitate adeſſe ſolatia. Quem ſi forte, ut hactenus extitit, videris eſſe negligentem, ea, quæ eum facere oportuerat, te agere volumus & implere in omnibus; quatenus eccleſiarum utilitas nulla occaſione depereat, ſed & nobis quæque acta fuerint renuntiare feſtina, ut a nobis quid poſt hoc facere debeas inſtruaris. Data menſe Martii, indictione VI.

* Palumbum quod. *Pariſ.*

## XXXI. AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

De increpanda deſidia Paſchaſii epiſcopi, qui relicta ſacerdotali cura naves fabricabat.

*Gregorius Anthemio ſubdiacono Campaniæ.*

PErvenit ad nos fratrem & coepiſcopum noſtrum Paſchaſium ita deſidem negligentemque in cunctis exiſtere, ut in nullo quia eſt epiſcopus agnoſcatur: adeo ut neque eccleſia ipſius, neque monaſteria, ſive filii eccleſiæ, vel oppreſſi pauperes ejus erga ſe dilectionis ſtudium ſentiant, nec aliquam ſupplicantibus ſibi his in quibus juſtum eſt opem defenſionis accommodet: & quod adhuc dici eſt gravius, conſilia ſapientium, & recta ſuadentium nulla patiatur ratione ſuſcipere, ut quod per ſe nequit attendere, ab alio ſaltem poſſit addiſcere: ſed rebus quæ ad paſtoris curam pertinent prætermiſſis, ad fabricandum naves toto ſe ſtudio inutiliter occupare. Unde, ſicut fertur, contigit quadringentos illum aut amplius jam ſolidos perdidiſſe. Hoc quoque ejus culpis adjungitur, quod ita quotidie deſpectus cum uno aut duobus clericis dicitur ad mare deſcendere, ut & apud ſuos in fabula ſit, & extraneis ſic vilis ac deſpicabilis videatur, ut nihil habere epiſcopalis vel genii, vel reverentiæ judicetur. Quod ſi ita eſt, non ſine culpa tua eſſe cognoſcas, qui eum objurgare atque coercere, ut dignum eſt, diſtuliſti. Quia ergo hoc totum non ſolum ipſum reprobat, ſed etiam ad ſacerdotalis officii pertinere probatur opprobrium, volumus ut eum coram aliis ſacerdotibus, vel quibuſdam de filiis ſuis nobilibus conteſtari pro hac re debeas ac hortari, ut vitio torporis excuſſo, deſes eſſe non debeat: ſed in eccleſiæ ſuæ ac monaſteriorum cura ſit vigilans, paternam filiis ſuis caritatem exhibeat, in defenſionem pauperum cum diſcretione, in quibus juſtitia ſuaſerit, ſit erectus, conſilia ſapientum libenter ſuſcipiat; quatenus & civitas illa ejus queat ſolicitudine conſolari, & ipſe deſidiæ ſuæ culpas valeat operire. Si vero, quod non credimus, poſt hanc adhortationem noſtram ſolito adhuc more negligens eſſe tentaverit, ad nos eſt modis omnibus tranſmittendus, ut hic poſitus diſcere poſſit, quid vel qualiter ſecundum timorem Dei agere conveniat ſacerdotem. Data menſe martii, indictione VI.

## XXXII. AD EUMDEM.

De facinoribus Benenati Meſſenatis epiſcopi.

*Gregorius Anthemio ſubdiacono.*

COmperimus Benenatum * Meſſenatem facinus quod de ſe per ſcripturam manus prius profeſſus eſt, abnegare. Et ideo quia hujus ſceleris negatio ſicut majori diſcuſſione, ita & majori indiget ultione, experientiæ tuæ præſenti auctoritate præcipimus, ut eumdem Benenatum accuſatoremque ipſius, ſimul & perſonas de quibus accuſatus eſt, atque omnes qui in accuſationis chartula leguntur, ſub omni huc cautela & celeritate tranſmittat; quatenus cauſſæ hujus veritas diſtricta ut dignum eſt inquiſitione examinari valeat & agnoſci.

*In Pariſ.* transfertur ad indict. II. cum ſequenti.
* Miſenatem.

## XXXIII. AD EUMDEM.

De Benenato Meſſenate epiſcopo, qui pecuniam pro communi utilitate datam ſibi applicaverat.

*Gregorius Anthemio ſubdiacono.*

PErvenit ad nos quondam Benenatum Meſſenatem epiſcopum pro conſtruendo illic caſtro ſolidos accepiſſe. Et quia pars eorum ſolidorum apud eum dicitur remanſiſſe, experientia tua ſubtili indagatione perquirat, & ſi quid manifeſte de ipſis ſolidis cognoveris remanſiſſe. Comitatio comiti prædictæ civitatis ſub deſuſcepti illud pagina contradat, atque immineat ut in conſtructione ejuſdem loci, ſicut ſunt dati, Deo adjuvante proficiant: quia ratio nulla permittit, ut propriis cujuſquam uſibus applicetur quod pro communi utilitate datum eſſe cognoſcitur.

XXXIV.

## XXXIV. AD MARINIANUM EPISCOPUM RAVENNATEM.

De infirmitate & medicamine ejus.

* *Gregorius Mariniano epiſcopo Ravennæ.*

* tranſmutur in Pariſ. ad indict. IV.

MUlta nos, frater cariſſime, cogit infirmitas, ex quibus ſi ſani eſſemus, jure reprehenſibiles videremur. Sed quia aliter ſubſiſtere in hoc fragili corpore poſiti non valemus, niſi ejus languoribus ſerviamus, erubeſcere quod imponit neceſſitas non debemus. Et ideo quoniam eruptionem ſanguinis patientibus jejunia medici omnino dicunt eſſe contraria; his fraternitatem tuam hortamur affatibus, ut reducens ad animum ea quæ eſt ſolita de ægritudine ſuſtinere, jejunandi ſibi laborem minime imponat. Si autem Deo miſerante adeo melioratam ſe eſſe, ac virtutem ſuam ſufficere poſſe cognoſcit, ſemel aut bis in hebdomada jejunare permittimus. Sed illud te præ omnibus ſtudere convenit, ut exaſperationem ſentire nullo modo debeas, ne ægritudo quæ modo levior eſt & quaſi ſuſpenſa creditur, per exacerbationem poſtmodum gravior ſentiatur.

## XXXV. AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

De negligentia & deſidia epiſcoporum Campaniæ.

*Gregorius Anthemio Subdiacono Campaniæ.*

QUotiens illa de fratribus coepiſcopiſque noſtris audimus; quæ & illos reprehenſibiles oſtendere, & nobis triſtitiam valeant generare, de eorum nos emendatione non mediocriter cogit neceſſitas cogitare. Quia ergo nuntiatum nobis eſt Campaniæ epiſcopos ita negligentes exiſtere, ut immemores honoris ſui geniique neque erga eccleſias, neque erga filios ſuos paternæ vigilantiæ curam exhibeant, vel monaſteriorum ſolicitudinem gerant, ſeu in oppreſſorum & pauperum ſe tuitionem impendant; ideo hac tibi auctoritate præcipimus, ut eis a te convocatis, ex noſtro illos mandato diſtricte commoneas; quatenus deſides ulterius eſſe non debeant: ſacerdotalem ſe habere zelum & ſolicitudinem opere doceant, atque ita in his quæ eos juſte ſecundum Deum agere convenit vigilantes exiſtant, ut nullum nos de eis denuo murmur exaſperet. Si quem vero eorum poſt hæc negligentem eſſe cognoveris, ad nos eum ſine aliqua excuſatione tranſmitte: ut quam ſit grave nolle ab his quæ reprehenſibilia & valde vituperanda ſunt corrigi, regulari in ſe valeant diſtrictione ſentire.

## XXXVI. AD JOANNEM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

De Coſma, & de benignitate erga ſubjectos.

*Gregorius Joanni epiſcopo Syracuſano.*

QUorumdam ad nos relatione pervenit Coſmam, qui ex monacho monaſterii ſanctæ Luciæ a deceſſore veſtro memorandæ memoriæ Maximiano in eccleſia Syracuſana factus ſubdiaconus, atque a vobis poſtea in poſſeſſione quæ Juliana dicitur, presbyter eſt ordinatus, ita nimia triſtitia & loci qualitate vehementer afflictum, ut vitam ſibi pœnam exiſtimet, & contritionis ſuæ fuga quærat auxilium. Et ideo quia tales erga ſubjectos noſtros debemus exiſtere, quales nobis, ſi ſubjecti fuiſſemus, noſtros volueramus eſſe præpoſitos, magnæ benignitatis eſt, ſi eum in eccleſia ubi ſubdiaconi eſt functus officio, ſanctitas veſtra reducere, atque illic presbyterum voluerit conſtituere cardinalem. Quod & facere quantum arbitramur debetis; ſi tamen nihil eſt quod juſte contra ipſum animos veſtros exaſperet. Si vero aliqua culpa eſt, ſuis nobis hoc epiſtolis fraternitas veſtra ut ſcire poſſimus inſinuet. Data menſe Aprili, indictione VI.

## XXXVII. AD DEUSDEDIT EPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

De querimonia Theodori epiſcopi.

*Gregorius Deuſdedit epiſcopo Mediolanenſi.*

FRater & coepiſcopus noſter Theodorus multa queritur ſe contra juſtitiam atque promiſſionem tuæ ſanctitatis perpeti, quæ nos facile non duximus credenda. Sed quia hæc relinquere ſine inquiſitione non poſſumus, fratri & coepiſcopo noſtro Venantio ejus cauſſam deputavimus ventilandam, ut ſubtiliter ipſe cognoſcat, nobiſque renuntiet. Tua itaque fraternitas eumdem epiſcopum cum defenſore eccleſiæ ſuæ ſub feſtinatione ad prædictum fratrem dirigat, ut nos, ejuſdem negotii cognita veritate, ſuis ipſe epiſtolis certiores reddat.

## XXXVIII. AD PHOCAM IMPERATOREM.

Docet peſſimos reges ad populi peccata deprimenda conſtitui: hortaturque ut reipublicæ afflictæ ſubveniat.

*Gregorius Phocæ Auguſto.*

G*Loria in excelſis Deo*, qui juxta quod ſcriptum eſt, *mutat tempora, & transfert* Luc. 2. Daniel. 1.
*regna*: & quia hoc cunctis innotuit, quod per prophetam ſuum loqui dignatus eſt dicens: Daniel. 4.
*Quia dominatur excelſus in regno hominum, & cui voluerit, ipſe dat illud.* In omnipotentis quippe Dei incomprehenſibili diſpenſatione alternatim vitæ mortalis ſunt moderamina, & aliquan-

injuſtorum. * [illegible] in Pariſ.

aliquando cum * injuſtorum multorum pecca- A ta ferienda ſunt, unus erigitur per cujus duritiam tribulationis jugo ſubjectorum colla deprimantur: quod in noſtra diutius afflictione probavimus. Aliquando vero cum miſericors Deus mœrentium multorum corda ſua decrevit conſolatione refovere, unum ad regiminis culmen provehit, * per cujus miſericordiæ viſcera in cunctorum mentibus exultationis ſuæ gratiam infundit. De qua exultationis abundantia roborari nos citius credimus, qui benignitatem veſtræ pietatis ad imperiale faſtigium perveniſſe gaudemus. *Lætentur cæli, & exultet terra*, & de veſtris benignis actibus univerſæ reipublicæ populus nunc uſque vehementer afflictus hilareſcat. Comprimantur jugo do- B minationis veſtræ ſuperbæ mentes hoſtium. Releventur veſtra miſericordia contriti ac depreſſi animi ſubjectorum. Virtus cæleſtis gratiæ inimicis terribiles vos faciat, pietas ſubditis benignos. Quieſcat feliciſſimis temporibus veſtris univerſa reſpublica, prolata ſub cauſſarum imagine præda pacis. Ceſſent teſtamentorum inſidiæ, donationum gratiæ violenter exactæ. Redeat cunctis in rebus propriis ſecura poſſeſſio, ut ſine timore habere ſe gaudeant quæ non ſunt eis fraudibus acquiſita. Reformetur jam ſingulis ſub jugo imperii pii libertas ſua. Hoc namque inter reges gentium & reipublicæ imperatores diſtat, quod reges gentium domini ſervorum ſunt, impe- C ratores vero reipublicæ domini liberorum. Sed melius hoc orando quam ſuggerendo dicimus. Omnipotens Deus in cuncta cogitatione & opere cor veſtræ pietatis ſuæ gratiæ manu teneat, & quæque juſte, quæque clementer agenda ſunt, inhabitator veſtri pectoris Spiritus ſanctus benigne diſponat: ut de temporali regno veſtra clementia poſt multorum annorum curricula ad cæleſtia regna pertingat. Data menſe Junii, indictione VI.

* & per ejus. Pariſ.

## XXXIX. AD EUSEBIAM.

Hortatur ad ſalutem animæ ſuæ.

*Gregorius Euſebiæ patriciæ.*

ETſi occupata mens veſtra divitiis, aut fortaſſe regiæ civitatis tumultuoſis implicationibus, nos per epiſtolas ſuas viſitare poſtponit; noſtrum eſt tamen etiam adverſa filiorum corda dulci caritate proſequi, eaque ad benignum animum & admonendo & orando revocare. Unde nunc debitum ſalutationis alloquium ſolvens hortor, ut excellentia veſtra a civitatis illius ſuperfluis tumultibus animum avertat, pluſque ea quæ animæ, quam quæ ſunt corporis cogitet. Tranſitoria eſſe omnia perpendat. Venturi judicis examen tremendum cum metu & lacrymis quotidie ſine ceſſatio- E ne conſideret, illumque diem in quo perturbanda ſunt omnia cum timore ad animum reducat, ut iram judicis in ipſo jam die non timeat. Omnipotens autem Deus hæc veſtris cogitationibus aſpiratione ſui ſpiritus infundat, voſque & hic cum nobiliſſimo conjuge veſtro & tranquille vivere, & de domni Strategii ſalute gaudere faciat, atque poſt longa tempora ad æterna præmia pervenire concedat.

## XL. AD SMARAGDUM EXARCHUM.

De violentia Severi contra Firminum epiſcopum ab Iſtricorum erroribus reverſum.

*Gregorius Smaragdo patricio exarcho.*

OLim novimus, excellentiſſime fili, quo deſiderio, quave converſione animi, pro * adjuvanda Dei eccleſia in Iſtriæ videlicet partibus, zelo redemptoris noſtri, amore æternæ mercedis, ſtudii veſtri fervor extiterit. Quod cum ita ſit, ea quæ nobis de illis nuper ſunt partibus nuntiata, ad veſtram non B deſtitimus perferre notitiam. Firminus ſiquidem frater & coepiſcopus noſter Tergeſtinæ antiſtes eccleſiæ, ante adventum veſtræ excellentiæ ſalubri conſilio ab ſchiſmate, cui inhæſerat, reſipiſcens, atque ad unitatem matris eccleſiæ rediens, noſtris eſt epiſtolis confirmatus, quatenus in vero quem cognoverat ſinu matris eccleſiæ fortitudine animi fixus ac ſtabilis permaneret. Quo audito Severus Gradenſis epiſcopus, ejuſdem caput ſchiſmatis, eum diverſis præmiorum cœpit ſi poſſet ſuaſionibus a bono revocare propoſito. Quod dum perficere Deo auctore minime valuiſſet, ſeditionem illi ſuorum civium excitare non timuit. Quanta vero prædictus frater & coepi- C ſcopus noſter Firminus ex eadem immiſſione pertulerit, plenius illic ac verius a vicino poteritis agnoſcere. Directis itaque excellentiæ veſtræ juſſionibus his qui in Iſtriæ partibus locum veſtrum agere Deo auctore noſcuntur, diſtrictius jubetote, quatenus & ſæpedictum fratrem noſtrum ab illatis debeant defenſare moleſtiis, & quietem illius multis ad imitandum profuturam modis omnibus procurare, ut hæc veſtra proviſio & converſorum ſit optata ſecuritas, & occaſio apta ſequentium. Excellentiam quapropter veſtram paterno ſalutantes affectu petimus, ut zeli veſtri in hac cauſſa olim exhibiti nunc vehementius fervor incandeat, tantoque vos contra hoſtes Dei D vindices defenſoreſque reperiant, quanto apud Deum pretioſior eſt animæ, quam defenſio corporis. Armet vos contra devios ipſa quæ in vobis fidei viget rectitudo, redintegretur veſtris temporibus quod in illis eſt partibus ſciſſum corpus eccleſiæ. Habetis in hac cauſſa retributorem veſtri operis, rectitudinis ac integritatis auctorem. De divina namque miſeratione confidimus, quod tanto exteriores hoſtes noſtri valentiores vos contra ſe reperient, quanto vos inimici rectæ fidei divino in ſe ſenſerint amore terribiles. Præterea duas ad * Tilquinum epiſtolas miſimus, ſi pacem, quæ ab excellentia veſtra in triginta diebus facta eſt cuſtodiret: & reſcripſit eam ſe ſer- E vaturum, ſi tamen ipſi a reipublicæ partibus fuerit cuſtodita. Homines autem illos quos tenuerat, omnes cum rebus ſuis relaxavit. Sed de occiſis hominibus ſuis valde dolet, atque de vobis vehementer ſuſpectus eſt: quia ſi, quod Deus avertat, locum invenerit, etiam in pace eum non eſt dubium exceſſurum. Ad Piſanos autem hominem noſtrum dudum qualem debuimus, & quomodo debuimus, tranſmiſimus, ſed obtinere nil potuit. Unde & dromones eorum jam parati ad egrediendum nuntiati ſunt.

* adunanda. Pariſ.

* Cillanem. Pariſ.

XLI.

## XLI. AD PANTALEONEM NOTARIUM.

De menſura ruſticorum injuſta.

*Gregorius Pantaleoni notario.*

EXperientia tua quod vel quale apud ſacratiſſimum corpus beati Petri apoſtoli juſjurandum præbuerit memor eſt. Unde nos quoque ſecuri diſcuſſionis tibi cauſſam in patrimonio partis Syracuſanæ commiſimus. Oportet ergo te fidem tuam & ejuſdem beati Petri apoſtoli timorem ſemper ante oculos habere, atque ita agere, ut neque ab hominibus in præſenti vita, neque ab omnipotente Deo in extremo judicio valeas reprehendi. * Valerio ſiquidem chartulario noſtro narrante cognovimus, quia modium cum quo coloni eccleſiæ frumenta dare compellebantur, xxv. ſextariorum inveneris. Quod omnino execrati ſumus, atque eamdem excuſſionis cauſſam tarde feciſſe doluimus. Quia ergo eumdem modium, te fregiſſe, & juſtum feciſſe commemoras, gaviſi ſumus. Sed quia prædictus chartularius ſummam nobis quoque indicare ſtuduit, quæ de fraudibus conductorum apud experientiam tuam jam de duobus territoriis eſt collecta, ſicut te ſtudioſe feciſſe fracto injuſto modio gaudemus, quia in futuro nobis proſpicimus: ita etiam de peccatis præteritis cogitamus, ne ſi ea quæ fraudulenter conductores a ruſticis abſtulerunt, ad nos perveniunt, peccata quæ ab ipſis perpetrata ſunt ad nos trahantur. Et ideo volumus cum omni fide, omni puritate, conſiderato timore omnipotentis Dei, reducta ad memoriam diſtrictione beati Petri apoſtoli, per unamquamque maſſam colonos pauperes & indigentes experientiam tuam deſcribere, atque ex eis pecuniis quæ in fraudibus ſunt inventæ, vaccas, ovos porcoſque comparare, & ſingulis colonis * pauperioribus ea diſtribuere. Quod facere te cum conſilio viri reverendiſſimi domni Joannis epiſcopi atque Hadriani chartularii noſtri & rectoris volumus. Si autem neceſſe propter conſilium fuerit, etiam filius noſter domnus Julianus debet adhiberi, ita ut nullus alius agnoſcat, ſed omnino ſecretum ſit. Vos ergo inter vos pertractate, utrum in auro aut certe in pecuniis eiſdem colonis pauperibus dari eadem continentia debeat. Quidquid vero communiter ſteterit, prius deſc.iptionem, ſicut dixi, facito, & poſtmodum ſingulis juxta qualitatem ſuæ paupertatis diſtribuere ſtude. *Ego* enim, ſicut magiſter gentium teſtatur, *habeo omnia, & abundo:* nec pecunias, ſed mercedem quæro. Ita ergo age, ut in die judicii, de cauſſa mercedis quæ experientiæ tuæ commiſſa eſt, * fructum quem feceris oſtendas. Quod ſi pure, fideliter & ſtrenue egeris, & hic illud in filiis tuis recipies, & poſtmodum retributionem plenariam in æterni judicis examine habebis.

[* Salerio. Pariſ.] [* pauperibus. Pariſ.] [Philipp. 4.] [* mihi fructum. Pariſ.]

## XLII. AD CATULUM, ROMANUM ET VICTOREM.

Quod qui in ſacro ordine conſtituti ſunt, cum mulieribus habitare non debeant.

*Gregorius Catulo, Romano & * Victori.*

PErvenit ad nos quod qui ſunt in ſacro ordine conſtituti in territorio Nurſino cum mulieribus extraneis habitent. Quod quia * grave & valde indecens eſt, Optato defenſori præcepimus ut eos debeat adhortari, quatenus, ſi ita eſt, nullus eorum cum extraneis mulieribus de cetero audeat habitare. Quod ſi forte adhortationem ejus neglexerint, hoc quoque ei injunximus, ut ad notitiam fratris & coepiſcopi noſtri Chryſanthi illud perducere debeat, dummodo aut per illum corrigantur, aut cum ejus auctoritate prædictus defenſor ſtudeat emendare. Et ideo magnitudo veſtra in hoc capitulo, ſicut eam condecet, concurrat, atque eumdem deſuper fratrem habeat in omnibus commendatum, ut vobis ſolatiantibus & quæ ei injuncta ſunt ſalubriter expleat, & in aliis contra rationem laborare non valeat.

[* Viatorib. Pariſ.] [* al. ignarum.]

## XLIII. AD CHRYSANTHUM EPISCOPUM SPOLETINUM.

Ut ſacerdotes Nurſiæ cum mulieribus cohabitantes coerceat.

*Gregorius Chryſantho epiſcopo Spoletino.*

EX quorumdam relatione cognovimus ſacerdotes territorii Nurſini cum mulieribus extraneis commanere. Pro qua re valde nos fraternitas tua contriſtatos agnoſcat, quæ dudum talia, ſi tamen cognovit, minime paſſa eſt coerceri. Sed quoniam Optato præcipimus defenſori, ut hæc debeat modis omnibus emendare, ſi quiſquam ex eis in tali capitulo contumax voluerit apparere, ad fraternitatis tuæ eum debeat evocare judicium. Ideoque ſanctitati tuæ neceſſario duximus ſcribendum, ut ſi quos de ſacerdotibus ad tuam diœceſim pertinentibus cum extraneis mulieribus cognoverit habitare; vel certe de quibus antedictus Optatus tuæ renuntiaverit ſanctitati, procaces invenerit, admonitione ſacerdotali præmiſſa, &, ſi res ita exegerit, etiam canonicam adhibens diſciplinam, de cætero emendare feſtinet; quia nos audire talia nulla patimur ratione. Sed & presbyterum, quem dicunt ſ.ne Dei reſpectu plurimis violentias irrogare, admonere eum vel increpare pro talibus fraternitas tua ſtudeat. Qui ſi te audire noluerit, a communione eum ſuſpende, ut vel ſic incipiat a pravis ſe actibus removere.

*Menſe Julii, indictione ſexta.*

## XLIV. AD JOANNEM EPISCOPUM PANORMITANUM.

De uſu pallii.

*Gregorius epiſcopo Panormitano.*

APoſtolicæ ſedis grata benevolentia provocati, fraternitati tuæ, quam Panormitanæ eccleſiæ ſpeculatoris conſtat ſuſcepiſſe officium, Pallii uſum prævidimus concedendum, illis videlicet temporibus, atque eo ordine, B ut alios quoque in inſula Siciliæ ſacerdotes vel deceſſores tuos uſos eſſe non ambigis. Illud autem admonemus ut apoſtolicæ ſedis reverentia nullius præſumptione turbetur: tunc enim ſtatus membrorum integer manet, ſi caput fidei nulla pulſet injuria, & canonum manet incolumis atque intemerata ſemper auctoritas. Et ſicut a nobis hujuſcemodi decoris uſus ad ſacerdotalis officii honorem accepiſſe te gaudes, ita etiam morum atque actuum probitate ſuſceptum adornare contendas officium. Sic etenim alterno eris invicem decore conſpicuus, ſi ad hujuſcemodi corporis habitum mentis quoque tuæ bona concordent.

## XLV. AD PHOCAM IMPERATOREM.

De reſponſalibus apoſtolicis, qui in palatio imperatoris permanebant.

*Gregorius Phocæ Auguſto.*

COnſiderare cum gaudiis & magnis actionibus gratiarum libet, quantas omnipotenti domino laudes debemus, quod remoto jugo triſtitiæ ad libertatis tempora ſub imperiali benignitatis veſtræ pietate pervenimus. Nam quod permanere in palatio, juxta antiquam conſuetudinem, apoſtolicæ ſedis diaconum veſtra ſerenitas non invenit, non hoc D meæ negligentiæ, ſed graviſſimæ neceſſitatis fuit: quia dum miniſtri omnes hujus noſtræ eccleſiæ tam contrita aſperaque tempora cum formidine declinarent atque refugerent, nulli eorum poterat imponi, ut ad urbem regiam in palatio permanſurus accederet. Sed poſtquam veſtram clementiam, omnipotentis Dei gratia diſponente, ad culmen imperii perveniſſe cognoverunt, ipſi quoque ſuadente lætitia ad veſtra veſtigia venire feſtinant, qui prius illuc accedere valde timuerant. Sed quia eorum quidam ita ſenectute ſunt debiles, ut laborem ferre vix poſſint, quidam eccleſiaſticis curis vehementer implicantur, & lator præſentium, qui primus omnium defenſor fuit, E bene mihi ex longa aſſiduitate compertus, vita, fide ac moribus approbatus, hunc aptum, pietatis veſtræ veſtigiis judicavi. Unde eum auctore Deo diaconum feci, & ſub celeritate tranſmittere ſtudui, qui cuncta quæ in his partibus aguntur, invento opportuno tempore, valeat clementiæ veſtræ ſuggerere. * Propter quod rogo, ut ſerenitas veſtra ei pias aures inclinare dignetur, ut tanto nobis valeat celerius miſereri, quanto afflictionem noſtram verius ex ejus relatione cognoverit. Qualiter A enim quotidianis gladiis, & quantis Longobardorum incurſionibus ecce jam per triginta quinque annorum longitudinem premimur, nullis explere vocibus ſuggeſtionis valemus. Sed in omnipotente domino confidimus, qui quæ cœpit conſolationis ſuæ nobis bona perficiet. Et qui ſuſcitavit in republica pios dominos, etiam extinguet crudeles inimicos. Sancta itaque Trinitas vitam veſtram per tempora longa cuſtodiat, ut de bono veſtræ pietatis quod tarde ſuſcepimus diutius gaudeamus.

* Cu rogo. *Parſ.*

## XLVI. AD LEONTIAM AUGUSTAM.

Gratulatur Auguſtæ de dignitate quam fuerat aſſecuta: & hortatur eccleſiam ſancti Petri ſpecialitèr honorare.

*Gregorius Leontiæ Auguſtæ.*

QUæ lingua loqui, quis animus cogitare ſufficiat quantas de ſerenitate veſtri imperii omnipotenti Deo gratias debemus, quod tam dura longi temporis pondera cervicibus noſtris amota ſunt, & imperialis culminis leve jugum ſubiit quod libeat portare * ſubjectis? Reddatur ergo creatori omnium ab hymnidicis angelorum choris gloria in cælo, perſolvatur ab hominibus gratiarum actio in terra: C quia univerſa reſpublica, quæ multa mœroris pertulit vulnera, jam nunc conſolationis veſtræ invenit fomenta. Unde nobis neceſſe eſt omnipotentis Dei miſericordiam enixius exorare, ut cor veſtræ pietatis ſua ſemper dextera teneat, ejuſque cogitationes cæleſtis gratiæ ope diſpenſet: quatenus tranquillitas veſtra tanto rectius valeat ſibi ſervientes regere, quanto dominatori omnium noverit verius deſervire. In amore catholicæ fidei faciat defenſores ſuos, quos fecit ex benigno opere imperatores noſtros. Infundat in veſtris mentibus zelum ſimul & manſuetudinem, ut ſemper pio fervore valeatis & quidquid in Deo exceditur non inultum relinquere, & ſi quid D in vos delinquitur parcendo tolerare. Det * vobis in veſtra pietate Pulcheriæ Auguſtæ clementiam, quæ pro zelo catholicæ fidei in ſancta ſynodo Helena nova vocata eſt. Omnipotens Dei miſericordia largiora vobis cum piiſſimo domino ſpatia vivendi concedat, ut quo veſtra longius vita extenditur, ſubjectorum omnium conſolatio validius confirmetur. Rogare forſitan debui, ut eccleſiam beati Petri apoſtoli, quæ nuncuſque gravibus inſidiis laboravit, haberet veſtra tranquillitas ſpecialiter commendatam. Sed quia ſcio, quia omnipotentem Deum diligitis, non debeo petere quod ſponte ex benignitate veſtræ pietatis exhibetis. Quanto enim plus timetis conditoE rem omnium, tanto amplius ejus poteſtis eccleſiam amare, cui dictum eſt: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam:* & cui dicitur: *Tibi dabo claves regni cælorum; & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælo: quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælo.* Unde nobis dubium non eſt quam forti amore ad eum vos ſtringitis, per quem ſolvi ab omnibus peccatorum nexibus deſideratis. Ipſe ergo ſit veſtri cuſtos imperii, ſit vobis protector in terra, ſit

* redlit. *Parſ.*
* nobis. *Parſ.*
Act. 6. ſynod. Chalc.

ra, ſit pro vobis interceſſor in cælo, ut per hoc quod relevatis duris ponderibus in veſtro imperio ſubjectos gaudere facitis, poſt multa annorum tempora in cæleſti regno gaudeatis.

## XLVII. AD CYRIACUM PARIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM.

De pace & unitate ſanctæ eccleſiæ, & de univerſalis vocabulo fugiendo.

*Gregorius Cyriaco patriarchæ Conſtantinopolitano.*

QUanta ſit pacis virtus, cariſſime frater, ex voce dominica diligentius intuentes, quæ ait; (*Pacem relinquo vobis*), *pacem meam do vobis*; ita in ejus nos decet dilectione perſiſtere, ut locum præbere diſcordiæ nullo modo debeamus. Sed quia in radice ipſius vivere aliter non valemus, niſi mente & actu humilitatem, quam ipſe auctor pacis docuit, teneamus; cum ea caritate qua dignum eſt ſuademus, ut profanam elationem, quæ animabus ſemper adverſa eſt, cordis pede calcantes perverſi ſuperbique vocabuli ſcandalum eccleſiæ auferre de medio feſtinetis, ne a pacis noſtræ ſocietate diviſi inveniri poſſitis. Sed unus in nobis ſpiritus, una mens, una caritas, una in Chriſto, qui ſua membra eſſe nos voluit, ſit compago concordiæ. Nam quam durum, quam indecens, quam crudele, quamque a ſacerdotali propoſito ſit extraneum pacem illum, quam aliis prædicat, non habere, ſanctitas veſtra conſideret, & ſuos de ſuperbia fratres ſcandalizare abſtineat. Sed hæc magis ſtudeat, ut vanæ aut ſuperfluæ elationis auctorem humilitatis queat enſe proſternere, quatenus ex ejuſmodi victoria ſuum vos habitaculum ſancti Spiritus gratia ſibi vindicet, & aperte impleatur in vobis quod ſcriptum eſt: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*. Præſentium vero portitorem dilectiſſimum communem filium Bonifacium diaconum vobis in omnibus commendamus, ut quocumque neceſſe fuerit ſolatia veſtræ, ſicut decet, inveniat ſanctitatis.

* ausalis inclusa desunt in Parif. Joann. 14.

1 Cor. 6.

## XLVIII. AD EULOGIUM PATRIARCHAM ALEXANDRINUM.

De puero ordinato in diaconum, & de ſimoniaca hæreſi tollenda.

*Gregorius Eulogio * patriarchæ Alexandrino.*

* epiſcopo. Parif.

QUadam die inter me & familiares meos de conſuetudinibus eccleſiarum cum ſermo fuiſſet exortus, quidam qui in magna civitate Alexandrina medicinali arte erat imbutus, collectorem ſe apud ſophiſtam ſuum habuiſſe perhibuit, ſummæ pravitatis puerum, quem repente dixit eſſe diaconum ordinatum. Atque addidit quod per præmia & * donationes ordinatus fuiſſet, quia eamdem conſuetudinem in ſancta Alexandrina eccleſia convaluiſſe fatebatur. Quod ego audiens obſtupui, & valde miratus ſum: quia ſanctiſſimi ac beatiſſimi viri domni Eulogii lingua, quæ tam multos hæreticos ad fidem catholicam revocat, ſimoniacam hæreſim de ſancta Alexandrina eccleſia non eraſit. Et quis erit cujus exhortatio vel correctio hoc poterit emendare, ſi magna & admirabilis doctrina ejus hoc ſine emendatione reliquerit? Unde pro abſolutione animæ veſtræ, proque augmento mercedis veſtræ, ut ante tremendi oculos judicis veſtra in omnibus perfecta ſint opera, feſtinare debetis ſimoniacam hæreſim, quæ prima in eccleſia exorta eſt, a ſanctiſſima ſede veſtra, quæ noſtra eſt, funditus evellere atque eradicare. Propter hoc etenim contigit, ut eccleſiaſticorum ordinum a plurimis ſanctitas caderet, quia perſonæ non pro vita & actibus, ſed pro præmiis ad eos ordines adducuntur. Si autem morum merita & non præmia quærantur, ad ordinationem perſonæ indignæ non venient: & tanto plus incipiet vobis merces accreſcere, quanto boni quique, qui adducti ad ſacros ordines fuerint, de animarum lucris ſtuduerint cogitare.

* donationes. Parif.

## XLIX. AD EUMDEM.

De verbo Dei inſtantius prædicando.

*Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino.*

MAgnas omnipotenti Deo gratias reddimus, quia in ore cordis * dulcis ſit ſapor caritatis, cum impletur quod ſcriptum eſt: *Sicut aqua frigida ſitienti, ſic nuntius bonus de terra longinqua*. Ante hoc enim temporis Bonifacii chartularii reſponſalis mei, qui in urbe regia demoratur, vehementer me ſcripta turbaverunt, quæ dicebant dulciſſimam mihi atque ſuaviſſimam ſanctitatem veſtram defectum corporei luminis pertuliſſe. Ex quibus ſcriptis gravi mœrore percuſſus ſum. Sed ſubito, creatoris ac redemptoris noſtri gratia proſperante, beatitudinis veſtræ ſuſcepi epiſtolam, & ſanam de ea quam audivi corporis moleſtia agnoſcens, exultavi vehementer, quia tanta lætitia cordis ſecuta eſt, quanta prius triſtitiæ amaritudo præceſſerat. Scimus enim quia in omnipotentis Dei adjutorio multorum ſalus eſt vita veſtra. Nam tunc inter fluctus nautæ ſecuri navigant, quando gubernator doctus atque artifex ad clavi regimen ſedet. In ſalutis autem veſtræ gaudio hæc quoque mihi eſt exultatio addita, quia & imminutos ore veſtro eccleſiæ hoſtes, & multiplicatos dominicos greges agnovi. Creſcunt enim quotidie per linguæ veſtræ vomerem grana cæleſtia, atque in ſupernis horreis multiplicantur, ita ut in vobis impletum eſſe gaudeamus quod ſcriptum eſt: *Ubi plurimæ ſegetes, ibi manifeſta fortitudo boum*. Unde aperte colligimus, quia quantum plus ad ſervitium Dei omnipotentis fugitivos ejus reducitis, tantum apud eum majus meritum habetis. Et quanto meritum majus accipitis, tanto poteſtis amplius impetrare quæ petitis. Rogo ergo, ut pro me peccatore enixius oretis, quia & dolor corporis, & amaritudo cordis, & immenſa vaſtitas mortalitatis inter tot barbarorum gladios me vehementer affligit. Inter quæ omnia non temporalem ſed æternam conſolationem requiro, quam per me impetrare non valeo, ſed interceſſione veſtræ beatitudinis hanc me obtinere confido. Secundo vero anno nulla ſanctitatis veſtræ ſcripta ſuſcepi, atque omnino contriſtatus ſum. Et quidem veſtra benedictio, quam ſine epi-

* experimento dulcis Parif. Prov. 25.

Prov. 14.

ſtola tranſmiſiſtis, data atque ſuſcepta eſt. Sed quia plus me lingua veſtra quam data lætificant, minoris gratiæ eſſe credidi quæ dabantur. Communem autem filium Epiphanium diaconum Alexandro atque Iſidoro ſanctiſſimæ eccleſiæ veſtræ diaconis feci ſcribere, ut conſtaret quia ea quæ tranſmiſſa ſunt ſuſcepiſſem. Scripſi vero quia grandia ad arbores ac temones faciendos ligna paraveram, ſed navis parva quæ venerat hæc portare non potuit; & nihil mihi exinde reſcripſiſtis. Unde ſi ſunt neceſſaria communi filio Bonifacio diacono noſtro, quem nunc ad urbem regiam pro faciendis reſponſis tranſmittimus, ſcribite, ut mihi ipſe reſcribat quatenus præparentur, ut cum beatitudo veſtra tranſmiſerit, parata valeant inveniri. Præterea tranſmiſimus crucem parvulam, in qua de catenis amatorum veſtrorum ſanctorum Petri & Pauli apoſtolorum inſerta eſt benedictio, quæ oculis veſtris aſſidue ſupponatur: quia multa per eamdem benedictionem miracula fieri conſueverunt. Omnipotens Deus cordi beatitudinis veſtræ aſpiret, ut pro me orare aſſidue curetis. Et vos veſtroſque omnes ſua dextera protegat, atque poſt longa annorum curricula ad cæleſtia regna perducat. Eulogias vero ſancti Marci a beatiſſima fraternitate veſtra tranſmiſſas, cum ea caritate qua ſunt directæ, ſecundum notitiam earum ſuſcepimus, & gratias affectui veſtro referimus, quia ex his exterioribus, quales erga nos interius ſitis, agnoſcimus.

## L. AD JOANNEM EPISCOPUM PANORMITANUM.

De videndo eo.

*Gregorius Joanni * epiſcopo Panormitano.*

* epiſcopo deeſt in Pariſ.

AMorem circa nos veſtrum, quem corporali nobis viſione * voluiſtis exhiberi, ſcriptis & operibus aſſidue demonſtratis. Sed quid aliud hæc exhibendo agitis, niſi ut plus quæramus videre, quem docemur amplius amare? Et paulo minus jam etiam murmur accepimus, quia non poſſumus videre quem amamus. Sed adfuit qui mihi impoſſibilitatem navigii de veſtra gloria narraret, atque ideo quod amavi retinui, & quod iratus fueram peperci. Omnipotens Deus ſua vos protectione cuſtodiat, & a malis omnibus gratia aſſidua defendat.

* volumus Pariſ.

## LI. AD EUMDEM.

De caritate clericis ſuis exhibenda.

*Gregorius Joanni epiſcopo Panormitano.*

IMplenda ſunt ſemper poſtulantium deſideria, quotiens illa poſcuntur quæ a ratione non deviant. Et ideo quia quædam capitula, quæ ſervaturum te clericis tuis petentibus promiſiſti, noſtra ab eis poſtulantur auctoritate firmari, fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut ea quæ præſentia ſcripta continent ſine aliqua debeat refragatione ſervare. Primum ut de reditibus eccleſiæ quartam in integro portionem eccleſiæ tuæ clericis ſecundum meritum, vel officium, ſive laborem

A ſuum, ut ipſe unicuique dandum proſpexeris, ſine aliqua præbere debeas tarditate. De hoc vero quod ex fidelium oblatione acceſſerit, id eſt, quartam partem in ſolidis, vel cellario eis juxta priſtinam conſuetudinem dare non differas. Reliqua autem omnia mobilia in tua retineas poteſtate. Immobilia enim eccleſiaſticis reditibus aggregentur, ut multiplicata quantitate clericorum tuorum uſibus, Deo largiente, proficiant. Tabularium una cum conſenſu ſeniorum & cleri memineris ordinandum, qui annis ſingulis ad imputandam fraudis ſuſpicionem ſolenniter ſuas debeat rationes exponere. Vindemiarum autem tempore idem clerus emendi vinum de poſſeſſionibus eccleſiæ tuæ B ad juſta precia, inquantum vendendum eſt, remedium conſequatur: nam ſatis contra rationem eſt, ut quod poteſt extraneis venumdari, clericis dato pretio denegetur. Poſſeſſionem igitur, vel ſi qua ſunt eccleſiaſtico juri competentia, & ab extraneis indebite detinentur, cum omni ſtudio ſervata civilitate, in jus eccleſiæ tuæ * præparare feſtina, ut negligens in aliquo videri non valeas. Si quid igitur de quocumque clerico ad aures tuas pervenerit, quod te juſte poſſit offendere, facile non credas, nec ad vindictam te res accendat incognita: ſed præſentibus ſenioribus eccleſiæ tuæ diligenter eſt veritas perſcrutanda: tunc ſi qualitas rei popoſcerit, canonica diſtrictio C culpam feriat delinquentis. Hæc itaque omnia ſic ſolicite ac manſuete ſtudii tui ſit cuſtodire, quatenus nec tu promiſſionis tuæ videaris immemor extitiſſe, nec illi contra te juſtam occaſionem invenire valeant murmurandi. Data menſe Auguſti, indictione VI.

* reparare

## LII. AD JOANNEM DEFENSOREM.

Ut Januarium Malachitanum reſtituat, & cauſſam Stephani epiſcopi examinet.

## CAPITULARE.

D *Gregorius Joanni defenſori in nomine domini eunti in Hiſpaniam.*

IN primis requirendum eſt de perſona preſbyteri dilectiſſimi fratris coepiſcopi noſtri Januarii, & ſi ita ſe veritas habet, ſicut ejuſdem epiſcopi petitio continet, in eccleſia atque in loco ſuo modis omnibus idem preſbyter revocetur.

Si autem dictum fuerit, quia contra ipſum cauſſa aliqua mota ſive probata eſt, ſubtiliter ipſo præſente & pro ſe rationem reddente, quærendum eſt, & genus cauſſæ, & modus probationis, ut ex hoc colligere valeas, utrum adhuc in exilio demorari, an certe in eccleſia E ſua & officio ſuo debeat revocari.

De epiſcopi ſupradicti perſona hoc ſtatuendum eſt, ut ſi nulla contra eum criminalis cauſa, quæ exilio vel depoſitione digna eſt, mota ſive probata eſt, is qui eo ſuperſtite epiſcopus perverſe ac contra canones in eccleſia ejus ordinari præſumpſit, ſacerdotio privatus, ab omni eccleſiaſtico miniſterio repellatur. Qui etiam eidem dilectiſſimo Januario fratri & coepiſcopo noſtro tradendus eſt, ut ab ipſo aut in cuſtodia habeatur, aut certe ab eo ad nos per omnia tranſmittatur.

Epiſco-

Epiſcopi vero qui eum ordinaverunt, vel ordinationi ejus conſentientes interfuerunt, ſex menſibus dominici corporis & ſanguinis communione privati agere pœnitentiam decernantur in monaſterio; & ſupraſcriptus Januarius loco & ordine ſuo modis omnibus reformetur.

Si vero communione privatis mortis contigerit imminere periculum, benedictio eis viatici non negetur.

Si autem epiſcopi in præjudicium condemnationis vel depoſitionis memorati epiſcopi, ſe metu judicis conſenſiſſe, ac talia feciſſe non ſua ſponte faſſi fuerunt, & tempus eis abbreviandum eſt, & modus pœnitentiæ temperandus.

Si vero ille qui locum ejus invaſit de hac fortaſſe luce migraverit, & alter eſt ordinatus, quia levior culpa videtur, cum non quaſi iſti ſuperſtiti, ſed ſucceſſiſſe defuncto videatur, epiſcopatus illi officium ab illa eccleſia tantummodo interdicatur, ut in alia eccleſia quæ ſacerdote vacaverit, ſi electus fuerit, poſſit eſſe epiſcopus: ad Malachitanam tamen eccleſiam nunquam aliquo modo reverſurus. Glorioſus autem Comitiolus, quidquid prædictus epiſcopus per violentiam atque inſecutionem ipſius expendiſſe, vel damnum pertuliſſe dato ſacramento firmaverit, eidem epiſcopo reſtituere condemnetur.

Si autem aliter quam anteſati epiſcopi petitio continet actum eſſe forſitan perhibetur, ſubtiliter quærendum eſt, & veritate cognita cum Dei timore quod juſtitiæ ordo ſuaſerit judicandum.

Quia ergo Stephanus epiſcopus in odio ſuo quædam ficta, & de falſis ſe capitulis quæritur accuſatum, neque aliquid ordinabiliter factum, ſed injuſte ſe aſſerit condemnatum; diligenter quærendum eſt, primo ſi judicium ordinabiliter eſt habitum, id'eſt, ſi alii accuſatores, alii teſtes fuerunt.

Deinde cauſſarum qualitas eſt examinanda, ſi digna exilio vel depoſitione fuit: aut ſi eo præſente * qui accuſatus eſt, ſub jurejurando contra eum teſtimonium dictum eſt, ſeu ſcriptis actum eſt, vel ſi ipſe licentiam reſpondendi & defendendi ſe habuit.

* qui accuſatus eſt *deeſt in Pariſ.*

Sed & de perſonis accuſantium ac teſtificantium ſubtiliter quærendum eſt, cujus vitæ, cujus conditionis, cujuſque opinionis, aut ne inopes ſint, aut ne forte aliquas contra prædictum epiſcopum inimicitias habuiſſent, & utrum teſtimonium ex auditu dixerunt, aut certe ſe ſcire ſpecialiter teſtati ſunt: ſi ſcriptis judicatum eſt, & partibus præſentibus ſententia recitata eſt. Quod ſi forte hæc ſolenniter acta non ſunt, nec cauſſa probata eſt quæ exilio vel depoſitione digna ſit, in eccleſiam ſuam modis omnibus revocetur.

Hi vero qui eum contra Dei timorem & canonum ſtatuta condemnaverunt, excommunicati in monaſterium ad agendam pœnitentiam ſex menſibus mittendi ſunt: ita ſane ut ſi cuiquam eorum mortis contigerit imminere periculum, viatici benedictio non negetur.

Ipſe autem qui eo vivente locum ejus temerarie ambivit, privatus ſacerdotio ab omni miniſterio eccleſiaſtico repellatur, atque eidem dilectiſſimo fratri, & coepiſcopo noſtro tradatur, ut eum aut ipſe ad nos tranſmittat, aut apud ſe in cuſtodia habeat.

Epiſcopi vero qui eum ordinare præſumpſerunt, vel perverſæ ipſius ordinationi præbuere conſenſum, iidem communione privati ſex menſibus ad agendam pœnitentiam in monaſterio deputentur.

Si autem epiſcopi in præjudicium condemnationis vel depoſitionis memorati Stephani ſe metu judicis conſenſiſſe, ac talia feciſſe non ſua ſponte profeſſi fuerint; tempus eis abbreviandum eſt, & modus pœnitentiæ temperandus.

Si igitur is qui prædicti Stephani locum invaſit fortaſſe defunctus eſt, atque alius in eccleſia ejus epiſcopus ordinatus eſt; illud de eo ſtatuendum eſt, quod ſuperius de cauſſa fratris & coepiſcopi noſtri Januarii diximus.

Quod ſi forte aliqua de objectis contra memoratum Stephanum epiſcopum probata ſunt, aliqua vero doceri minime potuerunt; cauta omnino conſideratione penſandum eſt, utrum leviora capitula, an certe graviora probata ſint, ut ex eis qualiter diffinitionem tuam formare debeas poſſis ſcire.

Glorioſus vero Comitiolus, ſi ſuprascriptus epiſcopus innocens eſſe claruerit, quidquid de rebus ejus, vel eccleſiæ ipſius tulit, ei ſine aliqua reſtituat dilatione.

Sed & quæque ſe in perſecutionem ac violentiam ejus expendiſſe, vel damnum idem epiſcopus pertuliſſe juraverit, idem memoratus glorioſus Comitiolus reddat ac ſatisfaciat.

Si autem talem culpam antedictum epiſcopum commiſiſſe conſtiterit, quod abſit, ut conſtet eum non irrationabiliter fuiſſe depoſitum: eadem ejus depoſitio confirmetur, & eccleſiæ res ſuæ omnes reſtituantur, quæ ablatæ claruerint, quia delictum perſonæ in damnum eccleſiæ non eſt convertendum. Si enim, ut dicunt, Comitiolus defunctus eſt, ab hærede ejus quæ ab illo injuſte ablata ſunt ſine excuſatione reddantur.

## LIII. AD VITALEM DEFENSOREM.

### De conſiliariis excommunicatis Januarii epiſcopi.

* *Gregorius Vitali defenſori Calaritano.*

* transfertur *in Pariſ.* ad indict. II.

QUid de fratre noſtro Januario epiſcopo agnovimus, & lator præſentium, & exemplaria ſcriptorum noſtrorum te poterunt informare; atque ideo excommunicationem quam ſuper perverſos ejus conſiliarios dari decrevimus tua experientia ſolerter exequatur, ut cadentes diſcant, quatenus incaute ambulare non debeant. Præterea pretium tritici quod nobis xenii nomine fuerat tranſmiſſum, per latorem præſentium * Redemptorem defenſorem tranſmiſimus. Videat experientia tua, ne vel tu, vel ipſe qui detulit, aliquid ex eo in pretio commodi participare præſumat, ſed totum ſingulis vel ſimul omnibus illibatum reſtituat, eorumque mihi ſcripta de eodem pretio tranſmittat, * quia aliter quam admoneo factum cognovero, vindictam ex eadem cauſſa non mediocriter exercebo.

* Redemptum. *Pariſ.*

* quia ſi. *Pariſ.*

## LIV. AD JOANNEM DEFENSOREM.

### De monachis Capricanæ inſulæ.

*Gregorius Joanni defenſori.*

UBi canonicam diſtrictionem culparum contra ſe qualitas excitat, poſtponere quæ corrigenda ſunt non debemus, ne diſſimulatione vires dare pravis actibus, quos falce diſciplinæ reſecare nos convenit, videamur. Quia ergo pervenit ad nos monachos monaſterii in * Capricana inſula, quæ juxta Majoricam inſulam eſt poſita, ita perverſe agere ac vitam ſuam diverſis facinoribus ſubmiſiſſe, ut non B omnipotenti Deo, ſed antiquo hoſti, quod cum gemitu dicimus, oſtendantur potius militare; experientia tua præſenti auctoritate commonita, ad prædictum monaſterium accedere, & vitam moreſque illic converſantium ſubtili ſtudeat inveſtigatione perquirere, & ita quæ reſecatione digna repererit, ſicut canonicus ordo deſiderat, congrua ultione corrigere, atque eos quæ obſervare debeant ſtudeat informare, quatenus emendationis tuæ modus, & illos ad viam rectæ converſationis reducere, & te apud nos nullo modo valeat accuſare culpabilem.

* diverſa eſt tum a Capreis tum a Capracia.

## LV. SENTENTIA JOANNIS DEFENSORIS.

### De cognitione de qua inter epiſcopos reſedit, & de Januario Malachitano quem abſolvit.

*In nomine domini imperatore illo, illa die, illa indictione.*

ILle, cui officium cognitoris injungitur, ita ſe pura ac intemerata conſcientia debet in omnibus exhibere, ut ex his, quæ in aliis judicat, ipſe ultionem æterni examinis non incurrat. Dum igitur ex deputatione & juſſione beatiſſimi atque apoſtolici domni mei papæ D Gregorii, Ego Joannes defenſor inter Januarium epiſcopum Malachitanæ civitatis, atque inter * illos epiſcopos cognitor reſediſſem, neceſſe habui hujuſmodi cauſſam prædicti Januarii interna inquiſitione diſcutere, & a partibus ſubtiliter quærere veritatem, ſi, ut petitio ejus continet, tranſmiſſis clericis a memoratis epiſcopis una cum hominibus glorioſi Comitioli de eccleſia fuerit violenter abſtractus. Qui dum multa contra ſe invicem, ſicut geſta teſtantur, objicerent, ad concluſionis hunc utræque partes aliquando terminum pervenerunt, petentes me de agnitis debere judicare. Unde ſolicite relegens quæ acta ſunt, & veritatem diligenti inveſtigatione perquirens, nullam in antedicto E Januario culpam, quæ exilio vel depoſitione digna eſſet puniri, ſed magis illum ejectum de eccleſia violenter, inveni. Et quamquam hujuſmodi temeritatem legum cenſura diſtrictiſſime feriat, ego tamen legum vigorem ſacerdotali moderatione temperans, mediis ſacroſanctis evangeliis, quibus præſentibus ab initio in hoc cognitor reſedi judicio, ea quæ contra eum ſtatuta ſunt, licet jure non teneant, nec alicujus ſint momenti, injuſta tamen & infirma eſſe pronuntio, atque illos & illos memo-A ratos epiſcopos, qui poſtpoſita conſideratione ſacerdotali in fratris ſui præjudicium atque condemnationem injuſte & contra Dei timorem verſati ſunt, condemnans, in monaſterio recipiendos ad agendam in tempus pœnitentiam ſtatuo atque decerno. Illum vero qui locum antedicti ſanctiſſimi Januarii contra ſacrorum canonum ſtatuta nequiter præſumpſit invadere condemnans, privari ſacerdotio & ab omni eccleſiaſtico ordine removeri ſtatuo: ut & hoc quod male eſt adeptus amittat, nec ad officium quod ante indigne geſſerat revertatur. Sæpedictum autem ſanctiſſimum Januarium epiſcopum abſolutum loco ſuo in epiſcopatus gradu Deo auctore reverti ac modis omnibus B reformari conſtituo.

* illos & illos epiſcopos Pariſ.

## LVI. CAPITULARE LEGUM

### Imperialium immunitate clericorum Joanni defenſori eunti in Hiſpaniam.

*De pluribus cauſſis examinandis.*

DE perſona presbyteri hoc attendendum eſt, quia ſi quam cauſſam habuit, non ab alio teneri, ſed epiſcopus ipſius adiri debuit, ſicut novella conſtitutio manifeſtat, quæ loquitur de ſanctiſſimis & Deo amabilibus ac C reverendiſſimis epiſcopis, clericis, & monachis. Imperator Juſtinianus Auguſtus Petro glorioſiſſimo præfecto prætorio: Si quis contra aliquem clericum, aut monachum, aut diaconiſſam, aut monaſtriam, aut aſcetriam habet aliquam actionem, adeat prius ſanctiſſimum epiſcopum, cui horum unuſquiſque ſubjaceat: ille vero cauſſam inter eos dijudicet. Et ſi quidem utraque pars his quæ judicata ſunt non acquieverit, jubemus per loci judicem hæc executioni perfecte mandari, &c. Ne vero objiciatur quia de clerico hoc loquitur, non de presbytero; ſciendum eſt quia in eadem conſtitutione lib. C. I. legitur, appellatione clericorum etiam prebyteros & diaconos contineri. Verba autem legis iſta ſunt: Preſbyteros autem & diaconos & ſubdiaconos, cantores & lectores, quos omnes clericos appellamus, & reliqua.

Novel. 123. §. Si quis contra apud Julianum, cap. 32.

Authen. de ſanctiſs. epiſcop.

De perſona Januarii epiſcopi ſciendum eſt graviter omnino & contra leges eſſe actum, ut violenter de eccleſia traheretur: dum ſi quamlibet aliam injuriam a quocumque epiſcopus paſſus fuerit in eccleſia, injuriantem lex capitali pœna percutiat: & ſicut majeſtatis reum omnibus det accuſandi illum licentiam, ut hujus legis ſeries loquitur codicis libro primo, titulo ſexto, conſtitutione decima. Imperatores Arcadius & Honorius Auguſti Theodoro præfecto prætorio. Si quis in hoc genus ſacrilegii proruperit, ut in eccleſias catholicas irruens ſacerdotibus & miniſtris, vel ipſi cultui locoque aliquid importet injuriæ, quod geritur a provinciæ rectoribus animadvertatur: atque ita provinciæ moderator, ſacerdotum & clericorum & catholicæ eccleſiæ miniſtrorum, loci quoque ipſius & divini cultus injuriam capitali in convictos ſeu confeſſos reos ſententia noverit vindicandum. Et poſt pauca: Sitque cunctis laudabile, factas atroces ſacerdotibus aut miniſtris injurias veluti publicum crimen inſequi, atque de talibus reis ultionem mereri, &c. Data VII. Kalendas Maii, Mediola-

C. de epiſc. & cler. l. Si quis, & C. Theod. l. 16. tit. 2 c. 31.

De his qui ad eccl. confug. C. lib. 1. l. Fideli.

dioleni, Honorio Auguſto quater & Eutychiano conſulibus. Libri ſupraſcripti tit. xv. conſt. 11. Imperatores Honorius & Theodoſius Auguſti Jonio præfecto prætorio. Fideli ac devota præceptione ſancimus, nemini licere ad ſacroſanctas eccleſias confugientes * adducere: ſub hac videlicet definitione, ut ſi quiſquam contra hanc legem venire tentaverit, ſciat ſe majeſtatis crimine eſſe retinendum. Data Kalendis Aprilis, Honorio ſepties & Theodoſio tertio conſulibus. Idem ejuſdem tit. conſtit. v. Imperator Leo Auguſtus * Eutychiano præfecto prætorio. Præſenti lege decernimus per omnia loca valitura, excepta hac urbe regia, in qua nos divinitate propitia degentes, quotiens uſus exegerit invocati, ſingulis cauſſis atque perſonis præſentanea conſtituta præſtamus, nullos penitus cujuſcumque conditionis de ſacroſanctis eccleſiis orthodoxæ fidei expelli, aut trahi, vel protrahi confugas. Et poſt pauca: Qui hoc moliri, aut facere, aut nuda cogitatione ſaltem atque tractatu auſi fuerint tentare, capitali & ultima ſupplicii animadverſione plectendi ſunt. Ex his ergo locis, eorumque finibus, quos anteriorum legum præſcripta ſanxerunt, nullos ejici aut expelli aliquando patimur, nec in ipſius eccleſiis reverendis ita quemquam detineri atque conſtringi, ut ei aliquid aut victualium rerum, aut veſtis negetur, aut requies, &c. Data pridie Kalendas Martii, Conſtantinopoli, Leone Auguſto tertium conſule.

* abducere

Ibidem l. Præſenti.

* Eutropio

De perſona Stephani epiſcopi hoc attendendum eſt, quia nec invitus ad judicium trahi, nec ab epiſcopis alieni concilii debuit judicari, ſicut prædicta novellarum conſtitutio continet, quæ de epiſcopis loquitur. Ait enim: Sed neque pro qualicumque pecuniaria vel criminali cauſſa ad judicem civilem ſive militarem invitum epiſcopum producere vel exhibere circa imperialem juſſionem permittimus: ſed judicem qui tale aliquid ſive ex ſcripto, ſive ex non ſcripto præſumpſerit imperare, poſt cinguli privationem viginti librarum auri pœnam exolvere jubemus eccleſiæ, cujus epiſcopus produci aut exhiberi iuſſus eſt: executorem ſimiliter poſt cinguli privationem & verberibus ſubdendum, & in exilium deportandum. Item poſt multa: Si autem & a clerico aut laico quocumque aditio contra epiſcopum fiat propter quamlibet cauſſam, apud ſanctiſſimum ejus metropolitam ſecundum ſanctas regulas & noſtras leges cauſſa judicetur. Et ſi quis judicatis contradixerit, ad beatiſſimum archiepiſcopum & patriarcham diœceſeos illius referatur cauſſa, & ille ſecundum canones & leges huic præbeat finem. Contra hæc ſi dictum fuerit, quia nec metropolitam habuit nec patriarcham, dicendum eſt quia a ſede apoſtolica, quæ omnium eccleſiarum caput eſt, cauſſa hæc audienda ac dirimenda fuerat, ſicut & prædictus epiſcopus petiiſſe dignoſcitur, qui epiſcopos alieni concilii habuit omnino ſuſpectos. Quia ergo ſententia non a ſuo judice dicta nihil firmitatis obtineat lectionis hujus tenor oſtendit lib. C. VII. tit. XLVIII. conſtitut. IV. Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodoſius Auguſti ad Potitum vicarium. Et in privatorum cauſſis hujuſmodi forma ſervetur, ne quemquam litigatorum ſententia, non a ſuo judice dicta, conſtringat. Data duodecimo Kalendas Octobris, Romæ, Auſonio & Olybrio conſulibus.

Si a non compet. jud. C. lib. 7. l. Et in privatorum.

Illud autem quod dicitur a ſervis ſuis accuſatus, * ſciendum eſt, quia audiri minime debuerunt, ut hæc conſtitutio patefacit ſic dic[...]s, C. lib. IX. tit. I. conſtit. XX. Imperatores Arcadius & Honorius Auguſti Eutychiano præfecto prætorio. Si quis ex familiaribus vel ex ſervis cujuslibet domus cujuſcumque criminis delator atque accuſator extiterit, ejus æſtimationem, caput atque fortunas petiturus, cujus familiaritati vel dominio inhæſerit, ante exhibitionem teſtium, ante examinationem judicii, in ipſa expoſitione criminum atque accuſationis exordio, ultore gladio feriatur. Vocem enim funeſtam intercidi oportet potius quam audiri: majeſtatis autem crimen tantum excipimus. Data quinto Idus Novembris, Cæſario Atticoque conſulibus.

* ſciendum eſt deeſt in Taſſ.

Si vero dictum fuerit, quia de hoc accuſatus eſt, quod majeſtatis crimen * intendit, nec ipſum de eo credendum fuit, ſi vita vel opinio ejus talis ante non extitit, ſicut lib. pandectarum XLVIII. ad legem Juliam majeſtatis ſcribit Modeſtinus, lege Famoſi, paulo poſt principium. Hoc tamen crimen a judicibus non in occaſione ob principalis majeſtatis venerationem habendum eſt, ſed in veritate rei judicatæ. Nam & perſona ſpectanda eſt, an poterit facere, & ante quid fecerit, & an cogitaverit.

* quod ad majeſtatis crimen attendit. Pariſ.

Quod autem dicit idem epiſcopus quia ſe abſente aliqui viliſſimi ſint teſtes exhibiti: hoc ſi verum eſt, nullius eſſe momenti lege noſcendum eſt: conſtitutione novella quæ de teſtibus loquitur cap. 16. Hoc quoque ſæpius agnovimus, quoniam quidam aut apud locorum defenſores, aut apud clariſſimos provinciarum judices, aut etiam, ut aſſolet, hic apud virum clariſſimum magiſtrum cenſus ingrediuntur, & queruntur tamquam ab alio paſſi aliquid contra leges, aut aliter læſi aut damnificati, teſtes volentes producere. At ne poſtea objiciatur eis quia per unam partem geſta confecta ſunt; oportet & illum qui impetitur in ipſa civitate conſtitutum ubi teſtimonia dantur admonitum a judice ſive a defenſore advenire, & audire atteſtationes. Si vero noluerit advenire, ſed contempſerit, ut ex hoc ab una parte teſtimonia adverſus eum inutilia ſint, ſancimus hujuſmodi teſtimonia ita valere, ac ſi non ex una parte conſiſterent, ſed etiam ipſo præſente fuiſſent facta. Si enim recuſaverit, & venire noluerit, & audire quæ deponuntur, cum utique in publico ſit, & non ex inevitabili quadam neceſſitate venire non poſſit; ſimilis advenienti erit, & nulla utilitas ex contemptu ſuo ei adhibebitur, ſed videbuntur quidem in utriuſque præſentia probationes factæ. Ecce admonendus eſt ſemper adverſarius, ut ad audiendos teſtes adveniat. Quod quia hic omiſſum eſt, neceſſe eſt, ut quod contra leges actum eſt firmitatem non habeat. Quales autem teſtes, vel cujus opinionis ad teſtimonium admittendi ſunt, plurimæ leges oſtendunt, quæ pene nulli habentur incognitæ; quæ etiam & illud ſanciunt, ut viliſſimis teſtibus ſine corporali diſcuſſione credi non debeat. Quod autem dicitur quia nihil ſcriptis judicatum eſt, legendus eſt tit. XLIV. lib. VII. Codicis, quia ſcriptis debuit judicari. Nam ibi inter alia dicitur atque præcipitur, ut ſententia, quæ ſine ſcripto dicta fue-

Authen. de teſt. §. Et his vero.

Ubi ſupra §. Teſtes.

fuerit, ne nomen quidem ſententiæ habere mereatur.

## LVII. AD THEODORUM CURATOREM.

De Petro viro magnifico.

*Gregorius Theodoro curatori.*

POſtquam ſic de gloriæ veſtræ ſinceritate præſumimus, ut veſtros vos credamus reputare qui noſtri ſunt, latori præſentium Petro viro magnifico ad promerendam bonitatis veſtræ gratiam hoc ſolum ſufficere poterat, indicare quia noſter eſt. Sed quoniam paterna commendatio boni filii mentem ſolet ſemper accendere, paterna dulcedine ſalutantes petimus, ut memorato filio noſtro atque memoratæ filiæ noſtræ glorioſæ matri ipſius patrocinii veſtri gratiam oſtendatis, eoſque & illic poſitos tuitionis veſtræ remedio foveatis, & venientes ad nos veſtris ſubſidiis adjuvetis: quatenus dum ea quæ gloria veſtra ex ſe ſolet impendere, noſtra benignius epiſtola interveniente præſtiterit, & ipſam rem conſuetam videatur laudabiliter exhibere, & nos ſibi pro ſua bonitate gratiarum eſſe per omnia faciat debitores.

## LVIII. AD PAULUM SCHOLASTICUM.

De ultione ejus in maleficos

*Gregorius Paulo ſcholaſtico.*

QUanto nos gloria veſtra triſtes dudum effecerat, propter quod ſe adverſus fratrem & coepiſcopum noſtrum Leonem reverendiſſimum virum querelas habere aliquas perhibebat, tanto eodem fratre ad nos modo veniente, cor noſtrum gaviſum eſt, quia in priſtinam vos concordiam, Deo propitio, ad invicem rediiſſe teſtatus eſt. Qui etiam inter alia bona quæ veſtris laudibus *inſerebat, adjecit omnino vos in ultione maleficorum ſolicitos ac diſtrictos, ſicut revera nobiles & Chriſtianos oportuit, extitiſſe. Unde valde in nobis lætitia quam de vobis ſumpſeramus excrevit, quia illum vobis per hoc placabilem redditis, contra cujus inimicos zeli veſtri rectitudinem exercetis. * Propterea gloriam veſtram paterna dulcedine ſalutantes hortamur, ut quia ſatis eſt moribus veſtris accommodum pacem diligere, reparatam inter vos gratiam nullius lingua perturbet, ſed ſic in vobis erga paternum amorem caritas ardeat, ut eam adverſi flatus more flammæ non extinguant, ſed augeant. Nam & eumdem antedictum fratrem noſtrum hortati ſumus, ut ita paternam vobis dilectionem impendat, quatenus reciprocum gloriæ veſtræ affectum non odioſe, ſed velut mutuum tanquam fenerator ſemper poſſit exigere.

* inſerebat Pariſ. referebat.

* Præterea Pariſ.

A

## LIX. AD VITALEM DEFENSOREM.

De xenodochiis neglectis. De eccleſiis vacantibus. De Pompejana. De infirmitate Januarii epiſcopi tempore ſacrificii.

*Gregorius Vitali defenſori Sardiniæ.*

EXperientia tua indicante comperimus xenodochia in Sardinia conſtituta gravem habere neglectum: Unde reverendiſſimus frater & coepiſcopus noſter Januarius vehementiſſime fuerat objurgandus, niſi nos ejus ſenectus, ac ſimplicitas, & ſuperveniens ægritudo, quam B ipſe retuliſti, ſuſpenderet. Quia ergo ita eſt poſitus ut ad aliquam ordinationem eſſe non poſſit idoneus, œconomum ejus eccleſiæ, atque Epiphanium archipresbyterum ex noſtra diſtrictionis auctoritate commone, ut eadem xenodochia * ſine periculo ſuo ſolicite ac utiliter ſtudeant ordinare. Nam ſi quis illic poſt hæc neglectus extiterit, nulla ſe noverit poſſe apud nos ratione aliquatenus excuſare. Quoniam vero poſſeſſores nos Sardiniæ petiverunt, ut quia diverſis oneribus affliguntur, Conſtantinopolim pro eorum debeas remedio proficiſci, licentiam tibi eundi concedimus. Sed & dilectiſſimo filio noſtro Bonifacio ſcripſimus, ut ſuum tibi pro remedio illius provinciæ ſtu- C deat adhibere ſolatium. De eccleſiis autem quas vacare ſacerdotibus indicaſti, prædicto reverendiſſimo fratri & coepiſcopo noſtro Januario ſcripſimus, ut eas debeat ordinare: ſic tamen, ut non omnes ad epiſcopatum de eccleſia ipſius eligantur. Nam ſic eum convenit alias ordinare, ut eccleſiæ ſuæ de perſonis quæ in ea poſſint proficere neceſſitatem non faciat. Illud igitur quod ad gubernationem quorumdam monaſteriorum perſonas eſſe præpoſitas, quæ ante dum adhuc in * minori eſſent ordine monachico habitu lapſæ ſunt indicaſti, officium quidam abbatis ſuſcipere, niſi omnino correcta vita, & digna præcedente pœnitentia minime debuerunt. Sed quoniam jam D abbatum, ſicut dicis, officium ſuſceperunt, de vita, moribus, ac ſolicitudine eorum cura gerenda eſt. Et ſi actus eorum inventi contra officium non fuerint, in eo quo ſunt ordine preſeverent: alioquin remotis eis, alii qui commiſſis ſibi animabus prodeſſe valeant ordinentur. Cauſſa præterea de monaſterio S. Hermæ, quod in domo Pompejanæ religioſæ feminæ a fratre noſtro conſtructum eſt, quia plus blandimentis quam diſtrictione agenda eſt, experientia tua apud eamdem mulierem cum dulcedine agere ſtudeat; quatenus nec illa in peccato proprio actoris ſui debeat poſtponere voluntatem, & tu utilitates monaſterii valeas ſalubriter procurare. Puellas autem ſuas quas E antedicta Pompejana in monaſterio mutata olim religioſa veſte convertit, abſtrahi ab ea vel inquietari nullo modo patiaris: ſed in ea qua ſunt converſione, Deo protegente, permaneant. Pro requirendis vero rebus eccleſiarum, vel monaſteriorum, ſive piarum cauſſarum, quod ſcripſiſti, prius quidem hi quorum intereſt admonendi ſunt, ut ab eis te inſiſtente atque ſolatiante modis omnibus requirantur. Quod ſi forte vel ipſi negligentes extiterint, vel certe qui eas requirere debeant inventi non fuerint, tunc omnia ipſe perquire,

* ipſi in periculum ſuum. Pariſ.

* monachici eſſent ordine lapſæ ſunt indicaſti &c. Pariſ.

re, atque ita reperta recollige, ut manu aliquod judicium inferre cuiquam minime videaris. De xenodochiis itaque Hortulani atque Thomæ nil hactenus horum quæ indicaſti cognovimus. Eapropter experientia tua juſſionem principis ex hoc datam diligenter inſpiciat, & omnia ſecundum ejus tenorem diſponat, & nobis quidquid egerit innoteſcat. De hoc igitur quod ſcripſiſti fratrem & coepiſcopum noſtrum Januarium, tempore quo ſacrificium celebrat, tantam pati frequenter anguſtiam, ut vix poſt longa intervalla ad locum canonis redire valeat quem reliquit, atque ex hoc multos dubitare ſi communionem debeant de ejus conſecratione percipere, admonendi ſunt, ut nullatenus pertimeſcant, ſed cum omni fide & ſecuritate communicent: quia ægritudo perſonæ ſacri myſterii benedictionem nec mutat nec polluit. Secretius tamen omnino idem frater noſter hortandus eſt, ut quotiens aliquam moleſtiam ſenſerit, non procedat, ne ex hoc ſe & deſpiciendum præbeat, & infirmorum animis ſcandalum faciat. Præterea * Pompejana religioſa femina queſta nobis eſt, hereditatem quondam generis ſui Epiphanii, in qua Epiphanius idem Matronam conjugem ſuam filiam anteſatæ Pompejanæ uſufructuariam conſtituerat, monaſterio quod in domo ſua fundari ſtatuerat, & poſtea extincto, uſufructu modis omnibus profuturam, atque alia quæ eidem Matronæ proprietatis jure probantur competere, ab experientia tua, & a reverendiſſimo fratre & coepiſcopo noſtro Januario injuſte ſublata, & exinde nihil hactenus vel filiæ ſuæ redditum, vel profeciſſe monaſterio. Quod ſi ita veritas ſe habet, & aliquid te indecenter feciſſe cognoſcis, abſque ulla mora ablata reſtitue: aut certe ſi aliter eſſe putas, ne gravari pars adverſa præjudicialiter videatur relectorum cum ea judicium hac de cauſſa nullo modo ſubire poſtponas, ut utrum vera juſtaque ejus ſit querimonia definitione judicii declaretur.

* Pomponia & ſic ſemper *Pariſ.*

## LX. AD JOANNEM EPISCOPUM

### PANORMITANUM.

In tranſmutatione rerum eccleſiæ liberam licentiam concedit.

*Gregorius Joanni episcopo Panormitano.*

SIcut rationi contraria procul eſt abjicienda petitio, ita in his quæ bene deſiderantur effectum negare non convenit. Quia igitur, ut fraternitatis tuæ petitio, quæ tenetur in ſubditis, continet, in qua tecum una presbyteri & diaconi, ceteraque eccleſiaſtica officia ſubſcribentes præbuere conſenſum, domum cum horto, & balneo ſuo, atque omnibus ad eam pertinentibus, in hac urbe Roma poſitam, quæ ad jus Panormitanæ eccleſiæ ex hereditate quondam Flori viri magnifici perveniſſe dignoſcitur, cum dilectiſſimo filio noſtro Epiphanio diacono permutare deſideras, propter hoc quod domus ipſa, ita parte detecta, parte diruta, parte igne probatur eſſe conſumpta, ut nihil exinde commodi, ſicut teſtaris, ante multos jam annos nunc uſque eccleſiaſticis utilitatibus potuiſſet accedere, atque hac in re noſtra tibi dari poſtulas auctoritate licentiam; proviſionis tuæ intentionem diligentius intuentes, poſtquam & nobis cognitum eſt domum ipſam in eo eſſe ſtatu quo aſſeris, atque ita minante ruina quotidie deteriorem fieri, ut non ſolum eccleſiæ tuæ non utilis, ſed potius ſubinde damnoſa poſſe videatur exiſtere, idcirco permutandi tibi eam cum balneo & horto ſuo, omnibuſque generaliter ad eam pertinentibus, juxta petitionem tuam, quam & veritatis & rationis apud nos ordo ſuffulcit, hujus auctoritatis noſtræ ſerie liberam per omnia concedimus facultatem; quatenus hujuſmodi accepta licentia, nec te culpa de temeritate, vel incautela reſpiciat, nec ille aliquid dubietatis incurrat. Nam providum ſalubreque eſt aliquid compendii procurare, unde nulla ſpes eſt lucri, ſed magis damni formido.

## LXI. AD FANTINUM DEFENSOREM

### PANORMITANUM.

De Exhilarato epiſcopo, qui diu Romæ propter delicta retentus fuit.

*Gregorius Fantino defenſori Panormitano.*

TAlia ad nos de fratre & coepiſcopo noſtro Exhilarato, ſicut & ipſe noſti, pervenerunt, quæ diſtricta omnino eſſent ultione plectenda: ſed quoniam bis eam reverendiſſimus frater & coepiſcopus noſter Leo, qui etiam in cauſſa ejus judicem ſe fuiſſe teſtatus eſt, levigavit; ad eccleſiam ſuam illum retranſmittendum eſſe prævidimus, judicantes ſufficere illi hoc quod eum hic diutius retinentes afflximus. Itaque experientiæ tuæ præcipimus, ut erga mores actuſque illius curam habeat, atque eum frequenter admoneat, quatenus ſe ad impendendam clericis ſuis caritatem benignum, &, ſi res exegerit, ad corrigendas culpas debeat ſe exercere ſolicitum. Sed & clerum ejus admonere te volumus, ut humilitatem illi ac obedientiam, quam dominus mandat, exhibeat, ne in aliquo illi ſuperbus præſumat exiſtere. Quod ſi quis eorum, id eſt, * laicus ſive clericus admonitionem tuam neglexerit, ex hac noſtra auctoritate canonica coerctione inobedientiæ culpam aut tu, ſicut prævideris, corrige, aut nobis renuntiare feſtina, ut diſponere valeamus qualiter diſciplinæ frenum extra iter ſuum eos pergere non permittat, quos ad exceſſum aculeus pravæ mentis irritat.

* ſive epiſcopus ſive clericus *Pariſ.*

## LXII. AD JOANNEM EPISCOPUM

### PANORMITANUM.

De Fantino defenſore, & Petro.

*Gregorius Joanni epiſcopo Panormitano.*

QUia ſunt culpæ in quibus culpa eſt relaxare vindictam, quærenda ſemper eſt veritas, ut inquiri debeat utrum accuſatum noxa condemnet, an a pœna innocentia patefacta ſubducat. Itaque pervenit ad nos Fantinum defenſorem ultionem exercere in Petrum latorem præſentium voluiſſe, pro eo quod, quantum dicitur, relictam cujuſdam diaconi,

tem-

tempore quo conductor fuerat, marito tradiderit. Sed quoniam iſte conjugem diaconi aſſerit non fuiſſe, dicens nec virginem illam ad eum veniſſe, denique nec religioſam mutaſſe veſtem poſtquam ille in ordine ſacro promotus eſt: adjiciens etiam priuſquam ad diaconatum perveniret, & poſtea prava illam opinione vixiſſe. Ideoque fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut cum Dei, ſicut decet, timore cauſſam hanc ſubtili omnino inveſtigatione perquirat: & ſi in conjugio diaconi mulierem de qua agitur junctam fuiſſe conſtiterit, & ſuprafcriptus lator memorato defenſori & rectori patrimonii ad vindictam modis omnibus tradatur, & cum competenti emendatione hi qui male ſociati ſunt disjungantur. Si vero in ejus conjugio non fuit, memoratum Fantinum ex noſtro mandato commonere te volumus, ut ei facere nil præſumat, * nec illum accuſatio apud eum in aliquo prægravet. Quia vero res ſuas antedictus Petrus apud eccleſiæ colonos perhibet retineri, volumus ut ſine cujuſquam impedimento eas habeat, ſi tamen ita eſt exigendi licentia. Nam ſi inventus fuerit eſſe culpabilis, non ſolum res ſuas amittere, ſed in ſe debet dignam ultionem ſuſcipere.

* nec fuiſſe Tarij.

## GREGORII MAGNI PAPÆ I.

### Epistolarum Liber XII.

*Indictione VII.*

### I. AD MARIANUM EPISCOPUM RAVENNATEM.

Ut Fortunatum abbatem injuſte depoſitum reſtituat, & coepiſcopum reprehendat, quod prædeceſſoris ſui abſque cauſſa ordinationem deſtruxerit.

*Gregorius ſervus ſervorum Dei Mariniano epiſcopo Ravennæ.*

QUia incongrum valde eſt a ſuſcepto officio ſola quemquam voluntate ſuſpendi, quem culpa non removet; ſolicite diſponendum eſt, ut nec prior ordinatio irrationabiliter deſtruatur, nec ſine emendatione quæ male ſecuta fuerint relinquantur. Fortunatus itaque lator præſentium in monaſterio ſanctorum Laurentii & Zenonis, quod in Cæſenati caſtro eſt conſtitutum, a Natali quondam epiſcopo officium ſibi abbatis aſſerens eſſe commiſſum, nunc ſe a ſucceſſore ejus Concordio nulla exiſtente cauſſa vel culpa exinde remotum, atque alium in loco ſuo queritur ordinatum. Quod etiam coram teſtibus quibuſdam diaconis noſtris, præſente diacono prædictis Concordii epiſcopi ſui cauſſas allegante ex parte, ita eſſe perclaruit. Sed quoniam certior in partibus illis ubi res acta eſt poteſt eſſe probatio, fraternitas tua diligenter atque ſolicite hoc ſtudeat perſcrutari. Et ſi nulla manifeſta cauſſa depoſitionis extitit, quæ prædictum Fortunatum abbatis officio removeret, eum in ſuo loco reformare feſtinet, atque ejus epiſcopum digna reprehenſione increpare non deſinat, cur deceſſoris ſui nullis provocatus exceſſibus deſtruere ordinationem molitus ſit. Si vero aliter quam edocti ſumus cauſſam eſſe pars altera dixerit, ſubtili veritas inveſtigatione quærenda eſt, & ita quidquid canonicus ordo poposcerit terminandum, ut nulla ea de re denuo querela remaneat. Data menſe Octobri, indictione VII.

### II. AD ALCYSONUM EPISCOPUM CORCYRÆ.

Ut Caſſiopi caſtrum injuſte perverſum reſtituatur.

*Gregorius Alcyſono epiſcopo Corcyræ.*

NOn immerito elati cordis retundi poſtulatur ambitio, quando ſacrorum canonum vigore poſtpoſito, temerariæ præſumptionis exceſſus aliena illicite concupiſcendo, non ſolum ad generanda diſpendia fit noxius, verum etiam paci eccleſiaſticæ probatur eſſe contrarius. Relectis igitur fraternitatis tuæ epiſtolis, quæ de Caſſiopi caſtro, quod in tua ſitum eſt diœceſi, ab epiſcopo * Iſauriæ civitatis vel prius vel modo ſint acta cognovimus: & contriſtati ſumus, quod hi qui eccleſiæ tuæ pro impenſa ſibi caritate debitores eſſe debuerant, ei inimici magis fieri nullo ſunt pudore prohibiti. Denique ut contra eccleſiaſticam ordinationem, contra ſacerdotalem modeſtiam, contra ſacrorum canonum ſtatuta, prædictum caſtrum de juriſdictione tua abducere, ac ſuæ molirentur poteſtati ſubjicere, ut fierent quodammodo domini, ubi prius ſuſcepti fuerant peregrini. Qua de re quoniam Andreas venerabilis memoriæ frater noſter Nicopolitanus metropolita, adnitente ſibi quoque principali juſſione, in qua ei cauſſæ hujus fuerat injuncta cognitio, prolata (ſicut nobis patuit) noſcitur ſtatuiſſe ſententia, antefatum Caſſiopi caſtrum ſub juriſdictione eccleſiæ tuæ, quemadmodum ſemper fuit, debere perſiſtere; formam ejuſdem ſententiæ comprobantes, apoſtolicæ ſedis auctoritate eam favente juſtitia comprobamus, confirmamus, atque per omnia robuſtam manere decernimus. Nam nulla æquitatis ratio, nullus canonum ordo conſentit, ut parochiam alterius alter aliquo modo debeat occupare. Unde licet diſtrictionem contra ſe non modicam hujus litigii culpa videatur exigere, propter quod ab eis mala pro bonis ſint reddita, ſtudendum tamen eſt ut exceſſu benignitas non vincatur, nec illud quod extraneis debetur, fratribus etiam neceſſitatem patientibus denegetur, ne nihil caritas agere in epiſcoporum mentibus judicetur, ſi ſine conſolationis remedio hi quibus magna eſt habenda compaſſio relinquantur. Oportet ergo ut ſacerdotes vel clerus Iſauriæ civitatis ab antefati Caſſiopi caſtri habitatione nullatenus repellantur, ſed & beati Donati ſanctum ac venerabile corpus, quod ſecum detulerunt, in una eccleſiarum antedicti loci, quem elegerint, ſive intus ſive foris habeant recondendi debita cum veneratione licentiam: ſic tamen ut dilectioni tuæ, in cujus parochia caſtrum ipſum eſt poſitum, emiſſa procuretur cautione munitio, per quam promittat epiſcopus Iſauriæ nullam ſibi in eo poteſtatem, nullum privilegium fore, nullam juriſdictionem, nullam tamquam cardinalis epiſcopus ulterius auctoritatem defen-

* Gulæ abſque Tarij.

defendere : ſed poſt pacem Deo propitio redditam, ablato venerabili ſancti Donati, ſi maluerint, corpore, ad propria ſe modis omnibus reverſuros. Ut hujus promiſſionis perſiſtente memoria, nec de cetero quidquam ſibi illic principaliter quacumque occaſione audeant vendicare, ſed omni ſe tempore eſſe ibidem hoſpites recognoſcant : & fraternitatis tuæ eccleſia juris vel privilegii ſui in qualibet parte præjudicium non incurrat.

## III. AD BONIFACIUM DIACONUM.

Decernit inter epiſcopos quid in pervaſione caſtri Caſſiopi agendum ſit.

*Gregorius Bonifacio diacono.*

* Conſtantinopolis. *Pariſ.*

QUotiens nos eorum diſcordia triſtes facit qui pacis prædicatores eſſe debuerant, magna ſolicitudine ſtudendum eſt, ut litigii ablata materia ad concordiam redeant qui diverſa ab invicem voluntate diſcordant. Quæ igitur de Caſſiopi caſtro, quod in inſula Corcyra eſt poſitum, acta ſint, qualiterve id de juriſdictione Corcyritani epiſcopi epiſcopus * Iſauriæ moliatur ſubtrahere, & ſuæ nequiter juriſdictioni ſubjicere, valde prolixum eſt dicere. Sed dilectioni tuæ, ut cuncta ſubtiliter comprehendat, fratris noſtri Alcyſoni epiſcopi Corcyræ ſcripta tranſmiſimus, atque ejus illic venire homines fecimus, qui etiam verbo minutius te ad ſingula poſſint inſtruere. Hoc tamen breviter indicamus, quia dum * imperatori eſſet quoddam in præjudicio eccleſiæ Corcyritanæ ſubreptum, nec juſſio ejus, quippe quæ contra leges & ſacros canones data fuerat, habuiſſet effectum, & indeciſa inter partes contentio remanſiſſet; * talem illum ad Andream quondam fratrem & coepiſcopum noſtrum tunc Nicopolitanum metropolitam juſſionem dediſſe, ut quoniam utraque pars ejus erat juriſdictioni ſubjecta, ipſe hanc cauſſam cognoſcere & finire canonice debuiſſet. Qui metropolita cognita cauſſa prolataque ſententia, cujus tibi exemplaria miſimus, prædictum Caſſiopi caſtrum ſub poteſtate ac juriſdictione Corcyritani epiſcopi, cujus & ſemper fuit diœceſis, eſſe diſtinxit. Quam nos ſententiam comprobantes, apoſtolicæ ſedis auctoritate prævidimus confirmandam. Et ne ea quæ decrevimus ita potuiſſent eſſe diſtricta, ut nihil benignitatis habere viderentur admixtum; curæ nobis fuit ita cauſſam * temperate diſponere, ſicut ſententiæ noſtræ quam ad te miſimus textus oſtendit, ut neque epiſcopus, neque clerus Iſauriæ civitatis neceſſitatem habitationis incurrerent, nec Corcyritanæ eccleſiæ privilegia in aliquo turbarentur. Sed quia inter ipſa primordia ſereniſſimo domno imperatori ſurreptum eſt, atque contra judicatum Nicopolitani metropolitæ, quod eccleſiaſtica rectitudine & canonica ratione ſuffultum eſt, epiſcopo Iſauriæ, quod nec ſine dolore audire, vel loqui ſine gemitu poſſumus, cum majori injuria epiſcopi Corcyritani atque clericorum ejus, anteſatum Caſſiopi caſtrum traditum memoratur, ut amota, quod grave eſt dici, juriſdictione Corcyritanæ eccleſiæ ipſe illic omnem tamquam principalis habeat poteſtatem; ſententiam noſtram nulli dare prævidimus, ne contra juſſionem clementiſ- A ſimi domni imperatoris, vel, quod abſit, in deſpectum ipſius aliquid facere videremur. Itaque dilectio tua pietati ejus cuncta diligenter inſinuet, atque conſtanter aſtruat hoc omnino illicitum, omnino pravum, omnino injuſtum, & ſacris eſſe valde canonibus inimicum. Et ideo hujuſmodi peccatum temporibus ſuis introduci in eccleſiæ præjudicium non permittat. Sed quid de hoc negotio judicatum anteſati quondam metropolitæ contineat, vel qualiter a nobis ea quæ ab illo decreta ſunt confirmata fuerint, ſuggerat, atque id agere ſtudeat, ut cum ejus juſſione noſtra illic ſententia tranſmittatur, quatenus & ſerenitati ipſius, ſicut dignum eſt, reſervaſſe & B rationabiliter correxiſſe quæ male præſumpta ſunt videamur. Qua in re omnino danda opera eſt, ut, ſi fieri poteſt, etiam juſſionem ſuam ipſe tribuat, in qua ea quæ a nobis definita ſunt, ſervari præcipiat : nam hoc facto omnis de cetero ſurreptionis locus obſtruitur. Ita ergo ad compeſcenda hæc præjudicia vigilantiam tuam cum omnipotentis Dei adjutorio exercere feſtina, ut nec modo voluntas eorum qui perverſa moliuntur aliquid contra antiquum eccleſiaſticæ conſuetudinis ſtatum obtineat, nec poſt ad exemplum res nefanda proficiat. Quanta præterea mala quantaſque oppreſſiones ſupraſcriptus Alcyſonius frater & coepiſcopus noſter ab actionariis eccleſiæ C Theſſalonicenſis afferat ſuſtinere, ut poſſit cognoſcere, ipſam quam ad nos miſit epiſtolam dilectioni tuæ tranſmiſimus. Ideoque prædictæ eccleſiæ reſponſalem venire ad te facito atque cauſſam ipſo præſente cognoſce, & de capitulis quibus te ratio moverit, fratri & coepiſcopo noſtro Euſebio ſcribe, ut homines ſuos agere injuſta prohibeat, & minores non premere, ſed magis in quibus juſtum fuerit moneat adjuvare. Hoc quoque volumus, ut ei qui in civitate Nicopolitana metropolita fuerit ordinatus, dilectio tua ſcribere debeat, quatenus cauſſam de damnis quæ eccleſiæ ſuæ illata prædictus frater Alcyſonus queritur, cognoſcere, & quod juſtum eſt debeat definire; quia D a deceſſore ipſius negotium ipſum non deciſum, ſed dicitur reſervatum. * Data menſe Decembri, indictione VII.

* Euriæ. & ſi ſemper *Pariſ.*

* Mauricio quondam. *Pariſ.*

* aliam illam. *Pariſ.*

* pro tempore. *Pariſ.*

* data &c. *deeſt in Pariſ.*

## IV. AD JOANNEM EPISCOPUM PANORMITANUM.

Tribuit licentiam ut eccleſiam ſanctæ Mariæ conſecrare poſſit.

*Gregorius Joanni epiſcopo Panormitano.*

BAſilicam quam a dilectione tua in honorem beatæ ſemperque virginis Mariæ per E Savinum ſubdiaconum noſtrum & rectorem patrimonii ſuggeris eſſe perfectam, conſecrandi tibi præceptionis noſtræ ſerie noveris facultatem attributam, quatenus, frater cariſſime, devotionis tuæ deſiderium complens, celebritatis perfectione gratuleris. Data menſe Decembri, indictione VII.

## V. AD GUDOINUM DUCEM

### NEAPOLITANUM.

De milite qui ancillam Dei de monaſterio rapuit.

*Gregorius Gudoino duci Neapolitano.*

CUm inter multa bona, quæ nobis de magnitudine veſtra ſæpius nuntiantur, illud in vobis plus laudabile dicitur exiſtere, quod caſtitatem diligitis, & diſciplinam, ſicut dignum eſt, cuſtoditis; ſatis mirati ſumus quod in milite illo qui ancillam Dei diabolica in- B ſtigatione perdiderit, diſtrictiſſima vindicta hactenus facta non fuerit. Nam & moribus & bonitati veſtræ valde conveniens fuit, ut ante ad nos ultio quam perpetratæ culpæ iniquitas perveniret. Sed quia vindictam hujus ſceleris non voluntate veſtra, ſed aliorum credimus ſurreptionibus eſſe ſuſpenſam, ne hoc peccatum vel humerum indiſciplinati militis, vel loca illa in quibus commiſſum eſt, valeat premere, hortamur ut ſine excuſatione aliqua vel modo qualis vobis fervor ſit erga caſtitatis cuſtodiam demonſtrantes, ita pro exemplo aliorum diſtricte emendare tantum facinus feſtinetis, ut & Deum vobis, in cujus ille hoc injuriam perpetravit, & timorem ejus deſpe- C xit, placabilem faciatis, & nos vobis de zeli veſtri rectitudine gratias referamus: nam tantam iniquitatem inultam remanere nullo modo patimur.

## VI. AD JOANNEM EPISCOPUM.

De eligendo epiſcopo Anconitanæ eccleſiæ.

*Gregorius Joanni epiſcopo.*

NE de incauta eorum ordinatione qui ad epiſcopatum eliguntur valeat provenire confuſio, vigilanti de eorum perſonis ſolicitudine eſt requirendum. Indicatum ſiquidem D nobis eſt Florentinum archidiaconum eccleſiæ Anconitanæ, qui ad epiſcopatum fuerat electus, ſcripturæ quidem ſacræ ſcientiam habere: ſed ita ætatis ſenio jam confectum accepimus, ut ad regiminis officium non poſſit aſſurgere. Adjicientes etiam ita illum tenacem exiſtere, ut domum ejus amicus ad caritatem nunquam introeat. Ruſticus autem diaconus ejuſdem eccleſiæ, qui ſimiliter electus fuerat, vigilans quidem homo dicitur: ſed quantum aſſeritur pſalmos ignorat. Florentinum vero diaconum eccleſiæ Ravennatis, qui electus ab omnibus memoratur, ſolicitum eſſe novimus: ſed qualis ſit interius omnino non ſcimus. Ideoque fraternitas tua una cum E fratre & coepiſcopo noſtro Armenio ſupraſcriptæ Anconitanæ eccleſiæ viſitatore illuc feſtinet accedere, & diligenter de vita ac moribus ſingulorum requirere, ſi de nullo ſibi ſunt crimine conſcii, quod eos ad hoc officium vetet accedere. Pariter etiam requirendum eſt, ſi hoc quod de præfato archidiacono dictum eſt, quia nunquam amicus domum ejus ingreſſus eſt, ſi ita ſe veritas habet, & utrum ex neceſſitate, an ex tenacia talis ſit, aut ſi ita ſenex eſt, ut ad regendum non poſſit aſ-

A ſurgere, vel ſi tactis ſacroſanctis evangeliis, ſicut nobis nuntiatum eſt, jusjurandum præbuerit nunquam ſe ad epiſcopatum accedere. Sed etiam de Ruſtico diacono, quantos pſalmos minus teneat, perſcrutandum eſt. Florentio autem diacono Ravennati, ſi nullum, ſicut diximus, crimen eſt quod obſiſtat, apud epiſcopum ejus agi neceſſe eſt, ut ei debeat ceſſionem concedere; non tamen ex noſtro mandato vel * edicto, ne contra ſuam voluntatem eum cedere videatur. Sed hoc, ut noverunt ii qui eum eligunt, ex ſe agant: tu vero de ſingulis cum omni ſtudio ac ſolicitudine omnia quæ ſcripſimus require, atque nobis ſtude ſubtiliter indicare, ut renuntiatione B tua redditi certiores, quid poſt hæc Deo auctore fieri debeat diſponamus.

* dicto Pariſ.

## VII. AD THEODOLINDAM REGINAM

### LONGOBARDORUM.

De ſcriptis Secundini.

*Gregorius Theodolindæ reginæ Longobardorum.*

SCripta quæ ad nos dudum a Januenſibus partibus tranſmiſiſtis, gaudii veſtri nos fecere participes, propterea quod omnipotentis Dei gratia, & filium vobis donatum, & , quod C valde excellentiæ veſtræ eſt laudabile, catholicæ eum fidei novimus ſociatum. Nec enim de Chriſtianitate veſtra aliud credendum fuerat, niſi id ſtudere vos, ut quem divino munere ſuſcepiſtis, catholicæ rectitudinis auxilio muniretis, ut & Redemptor noſter familiarem te ſuam famulam cognoſceret, & Longobardorum genti novum regem in timore ſuo feliciter enutriret. Unde oramus omnipotentem Deum, ut & vos in mandatorum ſuorum via cuſtodiat, & eumdem excellentiſſimum filium noſtrum Adulouvaldum in ſuo faciat amore proficere; quatenus ſicut hic inter homines jam magnus eſt, ſic quoque ex bonis actibus ante Dei noſtri oculos ſit glorioſus. Illud D autem quod excellentia veſtra ſcripſit, ut dilectiſſimo filio noſtro * Secundino abbati ad ea quæ ſcripſit ſubtiliter reſpondere deberemus; quis vel petitionem illius vel veſtra deſideria, quæ multis eſſe profutura cognoſcit, ſi ægritudo non obſiſteret, duceret poſtponenda? Sed tanta nos podagræ nunc infirmitas tenet, ut non ſolum non dictare, ſed etiam nec ad loquendum poſſimus aſſurgere, ſicut & præſentium portitores legati veſtri cognoverunt, qui nos & venientes infirmos invenerunt, & diſcedentes in ſummo vitæ periculo atque diſcrimine reliquerunt. Sed ſi omnipotente Deo diſponente convaluero, ad cuncta quæ mihi ſcripſit ſubtiliter reſpondebo. Eam E tamen ſynodum quæ piæ memoriæ Juſtiniani tempore facta eſt, per latores præſentium tranſmiſi, ut prædictus filius meus dilectiſſimus ipſam legens agnoſcat quia falſa ſunt omnia quæ contra ſedem apoſtolicam vel catholicam eccleſiam audierat. Abſit enim nos cujuslibet ſenſum hæretici recipere, vel a tomo ſanctæ memoriæ Leonis prædeceſſoris noſtri in aliquo deviare, ſed quæcumque a ſanctis quatuor ſynodis ſunt definita recipimus, & quæcumque reprobata ſunt condemnamus. Excellentiſſimo autem filio noſtro Adulouvaldo

* Secundo. Pariſ.

do regi tranſmittere phylacteria curavimus, A id eſt, crucem cum ligno ſanctæ crucis domini, & lectionem ſancti evangelii theca Perſica incluſam. Filiæ quoque meæ ſorori ejus tres annulos tranſmiſi, duos cum hyacinthis, & unum cum albula: quæ eis per vos peto dari, ut apud eos noſtra caritas ex veſtra excellentia condiatur. Paterna præterea caritate perſolventes ſalutationis officium, petimus ut excellentiſſimo filio noſtro regi conjugi veſtro, pro nobis de facta pace gratias referatis, atque ejus animum ſicut conſueviſtis ad pacem de futuro per omnia provocetis; quatenus mercedem populi innocentis, qui in ſcandalo perire poterat, ante conſpectum Dei inter multa bona quæ agitis invenire poſſitis. * Data menſe Januarii, indictione VII. B

* Data deeſt in Pariſ.

## VIII. AD ALCYSONUM EPISCOPUM CORCYRÆ.

De corpore beati Donati in Caſsiopi caſtro cum epiſcopi licentia recondendo.

*Gregorius Alcyſono epiſcopo Corcyræ.*

Reſipiſcentibus fratribus, & ad ſalubre ſe conſilium convertentibus non eſt neganda benignitas, ne plus in epiſcoporum mentibus culpa videatur poſſe quam caritas. Venientem C igitur ad nos Petrum, eccleſiæ * Iſauriæ lectorem, cum ſcriptis fratris & coepiſcopi noſtri Joannis, coram reſponſalibus dilectionis tuæ ſuſcepimus, atque eum, poſt relecta ſcripta quæ detulerat, curæ nobis fuit requirere, ſi quid contra allegationem eorumdem reſponſalium tuorum haberet quod diceret. Qui dum nihil ſibi aliud injunctum, vel reſponſurum ſe penitus perhiberet, extra hoc quod epiſcopi ipſius epiſtola continebat, ea quæ canonibus congruebant, Deo auctore, ſine tarditate decrevimus. Poſt longum vero tempus ſupraſcriptus Petrus * capitulare protulit, quod ſibi datum a ſuo aſſerebat epiſcopo, & idcirco moras cauſſa ſuſtinuit. Sed quia D in eodem capitulari memoratus ſperaſſe legebatur antiſtes, ut in eccleſia beati Joannis, quæ * in Caſſiopi caſtro eſt poſita, ſanctum ac venerabile corpus beati Donati haberet recondendi licentiam, paratum ſe eſſe inquiens dilectioni tuæ, propterea quod tua probatur eſſe diœceſis, munitionem emittere, nullum tibi ex hoc præjudicium generari: petitionem ejus ſine effectu non prævidimus relinquendam, poſtquam ita * tibi neceſſitatis tempore deſiderat fieri conſultum, ut eccleſiæ tuæ juriſdictionem ſervare ſe in omnibus fateatur. Hac itaque ratione permoti, fraternitatem tuam ſcriptis præſentibus adhortamur, ut ſine mora, vel aliqua excuſatione, in prænominata E beati Joannis eccleſia recondendi ſupraſcripti ſancti venerabile corpus præbeat facultatem: ita ſane ut prius ſcriptura interveniente te muniat, nunquam ſe in antefata eccleſia, vel caſtro ſub quolibet argumento, aliquam juriſdictionem, vel privilegium tamquam proprius epiſcopus vendicare, ſed omne illi jus ac poteſtatem eccleſiæ tuæ, quippe cujus eſt parochia, inviolabiliter cuſtodire. Pariter quoque te, ſicut idem frater noſter petiit, convenit reſpondere: ut tempore quo miſerante Deo pace reddita illi ad propria fuerit revertendi licentia, antedictum venerabile corpus auferendi ſecum ſine aliqua objectione fas habeat. Qua de re ne perſonale eſſe videatur quod geritur, & inveniri poſſit unde recidiva rurſus excitetur contentio, & ſucceſſores veſtri in hac promiſſione pro conſervandis omnibus ſunt per omnia complectendi; quatenus hujuſmodi præveniente cautela, nec ille ibidem de cetero ſibi quidquam in diœceſi tua contra æquitatem & ſacrorum canonum decreta præſumat defendere, & jus eccleſiæ tuæ ex hujuſmodi conceſſione præjudicium aliquod nulla unquam ratione ſuſtineat.

* Pariſ. & ſic ſemper. Pariſ.

* cartulare.

* Intra caſtrum, quod Caſſiopi vocatur, eſt &c. Pariſ.

* ſibi. Pariſ.

## IX. AD FELICEM SUBDIACONUM

De reditibus eccleſiæ ſancti Pauli ad Aquas Salvias conceſſis.

*Gregorius Felici ſubdiacono rectori patrimonii Appiæ.*

Licet omnia quæ hic apoſtolica habet eccleſia beatorum Petri & Pauli, quorum honore & beneficiis acquiſita ſunt, Deo ſint auctore communia; eſſe tamen debet in adminiſtratione actionum diverſitas perſonarum, ut in aſſignatis cuique rebus cura adhiberi poſſit impenſior. Cum ergo pro eccleſia beati Pauli apoſtoli ſolicitudo debita nos commoneret, ne minus illic habere luminaria idem præco fidei cerneretur, qui totum mundum lumine ſuæ prædicationis implevit, & valde incongruum eſſe ac duriſſimum videretur, ut illa ei ſpecialiter poſſeſſio non ſerviret, in qua palmam ſumens martyrii capite eſt truncatus ut viveret; utile judicavimus eamdem maſſam quæ Aquas Salvias nuncupatur, cum omnibus fundis ſuis, id eſt, cella vinaria, Antoniano, villa Pertuſa in foro Primiano, Caſſiano, Silonis, Cornelii, Theſſelata, atque Corneliano, cum omni jure, inſtructu, inſtrumentoque ſuo, & omnibus generaliter ad eam pertinentibus, cum Chriſti gratia luminaribus deputare, adjicientes etiam eidem ceſſioni hortos duos inter Tiberim & porticum ipſius eccleſiæ, euntibus a porta civitatis parte dextera, quos dividit fluvius Almon, inter affines horti monaſterii ſancti Stephani, quod eſt ancillarum Dei, poſitum ad ſanctum Paulum, & * ad fines poſſeſſionis Piſiniani, ſimul & terrulas, quæ vocantur Foſſa latronis, poſitas, * id eſt, juxta eamdem porticum euntibus, ſimiliter parte ſiniſtra ad portam ubi nunc vineæ factæ ſunt, quæ terrulæ cohærent ab uno latere poſſeſſioni * Eugentis quondam ſcholaſtici, & ab alia parte poſſeſſionibus monaſterii ſancti Ediſtii, quæ omnia Deo adjuvante per antedictæ eccleſiæ præpoſitos, qui per tempora fuerint ſubſequentia, & a præſenti ſeptima indictione volumus ordinari. Et quidquid exinde acceſſerit, luminaribus ejus impendi, atque ipſos exinde ponere rationes. Idcirco experientiæ tuæ * præcipimus, ut ſupraſcriptam maſſam Aquas Salvias cum prænominatis omnibus fundis ſuis, nec non hortos atque terrulas quæ ſuperius continentur, de brevibus ſuis deleri facias ac auferri, & cuncta ad nomen prædictæ eccleſiæ beati Pauli apoſtoli tradere; quatenus ſervientis ibi præ-

* affines

* ibidem, juxta Pariſ.

* Eugentii Eugenitis Pariſ.

* præcipſimus.

poſiti omni poſthac carentes excuſatione de A luminaribus ejus ita ſine noſtra ſtudeat ſolicitudine cogitare, ut nullus unquam illic neglectus poſſit exiſtere. Facta vero ſupraſcriptarum omnium rerum traditione, volumus ut hoc præceptum in ſcrinio eccleſiæ noſtræ experientia tua reſtituat.

## X. AD FELICEM EPISCOPUM MESSANENSEM.

De conſtruenda eccleſia.

* *Gregorius Felici epiſcopo Meſſanenſi.* B

* rejicitur in Pariſ. edita. dict. X.

JAnuarius ſubdiaconus eccleſiæ Meſſanenſis petitoria nobis inſinuatione ſuggeſſit, quæ habetur in ſubditis, in civitate Meſſanenſi baſilicam ſe pro ſua devotione fundaſſe, quam in honorem ſancti Stephani & Pancratii atque Eupli deſiderat conſecrari. Et ideo, frater cariſſime, ſi in tuæ diœceſis civitatis jure conſiſtit, & nullum corpus ibidem conſtat humatum, percepta primitus donatione legitima, id eſt, a præſenti annuis tributis liberos fiſcalibus ſolidos decem, & reliqua, de ſubſtantia ſua ſibi tantummodo uſumfructum retineat. Quæ omnia diligenter inquire, & ſi eorum quæ offeruntur redituum quantitas, vel quæ tempore mortis reliquerit, ſartis tectis, & luminaribus, nec non alimoniis ſervientium annua poſſunt præſtatione ſufficere, ipſa munificentia ſit geſtis municipalibus alligata. Quod ſi hæc quæ diximus per ſolicitudinem tuam impleta non fuerint, de propria ſubſtantia, quanti interfuerit, utilitati eccleſiæ te vel heredes tuos ſatisfacturum eſſe non dubites. His igitur procuratis, benedictio optata proveniat. Nec ante dedicationis munus impertias, quam ſuperius comprehenſus fuerit ordo donationis impletus, enuntiaturus ex more nihil illic conditoris juri * ulterius jam deberi, niſi proceſſionis gratia, quæ Chriſtianis omnibus in commune debetur: ſanctuaria vero ſuſcepta ſui cum reverentia collocabis.

* alterius.

## XI. AD JULIANUM SCRIBONEM.

De Maximi inquiſitione, quæ propter palatii & populi voluntatem, cum Dei offenſa omittenda non eſt.

* *Gregorius Juliano ſcriboni.*

* transfertur in Pariſ. ad indict. II.

SI ſæcularibus officiis ordo ſuus & tradita a majoribus diſciplina ſervatur, quis ferat eccleſiaſticos ordines temeraria præſumptione confundi, audita negligere, & emendanda non bene remittendo poſtponere? Et quidem vos bene facitis caritatem diligere, & ad concordiam ſuadere. Sed quoniam loci noſtri conſideratione compellimur, ea quæ ad noſtram notitiam pervenerunt minime propter Deum irrequiſita relinquere; idcirco veniente Maximo, ſubtiliter ab eo quæ de ipſo dicta ſunt perſcrutari curavimus. Et confidimus de reatoris noſtri cuſtodia, quia cognita veritate, a ſtatu canonum & æquitatis rectitudine, nec gratia cujuſquam, nec culpa deflectimur, ſed libenter quæ congruunt rationi ſervamus. Nam ſi, quod abſit, eccleſiaſticam ſolicitudinem vigoremque negligimus, perdit deſidia diſciplinam, & animabus profecto fidelium nocebitur, dum talia a ſuis paſtoribus exempla ſuſcipiunt. Illud autem quod ſcribitis, quia voluntas palatii & amor ab eo populi non diſcordet, hæc res a juſtitiæ nos zelo non revocat, nec intentionem noſtram facit in requirenda veritate peccando deficere. Studendum ergo eſt, fili magnifice, ut amorem ſibi Dei quiſque conciliet. Nam ſine divina gratia humana dilectio quid dicam in poſterum, dummodo quoque apud nos amplius nocet?

## XII. AD CONDUCTORES MASSARUM PER GALLIAM.

Quod Arigio patricio obedire debeant.

* *Gregorius conductoribus maſſarum per Galliam.*

* transfertur in Pariſ. ad indict. XIII cum duabus ſeqq.

QUamvis inter medias ſitis turbas gentium conſtituti, tamen ratio nos ipſa ſuſpicari compellit, multum vos ab aliis bona actione diſtare. Sicut enim appellatio S. Petri apoſtolorum principis familiam eccleſiæ tantæ multitudini clariorem demonſtrat; ita debetis ceteros morum claritate præcedere, atque eos quibus præeſtis, ut bene agant, ut agnoſcant cui ſerviunt aſſidue commonere, ut a rapinis C gentium atque pravitatibus abſtineant, & familia eccleſiæ non ſolum nomine, ſed meritis honoretur. Nos enim de vobis cognoſcite ſtudioſiſſime cogitare. Diſpoſuimus enim hominem noſtrum, qui vos poſſit tueri & regere, cum literis commendatitiis ad excellentiſſimum regem Chriſto auxiliante tranſmittere: ſed viam tempus hiemis impedivit. Viro ergo glorioſo Arigio patricio prævidimus vos commendandos, cui interim ſumma benignitate atque obedientia, ſicut beati Petri famulos decet, obedire ſtudete, atque ea quæ pro eccleſiaſtica utilitate vobis præcipiuntur implete. Viſum autem nobis eſt, ut conſuetudinaria excepta ejus utilitate debeatis inferre. D Penſiones vero fideliter cum omni collectæ diligentia, ut apud unumquemque veſtrum, quem communi conſenſu elegeritis, rejaceant; a quo cum venerit is, quem a latere noſtro tranſmiſerimus, eas poſſit accipere. Non enim ſumus dubii, quod per eum, qui vobis viſus fuerit, poſſint fideliter conſervari. Ita ergo in omnibus irreprehenſibiles atque obedientes exiſtite, quatenus veniens ad vos is qui patrimonium ipſum recturus eſt, ſciat quemadmodum unicuique veſtrum pro ſua debeat ſtrenuitate rependere.

## XIII. AD CYPRIANUM DIACONUM.

E De perſequendis maleficiis, quæ vulgo cantermæ dicuntur.

*Gregorius Cypriano diacono.*

VIr ſanctiſſimus Maximianus coepiſcopus noſter eccleſiam Dei pravis hominibus purgare deſiderans, laudabiliter erga eccleſiaſticorum vitam, ſicut noſti, ſolicitus fuit. Qui dum eorum actus vigilanter cura paſtorali intenderet, maleficio, quod vulgo canterma dicitur, quoſdam didicit maculatos. Quos etiam,

iam, ſicut & dilectionis tuæ nuntiavit epiſtola, dedit in cuſtodia retinendos. Sed quia, peccatis noſtris facientibus, morte præventus crimen ipſum ulciſci non valuit, neceſſe eſt ut dilectio tua cum omni hoc ſubtilitate indagare feſtinet, atque in eos ſecundum immanitatem facinoris ſtudeat vindicare, qualiter ſecundum leges ſupraſcriptum epiſcopum zelo correptionis ac juſtitiæ in hac ultione propter Deum novit potuiſſe ſi viveret commoveri. Omni ergo virtute omnique inſtantia tua dilectio in hac cauſſa zelum ſuum erga omnipotentem Deum curet oſtendere, & inimicis illius adverſitatem dignam inflictis ultionibus exhibere, ut impleas quod ſcriptum eſt: *Nonne qui oderunt te, domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcam?* Si ergo hoc zelo dilectio tua accenditur, in eos qui Deum dereliquerunt, & contra eum maleficiis aliquid egerunt, pœna monſtretur. Quod ſi recte illic exequi non vales, nobis qui tales ſunt tranſmitti debent, ſi tamen hic monſtrari poterint, unde illic poſſunt abſque difficultate convinci. Sed quia hoc impoſſibile eſſe exiſtimo, illic per te debet diſtricta atque fortis correctio provenire. Virum autem glorioſum domnum Libertinum prætorem in tali loco per contemplationem omnipotentis Dei adjutorem te habere confido. In hac tamen cauſſa miteſcere minime debuiſti, etiamſi tibi quilibet ſæcularis judex adverſarius potuiſſet exiſtere. Poſſeſſiones præterea Archilai medici dilectio tua rationabiliter tueatur, ut ab aliquibus injuſte eum minime gravari permittatis.

Pſalm. 138.

## XIV. AD DATIANUM EPISCOPUM METROPOLITANUM.

### De barbarorum gladiis.

*Gregorius * Datiano epiſcopo metropolitano.*

* Domitiano.

SCripta dulciſſimæ & cordis ulnis omnibus amplectendæ veſtræ beatitudinis triſtis accepi, lætus relegi. Quis enim in hac terra non lugeat, quæ barbarorum gladiis tradita, pene jam non habet qui in ea vivant, & tamen habet quotidie qui moriantur? Sed in quantalibet triſtitia, quem non veſtræ epiſtolæ in gaudium exultationis excuterent? in quibus cum oris efficacia, cum præpollentis ſapientiæ ingenio mihi medullitus loquebatur, non carnis lingua, ſed caritatis. Quia vero ego de fonte veſtræ ſecuritatis hauriens, ex aliquanto lætificatus ſum; vos quoque rogo noſtræ triſtitiæ luctum tangite, & afflictionem noſtram in vobiſmetipſis magiſtra caritate pertrahite. Neque enim noſtri mœroris ſordes mundabitis, niſi ipſi quoque per compaſſionem manum veſtri cordis inquinetis. Nam ſordida vaſcula, ut inquinatione terræ careant, cum terra mundari ſolent: & vos ſi parumper ad curam noſtram veſtrum animum ducitis, ut nobis opitulari valeatis, quaſi cum luto lutum mundatis. Sed quia hoc operando ſimul & orando agitis, ſi quid pro nobis in vobis terrena actio inquinat, ſtatim aqua orationis lavat. Quia enim ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, compatiendo laboribus noſtris oſtendite quia unum ſumus. Narrare enim mala quæ extrinſecus, & intrinſecus patior epiſtolari brevitate prohibeor. Sed communis filius Sabinianus diaconus veſtræ dulciſſimæ ſanctitati curanda vulnera noſtra aperiet: ſed ex opere ſupernæ gratiæ ſubſequente ſalute cognoſcat quia medicus eſt qui vulnus videt. Pueros vero epiſcopo ſimiles non tranſmitto, niſi prius cum omnipotentis Dei, & beatitudinis veſtræ ſolatio a terrenis implicationibus exutus ipſe epiſcopus fuero. Quando enim me apud meipſum invenero, tunc foris mei ſimiles videlicet deformes quæro. Data decimo Kalendas Januarii.

## XV. AD AUGUSTINUM EPISCOPUM ANGLORUM.

### De uſu pallii, & de Londonienſi & Eboracenſi eccleſia.

* *Gregorius Auguſtino epiſcopo Angiorum.*

* transfertur in Paris ad indict. IV. cum duabus ſeq. Auguſtino pallium mittitur.

CUm certum ſit pro omnipotente Deo laborantibus ineffabilia æterni regni præmia reſervari, nobis tamen eis neceſſe eſt honorum beneficia tribuere, ut in ſpiritalis operis ſtudio ex remuneratione valeant multiplicius inſudare. Et quia nova Anglorum eccleſia ad omnipotentis Dei gratiam eodem domino largiente, & te laborante perducta eſt, uſum tibi pallii in ea ad ſola miſſarum ſolennia agenda concedimus, ita ut per loca ſingula duodecim epiſcopos ordines, qui tuæ ditioni ſubjaceant, quatenus Londonienſis epiſcopus civitatis ſemper in poſterum a ſynodo propria debeat conſecrari, atque honoris pallium ab hac ſancta & apoſtolica, cui auctore Deo deſervio, ſede percipiat. Ad Eboracam vero civitatem te volumus epiſcopum mittere, quem ipſe judicaveris ordinandum: ita ut ſi eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipſe quoque duodecim epiſcopos ordinet, ut metropolitani honore perfruatur, quia ei quoque, ſi vita comes fuerit, pallium tribuere domino favente proponimus, quem tamen tuæ fraternitatis volumus diſpoſitioni ſubjacere. Poſt obitum vero tuum ita epiſcopis quos ordinaverit præſit, ut Londonienſis epiſcopi nullo modo ditioni ſubjaceat. Sit vero inter Londoniæ & Eboracæ civitatis epiſcopos in poſterum honoris iſta diſtinctio, ut ipſe prior habeatur qui prius fuerit ordinatus. Communi autem conſilio, & concordi actione quæcumque erunt pro Chriſti zelo agenda diſponant, unanimiter recta ſentiant, & ea quæ ſenſerint, non ſibimet diſcrepando perficiant. Tua ergo fraternitas non ſolum eos epiſcopos quos ordinaverit, neque eos tantummodo qui per Eboracenſem epiſcopum fuerint ordinati, ſed etiam omnes Britanniæ ſacerdotes habeat domino Deo noſtro auctore ſubjectos, quatenus ex vita & lingua tuæ ſanctitatis & recte credendi & bene vivendi formam percipiant, atque officium ſuum fide ac moribus proſequentes ad cæleſtia, cum dominus voluerit, regna pertingat. (a)

Duodecim epiſcopos ſibi ordinet ſed Londonienſis a ſua ſynodo conſecrandus.

Et Eboraci epiſcopum, qui & ſibi ordinet duodecim, & metropolitanus ſit, at Auguſtino ſubditus.

Diſtinctio inter Londonienſem & Eboracenſem epiſcopos.

Auguſtino omnes Britanniæ ſacerdotes ſubditi.

XVI.

(a) *Parij. addit.* Deus te incolumem cuſtodiat reverendiſſime frater. Data die x. Kal. Juliarum imperante Domino noſtro Mauritio Tiberio piiſſimo auguſto ann. xix. poſt. C. ejuſdem Domini ann. xviii. indict. iv.

## XVI. AD JOANNEM ABBATEM DE MONTE SINA.

Petit pro ſe orare.

*Gregorius Joanni Abbati de monte Sina.*

SAnctitatem vitæ tuæ humilitatis tuæ teſtatur epiſtola, unde omnipotenti Deo magnas gratias agimus, quia adhuc eſſe cognoſcimus qui pro peccatis noſtris valeant exorare. Nos enim ſub colore eccleſiaſtici regiminis mundi hujus fluctibus volvimur, qui frequenter nos obruunt. Sed cœleſtis gratiæ manu protegente de profundo relevamur. Vos ergo qui in tanta quietis veſtræ ſerenitate tranquillam vitam ducitis, & ſecuri quaſi in litore ſtatis, nobis navigantibus aut potius naufragantibus orationis veſtræ manum tendite, & conantes ad terram viventium pergere quantis poteſtis precibus adjuvate, ut non ſolum de veſtra vita, ſed etiam de ereptione noſtra mercedem habere in perpetuum valeatis. Sancta Trinitas dilectionem tuam ſuæ protectionis dextera protegat, detque tibi commiſſum gregem orando, admonendo, boni operis ſtudium oſtendendo, in conſpectu ſui Redemptoris recte paſcere, ut ad æternæ vitæ paſcua valeas cum ipſo quem paſcis grege pervenire. Scriptum quippe eſt: *Oves meæ venient, & paſcua invenient.* (Joann. 10.) Quæ videlicet paſcua tunc invenimus, quando hujus vitæ hieme carentes, de æternæ vitæ quaſi de novi veris viriditate ſatiamur. Filio noſtro Simplicio renuntiante cognovimus lectos vel lectiſternia in gerontocomio, quod a quodam illic Iſauro conſtructum eſt, deeſſe. Propterea miſimus lenas xv. rachanas xxx. lectos xv. pretium quoque de emendis cultricis * vel naula dedimus, quæ dilectionem tuam petimus non indigne ſuſcipere, ſed in loco quo tranſmiſſa ſunt præbere. *

* &

* *Pariſ.* ad. Data die Kal Sept. ind. IV.

## XVII. AD ASCLEPIODOTUM PATRICIUM.

Commendat ei patrimonium eccleſiæ Romanæ, & clavim mittit cum reliquiis.

*Gregorius Aſclepiodoto Patricio.*

PRudentes viros, ſicut eſtis, regibus adhærere, multorum ſolamen eſt. Nam dum præſtantiorem ſibi locum ad animæ utilitatem datum intelligunt, certum eſt quia mercedis cauſſas, ubi inveniunt, non poſtponunt. Quanto igitur affectu, quantaque devotione gloria ſe veſtra in cauſſis pauperum ſtudio pietatis impenderit, dilectiſſimo filio noſtro Candido presbytero nuntiante comperimus. (Cod. de donationibus.) Sed quoniam hanc ſibi quodammodo nobilitas legem imponit, ut debere ſe quod ſponte tribuit æſtimet, & niſi in beneficiis ſuis creverit, nihil præſtitiſſe ſe reputet; paterna dilectione ſalutantes gloriæ veſtræ ſupraſcriptum presbyterum, & patrimonium eccleſiæ noſtræ fiducialiter commendamus, ut ope gratiæ veſtræ præmunitum, moleſtias & onera nulla ſuſtineat. Sic igitur boni ſtudii in vobis cura proficiat, ut utilitates pauperum vobis adnitentibus nutriantur, ſentiamus quod de caritate veſtra præſumimus. Augete favoris veſtri præſidia, quia apud nobilium mentes ſemiplenum bonum videtur quod ſine adjectione relinquitur. Et quoniam ab excellentiſſimis regibus Francorum filiis noſtris popoſcimus, ut ipſum patrimoniolum ſub ſua cura habere dignentur, vobis adminiculantibus impleatur, ut veſtrum poſſit eſſe quod poſcimus; quatenus & nos gratias referentes, pro gloriæ veſtræ incolumitate orare enixius valeamus, & veſtrorum bonorum viciſſitudinem Deus vobis omnipotens & hic & in futuro recompenſet. Clavim vero a ſacratiſſimo beati Petri corpore, in qua de catenis ejus benedictio continetur, tranſmiſimus, quæ collo veſtro ſuſpenſa contra omnia adverſa vos muniat.

## XVIII. AD BACAUDAM ET AGNELLUM EPISCOPOS.

De ſynagoga Judæorum transferenda, ſi eccleſiæ officia impediat.

* *Gregorius Bacaudæ & Agnello epiſcopis.*

* tranſfertur in *Pariſ.* ad indict. IX.

SUpplicaverunt nobis Hebræi Tarracinæ degentes, ut locum quem ſynagogæ hactenus habuerunt, cum illis noſtra quoque auctoritate eſſet habendi licentia. Sed quia pervenit ad nos quod locus ipſe ſic vicinus eſſet eccleſiæ, ut etiam ad eam vox pſallentium perveniret; ideo ſcripſimus fratri & coepiſcopo noſtro Petro, ſi ita eſſet ut vox de eodem loco in eccleſia reſonaret, * Judæi celebrationibus privarentur. Itaque fraternitas veſtra cum ſupraſcripto fratre & coepiſcopo noſtro locum ipſum diligenter inſpiciat: & ſi ita eſt ut aliquid vobis in eccleſia viſum fuerit obfuiſſe, alium locum intra ipſum caſtellum prævidete, ubi præfati Judæi conveniant, quo poſſint ſuas ſine impedimento cærimonias celebrare. Talem vero fraternitas veſtra locum prævideat, ſi hoc fuerint loco privati, ut nulla exinde in futuro querela naſcatur. Prædictos vero Judæos gravari vel affligi contra ordinem rationis prohibemus: ſed ſicut Romanis vivere legibus permittuntur, ſic, annuente juſtitia, actus ſuos, ut norunt, nullo impediente diſponant: eis tamen Chriſtiana mancipia habere non liceat.

* Judæorum, & *inferius*, privarentur *Pariſ.*

## XIX. AD SABINUM SUBDIACONUM.

De horto Feliciani monaſterio ancillarum Dei tradendo.

* *Gregorius Sabino Subdiacono.*

* transfertur in *Pariſ.* ad indict. X. *cum ſeptem ſequentibus.*

OFficio pietatis impellimur monaſteriis provida conſideratione ferre conſultum, ne hi qui in ſervitio Dei deputati eſſe noſcuntur, neceſſitatem aliquam, quod avertat dominus, poſſint ſuſtinere. Ideoque experientiæ tuæ hac auctoritate præcipimus, ut hortum quondam Feliciani presbyteri poſitum in regione prima, ante gradus ſanctæ Sabinæ, excuſatione poſtpoſita, monaſterio Euprepiæ, in quo ancillarum Dei congregatio eſſe dignoſcitur, jure proprietario poſſidendum tradere ſine ambi-

ambiguitate ſeſtinet, quatenus noſtræ beneficio largitatis in Dei ſervitio, ipſo quoque ſuffragante, ſecuris mentibus perſeverent.

## XX. AD STEPHANUM CHARTULARIUM.

De monachis fugitivis reſtituendis, & ne novæ conſuetudines monaſteriis imponantur.

*Gregorius Stephano Chartulario.*

SCientes magnitudinem charitatis veſtræ toto dominum corde diligere, ob hoc ea quæ in maſſis de jure quondam Patricii viri piæ recordationis * contra præcepta dominica contraque canonum regulam commiſſa eſſe didicimus, ad ejus neceſſe duximus referre noticiam, quatenus hæc quæ perpetrata ſunt corrigi debeant, & alii deinceps tentare non præſumant. Inſinuatum igitur nobis eſt, in maſſa, quæ nuncupatur Marato, de abbate monaſterii ſancti Gregorii, quod in eadem ſitum eſt, duos monachos refugiſſe, & unum quidem ex eis jam conjugem accepiſſe, alium autem laicum effectum ſæculariter vivere: cum nec ex familia maſſæ homines ipſi liberi afferantur, & vel ſi ſecundum conditionem debuiſſent agere, contra Deum erat, ut poſt adeptum divini officii cultum, ad ſæcularem vitam atque habitum remearent. Unde hortor, ut habita judicii æterni conſideratione, monachos ipſos retrudi ſine dilatione faciatis, ne eorum exemplo, cum veſtro, quod abſit, peccato ceterorum monaſteriorum diſtrictio diſſipetur: ſed magis ut magnitudinis veſtræ ſolatio aliis monachis ſpes gerendi talia ſubmoveatur. Aſſeruit autem prædictus abbas preſbyterum prædictæ maſſæ novas monaſterio ipſi velle imponere conſuetudines, quæ ex tempore conditi monaſterii per triennale tempus hactenus non fuerunt: ſi quidem ſi quid Deo illic munificentiæ gratia a fidelibus viris oblatum fuerit, portionem ſe aſſerat debere percipere. Quod magnitudo veſtra ſtudeat diligenter agnoſcere; & ſi hoc ab initio non fuit, etiam labentibus temporibus aliud noviter imponi non concedat: quia maxime exiguæ ſubſtantiæ & monaſterium pauperum eſſe didicimus, & abbatem ipſum hoſpitalem omnino eſſe multorum atteſtatione didicimus.

* Julia, contra Pariſ.

## XXI. AD VELOCEM MAGISTRUM MILITUM.

De perſecutione * Ariulphi.

* al. Araulphi.

*Gregorius Veloci Magiſtro Militum.*

ET pridem expreſſimus gloriæ veſtræ, quia milites illuc erant parati venire, ſed quoniam inimicos congregatos & huc diſcurrere epiſtola veſtra ſignificaverat, hæc eos hic cauſſa retinuit. Nunc vero utile eſt viſum, ut aliquanti illuc milites tranſmittantur, quos gloria tua admonere & hortari ut parati ſint ad laborem ſtudeat. Et occaſione inventa cum glorioſis filiis noſtris Mauricio & Vitaliano loquere, & quæcumque vobis Deo adjutore pro utilitate reipublicæ ſtatuerint, facite. Et ſi huc vel ad Ravennates partes, nec dicendum Ariulphum cognoveritis excurrere, vos a dorſo ejus ita, ſicut viros decet fortes, laborate, quatenus opinio veſtra ex laboris veſtri qualitate amplius in republica, Deo auxiliante, proficiat. Illud tamen præ omnibus admonemus, ut familiam Maloin & Adobin, Vigildi, atque Gruſſingi, qui cum glorioſo * Mauricio magiſtro militum eſſe noſcuntur, ſine aliqua mora vel excuſatione relaxes, quatenus venientes illuc homines prædicti viri cum eis ſine aliquo impedimento debeant ambulare.

* Maurillo. Pariſ.

## XXII. AD MAURITIUM ET VITALIANUM MAGISTROS MILITUM.

De * Ariulpho.

* al. Araulpho.

*Gregorius Mauritio & Vitaliano magiſtris militum.*

GLoriæ veſtræ ſuſcipientes epiſtolas, Deo gratias egimus, quia de ſalute veſtra cognovimus, & de ſolicitudine veſtra multum gaviſi ſumus, & mox ea quæ ſcripſiſtis parata fuerunt. Sed * Aldio vir * memorandus poſt adventum hominum veſtrorum nobis ſcripſit, quia in proximo jam Ariulphus eſſet, & timuimus ne milites, qui ad vos diriguntur, in manu ejus inciderent. Et tamen hic, quantum Deus adjuverit, contra eum filius noſter Glorioſus magiſter militum ſe paravit. Sed & gloria veſtra, ſi huc perrexerit ipſe hoſtis, quomodo conſueviſtis, cum auxilio Dei a dorſo ejus quod poteſtis perficite. Speramus enim in omnipotentis Dei virtute, & in ipſius beati Petri apoſtolorum principis, in cujus ille natali ſanguinem effundere deſiderat, quia ipſum ſibi contrarium ſine mora inveniet.

* al. Allidio. * magnificus. Pariſ.

## XXIII. AD EOSDEM.

De fide Suanenſium.

*Gregorius Mauritio & Vitaliano magiſtris militum.*

SUppliciter gloriæ veſtræ per filium noſtrum Vitalianum cum quo ut tractaretis, & verbo & ſcripto mandavimus. Undecimo autem die menſis * Januarii Ariulphus hanc epiſtolam, quam vobis direximus, tranſmiſit. Et ideo relegentes eam, videte ſi in fide ſua Suanenſes quam reipublicæ promiſere perſtiterunt. Obſideſque dignos, de quibus poſſitis confidere, ab eis percipite, & inſuper eos denuo ſacramentis obſtringite, reddentes eis quod loco pignoris ſubſtuliſtis, & ſermonibus veſtris eos ſanantes. Si autem maniſeſtiſſime cognoveritis eos cum Ariulpho de ſua ſubditione locutos fuiſſe, vel certe obſides ei dediſſe; ſicut nos Ariulphi epiſtola, quam vobis direximus, dubios reddidit; ſalubri conſilio pertractantes, ne in aliquo anima veſtra vel noſtra de ſacramentis gravetur, quidquid utile reipublicæ judicaveritis, peragite. Sed ita faciat gloria veſtra, ut neque ſit aliquid unde poſſimus ab adverſariis reprehendi, neque in quo quod utilitas reipublicæ exigit, quod aver-

* al. Junii.

avertat dominus, negligatur. Præterea, glo- A rioſi filii, eſtote ſoliciti, quia, quantum comperi, hoſtem collectum habet, & * in Narina dicitur reſidere: & ſi huc curſum Deo ſibi irato mittere voluerit, vos loca ipſius, quantùm vos dominus juverit, deprædamini, aut certe ſculcas quos mittitis ſolicite requirant, ne dolens factum ad nos diſcurrat.

* Naſſia.

## XXIV. AD MILITES NEAPOLITANOS.

De obedientia Conſtantio tribuno exhibenda.

*Gregorius univerſis Militibus Neapolitanis.*

SUmma militiæ laus inter alia bona merita hæc eſt, obedientiam ſanctæ reipublicæ utilitatibus exhibere, quodque ſibi utiliter imperatum fuerit obtemperare: ſicut & nunc devotionem veſtram feciſſe didicimus, quæ epiſtolis noſtris, quibus magnificum virum Conſtantium tribunum cuſtodiæ civitatis deputavimus præſſe, paruit, & congruam militaris devotionis obedientiam demonſtravit. Unde ſcriptis vos præſentibus curavimus admonendos, uti prædicto viro magnifico tribuno, ſicut & feciſtis, omnem debeatis pro ſereniſſimorum dominorum utilitate, vel conſervanda civitate obedientiam exhibere; quatenus quidquid a vobis hactenus bene geſtum agnoſcitur, per præſentis temporis vigilantiam ac ſolicitudinem augmentetis. C

## XXV. AD MAURENTIUM MAGISTRUM MILITUM.

De ſocietate legendi.

* *Gregorius Maurentio magiſtro militum.*

* transfertur in Pariſ. ad indict. i.

DIlectiſſimus filius meus Cyprianus diaconus revertens mihi valde placuerat, ſi ad me totus rediiſſet. Sed poſtquam gloria veſtra in Sicilia ſe ſe retinuit, certiſſime ſcio, D quia prædictus filius meus ad me quidem corpore rediit, ſed mente in Sicilia remanſit. Hæc tamen dicens tantum quieti veſtræ congaudeo, quantum de meis occupationibus ingemiſco. Atque hoc ſummopere exhortor, ut ſi palatum * cordis dulcedo tetigit intimæ ſuavitatis, ita introrſus rapiatur animus, ut triſte ſit omne quod foris ſonat, omne quod foris delectat. Laudo autem quod humana conventicula cavetis: quia ſæpe animus qui renovari in Deo per compunctionis gratiam deſiderat, per prava colloquia atque verba iterum veteraſcit. Quæſivi autem qui vobis adhæreant in lectionis ſacræ collegio, & neminem reperi, & vehementer ingemui paupertatem boni. E Et quamvis peccator ego valde occupatus ſum: tamen ſi ad beati Petri apoſtoli limina venire volueritis, in ſacro eloquio ſtrictum poteritis me habere collegam. Omnipotens Deus cæleſti vos protectione cuſtodiat, atque ab antiqui hoſtis inſidiis munitos permanere concedat.

* corporis.

## XXVI. AD MAXIMIANUM EPISCOPUM.

De Euſebio abbate quem excommunicaverat reſovendo.

* *Gregorius Maximiano* * *epiſcopo.*

* transfertur in Pariſ. ad indict. X.

* epiſcopo Syracuſano. Pariſ.

FRequenter me admonuiſſe vos recolo, ut in proferenda ſententia eſſe præcipites nullatenus deberetis. Et nunc ecce cognovi, quia reverendiſſimum virum abbatem Euſebium commota furore veſtra fraternitas excommu- B nicavit. Quod ego valde miratus ſum, ut non antiqua ejus converſatio, non ætas longa, non ægritudo diuturna ab ira veſtrum animum flecteret. Quilibet enim in eo fuerit exceſſus, ipſa ægritudinis afflictio ei debuit pro flagello ſufficere. Quem enim divina diſciplina conterit, ei humana flagella addi ſuperfluum fuit. Sed fortaſſe ideo excedere in tali perſona permiſſus es, ut cautior in vilioribus fias, & diutrutines cum aliquem per ſententiam ferire diſponis. Eumdem tamen præfatum virum quanto furore exaſperaſti, tanta nunc dulcedine conſolare; quia valde injuſtum eſt, ut qui te plus amaverunt, ipſi te ſine cauſſa atrociorem contra ſe ſentiant.

## XXVII. AD HONORATUM DIACONUM.

De Venantio honorando, qui chartas exconſulatus oblatis triginta auri libris poſtulabat.

* *Gregorius Honorato* * *Diacono.*

* transfertur in Pariſ. ad indict. X.

FIlius meus dominus Venantius nepos quondam Opilionis patricii ad beatum Petrum apoſtolum venit, hoc a me ſummopere petiturus, ut cauſſam ejus tuæ dilectioni commendare debuiſſem. Honores enim non habet, & chartas exconſulatus petiit, pro quibus triginta auri libras tranſmiſit, ut ei debeant comparari. In qua re volo ut dilectio tua ſe ſummopere impendat, quia talis vir eſt, cui etiam honor ſine pretio debeatur. Et quia eaſdem chartas emere paratus eſt, ut dixi, non valde neceſſe eſt ut ex me aliquid ſereniſſimis principibus dicatur, ſed magis ex ſe agat dilectio tua, quatenus oblatis in ſacella conſuetudinibus honores mereatur accipere. Si quid tamen potueris mitius agere, maximam de eo mercedem habebis. Sed ita fac ut labor ejus, quo hic ad nos fatigatus eſt, vacuus non ſit. Si vero in eadem cauſſa difficile aliquid eſſe perſpexeris, etiam quia per me hoc poſtulet indicare debes, & cujus bonitatis, cujus modeſtiæ ſit atque ſapientiæ ſereniſſimis dominis intimare.

## XXVIII. AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

De malis quæ patiebatur Romana civitas.

*Gregorius Anthemio Subdiacono.*

QUia gloriam veſtram fixam valde atque ſtabilem in ſuis eſſe moribus audio, multum lætificor, & ſic vobis quæ mihi diſplicent ſicut ſpeciali filio fiducialiter loquor. Excellentiſſimus enim exarchus aliqua loquitur, quæ omnes qui illum amant ad inimicitias illius valeant provocare. De qua re ei B per latorem præſentium in excepto, quæ mihi viſa ſunt relegenda dictavi: quæ, ſi placet, & vobis relegantur, ut ſciatis quid ei de re eadem ſcribere debeatis. Hic autem quanta neceſſitas, & quæ nos mala conſtringant, & præſentis reſponſalis noſtri relatione, & ex epiſtolis fratris & coepiſcopi mei Mariniani poteſtis agnoſcere. Unde gloriam veſtram decet ſtudioſe cogitare, quia nos de ſapientia veſtra magnam in omnipotente domino fiduciam habemus, & ubi vos eſtis, illic cauſſam negligi nullo modo credimus. Ita ergo facite, ut confidentia noſtra a ſua certitudine non inveniatur aliena. Gratia vos ſuperna cuſtodiat, & proſpere agere omnia concedat.

## XXIX. AD ROMANUM DEFENSOREM.

De neceſſitatibus annonæ quas in urbe Roma officia palatii patiebantur.

* *Gregorius Romano defenſori.*

* tranſfertur in Pariſ. ad indict. V.

QUalem neceſſitatem diverſa officia palatii urbis Romæ de annonis ſuis ſuſtineant, experientiam tuam credimus non latere. Et ideo quia latores præſentium vice ſua illuc omnes elegerunt tranſmittere, ut apud filium noſtrum glorioſum Leontium agere debeant, qualiter ipſæ eis annonæ, ſicut a sereniſſimis D principibus largitæ ſunt, deputentur impendi, & in hac re etiam ſibi petiverunt experientiam tuam debere concurrere; eapropter quia hoc & etiam illis non petentibus eorum exigit paupertas ac neceſſitas impartiri, dum aptum opportunumque eſſe conſpexeris, eis de quibus valueris ſtudii tui ſit ita præbere ſolatia, quatenus hoc quod illis clementiſſimi principes pietate ſibi ingenita conceſſerunt, & illi conſequi valeant, & tu indiſertus non videaris exiſtere.

## XXX. AD PETRUM SUBDIACONUM.

De diverſis cauſſis ad patrimonii ſancti Petri E gubernationem neceſſariis.

* *Gregorius Petro Subdiacono Siciliæ.*

* tranſfertur ad indict. X in Pariſ.

INdicante mihi Romano defenſore cognovi quia monaſterium ancillarum Dei, quod eſt in fundo Monotheo, ab eccleſia noſtra de Villa nova de fundo juris ſui violentiam pertulit, qui eidem monaſterio dicitur dimiſſus. Quod ſi ita eſt, experientia tua eis & fundum reſtituat, & ejuſdem fundi de duabus

A quas exegiſti indictionibus penſiones reſtituat. Quia autem multi Judæorum in maſſis eccleſiæ commanent, volo ut ſi qui ex eis Chriſtiani voluerint fieri, aliquantum eis penſi relaxetur; quatenus iſto beneficio provocati: tali deſiderio & alii * urgeantur. Vaccæ autem quæ jam ſunt ætate ſteriles, vel boves maſculi, qui omnino inutiles eſſe videntur, vendi debent, ut ſaltem eorum pretium ad aliquam utilitatem creſcat. Greges vero equarum, quas valde inutiliter habemus, omnes volo diſtrahi, & tantummodo quadringentas juniores ſervari ad fetum, ex quibus quadringentis ſingulis conductoribus ſingulæ condonari debent, quatenus ex ipſis annis ſingulis B aliquid reddant: quia durum eſt valde ut ſexaginta ſolidos paſtoribus expendamus & ſexaginta denarios ex eiſdem gregibus non habeamus. Ita ergo experientia tua faciat, ut alia per conductores omnes, ſicut diximus, partiantur: alia diſtrahe, & in nummum redige. Paſtores vero ipſos per poſſeſſiones ordina, ut ex cultura terræ ferre aliquid utilitatis poſſint. Æramenta vero omnia quæ vel in Syracuſis, vel in Panormo, juris eccleſiaſtici eſſe poſſunt, diſtrahenda ſunt priuſquam ipſa vetuſtate funditus pereant. Veniente autem fratre Cyriaco * Romam, de illo ſubtiliter requiſivi, ſi cum tua conſcientia fuerit de accipiendo præmio in cauſſa mulieris C cujuſdam locutus. Quod idem frater ita ſe dicit te referente cognoviſſe, quia ex te immiſſus eſt, ut quis eſſet ad conferendum præmium immiſſor probaret. Quod ego credidi, moxque eum in gratiam familiariter recepi, coram populo & clero eum perduxi, presbyterium ei auxi, in loco ſuperiori inter defenſores poſui, collaudans coram omnibus fidem ejus, quia ita ſe in obſequio tuo fideliter geſſerit; quem idcirco ad te celeriter retranſmiſi. Quia vero multum feſtinas, & ego quamvis ægrotus videre te deſidero; quem ipſe in omnibus probatum habes, loco tuo in Syracuſana parte derelinque, & ipſe ad me venire feſtina: ut, ſi omnipotenti Deo placuerit, communi conD ſilio pertractemus, utrum ipſe illuc reverti, an alter in loco tuo illic debeat ordinari. Benenatum vero notarium pariter tranſmiſi, ut in Panormitana parte locum tuum in patrimonio, quoadusque omnipotens Deus ordinet quod ei placuerit, ipſe conſervet. Romanum de levitate ſua vehementer increpavi, quia ſicut nunc reperi, in xenodochio quod tenuit magis ſuis * utilitatibus quam mercedibus occupatus fuit. Et ideo, ſi fortaſſe tibi viſum fuerit, loco tuo ipſum relinque, vide quemadmodum eum terrendo & admonendo præmunias, ut ſciat ſe circa ruſticos pie & ſolicite agere, & circa extraneos & urbanos ſe in omnibus mutatum & ſtrenuum exhibere. Ego E tamen hæc loquens nullam perſonam eligo, ſed tuo hoc judicio derelinquo. In Panormitana autem parte loci ſervatorem tui me ſufficit elegiſſe. Et videre volo quod ipſe in Syracuſana parte provideris. Veniens autem pecunias & ornamenta de Antonini parte vel ſubſtantia tecum defer. Penſiones quoque nonæ & decimæ indictionis quas exegiſtis, & rationes omnes pariter deporta. Stude, ſi Deo placuerit, ut in hanc Urbem ante natalem beati Cypriani tranſeas: ne ex ſigno, quod diebus iſtis mari ſemper imminet, quod abſit,

* affligant ita in Pariſ.

* Pariſ. ad ſervo Dei.

* vilitatibus

ſit, aliquod periculum poſſit evenire. Præterea cognoſcas quia pro eo quod Pretioſum Dei ſervum non pro gravi culpa graviter averſatus ſum, eumque a me triſtem amaricatumque repuli, non leviter in mea cogitatione mordear. Et ſcripſi domno epiſcopo, ut eum tranſmittere debuiſſet ſi vellet, ſed omnino noluit: quem contriſtare ego nec debeo, nec poſſum, quia in cauſſis Dei occupatus conſolatione fulciri debet, non amaritudine deprimi. Idem vero Pretioſus, ſicut audio, omnino contriſtatur, quod ad me non revertitur. Ego vero domnum epiſcopum, ut dixi, contriſtare non poſſum, qui eum non vult dimittere, & inter utroſque anceps maneo. Tu ergo, ſi quidem in parvo corpuſculo majorem ſapientiam habes, eamdem cauſſam ita diſpone, ut & mea voluntas fiat, & domnus epiſcopus non contriſtetur. Quem tamen ſi leviter contriſtari videris, omnino exinde nihil loquaris. Ægre tamen tuli quod domnum Euſebium excommunicavit, virum tantæ ætatis, & tantæ ægritudinis. Unde neceſſe eſt ut eidem domno epiſcopo ſecrete dicas, quatenus in proferendis ſententiis præceps non ſit: quia cauſſæ, quæ per ſententiam decidendæ ſunt, neceſſe eſt ut prius ſtudioſa & frequentiſſima conſideratione menſurentur. Venientibus ſcribonibus, nam ſicut audio jam illic tirones colligunt, loci tui ſervatoribus deputa, ut parum aliquid xenii offerat; quatenus ſibi eos placabiles reddat. Sed & officio prætoris prius quam venias aliquid ſecundum antiquam conſuetudinem tribue, per manus tamen illius quem dimittis, ut ei gratiam eorum concilies. Ne & nos omnino eis inhumani eſſe videamur, ea, quæ danda per præceptum ſingulis quibuſque perſonis vel monaſteriis tuæ experientiæ injunxi, loci ſervatoribus tuis præcipe ut per omnia impleant. Hæc vero auxiliante domino cum veneris qualiter diſponenda ſunt pertractabimus. Trecentos vero ſolidos, quos per te pauperibus direxi, eorum arbitrio non arbitror committendos. Illa ergo de ſingulis locis & perſonis impleant. Ante vero hoc tempus jam ſcripſiſſe memini, ut legata quæ ex tenore Antonini defenſoris a nobis debentur, monaſteriis vel aliis, prout ſtatutum fuit, ſolverentur. Et quare neſcio tua experientia hoc implere tardaverit. Proinde volumus ut pro portione noſtra ex pecuniis eccleſiæ eadem legata impleas, ut, cum ad me veneris, illic contra te gemitum pauperum non relinquas. Cautiones vero quæ in ejuſdem Antonini ſubſtantia ſunt inventæ, pariter defer. Cognovi autem Romano referente, quia moriens uxor Redempti unam concham argenteam nudis verbis dixerit venundari, & libertis ſuis tradi: ſcutellam quoque argenteam monaſterio cuidam reliquerit; in quibus utriuſque voluntatem ejus per omnia volumus impleri, ne ex rebus minimis peccata majora capiamus. Fratre autem Mariniano abbate indicante cognovi, quia fabrica in prætoriano monaſterio nec ad medietatem quidem adhuc perducta eſt: ex qua re quid aliud quam fervorem tuæ experientiæ collaudemus? Sed vel nunc admonitus excitare, & quantum potes in ejuſdem monaſterii conſtructione te exhibe. Ego nihil dari eis inexpenſis dixi, non autem monaſterium de eis fabricare prohibui. Sed ita fac ut ei, quem loco tuo Panormi dimiſeris, modis A omnibus injungas, quatenus expenſis & annona eccleſiaſtica hoc idem monaſterium conſtruat, & ad me privati abbatis querela non redeat. Præterea cognovi quod quaſdam res vel plures fundorum alieni juris eſſe cognoſcis, ſed pro quorumdam obteſtatione vel metu * dominis ſuis reſtituere reformides: qui ſi veraciter Chriſtianus eſſes, plus Dei judicium quam voces hominum formidares. Attende quia ego te quoque hac de re indeſinenter admoneo. Quod ſi implere neglexeris, etiam meas voces contra te in teſtimonium habebis. Si vero de laicis Deum timentibus inveneris, ut tonſurari debeant, & actionarii ſub rectore fieri, omnino libenter fero. Quibus ne- B ceſſe eſt ut etiam epiſtolæ tranſmittantur. De cauſſa vero filii commiſſi Scholaſtici conſuluiſti, & non ſunt legibus juſta quæ repetit: utilitatem pauperum gravare nolumus, ſed pro eo quod ſe hic fatigavit, quinquaginta ſolidos ei dare te volumus, quos tuis certum eſt rationibus imputari. In cauſſa vero Prochiſi quas expenſas de rebus eccleſiæ feciſti, aut illic de penſione redituum ejus tibi ſatisfacito, aut ſi certe ipſe reditus minime ad recompenſandum ſufficiunt, hic neceſſe eſt ut a diacono hoc recipiatur. De Gelaſio autem ſubdiacono loqui aliquid non præſumas, quia ſcelus illius uſque ad finem vitæ graviſſima pœnitentia indiget. Præterea unum C nobis caballum miſerum, & quinque bonos aſinos tranſmiſiſti. Caballum illum ſedere non poſſum, quia miſer eſt; illos autem bonos ſedere non poſſum, quia aſini ſunt. Sed petimus ut ſi nos continere diſponitis, aliquid nobis condignum deferatis. Euſebio autem abbati dare te volumus auri ſolidos centum, quos tuis certum eſt rationibus imputari. Cognovimus autem Siſinium qui judex Samnii fuit gravi inopia in Sicilia laborare, cui volumus viginti * decimatos vini, & quatuor ſolidos annuos debeas miniſtrare. Anaſtaſius autem religioſus juxta Panormitanam civitatem dicitur habitare in oratorio ſanctæ * Agnetis, cui dari volumus auri ſolidos ſex: matri au- D tem Urbici præpoſiti dari volumus ſolidos ſex, qui tuis rationibus imputentur. De Honoratæ vero ancillæ Dei cauſſa hoc mihi videtur, ut omnem ſubſtantiam, quæ conſtat quia ante tempus epiſcopatus Joannis epiſcopi Larinienſis fuit, veniens tecum deferas. Eadem vero ancilla Dei cum filio ſuo veniat, ut nos cum ea loqui, & quod Deo placitum fuerit facere debeamus. Codicem autem * Heptatici de ſubſtantia Antonini dari volumus in monaſterio Prætoriano, reliquos tecum deferri.

* hominibus. Pariſ.
* decimatas.
* Agan. Pariſ.
* Heptateuchi.

E * XXXI. Expoſitio diverſarum rerum beati Gregorii Papæ urbis Romæ, quam tranſmiſit in Saxoniam tranſmarinam ad Auguſtinum, quem ipſe pro ſe ad prædicandum miſit.

* In ſcriniis Romanæ eccleſiæ, ut affirmabant ſcriniarii, cum cæteris exemplaribus S. Gregorii quæſita non inveniebatur, inquit, S. Bonif. Mog. & Nothelmum rogat, ut exemplar illius curet mittere, &c.

*I. Interrogatio Auguſtini.* *

*QUæro, pater beatiſſime, de epiſcopis, qualiter cum ſuis clericis converſentur. Vel de his quæ fidelium oblationibus accedunt ad altaria, quantæ debeant fieri portiones, & qualiter epiſcopus agere in eccleſia debeat?*

* epiſcopi Cantuariorum eccleſiæ Beda lib. 1. c. 17. hiſt. Auguſt.

De

De obventionibus eccleſiaſticis dividendis.

*Reſponſio beatiſſimi Gregorii Papæ urbis Romæ.*

Qualiter epiſcopus agere debet in eccleſia, ſacra ſcriptura teſtatur, quam te bene noſſe non dubium eſt, & ſpecialiter beati Pauli ad Timotheum epiſtolæ, in quibus eum erudire ſtuduit, qualiter in domo Dei converſari debuiſſet. Mos autem apoſtolicæ ſedis eſt ordinatis epiſcopis præcepta tradere, ut de omni ſtipendio quod accedit quatuor fieri debeant portiones: una videlicet epiſcopo & familiæ ejus propter hoſpitalitatem & ſuſceptionem, alia clero, tertia vero pauperibus, quarta eccleſiis reparandis. Sed quia tua fraternitas monaſterii regulis erudita ſeorſum * vivere non debeat a clericis ſuis in eccleſia Anglorum, quæ auctore Deo nuper adhuc ad fidem perducta eſt, hanc debet inſtituere converſationem, quæ initio naſcentis eccleſiæ fuit patribus noſtris, in quibus nullus eorum ex his quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.

12. q. 2. c. Mos eſt. — 12. q. 2. c. Quia tua. — * fieri. — Act. 4.

*II. Interrogatio Auguſtini.*

*Opto enim doceri, an clerici continere non valentes, poſſint contrahere: & ſi contraxerint, an debeant ad ſæculum redire.*

De clericis contrahentibus poſt clericatum.

*Reſponſio Beati Gregorii Papæ.*

Si qui vero ſunt clerici extra ſacros ordines conſtituti, qui ſe continere non poſſunt, ſortiri uxores debent, & ſtipendia ſua exterius accipere quia & de eiſdem * partibus de quibus præfati ſumus, novimus ſcriptum, quod dividebatur ſingulis prout cuique opus erat. De eorum ergo ſtipendio cogitandum atque providendum eſt, & ſub eccleſiaſtica regula ſunt tenendi, ut bonis moribus vivant, & canendis Pſalmis invigilent, & ab omnibus illicitis & cor & linguam & corpus Deo auctore conſervent. * Communiter autem viventibus, jam de faciendis portionibus, vel exhibenda hoſpitalitate, & adimplenda miſericordia, nobis quid erit loquendum? cum omne quod ſupereſt neceſſitatibus, in cauſſis piis ac religioſis erogandum eſt, domino & magiſtro omnium dicente. *Quod ſupereſt date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.*

Part. 1. diſt. 32. c. Si qui vero. Item 12 q. 1. Tua §. Si qui vero. — * partibus. — * Communi autem vita. — Luc. 11.

*III. Interrogatio Auguſtini.*

*Cur, cum una ſit fides, ſunt eccleſiarum conſuetudines tam diverſæ, & altera conſuetudo miſſarum eſt in Romana eccleſia, atque altera in Galliarum eccleſiis tenetur?*

De diverſis conſuetudinibus diverſarum eccleſiarum non improbandis.

*Reſponſio Beati Gregorii Papæ.*

Novit fraternitas tua Romanæ eccleſiæ conſuetudinem, in qua ſe meminit enutritam. Sed mihi placet ut ſive in ſancta Romana, ſive in * Galliarum, ſive in qualibet eccleſia, aliquid inveniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſolicite eligas, & in Anglorum eccleſia, quæ adhuc * in fide nova eſt, inſtitutione præcipua quæ de multis eccleſiis colligere potuiſti infundas. Non enim pro locis res, ſed pro bonis rebus loca nobis amanda ſunt. Ex ſingulis ergo quibuſque eccleſiis quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt elige, & hæc quaſi in faſciculum collecta apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone.

Diſt. 12. c. Novit. — * Gallicanorum. — * ad fidem.

*IV. Interrogatio Auguſtini.*

*Obſecro ediſſeras mihi quid pati debeat, ſi quis aliquid de eccleſia furto * abſtulerit.*

* eſtulerit.

De pœnitentia furum, & reſtitutione eccleſiaſticarum rerum.

*Reſponſio Beati Gregorii Papæ.*

Hoc tua faternitas ex perſona furis penſare poteſt, qualiter valeat corrigi. Sunt enim quidam qui habentes ſubſidia furtum perpetrant, & ſunt alii qui hac in re ex inopia delinquunt. Unde neceſſe eſt ut quidam * damnis, quidam vero verberibus, & quidam diſtrictius, quidam vero * lenius corrigantur. Et cum paulo diſtrictius agitur, ex caritate agendum eſt, non ex furore, quia ipſi hoc præſtatur qui corrigitur, ne gehennæ ignibus tradatur: ſic enim nos fidelibus tenere diſciplinam debemus, ſicut boni patres carnalibus filiis ſolent, quos & pro culpis verberibus feriunt, & tamen ipſos, quos doloribus affligunt, habere heredes quærunt, & quæ poſſident ipſis ſervant, quos irati inſequi videntur. Hæc ergo caritas in mente ſervanda eſt, & ipſa modum correptionis dictet, ita ut mens extra rationis regulam omnino nihil faciat. * Addes etiam quomodo ea quæ furto de eccleſiis abſtulerunt reddere debeant. Sed abſit ut eccleſia cum augmento recipiat quod de rebus terrenis videtur amittere, & lucra de damnis quærat.

12. q. 2. cap. Fraternitas. Ivo p. 13. cap. 5. — * minis. — * levius. — * Addas.

*V. Interrogatio Auguſtini.*

*Peto an debeant duo germani fratres ſingulas ſorores accipere, quæ ſunt ab illis longa progenie generatæ?*

Quod duo fratres poſſunt contrahere cum duabus ſororibus.

*Reſponſio Beati Gregorii Papæ.*

Hoc fieri modis omnibus licet: nequaquam enim in ſacris eloquiis invenitur quod huic capitulo contradicere videatur.

*VI. Interrogatio Auguſtini.*

*Uſque ad quotam generationem fideles debeant cum propinquis ſibi conjugio copulari: * & novercis & cognatis ſi liceat conjugio copulari?*

Gradus connubiales. — * Hæc non ſunt in Beda. — * ſunt in c. Juſt.

A

Qui ſint in contrahendo prohibiti gradus con-
ſanguinitatis & affinitatis.

*Reſponſio beati Gregorii Papæ.*

Quædam terrena lex in Romana republica
permittit, ut ſive fratris, ſive ſororis, ſeu duo-
rum fratrum germanorum, vel duarum ſoro-
rum filius & filia miſceantur: ſed experimen-
to didicimus ex tali conjugio ſobolem non
poſſe ſuccreſcere. Et ſacra lex prohibet co-
gnationis turpitudinem revelare. Unde neceſ-
ſe eſt, ut jam * tertia vel quarta generatio fi-
delium licenter ſibi jungi debeat. Nam ſecun-
da quam diximus, a ſe omnimodo debet ab-
ſtinere. Cum noverca autem miſceri grave eſt
facinus: quia & in lege ſcriptum eſt: *Turpi-
tudinem patris tui non revelabis*. Neque enim
turpitudinem patris filius revelare poteſt, ſed
quia in lege ſcriptum: *Erunt duo in carne una*,
qui turpitudinem novercæ, quæ una caro cum
patre fuit, revelare præſumpſerit, profecto pa-
tris turpitudinem revelavit. Cum cognata quo-
que miſceri prohibitum eſt, quia per conjun-
ctionem priorem caro fratris facta eſt. Pro qua
re etiam Joannes Baptiſta capite truncatus
eſt, & ſancto martyrio coronatus. Cui non
eſt dictum ut Chriſtum negaret: & tamen pro
Chriſti confeſſione occiſus eſt: ſed quia idem
dominus noſter Jeſus Chriſtus dixerat: *Eg*
*ſum veritas*; quia pro veritate Joannes occi-
ſus eſt, videlicet & pro Chriſto ſanguinem
fudit.

Soboles matrimonio agnatorum non ſuccreſcet.
* Huc reſpicit S. Bonif. ep. Mog. in epiſt. ad Nothelmum.
*Levit.* 18.
*Geneſ.* 2.
*Joann.* 14.

## *VII. Interrogatio Auguſtini.*

*Declarari poſco an ſi turpiter conjunctis ſit in-
dicenda ſeparatio, & ſacræ communionis dene-
ganda oblatio.*

Quod neophyti in gradu prohibito juncti, nec
ſeparandi ſunt, nec ſacra communione pri-
vandi; ſed admonendi ut abſtineant.

*Reſponſio Beati Gregorii Papæ.*

Quia vero multi ſunt in Anglorum gente,
qui, dum adhuc in infidelitate eſſent, huic
nefando conjugio dicuntur admixti, ad fidem
venientes admonendi ſunt ut ſe abſtineant, &
grave hoc eſſe peccatum, cognoſcant. Tremen-
dum Dei judicium pertimeſcant, ne pro car-
nali dilectione tormenta æterni cruciatus in-
currant. Non tamen pro hac re corporis ac
ſanguinis domini communione privandi ſunt,
ne in eis illa ulciſci videantur, in quibus ſe
per ignorantiam ante lavacrum baptiſmatis ad-
ſtrinxerunt. In hoc enim tempore ſancta ec-
cleſia quædam per fervorem corrigit, quædam
per manſuetudinem tolerat, quædam per con-
ſiderationem diſſimulat, atque ita portat &
diſſimulat, ut ſæpe malum quod averſatur por-
tando, diſſimulando compeſcat. Omnes autem
qui ad fidem veniunt, admonendi ſunt ne ta-
le aliquid audeant perpetrare. Si qui autem
perpetraverint, corporis & ſanguinis domini
communione privandi ſunt: & quia ſicut in
his, qui per ignorantiam fecerunt, culpa ali-
quatenus toleranda eſt; ita eſt in his forti-
ter inſequenda, qui non metuunt ſciendo pec-
care.

## *VIII. Interrogatio Auguſtini.*

*Peto ſi longinquitas itineris magna interjaceat,
ut epiſcopi facile non poſſint convenire, an debeat
ſine aliorum epiſcoporum præſentia epiſcopus or-
dinari?*

Quod ſunt neceſſarii epiſcopi in epiſcopi
conſecratione.

*Reſponſio Beati Gregorii Papæ.*

Et quidem in Anglorum eccleſia, in qua
adhuc ſolus ut epiſcopus invenĭris, ordinare
B epiſcopum non aliter niſi ſine epiſcopis potes.
Nam quando de Galliis epiſcopi venient, illi
in ordinationem epiſcopi teſtes tibi aſſiſtent.
Sed fraternitatem tuam ita volumus in Anglia
epiſcopos ordinare, ut ipſi ſibi epiſcopi longo
intervallo minime disjungantur, quatenus nul-
la ſit neceſſitas, ut in ordinatione alicujus epi-
ſcopi convenire non poſſint. Paſtorum quo-
que aliorumque præſentia valde eſt utilis ut
facillime debeant convenire. Cum igitur Deo
auctore, ita fuerint epiſcopi etiam in propin-
quis ſibi locis ordinati, per omnia epiſcopo-
rum ordinatio ſine aggregatis tribus vel qua-
tuor epiſcopis fieri non debet. Nam in ipſis
rebus ſpiritalibus, ut ſapienter & mature diſ-
nantur, exemplum trahere a rebus etiam
rnalibus poſſumus. Certe enim dum conju-
gia in mundo celebrantur, conjugati quique
convocantur, ut qui in via jam conjugii præ-
ceſſerunt; in ſubſequentis quoque copulæ gau-
dio miſceantur. Cur non in hac ſpiritali or-
dinatione, qua per ſacrum miniſterium homo
Deo conjungitur, tales conveniant qui vel in
profectu ordinati epiſcopi gaudeant, vel pro
ejus cuſtodia omnipotenti domino preces pa-
riter fundant?

Part. 1 diſt. 80. c. Fraternitatem.

## *IX. Interrogatio Auguſtini.*

*Poſtulo etiam qualiter debeamus cum Galliarum*
D *atque Britanniarum epiſcopis agere?*

Qualiter metropolitanus in aliena provincia ſe
habere debeat.

*Reſponſio Beati Gregorii Papæ.*

In Galliarum epiſcopos nullam tibi aucto-
ritatem tribuimus, quia ab antiquis prædeceſ-
ſorum meorum temporibus pallium Arelaten-
ſis epiſcopus accepit, quem nos privare aucto-
ritate percepta minime debemus. Si igitur con-
tingat ut fraternitas tua ad Galliarum provin-
cias tranſeat, cum eodem Arelatenſi epiſcopo
debet agere, qualiter, ſi qua ſunt in epiſco-
E pis vitia, corrigantur. Qui ſi forte in diſciplinæ
vigore tepidus exiſtat, tuæ fraternitatis zelo
accendendus eſt. Cui etiam epiſtolas fecimus,
ut cum tuæ ſanctitatis præſentia in Galliis fu-
erit, ei ipſe tota mente ſubveniat, ut quæ ſunt
creatoris noſtri juſſioni contraria, ab epiſco-
porum moribus compeſcat. Ipſe autem ex au-
ctoritate propria epiſcopos Galliarum judicare
non poteris, ſed ſuadendo, blandiendo, bona
quoque tua opera eorum imitationi monſtran-
do, pravorum mentes ad ſanctitatis ſtudia re-
forma, quia ſcriptum eſt in lege, *Per alienam*
*meſſem*

25. q. 2. cap. In Galliarum.
*Deut.* 23.

*meſſem tranſiens falcem mittere non debet : ſed manu ſpicas conterere & manducare*. Falcem ergo judicii mittere non potés in eam ſegetem, quæ alteri videtur eſſe commiſſa : ſed per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum ſuorum paleis expolia, & in eccleſiæ corpus monendo, & perſuadendo quaſi mandendo converte. Quidquid vero ex auctoritate agendum eſt, cum prædicto Arelatenſi epiſcopo agatur, ne prætermitti poſſit hoc quod antiqua patrum inſtitutio invenit. Britanniarum vero omnium epiſcoporum curam tuæ fraternitati committimus, ut indocti doceantur, infirmi perſuaſione roborentur, perverſi auctoritate corrigantur.

*Obſecratio Auguſtini.*

Obſecro ut reliquiæ ſancti Sixti martyris nobis tranſmittantur.

*Conceſſio Gregorii.*

Fecimus quod petiſti, quatenus populus qui in loco quondam ſancti Sixti martyris corpus dixerunt venerari, quod tuæ fraternitati nec verum nec veraciter ſanctum videtur, certa ſanctiſſimi & probatiſſimi martyris beneficia ſuſcipiens, colere incerta non debeat. Mihi tamen videtur, quia ſi corpus, quod a populo cujuſdam martyris eſſe creditur, nullis illic miraculis coruſcat, & neque aliqui de antiquioribus exiſtunt, qui ſe a patentibus paſſionis ejus ordinem audiſſe fateantur ; ita reliquiæ quas petiſti ſeorſum condendæ ſunt, ut locus, in quo præfatum corpus jacet, modis omnibus obſtruatur, nec permittatur populus certum deſerere, & incertum venerari.

*X. Interrogatio Auguſtini.*

*Si prægnans mulier debeat baptizari? aut poſtquam genuerit, poſt quantum tempus poſſit eccleſiam intrare? Aut etiam ne morte præoccupetur, quod genuerit, poſt quot dies hoc liceat ſacri baptiſmatis ſacramenta percipere? Aut poſt quantum temporis huic vir ſuus poſſit in carnis copulatione conjungi? Aut ſi menſtrua conſuetudine tenetur, an eccleſiam intrare ei liceat, aut ſacræ communionis ſacramentum percipere? Aut vir ſuæ conjugi permixtus antequam lavetur aqua, ſi eccleſiam intrare poſſit, vel etiam ad* miniſterium ſacræ communionis accedere? Quæ omnia rudi Anglorum genti oportet habere comperta.*

* myſterium.

Quod mulier prægnans, & puer natus poſſit baptizari. Quæ menſtrua patitur ab eccleſiæ ingreſſu non prohibetur : ſed poſt concubitum conjuges ab eccleſiæ ingreſſu ſe abſtinere debent.

*Reſponſio beati Gregorii Papæ.*

Mulier prægnans baptizetur.

Hoc non ambigo fraternitatem tuam eſſe requiſitam, cui jam & reſponſum reddidiſſe me arbitror. Sed hoc quod ipſa dicere & ſentire potuiſti, credo quod mea apud te volueris reſponſione firmari. Mulier etenim prægnans cur non debeat baptizari, cum non ſit ante omnipotentis Dei oculos culpa aliqua fecunditas carnis? Nam cum primi parentes noſtri in paradiſo deliquiſſent, immortalitatem quam acceperant, recto Dei judicio perdiderunt. Quia itaque omnipotens Deus humanum genus pro culpa ſua funditus extinguere noluit, & immortalitatem homini pro peccato ſuo abſtulit, & tamen pro benignitate ſuæ pietatis fecunditatem ei ſobolis reſervavit. Quod ergo naturæ humanæ ex omnipotentis Dei dono ſervatum eſt, qua ratione poterit a ſacri baptiſmatis gratia prohiberi? In illo quippe myſterio, in quo omnis culpa funditus extinguitur, valde ſtultum eſt ſi donum gratiæ ei contradicere poſſe videatur. Cum vero enixa fuerit mulier, poſt quot dies debeat eccleſiam intrare, teſtamenti veteris præceptione didiciſti : ut pro maſculo XXXIII. diebus : pro femina vero LXVI. diebus debeat abſtinere. Quod tamen ſciendum eſt, quia in myſterio accipitur. Nam ſi eadem hora qua genuerit actura gratias intret eccleſiam, nullo peccati pondere gravatur. Voluptas etenim carnis, non dolor in culpa eſt. In carnis autem commixtione voluptas eſt ; in prolis vero partu dolor & gemitus. Unde & ipſi primæ matri omnium dicitur : *In doloribus paries*. Si itaque enixam mulierem prohibemus eccleſiam intrare, ipſa ei pœnam ſuam in culpam deputamus.

Quando enixa intret eccleſiam, Parte 1. diſt. 5. c. Cum enixa.

Gen. 3.

Baptizare autem vel enixam mulierem, vel hoc quod genuerit ſine mora, ſi mortis periculo urgetur, vel ipſa hora eadem qua gignit, vel hoc quod gignitur eadem qua natum eſt nullo modo prohibetur: quia ſicut ſancti myſterii gratia viventibus atque diſcernentibus cum magna diſcretione providenda eſt, ita his quibus mors imminet ſine ulla dilatione offerenda eſt, ne dum adhuc tempus ad præbendum redemptionis myſterium quæritur, interveniente paululum,* morte *inveniri non valeat qui redimatur.

Quando partus baptizetur.

* mora

* inveniri.

Ad ejus vero concubitum vir ejus accedere non debet, quouſque qui gignitur ablactetur. Prava autem conſuetudo in conjugatorum moribus ſurrexit, ut mulieres filios quos gignunt nutrire contemnant, eoſque aliis mulieribus ad nutriendum tradant. Quod videlicet ex ſola cauſſa incontinentiæ videtur inventum ; quia dum ſe continere nolunt, deſpiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque, quæ filios ſuos ex prava conſuetudine aliis ad nutriendum tradunt, niſi purgationis tempus tranſierit, viris ſuis non debent admiſceri.

Lactantibus prohibetur concubitus.

Quippe quia & ſine partus cauſſa, cum in conſuetis menſtruis detinentur, viris ſuis miſceri prohibeantur : ita ut morte lex ſacra feriat, ſi quis vir ad menſtruatam mulierem accedat. Quæ tamen mulier dum conſuetudinem menſtruam patitur, prohiberi eccleſiam intrare non debet, quia ei naturæ ſuperfluitas in culpam non valet imputari. Et per hoc quod invita patitur, juſtum non eſt ut ingreſſu eccleſiæ privetur. Novimus namque quod mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, poſt tergum domini veniens veſtimenti ejus fimbriam tetigit, atque ſtatim ab ea ſua infirmitas receſſit. Si ergo in fluxu ſanguinis poſita laudabiliter potuit domini veſtimentum tangere, cur quæ menſtruum ſanguinis patitur, ei non liceat domini eccleſiam intrare? Sed dices : Illam infirmitas compulit, has vero de quibus loquimur, conſuetudo conſtringit.

Menſtrua non prohibetur eccleſia.

Levit. 2.

Luc. 8

git. Perpende autem, frater cariſſime, quia omne quod in hac mortali carne patimur, ex infirmitate naturæ eſt, digno Dei judicio poſt culpam ordinatum. Eſurire namque, ſitire, æſtuare, algere, laſſeſcere, ex infirmitate naturæ eſt. Et quid eſt aliud contra famem alimenta, contra ſitim potum, contra æſtum auras, contra frigus veſtem, contra laſſitudinem requiem quærere, niſi medicamenta quædam contra ægritudines explorare? Feminis namque & menſtruus ſui ſanguinis fluxus ægritudo eſt. Si igitur bene præſumpſit quæ veſtimentum domini in languore poſita tetigit, quod uni perſonæ infirmanti conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus quæ naturæ ſuæ vitio infirmantur?

Nec ſacra communio.

Sanctæ autem communionis myſterium in iiſdem diebus percipere non debet prohiberi. Si autem ex veneratione magna percipere non præſumpſit, laudanda eſt: ſed ſi perceperit, non judicanda. Bonarum quippe mentium eſt, etiam ibi aliquo modo culpas ſuas agnoſcere, ubi culpa non eſt: quia ſæpe ſine culpa agitur quod venit ex culpa. Unde etiam cum eſurimus, ſine culpa comedimus, quibus ex culpa primi hominis factum eſt, ut eſuriremus. Menſtrua enim conſuetudo mulieribus non aliqua culpa eſt, videlicet quia naturaliter accidit, ſed tamen quod natura ipſa ita vitiata eſt, ut etiam ſine voluntatis ſtudio videatur eſſe polluta, ex culpæ venit vitio, in quo ſeipſam qualis per judicium facta ſit humana natura cognoſcat, ut homo qui ſponte culpam perpetravit, reatum culpæ portet invitus. Atque ideo feminæ, quæ cum ſemetipſas conſiderant in menſtrua conſuetudine, ſi ad ſacramentum dominici corporis & ſanguinis accedere non præſumunt, de ſua recta conſideratione laudandæ ſunt. Dum vero percipiendi ex religioſæ vitæ conſuetudine ejuſdem myſterii amore rapiuntur, reprimendæ, ſicut prædiximus, non ſunt. Sicut enim in veteri teſtamento exteriora opera ſervabantur: ita in teſtamento novo non tam quod exterius agitur, quam id quod interius cogitatur, ſolicita intentione attenditur, ut ſubtili ſententia puniatur. Nam cum multa lex velut immunda manducare prohibeat, in evangelio tamen dominus ait: *Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quæ exeunt de corde illa ſunt quæ coinquinant hominem.* Atque paulo poſt ſubjecit, exponens: *Ex corde exeunt cogitationes malæ.* Ubi ubertim indicatum eſt, quia illud ab omnipotenti Deo pollutum eſſe in opere oſtenditur, quod ex pollutæ cogitationis radice generatur. Unde Paulus quoque apoſtolus dicit: *Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum.* Atque mox ejuſdem coinquinationis cauſſam annuntians ſubjungit: *Coinquinatæ ſunt enim eorum & mens & conſcientia.* Si ergo ei cibus immundus non eſt, cujus mens immunda non fuerit, cur quod munda mente mulier ex natura patitur, ei in immunditiam reputetur?

Sed ſi a communione abſtineant, eſſe laudabiles.

Matth. 15.

Ibidem.

Tit. 1.

Ibidem.

Vir ſtatim poſt coitum non ingrediatur eccleſiam, nec illotus.

Vir autem cum propria conjuge dormiens, niſi lotus aqua intrare eccleſiam non debet, ſed neque lotus intrare ſtatim debet. Lex autem veteri populo præcipit, ut mixtus vir mulieri & lavari aqua debeat, & ante ſolis occaſum eccleſiam non intrare. Quod tamen intelligi ſpiritaliter poteſt; quia mulieri vir miſcetur, quando illicitæ concupiſcentiæ animus

A in cogitatione per delectationem conjungitur. Quia niſi prius ignis concupiſcentiæ a mente deferveat, dignum ſe congregatione fratrum exiſtimare non debet, qui ſe gravari per nequitiam pravæ voluntatis videt. Quamvis enim de hac re diverſæ hominum nationes diverſa ſentiant, atque alii alia cuſtodire videantur: Romanorum tamen ſemper ab antiquioribus uſus fuit, poſt admixtionem propriæ conjugis, & lavacri purificationem quærere, & ab ingreſſu eccleſiæ paululum reverenter abſtinere: nec hæc dicentes deputamus culpam eſſe conjugium: ſed quia ipſa licita commixtio conjugum ſine voluptate carnis fieri non poteſt, a ſacri loci ingreſſu abſtinendum eſt, B quia voluptas ipſa eſſe ſine culpa nullatenus poteſt. Non enim de adulterio vel fornicatione, ſed de legitimo conjugio natus fuerat qui dicebat: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea.* Qui enim in iniquitatibus conceptum ſe noverat, in delicto ſe natum gemebat; quia portat arbor in ramo humorem vitii quem traxit ex radice. In quibus tamen verbis non ipſam admixtionem conjugum iniquitatem nominat, ſed ipſam videlicet voluptatem admixtionis. Sunt enim multa quæ licita eſſe probantur ac legitima, & tamen in eorum actu aliquatenus fœdamur; ſicut ſæpe iraſcendo culpas inſequimur, & tranquillitatem in nobis animi per- C turbamus. Et cum rectum ſit quod agitur, non eſt tamen tunc approbabile, quod in eo animus perturbatur. Contra quippe vitia delinquentium iratus fuerat qui dicebat: *Turbatus eſt præ ira oculus meus.* Quia enim non valet niſi tranquilla mens in contemplationis lucem ſe ſuſpendere, in ira ſuum oculum turbatum dolebat: quia dum male acta deorſum inſequitur, confundi tamen atque turbari a ſummorum contemplatione cogebatur. Eſt ergo laudabilis ira contra vitium, & tamen moleſta, quia turbatum ſe reatum aliquem incurriſſe æſtimabat.

Pſal. 50.

Pſal. 6.

Coeundum prolis cauſſa non voluptatis.

Oportet itaque legitima carnis copula ut cauſſa prolis ſit, non voluptatis; & carnis com- D mixtio, creandorum liberorum ſit gratia, non ſatisfactio vitiorum. Si quis ergo ſua conjuge non cupidine voluptatis captus, ſed ſolummodo liberorum creandorum gratia utitur, iſte profecto ſive de ingreſſu eccleſiæ, ſeu de ſumendo corporis dominici ſanguiniſque myſterio, ſuo eſt relinquendus judicio; quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne poſitus neſcit ardere. Cum vero non amor procreandæ ſobolis, ſed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent conjuges etiam de ſua commixtione quod defleant. Hoc enim eis concedit ſancta prædicatio, & tamen de ipſa conceſſione metu animum concutit. Nam cum Paulus apoſtolus diceret: E *Qui ſe continere non poteſt, habeat uxorem ſuam;* ſtatim ſubjungere curavit: *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Non enim indulgetur quod licet quia juſtum eſt. Quod enim indulgeri dixit, culpam eſſe demonſtravit. Vigilanti ergo mente penſandum eſt quod in Sina monte dominus locuturus ad populum prius eumdem abſtinere a mulieribus præcepit. Et ſi illic ubi dominus per creaturam ſubditam hominibus loquebatur, tanta proviſione eſt munditia corporis requiſita, ut qui verba Dei perciperent, mulie-

1. Cor. 7.

lieribus mixti non eſſent : quanto magis mulieres, quæ corpus domini omnipotentis accipiunt, cuſtodire in ſe munditiam carnis debent, ne ipſa inæſtimabilis myſterii magnitudine prægraventur? Hinc etiam ad David de pueris ſuis per ſacerdotem dicitur, ut ſi a mulieribus mundi eſſent, panes propoſitionis acciperent; quos omnino non acciperent, niſi prius mundos eos David a mulieribus fateretur. Tunc autem vir, qui poſt commixtionem conjugis lotus fuerit aqua, etiam ſacræ communionis myſterium valet accipere, cum ei juxta præfinitam ſententiam eccleſiam etiam licuerit intrare.

### *XI. Interrogatio Auguſtini.*

*Quæro etiam ſi poſt illuſionem, quæ per ſomnium ſolet accidere, vel corpus Domini quilibet accipere valeat, vel, ſi ſacerdos ſit, ſacra myſteria celebrare.*

Quando nocturna pollutio celebrationem & communionem impediat.

### *Reſponſio beati Gregorii papæ.*

Illuſio nocturna pollutum reddit.

Hunc quidem teſtamentum veteris legis, ſicut & in ſuperiori capitulo jam diximus, pollutum dicit, & niſi lotum aqua ei uſque ad veſperam intrare eccleſiam non concedit. Quod tamen tunc ſpecialiter ad illum populum; ſpiritaliter autem intelligens ſub eodem intellectu accipiet, quo præfati ſumus : quia quaſi per ſomnium illuditur qui tentatus immunditia vanis imaginibus in cogitatione inquinatur. Sed lavandus eſt aqua, ut culpas cogitationis lacrymis abluat. Et niſi prius ignis tentationis receſſerit, reum ſe quaſi uſque ad veſperam cognoſcit. Sed eſt in eadem illuſione valde neceſſaria diſcretio, quæ valde ſubtiliter penſari debet, ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ ſuperfluitate, vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cum ex naturæ ſuperfluitate vel infirmitate evenerit, omnimodo hæc illuſio non eſt * timenda : quia hanc animus neſciens pertuliſſe magis dolendus eſt quam feciſſe. Cum vero ultra modum appetitus gulæ in ſumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen uſque ad prohibitionem percipiendi ſacri myſterii, vel miſſarum ſolennia celebrandi, cum fortaſſe aut feſtus dies exigit, aut exhiberi myſterium pro eo quod ſacerdos alius in loco deeſt, ipſa neceſſitas compellit. Nam ſi adſunt alii qui implere myſterium valeant, illuſio per crapulam facta, a perceptione ſacri myſterii prohibere non debet, ſed ab immolatione ſacri myſterii abſtinere, ut arbitror, humiliter debet, ſi tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concuſſerit. Nam ſunt quibus ita plerumque illuſio naſcitur, ut eorum animus etiam in ſomno corporis poſitus turpibus imaginationibus non fœdetur. Qua in re * unum ibi oſtenditur, ipſa mens rea, non tamen vel ſuo judicio penitus libera, cum ſe etſi dormienti corpore nihil meminit vidiſſe, tamen in vigiliis corporis meminit in ingluviem cecidiſſe. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illuſio in mente dormientis, patet animo ſuus reatus. Videt enim a qua radice inquinatio illa proceſſerit, * quia quod cogitavit ſciens, hoc pertulit neſciens. Sed penſandum eſt ipſa cogitatio utrum ſuggeſtione an delectatione, vel, quod majus eſt, peccati conſenſu acciderit. Tribus enim modis impletur omne peccatum, videlicet ſuggeſtione, delectatione, conſenſu. Suggeſtio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, conſenſus per ſpiritum : quia cum primam culpam ſerpens ſuggeſſit, Eva velut caro delectata eſt, Adam velut ſpiritus conſenſit. Et neceſſaria eſt, magna diſcretio, ut inter ſuggeſtionem, delectationem & conſenſum judex ſui animus præſideat. Cum enim malignus ſpiritus peccatum ſuggerit in mente, ſi nulla peccati delectatio ſequatur, peccatum omnimodo perpetratum non eſt. Cum vero caro delectari cœperit, tunc peccatum incipit naſci. Si autem etiam ad conſenſionem ex deliberatione deſcendit, tunc peccatum cognoſcitur perfici. In ſuggeſtione igitur peccati * ſemen eſt, in delectatione fit nutrimentum, in conſenſu perfectio. Et ſæpe contingit, ut hoc quod malignus ſpiritus ſeminat in cogitatione, * caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi conſentiat. Et cum caro ſine anima delectari nequeat, ipſe tamen animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquo modo ligatur invitus, ut ei * ex ratione contradicat, nec conſentiat, & tamen delectatione ligatus ſit, ſed ligatum ſe vehementer ingemiſcat. Unde & ille cæleſtis exercitus præcipuus miles gemebat dicens : *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Si autem captivus erat minime pugnabat : quapropter & captivus erat, & captivus non erat, * ſed pugnabat. Igitur legi mentis lex quæ in membris eſt repugnabat, pugnabat autem, quapropter captivus non erat. Ecce itaque homo eſt, ut ita dixerim, & captivus & liber; liber ex juſtitia quam diligit, captivus ex delectatione quam portat invitus.

Marginal notes: Ejus genera. — Ex ſuperfluitate. Ex infirmitate. — * æſtimanda. — Ex crapula. — Ex turpi cogitatione. — * non ibi oſtenditur ipſa mens rea, non tamen vel ſuo judicio libera. — * qui — Triplex in peccato gradus. Suggeſtio. — Delectatio. Conſenſus. — * initium. — * carnem. — * & r. c. ne conſentiat. — Rom. 8. — * Pugnabat igitur l. m. cui lex q. i. m. e. r. & ſic pugnabat captivus non erat.

# JOANNIS DOMINICI MANSI
## IN SEQUENTEM EPISTOLAM
## PRÆMONITIO.

*CElebrem Gregorii ad Auguſtinum epiſtolam iterum exhibeo, quæ licet eadem eſt cum ſuperiori, adhuc tamen illa integrior eſt, ac variantibus abundat. Illam olim in meo conciliorum ſupplemento vulgavi ex Lucenſi codice 490.; ſed neſcio quo fato acciderit, ut fœdis erroribus vitiata in publicum prodierit. Recenſitam igitur illam, ad eumdem codicem, ſedulo ac diligenter correctam, nunc iterum profero. Ballerini fratres ex vetuſtiſſimo Veronenſi codice in tomo III. pag. CCXL. Operum S. Leonis Magni perſimilem & ipſi dederunt, ſed non integram, cum qua ego meam hanc contuli & variantes in ima pagella ſubjunxi. Præmonendi ſunt tamen lectores, Veronenſem codicem ordinem interrogationum fere omnino a cod. Lucenſi divertere; nam præter primam quæſtionem quæ locum habet ubique eumdem. In Veronenſi codice pro ſecunda datur varia conſuetudo legendi miſſam in eccleſiis. Tertia eſt ibidem de fure rerum ſacrarum. Quarta de muliere prægnante. Quinta de illuſione per somnium. Sexta de duobus fratribus qui cum duabus ſororibus conjugium conciliant: nec ultra aliquid datur; ex quo inferunt Ballerini codicem hunc ſuum mancum eſſe.*

## RESCRIPTUM
## S. GREGORII AD AUGUSTINUM

*Quem Saxoniæ in prædicatione direxerat. Inter cetera & ad locum.*

PEr dilectiſſimos meos filios Laurentium presbyterum, & Petrum monachum fraternitatis tuæ ſcripta ſuſcepi, in quibus me de multis capitulis requirere curaſti; ſed quia præditi filii podagræ me invenerunt doloribus afflictum, & cum urgerent citius dimitti, ita (*a*) relictati ſunt, ut in eadem me doloris af- B flictione relinquerent, ſingulisque capitulis, ut debui, latius reſpondere non valui.

### CAPUT PRIMUM.

*De epiſcopis.*

QUaliter cum ſuis clericis converſetur vel de his quæ de fidelium oblationibus accedunt ad altario quantæ debent fieri portiones, & (*b*) qualiter epiſcopus agere debeat. Sacra ſcriptura teſtatur, quod te bene noſſe non eſt dubium & ſpecialiter beati Pauli apoſtoli ad Timoteum epiſtolæ, in quibus erudire ſtuduit qualiter eum in domo Dei oportuiſſet converſari. Mos enim ſedis apoſtolicæ C eſt, ut ordinatis epiſcopis præcepta traderet, & ex omni ſtipendio, quod accedit, quatuor debeant fieri portiones; una videlicet epiſcopo, & familiæ propter hoſpitalitatem atque ſuſceptionem, alia clero, tertia pauperibus, quarta eccleſiis reparandis. Sed quia tua fraternitas monaſterii regulis erudita ſeorſum vivere non debet a clericis ſuis, in eccleſia Anglorum, quæ auctore Deo nuper ad fidem perducta eſt, hanc debet converſationem inſtruere, quæ initio naſcentis eccleſiæ fuit patribus noſtris, in quibus nullus eorum ex his

A quæ poſſidebant ſuum aliquid eſſe dicebant; ſed erant illis omnia communia.

Si vero clerici ſunt, & extra ſacros ordines conſtituti, qui ſe continere non poſſunt, ſortire uxores debent, & ſtipendia exterius accipere, quia & de eiſdem patribus, de quibus præfati ſumus, novimus ſcriptum, quia videbatur ſingulis pro cuique erat opus. De eorum quoque ſtipendio cogitandum ſit, atque providendum eſt & ſub eccleſiaſtica regula ſimul tenendi, ut bonis moribus vivant, & canendis pſalmis invigilent, & ab omnibus inlicitis cor, & linguam, & corpus, Deo auctore, conſervent, communi vita viventibus, de faciendis portionibus vel exhibenda hoſpitalitate, adimplenda miſericordia, quid erit nobis loquendum? Quod omne quod ſupereſt in cauſis piis ac religioſis erogandum, magiſtro omnium dicente: quod date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.

Cum una ſit fides, ſunt eccleſiarum diverſæ conſuetudines (*c*) & conſuetudo miſſarum in S. R. E. (*d*) in Galliarum eccleſiis tenetur. Novit fraternitas tua Romanæ eccleſiæ conſuetudinem, in qua ſe meminit nutritam, *quæ* ( *manus ant. addit* ) *valde amabilem te habeat; ſed mihi placet*, ut ſive in Romana, ſive in Galliarum, ſive in qualibet eccleſia aliquid inveniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſolicite eligat, & in Anglorum eccleſia, quæ adhuc nova eſt ad fidei inſtitutionem præcipuo quam de multis eccleſiis potui infundam. Non enim pro locis res, ſed pro bonis rebus loca amanda ſunt. Ex ſingulis ergo quibuſque eccleſiis, quæ piam regulam ſervam quæ recta ſunt eligat, & hæc quaſi in vaſculo collecta apud Anglorum eccleſiam in conſuetudine depone. (*e*) Obſecro quid pati debeat, ſi quis aliquid de eccleſia furtim abſtulerit. Hoc tua fraternitas ex perſona (*f*) furis penſare poteſt, qualiter valeat corrigi. Sunt enim quidam, qui habentes ſubſidia furtum penetrant, & ſunt alii qui in hac re

(*a*) Cod. Veron. *relaxati*. (*b*) *primo enim capitulo requiſiſti, ut liber unus tranſmitti debuiſſet, in quo contineri poſſit, qualiter in eccleſia epiſcopus.* (*c*) *& aliter conſuetudo.* (*d*) *atque aliter in &c.* (*e*) *Tertio quoque capite requiris quid &c.* (*f*) *furis* deeſt.

re ex inopia delinquunt. Unde & neceſſe eſt A ut quidam damnis, quidam vero verberibus, & quidam diſtrictius, quidam lenius corrigantur. Et cum paulo diſtrictius agitur ex cauſa agendum eſt non ex furore; quia ipſi hoc præſtatur qui corrigitur, ne gehennæ ignis tradatur. Sic enim nos fidelibus tenere diſciplinam debemus, ſicut boni patres carnalibus filiis ſolent, quos & pro culpis verberibus feriunt; & tam ipſos, quos doloribus affligunt habere hæredes quærunt, & quæ poſſident ipſis reſervant quos irati inſequi videntur. Hæc ergo caritas in mente tenenda eſt, & ipſa modus correctionis dictat, ita ut mens extra rationis regulam omnino nihil faciat.

Additum eſt etiam quomodo ea quæ furto B eccleſiis abſtraxerint reddere debeant, ſed abſit quod eccleſia quicquam cum augumento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere, & lucra de vanis quærere.

Si longinquitas itineris magna interjacet, ut epiſcopi non facile valeant convenire, an debeant ſine aliorum epiſcoporum præſentia epiſcopi ordinari. Et quidem in Anglorum eccleſia, in qua adhuc tu ſolus epiſcopus inveneris, ordinari epiſcopus non aliter ſine epiſcopis poteſt; nam quando de Galliis epiſcopi veniunt, qui in ordinatione epiſcopo teſtes adſiſtunt. Sed fraternitatem tuam ita volumus epiſcopum ordinare, ut ipſi ſibi epiſcopi longo intervallo minime disjungantur, quatenus D nulla ſit neceſſitas, ut ordinationes epiſcopis paſtores quoque alii, quorum præſentia valde eſt utilis, facillime debeat convenire. Cum igitur auctore Deo ita fuerint epiſcopi in propinquis ſibi locis, ordinationes ſine aggregatis tribus vel quatuor epiſcopis fieri non debent, nam in ipſis rebus ſpiritalibus aut ſapienter aut mature diſponantur; exemplum enim trahere a rebus etiam carnalibus poſſumus. Certe enim cum conjugia in mundo celebrantur, conjugati quique convocantur, ut qui in via jam conjugii proceſſerant, in ſubſequentis quoque copulæ gaudio miſceantur. Cur ergo non novet in hac ſpiritali ordinatione, qua pro ſacro miſterio homo Dei conjungitur, tales con- C veniant qui vel in profecto ordinato epiſcopi gaudeant, vel pro ejus omnipotenti Domino preces pariter fundant.

Qualiter debemus cum Galliarum atque Britaniarum epiſcopis agere. In Galliarum epiſcopis unam tibi auctoritatem tribuimus qui ab antiquis prodeceſſorum meorum temporibus pallium Arellatenſis epiſcopus accepit, quem nos privare auctoritate percepta minime debemus. Si igitur contingat ut fraternitas tua Galliarum provinciam tranſeat, cum eodem Arellatenſi epiſcopo debet agere, qualiter ſi quæ in epiſcopis vitia corrigantur; qui ſi forte in diſciplinæ rigore tepidus exiſtat, tuæ fraternitatis zelo accendendus eſt. Cui etiam E epiſtolas fecimus, ut cum tuæ ſanctitatis præſentia in Gallis, & ipſe tota ſubveniat, & quæ ſunt creatori noſtro juſſioni contraria ad epiſcoporum moribus compeſcat. Ipſe enim extra auctoritatem propriam epiſcopos Galliarum judicare non poteris, ſed ſuadendo, blandiendo, bona quoque tua opera eorum imitatione monſtrando, pravorum mentes ad ſanctitatis ſtudium reforma, quia ſcriptum eſt in lege. *per alienam meſſem tranſiens falcem mittere non* A *debet, ſed manu ſpicas conterere, & manducare*, Falcem enim judicii mittere non potes in ea ſegete quæ alteri videtur eſſe commiſſa. Sed per affectum boni operis frumenta dominica vitiorum ſuorum paleis expoli, & in eccleſiæ corpore monendo converte.

Quicquid vero ex auctoritate agendum eſt, cum prædicto Arellatenſi epiſcopo agatur; nec prætermitti poſſit hoc quod antiqua patrum conſtitutio invenit.

Britanorum vero omnes epiſcopos tuæ fraternitati commiſimus, ut indocti doceantur, infirmi perſuaſione roborentur, perſuaſi auctoritate corrigantur.

Requiſiſti ſi debeant duo germani fratres B ſingulas ſorores accipere, quæ ſunt ab illis longa progenie generatæ. Sed hoc fieri modis omnibus licet, nec quicquam in ſacris eloquiis invenitur, quod huic capitulo contradixiſſe videatur.

Addens quia in Anglorum gente novercis & cognatis libere miſceantur. Sed ſancta lex prohibet conjugationis turpitudinem revelari Cum noverca autem miſcori grave eſt facinus, quia in lege ſcriptum eſt, turpitudinem patris tui non revelabis. Neque enim patris turpitudinem filius revelare poteſt, ſed quia ſcriptum eſt: *erunt duo in carne una*. Qui turpitudinem novercæ, quæ una caro cum patre fuit, revelare præſumpſerit, profecto patris D turpitudinem revelabit. Cum cognata quoque miſceri prohibitum eſt, quia pro conjunctione priore caro fratris fuerat facta. Pro qua re etiam Johannes Baptiſta capite truncatus eſt, & ſancto martyrio conſummatus. Cui non eſt dictum, ut Chriſtum negaret, ſed pro Chriſti confeſſione occiſus eſt. Sed quia idem Dominus Deus noſter Jeſus Chriſtus dixerat: *ego ſum veritas*, quia pro veritate Johannes occiſus eſt, videlicet pro Chriſto ſanguinem fudit.

Quia vero ſunt multi in Anglorum gente, qui dum adhuc in infidelitate poſiti eſſent huic neſando conjugio dicuntur admixti, ad fidem venientes admonendi ſunt, ut ſe abſtineant, C & grave hoc eſſe peccatum agnoſcant: tremendum Dei judicium timeant, ne per carnalem delectationem tormenta æterni cruciatus incurrant. Non tamen pro hac re ſacri corporis ac ſanguinis Domini communione privati ſunt, nec in *eis* illa ulciſci videamur, in quibus ſe per ignorantiam ante lavacrum baptiſmatis adſtrinxerunt. In hoc enim tempore ſancta eccleſia quædam pro fervore corrigit, quædam pro manſuetudine tollerat, quædam pro conſideratione diſſimulat, ut ſpe malum, quod adverſatur portando & diſſimulando compeſcat. Omnes autem, qui ad fidem veniunt monendi ſunt, ne tale aliquid audeant perpetrare. Si qui enim perpetraverint corporis & ſangui- E nis Domini communione privandi ſunt; quia in his, quæ pro ignorantia fecerunt culpa aliquatenus tolleranda eſt. Ita in his fortiter inſequenda, qui non metuunt ſciendo prævaricare.

In hoc quoque capite requiſiſti ſi prægnans mulier debeat baptizari, aut poſtquam genuerit poſt quantum temporis poſſit eccleſiam intrare, aut etiam baptizari, ut ne morte occupetur quod genuit, poſt quot dies ei liceat ſacri baptiſmatis ſacramentum percipere, aut

poſt quantum temporis huic vir ſuus poſſit in carnis copulatione jungi. (*a*)

Requiſiſti, ut ſi menſtrua conſuetudine teneatur, aut in eccleſia intrare liceat, aut ſacræ communionis ſacramenta percipere, aut vir ſuæ conjugi permixtus priuſquam lavetur aqua, ſi in eccleſia poſſit intrare, vel etiam ad miniſterium ſacræ communionis accedere. Quæ omnia (*b*) apud Anglorum gentem fraternitatem tuam arbitror requiſitam. Cui jam te reſponſum reddidiſſe non ambigo. Sed quod ipſe dicere & ſentire potuiſti, credo, quia mea apud te volueris reſponſione firmari. Mulier enim prægnans cur non debeat baptizari cum non ſit ante omnipotentis Dei oculos culpa aliqua fœcunditas carnis? Nam cum primi parentes noſtri in paradiſo deliquiſſent, immortalitatem, quam acceperunt, recto Dei judicio perdiderunt, ſed quia idem omnipotens humanum genus in culpa ſua funditus extinguere noluit, & immortalitatem homini pro peccato ſuo abſtulit; & tamen pro benignitate ſuæ pietatis fœcunditatem ſobolis reſervavit; quod ergo in natura humana ex omnipotentis Dei dono reſervatum eſt, qua ratione poterit ſacri baptiſmatis gratia prohiberi? In illo quippe myſterio, in quo omnis culpa funditus extinguitur, valde ſtultum eſt ſi donum gratiæ contradicere poſſe videatur.

Cum vero enixa fuerit mulier poſt quot debeat dies eccleſiam intrare, teſtamenti veteris perceptione didiciſti, ut per maſculum diebus triginta tribus, pro fœmina autem quadraginta VI. debeant abſtinere, quod tamen ſciendum eſt quia in myſterio æterno, ſi hora eadem qua genuerat actura gratias intret eccleſiam nullo peccati pondere gravatur. Voluptas enim carnis, non dolor in culpa eſt. In carnis autem commixtione voluptas eſt; nam in prolis protelatione gemitus. Unde & ipſi pro matrimonio dicitur: *in doloribus paries*. Si ergo enixam mulierem intrare eccleſiam prohibemus ipſam ei pœnam in culpa deputamus. Baptizari autem vel enixa mulier, vel hoc quod genuerit, ſi mortis periculum arguitur, vel ipſa hora eadem qua gignit, vel hoc quod gignitur eadem hora qua natum eſt, nullo modo prohibetur; quia myſterii gratia ſicut viventibus atque diſcernentibus cum magna diſcretione præbenda eſt; Ita his quibus mors imminet ſine ulla dilatione offerenda, ne dum adhuc tempus ad præbendum redemptionis myſterium quæritur, interveniente paululum mora inveniri non valeat, qui redimatur. Ad ejus vero concubitum vir ſuus accedere non debet, quoadusque proles quæ gignitur, ablactetur. Prava autem in conjugatorum moribus conſuetudo ſurrexit, ut mulieres filios, quos gignunt nutrire contemnunt; eoſque aliis mulieribus ad nutriendum tradunt, videlicet ex ſola cauſa incontinentiæ videtur inventum, quia dum ſe continere non volunt, diſpiciunt lactare quos gignunt. Si itaque filios ſuos ex prava conſuetudine aliis ad nutriendum mulieribus tradunt, niſi purgationis tempora tranſirent, viris ſuis non debent adjungi, quippe quia & ſi in partis cauſam cum in conſuetis

A menſtruis detinentur, a viris ſuis prohibentur, ita ut morte lex ſacra feriat, ſi quis vir ad menſtruatam mulierem accedat. Quæ tamen mulier dum conſuetudine menſtrua patitur, prohiberi ab eccleſia non debet, quia ei naturæ ſuperfluitas in culpa non valet reputari; & per hoc quod in vita patitur juſtum non eſt, ut ingreſſu eccleſiæ privetur. Novimus namque quod mulier, quæ fluxum patiebatur ſanguinis poſt tergum Domini humiliter veniens, veſtimenti ejus fimbriam tetigit, atque ab ea ſtatim ſua infirmitas receſſit. Si ergo in fluxu ſanguinis poſita laudabiliter potuit Dominicum veſtimentum tangere, cur quæ menſtruum ſanguinem patitur, ei non
B liceat eccleſiam Domini intrare?

Sed dices, illam infirmitas compulit, has vero, de quibus loquimur conſuetudo conſtringit. Perpende autem frater cariſſime, quia omne, quod in hac mortali carne patimur ex infirmitate naturæ, eſt digno Dei judicio poſt culpam ordinatum. Exurire namque, ſitire, æſtuare, habjcere, laſſeſcere ex infirmitate naturæ eſt. Quid eſt aliud contra famem alimenta, contra ſitim potum, contra æſtum auram, contra frigus veſtem, contra laſſitudinem requiem quærere, niſi medicamentum quidem contra ægritudines explorare? Fœminis itaque menſtruo ſuo ſanguinis ægritudo eſt. Si igitur bene præſumpſerit quæ veſtimentum Do-
C mini in languore poſita tetigit, commune perſonæ infirmitati conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus, quæ naturæ ſuæ vitio infirmantur. Sanctæ autem communionis myſterium in eiſdem diebus percipere, non debent prohiberi. Si enim ex magna veneratione percipere non præſumit, laudanda eſt, & ſi perceperit non judicanda: bonarum quippe mentium eſt, ibi aliquo modo culpas agnoſcere, ubi culpa non eſt; quia ſæpe ſine culpa agitur, quod venit ex culpa. Unde etiam cum eſurimus, ſine culpa comedimus, ex culpa primi hominis factum eſt. Menſtrua etenim conſuetudo mulieribus non aliqua eſt, videlicet, quod naturaliter accidit, ſed tamen quod na-
D tura ipſa ita vitiata eſt, ut etiam ſine voluntatis ſtudio videantur eſſe polluta, ex culpa venit vitium. In quo ſe ipſa quale præjudicium facta ſit humana natura cognoſcat, & homo culpam ſponte perpetravit, reatum culpæ portet invitus; atque ideo fœminæ cum ſemetipſas conſiderant in menſtrua conſuetudine ad ſacramentum Dominici corporis & ſanguinis non præſumunt; de qua recte conſiderationе laudandæ ſunt. Dum ad percipiendum vero ex religioſæ vitæ conſuetudine ejuſdem myſterii amore rapiuntur, reprehendendæ, ſicut prædiximus, non ſunt, ſicut enim in teſtamento veteri exteriora obſervantur opera, ita in teſtamento novo non tam id quod exterius agi-
E tur, quam id quod interius cogitatur, ſollicita intentione attenditur, nam cuncta lex velut immunda manducare prohibeat; in evangelio Dominus dicit: *non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quæ exeunt de ore, illa ſunt, quæ coinquinant hominem:* atque paulo poſt ſubjecit, exponens: *ex corde exeunt cogitatio-*

(a) Cod. Veron. poſt illud *in carnis copulatione jungi*, ſubjungit ea quæ inferius leguntur, *aut ſi menſtrua conſuetudine &c.*

(b) Rudi Angelorum gente.

*tationes mala*; ubi ubertim indicatum eſt, quia illud apud omnipotentem Deum pollutum eſt in opere oſtenditur, quod ex polluta cogitationis radice generatur, unde Paulus quoque apoſtolus dicit: *omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum*. Atque mar ejuſdem cauſa coinquinationis, adnuntians, ſubjungit: *coinquinata ſunt enim, & mens eorum & conſcientia*. Si ergo cibus immundus non eſt, cui mens immunda non fuerit, cur quod munda mente mulier ex natura patitur ei immunditia reputetur.

Vir autem cum propria conjuge dormiens, niſi lotus aqua intrare in eccleſiam non debet; ſed neque lotus intrare ſtatim eccleſiam non debet. Lex autem veteri populo præcepit, ut mixtus vir mulieri lavari aqua debeat, & ante ſolis occaſum eccleſiam non intrare. Quod tamen intelligi ſpiritualiter poteſt, quia mulieri vir miſcetur, quando illicitæ concupiſcentiæ animus in cogitatione per delectationem conjungitur. Quia niſi prius ignis concupiſcentiæ a mente deferveat, dignum ſe congregationi fratrum exiſtimare non debet, qui ſe gravari per nequitiam pravæ voluntatis videt. Quamvis de hac re diverſæ hominum rationis, diverſaque ſententia, atque alia cuſtodire videantur, Romanorum tamen ſemper ab antiquioribus uſus fuit, poſt admixtionem proprii conjugis, & lavacri purificationem quærere, & ab eccleſiæ ingreſſu paululum reverenter abſtinere.

Nec hæc dicentes culpam deputamus eſſe conjugium, ſed quia ipſa licita admixtio conjugis ſine voluptate carnis fieri non poteſt: a ſacris locis abſtinendum eſt; quia voluntas ipſa eſſe ſine culpa nullatenus poteſt. Non enim de adulterio, vel de fornicatione, ſed de legitimo conjugio natus fuerat, qui dicebat: *ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit mater me*. Qui enim in iniquitatibus conceptum ſe noverat, & in delictis ſe natum gemebat; quia portat arbor in ramo umorem vitii, quod traxit ex radice. In quibus tamen verbis non admixtionem conjugum iniquitatem nominat, ſed ipſam videlicet voluntatem admixtionis. Sunt enim multa licita, ac legitima; & tamen in eorum acto aliquatenus fœdantur, ſicut ſæpe iraſcendo culpas inſequimur, & tranquillitatem in nobis animi perturbamus, & cum rectum ſit quod agitur non eſt tamen approbabile, quod in eo animus perturbatur. Contra vitia quippe delinquentium iratus fuerat qui dicebat: *turbatus eſt præ ira oculus meus*. Quia tamen non valet niſi tranquilla mens in contemplationis ſe luce ſuſpendere, in ira ſuum oculum turbatum dolebat, quia dum male acta deorſum inſequitur, confundi, atque conturbari a ſummorum contemplatione cogebatur. Et laudabilis ergo eſt ira contra vitium, & tamen moleſtia quia turbatum ſe aliquem reatum incurrere æſtimabat. Oportet itaque legitimam carnis copulam, ut cauſa prolis ſit non voluntatis, ſed carnis commixtio creandorum liberorum ſit gratia, non ſatisfactio vitiorum. Si quis vero ſuam conjugem non cupidine voluptatis rapitur, ſed ſolummodo creandorum liberorum gratia utitur, iſte profecto ſive de ingreſſu eccleſiæ ſeu de ſumendo dominici corporis & ſanguinis myſterio ſuo eſt judicio relinquendus, qui a nobis prohiberi non debet



A accipere, qui in igne poſitus neſcit ardere. Cum vero non amor procreandæ ſobolis, ſed voluntas dominatur in opere commixtionis, habent conjuges de ſua commixtione etiam quod defleant. Hoc enim eis concedit ſancta prædicatio; & tamen de ipſa converſatione metus animum concutit. Nam cum Paulus apoſtolus diceret: *qui ſe continere non poteſt, habeat uxorem ſuam*, ſtatim ſubjungere curavit: *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam non ſecundum imperium*. Non enim indulgetur quod licet quia juſtum eſt. Quod igitur indulgere dixit culpam eſſe demonſtravit.

Vigilanti vero mente penſandum eſt, quod in Sina monte Dominus ad populum B locuturus, prius eumdem populum abſtinere a mulieribus præcepit, & ſi illic ubi Dominus per creaturam ſubditam hominibus loquebatur, tanta proviſione munditio corporis requiſita, ut qui verba Dei perciperent, mulieribus mixti non eſſent; quanto magis mulieres, quæ corpus Domini omnipotentis accipiunt, cuſtodire in ſe munditiam carnis debent, ne ipſa inæſtimabilis myſterii magnitudine graventur? Hinc etiam ad David de pueris ſuis per ſacerdotem dicitur: ut ſi a mulieribus mundi eſſent panes propoſitionis acciperent, niſi prius eos mundos David mulieribus pateretur. Tunc autem vir qui poſt admixtionem conjugis lotus aqua fuerit etiam ſacræ communionis C myſterium valet accipere, cum ei juxta præfinitam ſententiam etiam eccleſiam licuerit intrare.

*Interrogatio Auguſtini.*

SI poſt inluſionem quæ per ſomnium ſolet accidere, vel corpus Domini liber accipere valeat, vel ſi ſacerdos ſit ſacra myſteria celebrare.

R. Hunc quidem teſtamentum veteris legis, ſicut in ſuperiori capitulo jam diximus, pollutum dicit, & niſi lotum aqua, & uſque ad veſperum intrare in eccleſiam non concedit, quod tamen aliter populus ſpiritalis intelligens ſub eodem intellectu accipiens quo præfati D ſumus, quia quaſi per ſomnium, qui tentatus immunditia viſis imaginibus in cogitatione inquinatur. Sed lavandus eſt aqua, ut culpas cogitationis lacrymis abluat, & niſi prius tentationis ignis receſſerit, reum ſe quaſi uſque ad veſperum cognoſcat.

Sed eſt in eadem illuſione valde neceſſaria diſcretio, quæ ſubtiliter penſari debeat, ex qua re accedat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ ſuperfluitate vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cum ex naturæ ſuperfluitate vel infirmitate evenerit omnimodo hæc illuſio non eſt timenda, quia hanc animus neſciens, pertuliſſe magis dolendum eſt, quam E feciſſe. Cum vero ultra modum appetitus gulæ in ſumendis alimentis rapiatur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen uſque ad prohibitionem percipiendi ſancti myſterii, vel miſſarum ſolemnia celebrandi, cum fortaſſe aut feſtus dies exigit, aut exhiberi myſterium, pro eo quod ſacerdos alius in loco deeſt, ipſa neceſſitas compellit. Nam ſi abſunt alii qui implere myſterium valeant, illuſio per crapulam a perceptione ſacri myſterii prohibere non debet; ſed ab immolatione ſa-

cri myſterii abſtinere ut arbitror, humiliter A debet, ſi tamen dormientis mentem turpi imaginationi non conſenſerit. Nam ſunt quibus ita plerumque inluſio naſcitur, ut eorum animus etiam in ſomno corporibus poſitus turpibus imaginationibus non fœdetur, qua in re unum ibi oſtenditur, ipſa mens rea, non tamen vel ſuo judicio libera, cum ſe etſi dormienti corpore nihil meminit vidiſſe; tamen invigilis corporis meminit in ingluviem cecidiſſet. Sin vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur inluſio dormientis, patet animo reatus ſuus; videt enim a qua radice inquinatio illa proceſſerit, quia quod cogitavit ſciens, hoc pertulit neſciens. Sed penſandum eſt ipſa cogitatio utrum ſuggeſtione, an delectatione; vel, quod B malum eſt, peccati conſenſu accidit. Tribus enim modis impletur omne peccatum, videlicet ſuggeſtione, delectatione, conſenſu. Suggeſtio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, conſenſus per ſpiritum, quia & primam culpam ſerpens ſuggeſſit; Eva velut caro delectata eſt; Adam vero, velut ſpiritus conſenſit. Et neceſſaria eſt magna diſcretio, ut inter ſuggeſtionem atque delectationem, & conſenſum judex ſui animus præſedeat. Cum enim malignus ſpiritus peccatum ſuggerit qui in mente, ſi nulla delectatio peccati ſequatur, peccatum omnimodo perpetratum non eſt. C Cum vero delectare caro cœperit, tunc peccatum incipit naſci. Si autem etiam ex deliberatione conſentit, tunc peccatum cognoſcitur perfici. In ſuggeſtione igitur peccati ſemen; in delectatione fit nutrimentum, in conſenſu perfectio. Et ſæpe contigit ut hoc quod malignus ſpiritus ſeminat in cogitatione, caro in delectationem trahat; nec tamen anima eidem delectationi conſentiat; & cum caro delectare ſine anima nequeat, ipſe tamen animus carnis voluptatibus reluctans in delectatione carnali aliquo modo ligatur invitus, ut ei ex ratione contradicat, nec conſentiat, & tamen delectatione ligatus ſit, ſed ligatum ſe vehementer ingemiſcat. Unde & ille cœleſtis egregius præcipuus miles gemebat dicens: Video D aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Si autem captivus erat minime pugnabat, ſed expugnabat. Quapropter & captivus erat & pugnabat. Igitur lege mentis, cui lex quæ in membris eſt repugnabat captivus non erat. Ecce itaque homo eſt, ut ita dixerim, captivus & liber; liber ex juſtitia quam delet, captivus ex delectatione quam portat invitus. Explicit. Amen.

### OBSERVATIO PHILIPPI LABBE S. J.

In collectione Iſidori Mercatoris, quam Jacobus Merlinus S. Theol. Doctor anno 1524. Pariſiis in folio edidit, extat pag. 244. Felicis Siciliæ epiſcopi ad S. Gregorium papam epiſtola, cum reſcripto S. Gregorii ad eum em ep. Felicem quoad conſulta reſpondet. Utrumque opuſculum perinde falſum ac ſuppoſititium plerique viri eruditi exiſtimant. Unum tamen ab altero ſic E pendet, itaque connexum eſt, ut aut utrumque adſcribendum fuerit, aut utrumque pariter Regio collectori ablegandum. Nos neutrum ab hac noſtra collectione patiemur abeſſe, ut lector ipſe dijudicet.

## EPISTOLA FELICIS SICILIÆ EPISCOPI

### S. GREGORIO PAPÆ ROMÆ * DIRECTA.

*Domino beatiſſimo & honorabili ſancto patri Gregorio Papæ, Felix veſtræ ſalutis amator.*

BEatiſſimæ veſtræ ſalutis ac ſanctitatis jura penes Deum ſunt manifeſta, dum prædicationibus ſcilicet apoſtolicis & doctrina veræ fidei cultura univerſa repleta ſit terra: per divinorum tamen eruditionem eloquiorum veſtra inſtruente admonitione exhortatoria ſuperædificatur orthodoxa Chriſti eccleſia apoſtolica inſtitutione fundata, & a fidelibus patribus firmiſſime roborata. Ad quam omnes beatiſſimi apoſtoli pari honoris & poteſtatis conſortio præditi populorum agmina convertentes, pie ſancteque de tenebris ad lumen, de lapſu infidelitatis ad veram fidem, de morte ad vitam homines divinæ prædeſtinationis gratia præſcitos ſalutaribus præceptis ac monitis perduxerunt. Quorum ſanctorum apoſtolorum veſtra fraternitas honoranda ſequens merita & perfectius implens exempla, eccleſiam Dei morum probitate, & actuum ſanctitate condecorat & fide ſacra Chriſtianiſque moribus vigens, quæ fieri Deo placita præcipit, ſtudiis pontificalibus indeſinenter operatur & perficit; ſervans divinæ legis præcepta, quia *non auditores legis juſti ſunt apud Deum*, ſicut Rom. 2. narrat apoſtolus, *ſed factores legis juſtificabuntur*.

Hæc quidem meditantes perlatum eſt ſicut a quibuſdam Roma venientibus vos Auguſtino conſodali noſtro, per venerabilem ſanctitatem veſtram poſtmodum epiſcopo Anglorum genti ordinato, & illuc directo atque Anglis ſcripſiſſe, quos olim ad fidem converſos per vos cognovimus, ut quarta progenie conjuncti non ſeparentur. Quæ conſuetudo dudum in illis, aut in iſtis partibus, quando una vobiſcum ab infantia nutritus atque edoctus ſui, non erat, nec in ullis prædeceſſorum veſtrorum decretis, aut reliquorum generaliter vel ſpecialiter patrum inſtitutis legi, aut hactenus ab ullis ſapientibus eſſe conceſſum didici, ſed ſemper uſque ſeptimum originis ſuæ gradum hoc a ſanctis anteceſſoribus veſtris & cæteris ſanctis patribus, tam in Nicæna ſynodo, quam & in aliis ſanctis conciliis congregatis, ſervari debere reperi, & a recte viventibus, ac Deum timentibus hominibus ſtudioſe perviderí cognovi. Dum hæc nobiſcum verſabantur, ſupervenere & alia de quibus neceſſarium vobis videtur veſtram conſulere auctoritatem.

Devenerunt quippe ad nos, tam Benedictus Syracuſanæ eccleſiæ Epiſcopus, quam & alii fratres noſtri equidem lacrymantes ac dicentes, per ſæculares & laicos nimis ſe eſſe turbatos, atque animo afflictos ſuper immoderatis actibus eorum; pro quibus & aliqua * merita eis impingebantur. * injuſta. Ver.

Sunt etiam quædam eccleſiæ in noſtra provincia, ſuper quarum conſecrationibus dubitatur; & tam propter * aerum antiquitatem, * earum it & in Vat quam & propter earum cuſtodum incuriam neſcitur utrum dedicatæ ab epiſcopis fuerint nec ne; ſuper quibus omnibus nos a veſtra ſan-

ſanctitate ac veſtræ ſedis auctoritate inſtrui precamur. Et utrum ea, quæ (ſicut prædiximus) vos præfato conſodali noſtro Auguſtino Epiſcopo, & Anglorum genti ſcripſiſſe audivimus, ſpecialiter ei, an generaliter omnibus ſcripta ſunt, ſcriptis veſtris imbui quærimus, & de hac, ſive de aliis præſcriptis rebus pleniter informari cupimus. Nos enim ea quæ legimus, & obſervari a fidelibus cognovimus non increpando (quod abſit) vobis ſignificamus, ſed quid rationabiliter & fideliter ſuper his obſervare debeamus requirimus.

Et quoniam non modicum murmur ſuper hac re nobiſcum verſatur, quid reſpondere fratribus & coepiſcopis noſtris debeamus a vobis quaſi a capite reſponſum quærimus; ne ſuper his ancipites remaneamus, aut murmur ullum tam noſtris temporibus quam poſt, inter vos & alios remaneat: rumorque veſter, qui ſemper bonus & optimus fuit, detractionibus laceretur vel ſubrogetur, aut nomen veſtrum (quod abſit) ſupervenientibus temporibus blaſphemetur.

Nos autem quæ recta ſunt, auctore Deo humili corde ſervantes, uno vinculo charitatis vobis conſtricti veſtram religionem in omnibus ut fideles alumni defendentes a vobis quæ recta ſunt quærimus; ſcimus enim ut ſemper ſanctæ ſedis præſules, primo apoſtoli, deinde ſucceſſores eorum fecerunt, vos univerſalis eccleſiæ & maxime epiſcoporum (qui oculi propter contemplationem & ſpeculationem vocantur domini) curam gerere, ac de religione & lege * veſtra aſſidue cogitare.

* noſtra. Pariſ.

Pſalm. 1.

Sicut ſcriptum eſt. *Beatus vir qui meditabitur in lege domini die ac nocte.* Quæ meditatio non lectione per figuram literarum tantum conſpecta, ſed exuberante in vobis Chriſti gratia in veſtra cognoſcitur conſcientia immobiliter inſita, nullatenus de veſtro corde recedente lege Chriſti & juſtitia domini ſacroſancta, ſicut in Pſalmis dicit Propheta: *Os juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium; lex Dei ejus in corde ipſius*, non atramento ſed ſpiritu Dei vivi veſtris in arcanis conſcripta. Non igitur in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis. Extinguatur, oramus, veſtris ſapientiſſimis reſponſis & auxiliis omnis tenebrarum caligo, ut lucifer nobis reſplendeat per vos, ſanctiſſime pater, & dogmatica definitio omnes ubique lætificans, quæ glorioſi ſanctæ eccleſiæ patres propria & piiſſima dogmata in æternæ vitæ firmam hæreditatem prædicare noſcuntur. Et ſubſcriptio. Incolumem vos & Deo placitum ſancte pater patrum, orantem pro nobis dominus cuſtodiat in ævum. Amen.

Pſalm. 36.

## * XXXII. AD FELICEM * EPISCOPUM MESSANENSEM.

* Hanc fictam fuiſſe multa ſuadent.
* Donus ei jam ab ann. 591. ſucceſſerat.
* detrahendo.

Neophytis in affinitatis conjunctione diſpenſat. De epiſcopis non * detrahendis. De ſynodo congreganda.

*Gregorius Felici epiſcopo Meſſanæ.*

Reverendiſſimo fratri Felici epiſcopo Gregorius ſervus ſervorum Dei. Caput * noſtrum, quod eſt Chriſtus, ad hoc ſua membra nos eſſe voluit, ut per ejus largam caritatis & fidei compagem, unum nos in ſe corpus efficeret, cui ita nos adhærere convenit, ut quia ſine ipſo nihil eſſe poſſumus, per ipſum poſſimus eſſe quod dicimur. Ab arce capitis res nulla nos dividat, ne ab eo, ſi membrum ejus eſſe refugimus, relinquamur; & velut dejecti de vite palmites areſcamus. Ut ergo Redemptoris noſtri habitaculum eſſe mereamur, in dilectione ipſius toto mentis ſtudio maneamus. Ipſe namque ait: *Qui diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus.* Exegit ergo dilectio tua, * frater cariſſime, ut ex auctoritate ſedis apoſtolicæ tuis deberemus conſultis reſpondere. Quod licet non prolixe, ſed ſuccincte agere feſtinaremus, propter quaſdam importunitates, quæ noſtris præpedientibus peccatis in nos ſupervenere, tuis tamen hæc, per reliqua ſanctorum patrum inſtituta ſtudiis perquirere latius & inveſtigare committimus. Non enim poteſt mens attrita, & oneribus atque importunitatibus prægravata tantum boni peragere, & libere de his loqui, quantum delectata & oppreſſionibus ſoluta. Non ergo iſta ob id prætulimus, ut hæc & alia quæ neceſſaria fore cognoverimus, tuæ ſanctitati velimus denegare, ſed ut quod hic minus invenitur, latius perquiratur. De tribus enim apoſtolicam ſedem, in qua alitus es & edoctus, capitulis conſulendam, prædeceſſorum tuorum ſequens exempla credidiſti, id eſt, de conſanguinitatis conjunctione, & de vexatione epiſcoporum a ſubditis, & de eccleſiarum dubitatione conſecrationum. Quod autem ſcripſi Auguſtino Anglorum gentis epiſcopo, alumno videlicet, ut recordaris, tuo, de conſanguinitatis conjunctione, ipſi & Anglorum genti, quæ nuper * ad fidem venerat, ne a bono quod cœperat metuendo auſteriore recederet, & ſpecialiter, & non generaliter ceteris me ſcripſiſſe cognoſcas. Unde & mihi omnis Romana civitas extitit teſtis, nec ea intentione hæc illis ſcriptis mandavi, ut poſtquam firma radice in fide fuerint ſolidati, ſi infra propriam fuerint conſanguinitatem inventi, non ſeparentur, aut infra affinitatis lineam, id eſt, uſque ad ſeptimam generationem conjungantur; ſed adhuc illos neophytos exiſtentes ſæpiſſime eos prius illicita docere vitare, & verbis ac exemplis inſtruere, & quæ poſt de talibus egerint, rationabiliter & fideliter excludere oportet. Nam juxta apoſtolum qui ait; *Lac vobis potum dedi, non eſcam*, iſta illis modo non poſteris, ut ſupra dictum eſt, temporibus tenenda indulſimus, ne bonum, quod infirma adhuc radice plantatum erat, erueretur, ſed cœptum firmaretur, & uſque ad perfectionem cuſtodiretur. Sane ſi in his ſecus quam debuimus aliquid egimus, non * propter ipſam, ſed commiſerando actum eſſe cognoſcas. Unde & teſtem invoco Deum, qui cogitationes omnium hominum novit, cujus etiam oculis omnia nuda ſunt & aperta. Nam ſi ea deſtruerem quæ anteceſſores noſtri ſtatuerunt, non conſtructor ſed everſor eſſe juſte comprobarer, teſtante veritatis voce, quæ ait: *Omne regnum in ſeipſum diviſum non ſtabit, & omnis ſcientia & lex adverſus ſe diviſa deſtruetur.* Ideoque neceſſe eſt, ut omnes concorditer ſtatuta ſanctorum patrum noſtrorum teneamus, nihil videlicet per contentionem agentes, ſed ad omne ſtudium bonæ devotio-

nis

* S. Gregor. in eadem habet ep. 111. lib. VII

Joann. 14.

* Ep. 2 quæ Cornelio papæ tribuitur iiſdem inchoatur verbis.

35. q. 3 & 5. c. Quædam lex.

* Scripta eſt ergo epiſt. poſt annum 601. quo Felix Meſſanenſis jam obierat, cique jam ab anno minimum 595. ſucceſſerat Domnus, de quo tum alibi tum ep. 46. lib. 12.

1. Cor. 3

* protervia. Pariſ.

Luc. 11.

nis unanimes, divinis & apoſtolicis * conſtitutionibus auxiliante domino pareamus. O quam bona eſt caritas, * quæ abſentia per imaginem, præſentia ſibimetipſis exhibet per amorem! diviſa unit, confuſa ordinat, inæqualia ſociat, imperfecta conſummat. Quam recte prædicator egregius vinculum perfectionis vocat; quia virtutes quidem ceteræ perfectionem generant; ſed tamen eas ita caritas ligat, ut ab amantis mente diſſolvi jam nequeant. His rite perpenſis, * caritati tuæ jam dictis indulſi, nec præceptum dedi ſed conſilium; nec regulam in his poſteris ullis tenendam tradidi, ſed de duobus periculis quod facilius ſit vitandum oſtendi. Si igitur in rebus * ſæcularibus ſuum cuique jus & proprius ordo ſervandus eſt, quanto magis in eccleſiaſticis diſpoſitionibus nulla debet induci confuſio, ne ibi diſcordia locum inveniat, unde pacis debent bona procedere? Quod hac ratione ſervabitur, ſi nihil poteſtati, ſed totum æquitati tribuitur. Quapropter multum * cor noſtrum magnitudini veſtræ congaudet, quod ſic vos in veſtris actibus ſtudioſos invenimus, ut & noſtri curam habeatis, & talia ſciſcitando inquirere ſtudeatis; quatenus vobis non ſolum apud homines gloriam, ſed & apud omnipotentem dominum præmia mercedis acquirant. Ceterum ſuper vexatione epiſcoporum de quo nos conſulere voluiſtis, ſcimus quia nullis vita præſulum perturbari debet * exceſſibus; quia valde indignum eſt, ut hi, qui throni Dei vocantur, aliqua motione a regibus vel ſubditis turbentur. Quoniam ſi David regum juſtiſſimus in Saul, quem conſtabat jam a domino reprobatum & abjectum eſſe, manum mittere non præſumpſit, quanto magis cavendum eſt, ne manum detractionis, aut vituperationis, ſive indiſcretionis, aut dehonorationis, quidam mittant in unctum domini, vel in prædicatores ſanctæ eccleſiæ? quia eorum vexatio ſive detractio ad Chriſtum pertinet, cujus vice in eccleſiæ legatione funguntur. Unde ſummopere cavendum eſt omnibus fidelibus, ne clanculo aut publice epiſcopum ſuum, id eſt, unctum domini detractionibus aut vituperationibus dilanient, perpendentes illud exemplum Mariæ; quia pro eo quod Moyſi famulo Dei propter Æthiopiſſam detraxit, immunditia lepræ mulctata ſit. Et illud pſalmiſtæ: *Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari*. Et in lege divina legitur: *Diis non detrahes. & populi tui principi non maledices*. Unde valde prævidendum eſt ſubditis tam clericis quam laicis, ne epiſcoporum, ne * præpoſitorum ſuorum vitam temere reprehendere audeant, ſi quid eos fortaſſe agere reprehenſibiliter vident, ne unde mala redarguunt, inde per elationis impulſum in profundiora mergantur. Admonendi ſunt etiam ne, cum culpas præpoſitorum ſuorum conſiderant, contra eos audaciores fiant. Sed ſic eorum prava apud ſemetipſos conſiderent, ut divino timore conſtricti, ferre ſub eis jugum reverentiæ non recuſent; quoniam facta ſuorum epiſcoporum vel præpoſitorum oris gladio non ſunt ferienda, etiam cum recte reprehendenda videntur: quoniam a prædeceſſoribus noſtris & a reliquis multis ſanctis epiſcopis ſtatutum fore cognoſcimus, ut oves paſtores ſuos * non facile reprehendant, nec eos criminari vel accuſare præſumant, quia cum in præpoſitos delinquimus, ejus ordinationi, qui nobis eos prætulit, obviamus. Unde Moyſes, dum contra ſe & Aaron conqueri populum cognoviſſet, ait: *Nos enim quid ſumus? nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Deum*. Quapropter admonendi ſunt ſubditi utriuſque ordinis viri, ut, cum magiſtrorum facta conſpiciunt, ad ſuum cor redeant, & de eorum increpationibus non præſumant; quia *non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum*. De dedicationum * vero eccleſiarum dubitatione, ſuper qua inter cetera nos conſulere voluiſtis, hoc vos rite tenere debetis, quod nos ab anteceſſoribus noſtris traditum accepimus; id eſt, ut quotiens tam de baptiſmo aliquorum vel confirmatione, quam de eccleſiarum conſecratione dubitatio habetur, & nec ſcriptis nec teſtibus ratio certa habetur utrum baptizati, vel confirmati, ſive eccleſiæ conſecratæ ſint: ut baptizentur tales ac confirmentur, atque eccleſiæ canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monſtratur iteratum quod non certis indiciis oſtenditur rite peractum. Hæc vos adminiculante divina gratia ita tenere cupimus, vobiſque ut poſtulaſtis tenere & docere mandamus, & ea quæ ſanctis patribus ante nos ſunt ſtatuta non proterve irrumpere, ſed fideliter ſervare optamus. Unde redemptoris * miſericordiam exoramus, ut ſua vobis in omnibus gratia ſuffragetur, & effectu implere vos tribuat quod velle conceſſit, quia in hac re tanto commoda retributionis accreſcunt, quanto & ſtudium laboris augetur. Progeniem vero ſuam unumquemque de his qui fideliter edocti ſunt, & jam firma radice plantati ſtant inconvulſi, uſque * ad ſeptimam obſervare decernimus generationem. Et * quamdiu ſe affinitate agnoſcunt propinquos, ad hujus copulæ non accedere * ſocietatem præſumant; nec eam, quam aliquis ex propria conſanguinitate conjugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculavit, * in conjugium ducere ulli profecto licet Chriſtianorum vel licebit: quia inceſtuoſus eſt talis coitus, & abominabilis Deo & cunctis bonis hominibus. Inceſtuoſos vero nullo conjugii nomine deputandos * a ſanctis patribus dudum ſtatutum eſſe legimus. Ideo nolumus nos in hac re a vobis ſive a ceteris fidelibus reprehendi, quia quod in his Anglorum genti indulſimus, non formam dando, ſed conſideratione, ne Chriſtianitatis bonum quod cœperant imperfectum dimitterent, egimus. Paterna ergo vos dilectione * ſalutantes hortamur, ut propoſitas opportunitate occaſiones in veſtra efficacia enixius elaborare debeatis, atque id modis quibus poſſibile fuerit omni ſtudio agere contendatis: quatenus prædicabile deſiderium veſtrum in auxilium omnium adjuvante domino compleatis. Nec hoc quoque in hac ſolicitudinis parte relinquimus, quod omnes inceſtuoſi a liminibus ſanctæ eccleſiæ ſint ſeparandi, quouſque per ſatisfactionem precibus ſacerdotum canonice eidem ſanctæ eccleſiæ catholicæ reconcilientur. Sunt enim mali ſegregandi a bonis, * & iniqui a juſtis, ut ſaltem rubore ſuo conſcientias ſuas recognoſcant, & convertantur a pravitatibus ſuis. At ſi incorrigibiles apparuerint, ſegregentur a fidelibus uſque ad ſatisfactionem juxta ſalvatoris domini ſententiam, qua inter cetera de peccante

in

* S. Leo ep. 78 c. 2.
* Initium ep. 60. lib. IV S. Gregorii.
Coloſſ. 3.
* caritative jam. Pariſ.
* Idem S Gregor. ep. 110. lib. VII. initio
* Eiuſdem libri ep. 94 initio.
* Conc. Toleт. XI. c. 5.
Num. 12.
Pſalm. 104.
Exod. 22.
* S. Greg Paſtoralis lib. III. admon 5.
* Conc. Rom. V. ſub Symmacho
Exod. 16
Matth. 10.
* Concil Cart. V. c. 6.
* S. Greg ep. 94. lib. VII.
* Greg. III ep. 1
* Hincm. in lib. de divortio Lotharii & Teutbergæ
* Greg. II. cap. 14. Conc. Rom. ſub eodem can. 9
* Conc. Agathenſe can. 61. & alia deinceps.
* S. Greg. ep. 94. Lib. VII.
* Hinc in loco cit

in ſe fratre præcipiendo ait : *Si peccaverit in te frater tuus , corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum : ſi autem non audierit te, adhibe tecum unum vel duos , ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum . Quod ſi eos non audierit , ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus* . His ergo & aliis multis ſanctorum patrum auctoritatibus ſegregandi ſunt mali a bonis, ne pereant juſti pro injuſtis, ſicut ſcriptum eſt : *Perit juſtus pro impio* . Debet enim diſcretio ſemper fieri inter bonos & malos , ſicut eſt inter hœdos & oves. Manifeſta * quoque peccata non ſunt occulta correctione purganda, ſed palam ſunt arguendi qui palam nocent , ut dum aperta objurgatione ſanantur, ii qui eos imitando deliquerant corrigantur. Dum enim unus corripitur, plurimi emendantur. Et melius eſt ut pro multorum ſalute unus condemnetur, quam per unius licentiam multi periclitentur . Nec mirum ſi inter homines hæc ratio cuſtoditur, cum & inter jumenta hoc fieri perſæpe cognovimus , ut ea quæ ſcabiem aut impetiginem habere videntur, ſeparentur a ſanis , ne illorum morbo cetera ſana damnentur & pereant . Satius eſt ergo ut mali aperte corrigantur , quam pro illis boni pereant . Unde volumus * omnes in unum convenire epiſcopos , ut de incidentibus cauſſis fiat diſceptatio , & ſalubris de eccleſiaſtica obſervatione collatio , quatenus dum per hoc & præterita corriguntur , & regulam futura ſuſcipiunt , omnipotens ubique dominus fratrum concordia collaudetur . Cujus vobis adeſſe præſentiam, ſi hæc obſervaveritis, ſcitote, quia ſcriptum eſt : *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo , ibi in medio eorum ſum*. Si ergo dignatur adeſſe duobus vel tribus congregaris, quanto magis non deerit ubi plures conveniunt ſacerdotes ? Et quidem quia adhibendum bis in anno concilium patrum ſit regulis inſtitutum non latet. Sed ne forte aliqua excuſatio ſit , ſemel decrevimus congregari , ut expectatione concilii nihil pravum, nihil præſumatur illicitum . Nam plerique & ſine amore juſtitiæ metu examinationis abſtinent ab hoc , quod omnium notum eſt poſſe diſplicere judicio. Hanc, frater cariſſime, obſervantiam noſtris relinquendam poſteris teneamus , & omnia quæ ad eruditionem noſtram ſacris apicibus ſcripta ſunt , cuſtodiamus , atque ad ea quoſcumque poſſumus excitemus. Certum quippe eſt, quia ſi toto corde præceptis ſalutaribus nos occupamus , omnem vitiorum labem effugimus , quia dum his quibus ædificamur innitimur , locum ſine dubio deceptionis excludimus . Quapropter oportet ut enixius in cunctis ſtudioſum vos circa fratres atque ſubjectos oſtendatis , ut omnes cum quibus aliti eſtis, atque didiciſtis ſanctæ Romanæ eccleſiæ præceptionibus parere , apoſtolicæ ſedis præcepta multiplicare, apertiſſimeque nota facere cognoſcant , quia quod ſpecialiter tibi tuiſque & fratrum tuorum caritati , ut tuæ literæ innotuerunt , conſultis ſcribimus, generaliter omnibus tenere mandamus. Circa ſubjectorum * autem actus fraternitas tua ſit vigilans , ut veſtrum illis exemplum inſtructio , & vita magiſtra ſit ; linguæ veſtræ exhortatione diſcant quod metuant, & doceantur quod diligant, ut dum talenta credita cum lucro multiplicantur , in diem retributionis annuente divina gratia audire mereamini : *Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium domini tui*. Curam præterea de omnibus quæ vobis aliiſque fratribus noſtris , & generaliter cunctis pro illicitarum rerum prohibitione ſcripſimus , habere vos per omnia cognoſcamus, quia omni ſtudio omnique anniſu neceſſe eſt ut fraternitatis veſtræ vigilantia compleantur, atque illic omnia, quæ pro animarum ſcripſimus ſalute , fideliter recenſeantur, quatenus & vos per hoc veſtrum zelum qualiter vobis illicita diſpliceant oſtendatis, & nos utiliter providiſſe, qui vos ac veſtram ad hoc præ ceteris perſonam elegimus, videamur. * Omnipotens Deus ſua vos protectione cuſtodiat , honoremque perceptum vobis omnibus ſervare concedat. Amen.

Matth. 17.
Ezech. 3.
* Sent. S. Iſidorii Hiſp. lib. 3. c. 46.
* S. Greg. ep. 3. lib. 7.
Matth. 18.
* S. Greg. ep. 114. lib. 7.
Matth. 25.
* Idem S. Greg. ep. 10. lib 4.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE , S. J.

Privilegium iſtud , quod velut appendix attexitur, improbarunt ex orthodoxis Card. Petr. Sirm. Launoius, aliique viri pereruditi, ex heterodoxis Blondellus : propugnavit vero nuper edito adverſus Launoium libro Robertus Quatremarius O. B. Fictas autem ſubſcriptiones neque illis congruere temporibus vel ipſe ultro fatetur Baronius, ut ſuo loco monebimus.

*Gregorius omnibus epiſcopis : Gairaldo abbati ſancti Medardi , monaſterii Sueſſionenſis . Privilegium ejuſdem eccleſiæ ampliſſimum .*

PRetioſiſſimis lapidibus in diademate Chriſti merito renitentibus , omnibuſque ſanctæ Dei eccleſiæ membris, quorum univerſale caput eſt Chriſtus , Gregorius licet ſanctæ Romanæ ſedis pontificio ſublimetur , humillimus tamen ſervorum Dei ſervus. Quando catholicorum regum corda * ad ea ad quæ pontificalibus ſunt monitis provocanda ita ardenti deſiderio divina præveniente gratia ſuccenduntur, ut ab eis ultro poſcantur , tanto * ſunt lætius concedenda, quanto & ea ipſa quæ cupiunt, ſi nollent facere, peti debuerant. Proinde juxta filiorum noſtrorum præcellentiſſimorum ſcripta regum Brunichildis ac nepotis ejus Theodorici * , monaſterio ſanctæ Dei genitricis Mariæ , ac beatorum Petri apoſtolorum principis, nec non protomartyris Chriſti Stephani, quod eſt in Sueſſorum * civitate ſitum , ubi ſanctus Medardus requieſcere, & vir venerabilis Gairaldus abbas præeſſe videtur , hujuſmodi privilegia auctoritatis noſtræ decreto indulgemus , & ea plenius confirmamus privilegia , quæ a bonæ memoriæ * domino papa Joanne, commitante illuſtrium regum clementia , Clotarii ſcilicet & Sigeberti hujus noſtræ filiæ jugalis ipſi loco ſub anathematis vinculo ſunt conceſſa vel indulta concedimus atque * terminamus. Statuentes nullum regum, antiſtitum, vel judicum, nullum quacumque præditum dignitate ea , quæ a præcellentiſſimis regibus , vel quibuslibet aliis Deum timentibus loca conceſſa ſunt, vel conferentur , ſub cujuslibet occaſionis ſpecie minuere vel offerre , vel ſuis uſibus applicare, ſed cuncta quæ Deo ſervientibus monachis oblata ſunt , vel offerri contigerit , perenni tempore illibata , & ſine aliqua inquietudine volumus poſſideri, eorum uſibus pro quorum ſuſtentatione conceſſa ſunt modis omnibus profutura . Concedimus etiam ut obeunte abbate, non alius ibi quacumque obreptionis aſtutia ordinetur , niſi quem communi conſenſus mona-

* Vide ep 10. & duas ſeqq. lib. xi. ep. ejuſdem S. Gregorii pro Auguſtodunenſi Xenodochio &c. unde hoc effictum privilegium fuiſſe creditur a nonnullis.
* alacri & læto animo.
* qui anno demum 596. patri Childeberto in Burgundiæ regno ſucceſſit.
* Sueſſorum ſive Sueſſionum.
* vox a Gregorii ſtilo, ut pleraque aliæ , prorſus aliena.
* firmamus.

monachorum elegerit aut præviderit ordinan- A dum. Caveant autem præfati monachi ſimoniacam hæreſim, ne potentia regum vel antiſtitum convicti, loco paſtoris ſuſcipiant tyrannum. Quod omnino fieri prohibemus, & eumdem abbatem cauſſa ordinationis ſuæ aliquid dare præſumere vetamus; ne hac occaſione, quæ a fidelibus piis locis offeruntur vel oblata ſunt, conſumantur. Et quia fama religionis Deo ſervientium monachorum noſtras pervenit ad aures, quibus vir vitæ venerabilis Gairaldus præeſſe dignoſcitur, juſtis petitionibus præcellentiſſimorum regum * Brunichildis atque Theodorici faventes ob amorem domini Medardi tantam divini honoris dignitatem & ſecuritatem concedimus perenni tempore B manſuram. Auctoritate igitur divina, vice beati Petri apoſtolorum principis, conſenſu omnium Romanorum pontificum, & voluntate totius ſenatus * Romani, ſuadente nobis viro apoſtolico Anſerico * Sueſſorum urbis pontifice, & omnium Galliæ epiſcoporum favente judicio decernimus, ut nullus archiepiſcoporum * vel archidiaconorum fratres præfatæ baſilicæ de ordinatione ſui abbatis, vel eccleſiaſticorum graduum aſſumptione inquietet: ſed ſecundum prærogativam ipſius loci vobis modo recitatam beatiſſimi prædeceſſoris noſtri domini Joannis papæ tempore decretam, & apoſtolica auctoritate firmatam ordinationem ſui abbatis ipſi fratres peragant, & C eccleſiaſticorum graduum dignitatem ſuſcipiant, conſecrationes quoque fontium, & ſcrutinii myſteria in ipſo monaſterio celebrent. Chriſmatis quoque ac olei, altaris, calicis, corporalis, a quocumque voluerint pontifice benedictionem expetant, ne tantus honor a quoquam rectore illius occaſionis cauſſa vel neceſſitatis intermittatur: ne vileſcat tantæ ſublimitatis locus ſanctæ Mariæ & B. Petri, nec non & Protomartyris, & domini Medardi meritis ſacratus: quem caput * monaſteriorum totius Galliæ conſtituimus, nulliuſque ditioni patimur ſubeſſe: ſed velut hæc ſedes Romana ſpeculationem ſuam toto orbi indicit, & novas conſuetudines omnibus mittit, & omnium D perſonarum ſervitio caret, * ita præfatus locus remota omni conſuetudine peſſima regum, antiſtitum, judicum, exemplum divinæ religionis & honeſtatis ceteris exhibeant monaſteriis, & ſuper ea plena gaudeat libertate. Cujus rectores & filii præſentes & ſucceſſuri tantum ſub regum cuſtodia poſiti admonitionem ſancti Petri & ſucceſſorum ſuorum hujus ſanctæ Romanæ ſedis pontificum auctoritate proclament. Et ſi incumbit neceſſitas, * habeant. Hujus rei gratia fratribus dirigendis in via tanti itineris hæc filia noſtra Brunichildis regina xx. manſos ingenuos, & totidem ſerviles, * cuncta integritate æternaliter facta præceptione juxta finem Alpium E contulit. Et multos alios reditus terrarum ob hanc cauſſam delegavit, ſitos in ejuſdem itineris ſpatio. Tuſiacum vero & Mortinetum fiſcos regios communiter ad ſtipendia fratrum dedit, & ita omnes villas Deo & ſancto Medardo traditas vel tradendas, ſua præceptione concluſit, ut quicumque ſuper terras domini Medardi habitare voluerit, vel ſteterit, ſive ſervus, ſive liber cujuſcumque ſit, alterius dominio privetur, & ſanctæ genitricis ſervitio aptetur, nec ultra redeundi licentiam habeat. Quod ſi fugerit, * reputatur ut ſervus * nuntiuſque ſanctæ Dei eccleſiæ. De altaribus quoque juxta inſtitutionem domini papæ Joannis apoſtolica auctoritate confirmamus, ut qui fuerit rector præfati monaſterii, fiat præterea altarium præſul, & omnium eccleſiarum ſibi pertinentium, & inde præfatorum ſanctorum præcipuo altari luminaria exhibeantur, & hoſpitalitas peregrinorum cum reverentia agatur. Subjungimus & aliud edictum. Si cauſſa capitalis criminis abbas eſt deponendus, non prius deponatur, donec depoſitores apoſtolicam auctoritatem requirant, & ita ſint metropolitani * cum ſuffraganeis ſuis, & abbates quamplurimi. In ipſo autem concilio accuſatore unuſquiſque cum xii. teſtibus præſentes aſſiſtant, & ita veri judicii examine probent ſe vidiſſe, ut audiente concilio * obteſtantur. Ad ultimum vero ipſe abbas rationes ſuæ excuſationis reddat, & jurejurandi pacto ſupra ſacrorum myſteria quatuor evangeliorum ſatisfaciat. Tunc vero ſi convictus fuerit, correctione deponatur; ſin autem, ſuo honori reddatur, & eccleſiaſticæ dignitatis myſteria recipiat, & inter ſacra miſſarum ſolennia, benedictionem & prædicationem juxta inſtituta domini papæ Joannis peragat, & ſuæ converſationis vitam melioribus exemplis deducat. Monachis quoque hanc proponimus ſententiam, ut nullus eorum invidia aut odio abbatis, quod abſit, comprimatur, vel extranearum perſonarum cenſura plectatur. Quod ſi culpa principalis vitii deliquerit, privatim intra clauſtrum ejuſdem monaſterii ab ipſo abbate & ſpiritalibus fratribus arguatur, & a corpore ſanctæ congregationis ſegregetur. Quod ſi perſeverante contumacia abſciſſus fuerit, præcipimus illi ut precatorias accipiens literas quodcumque voluerit ingrediatur monaſterium, aut cauſſa pœnitentiæ hujus ſedis apoſtolicæ licentiam petat, & ſuſceptis a domino papa literis liber ſuum monaſterium repetat. Hæc igitur omnia * quæ hujus apoſtolicæ auctoritatis & noſtræ præceptionis privilegio continentur, præfati monaſterii rectoribus & filiis præſentibus & futuris, & omnibus monaſteriis ipſi loco ſubjectis vel ſociatis ſub anathemate ſervanda conſtituimus. Si quis autem regum, antiſtitum, judicum, vel quarumcumque ſæcularium perſonarum hujus apoſtolicæ auctoritatis, & noſtræ præceptionis decreta violaverit, aut contradixerit, aut negligenter duxerit, vel fratres inquietaverit, vel conturbaverit, vel aliter ordinaverit, cujuſcumque dignitatis vel ſublimitatis ſit, honore ſuo privetur, & ut catholicæ fidei depravator, vel ſanctæ Dei eccleſiæ deſtructor, a conſortio Chriſtianitatis, & corpore ac ſanguine domini noſtri Jeſu Chriſti ſequeſtretur, & omnium maledictionum anathemate, quibus infideles & hæretici ab initio ſæculi uſque in præſens damnati ſunt, cum Juda traditore domini in inferno inferiori damnetur, niſi digna pœnitentia præfatorum ſanctorum ſibi propitiaverit clementiam, & fratrum communem reconciliaverit concordiam.

* Brunichildæ
* Notanda hæc verba & quæ ſequuntur.
* Anſericus apud Flod. II. 5. intertuit ann. 625. conc. Remenſi ſub Sonnatio
* videtur deeſſe vox epiſcoporum
* Hujus rei nullum apud veteres extat veſtigium.
* Iſta non cohærent & Gregoriano ſtilo toto cælo diſſident.
* adoant.
* cum
* reperiatur.
* nunc & uſque, vel ejuſque.
* Verbum illud apud Greg. nullibi reperitur.
* obteſtentur
* Redit ad verba ep. 10. libri xi. ſupra cit.

* SUB-

*SUBSCRIPTIONES.

* Has ſolâ arguere pronum erit cuivis vel parum in hiſtoria illorum temporum verſato, & Baronius ingenue faſſus eſt haud congruere his temporibus ac videri poſtea adjectas.

Ego Gregorius ſanctæ Romanæ ſedis antiſtes huic privilegio ſubſcripſi.
Euterius Arelatenſis archiepiſcopus ſubſcripſit.
Gregorius Portuenſis epiſcopus ſubſcripſit.
Andreas Albanenſis epiſcopus ſubſcripſit.
Auguſtinus Cantuariorum epiſcopus ſubſcripſit.
Anaſtaſius Tiburtinæ epiſcopus ſubſcripſit.
Sergius Præneſtinæ epiſcopus ſubſcripſit.
Petrus Ananiæ epiſcopus ſubſcripſit.
Agnellus Sutrinæ epiſcopus ſubſcripſit.
Mellitus Lundoniæ epiſcopus * ſubſcripſit.
Joannes Velitemenſium epiſcopus ſubſcripſit.
Tiberius Silvæ candidæ epiſcopus ſubſcripſit.
Marianus Ravennatis eccleſiæ * epiſcopus ſubſcripſit.
Vitulinus Sipontinenſis epiſcopus ſubſcripſit.
Joannes Syracuſanorum epiſcopus ſubſcripſit.
Sabinianus Tudertinorum epiſcopus ſubſcripſit.
Eulogius * Alexandriæ epiſcopus ſubſcripſit.
Dominicus Carthaginenſis epiſcopus ſubſcripſit.
Fortunatus Neapolitanorum epiſcopus ſubſcripſit.
Joannes Surrentinus epiſcopus ſubſcripſit.
Primævius Norſienſium epiſcopus ſubſcripſit.
Felix Portuenſium epiſcopus ſubſcripſit.
Glorioſus Oſtienſium epiſcopus ſubſcripſit.
Conſtantinus Narnienſis epiſcopus ſubſcripſit.
Conſtantinus Mediolanenſis epiſcopus ſubſcripſit.
Sutellius * Burdigalenſium epiſcopus ſubſcripſit.
Vitalis Veſoncenſium * epiſcopus ſubſcripſit.
Bonifacius Placentiæ epiſcopus ſubſcripſit.
Syagrius Auguſtodunenſium epiſcopus ſubſcripſit.
* Flavius Rhemorum archiepiſcopus ſubſcripſit.
Anſericus Sueſſorum epiſcopus ſubſcripſit.
Theodoricus * rex ſubſcripſit.
Brunichildis regina ſubſcripſit.
* Ego Petrus ſanctæ Romanæ ſedis ſubſcripſi & ſigillavi. Datum VII. Kal. Junii. anno ab incarnatione domini DXCIV. indictione XI.

* Mellitus: anno tantum 604. ordinatus eſt & Auguſtino ſucc.
* Marianus: Joanni anno 595. ſucceſſit.
* Eulogius: Hæ ſubſcr. tum ſeq. merito ſuſpectæ.
* Sutellius: ignotus
* Veſoncenſium: ſ. Veſontienſium
* Flavius: Corruptum haud dubie nomen nec conſictum
* Theodoricus: Regnare tantum cœpit anno 596. ut ſupra monuimus.

## DECRETA GREGORII PAPÆ I.

TEMPORE MAURITII TIBERII,

& Theodoſii Auguſtorum.

## TITULI CAPITULORUM.

I. *De officio diaconorum ſedis apoſtolicæ.*
II. *Qui vel quales ad cubile pontificis deſerviant.*
III. *Si quis eccleſiaſticorum titulos ponere, ſive in ruſtico, ſive in ſuburbano prædio præſumpſerit.*
IV. *De non velando feretro Romani pontificis.*
V. *Ut nihil pro ordinatione vel pallio, cartis vel peſtillo detur vel accipiatur.*
VI. *Si quis de ſervis eccleſiæ ad Dei ſervitium converti deſideret.*

### I.

(a) REgnante in perpetuum domino noſtro Jeſu Chriſto, temporibus * piiſſimi ac * ſanctiſſimi domini Mauritii, Tiberii, & Theodoſii Auguſtorum, ejuſdem domini Mauritii imperii anno XIII. indict. XIV. quinta die menſis Julii, Gregorius papa coram ſacratiſſimo beati Petri apoſtoli corpore, cum epiſcopis omnibus Romanæ eccleſiæ & presbyteris reſidens, aſſiſtentibus diaconibus & cuncto clero dixit: In ſancta hac Romana eccleſia, cui divina diſpenſatio præeſſe me voluit, dudum conſuetudo valde reprehenſibilis exorta eſt, ut quidam ad ſacri altaris miniſterium cantores eligantur, & in diaconatus ordine conſtituti modulationi vocis inſerviant, quos ad prædicationis officium & eleemoſynarum ſtudium vacare congruebat. Unde fit plerumque ut ad ſacrum miniſterium dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur. Et cantor miniſter Deum moribus ſtimulet, cum populum vocibus delectat. Qua de re præſenti decreto conſtituo, ut in ſede hac ſacri altaris miniſtri cantare non debeant, ſolumque evangelicæ lectionis officium inter miſſarum ſolennia exſolvant: pſalmos vero * ante reliquas lectiones cenſeo per ſubdiaconos, vel ſi neceſſitas exigit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentaverit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes: Anathema ſit.

* piiſſimi: abſunt iſta epitheta a c. Juſt. — ſereniſſimi.
* XIV.: XIII.
* ante: ac

### II.

Verecundus mos * tempore indiſcretionis inolevit, ut hujus ſedis pontificibus ad ſecreta cubiculi ſervitia laici pueri ac ſæculares obſequantur: & cum paſtoris vita eſſe diſcipulis ſemper debeat in exemplo, plerumque clerici qualis in ſecreto ſit vita ſui pontificis neſciunt, quam ut dictum eſt, ſæculares pueri ſciunt. De qua re præſenti decreto conſtituo, ut quidam ex clericis, vel etiam ex monachis, electi miniſterio cubiculi pontificalis obſequantur: ut is qui in loco regiminis eſt, habeat * tales, qui vitam ejus in ſecreta converſatione videant, qui ex viſione ſedula exemplum profectus ſumant.

* tempore: corpore
* tales: teſtes tales qui vitam ejus in ſecreto converſationem.

### III.

Conſuetudo nova in hac eccleſia & valde reprehenſibilis erupit, ut cum rectores ejus patrimonii urbana vel ruſtica prædia juris illius competere poſſe ſuſpicantur, fiſcali more titulos imprimat, atque hoc quod competere pauperibus exiſtimant, non judicio, ſed manibus defendant. Et cum per prædicatores ſuos veritas dicat: *Nihil per contentionem*, etiam ipſum litigioſæ contentionis malum tranſcenditur, & res quælibet, cum exiſtimatur eccleſiæ

Philipp. 2.

(a) In vetuſtiſſimo Cod. Friſingenſi annorum mille, cujus excerpta ad me miſit P. Forſter Prior & Bibliothecarius Cœnobii S. B. Ratiſbonenſis, extat Concilium iſtud ſub hoc titulo: *Incipit decretum Gregorii Papæ. Regnante in perpetuum Domino Deo noſtro Jeſu Chriſto temporibus piiſſimi & Sereniſſimi Domini Mauritii, Tiberii & Theodoſii Auguſtorum, ejuſdem Domini imperio Mauritii anno tertio decimo, indictione tertia decima, quinto die menſis Julii.* Manſi.

ſiæ poſſe competere, per vim tenetur. Proin- A de præſenti decreto conſtituo, ut ſi quis eccleſiaſticorum nunquam titulos ponere ſive in ruſtico ſive in * urbano prædio ſua ſponte præſumpſerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes. Anathema ſit. Is autem qui præeſt eccleſiæ, ſi hoc vel ipſe fieri præcipit, vel ſine ſua præceptione factum digna punire animadverſione neglexerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes: Anathema ſit.

* ſuburbano

## IV.

Sicut indignos nos pro beati apoſtoli Petri reverentia mens fidelium veneratur, ita noſtram infirmitatem decet ſemetipſam ſemper B agnoſcere, & impenſæ ſibi venerationis honorem declinare. Ex amore quippe fidelium hujus ſedis rectoribus mos ultra meritum erupit, ut cum eorum corpora * deferuntur, hæc dalmaticis contegant, & eas denique dalmaticas pro ſanctitatis reverentia, ſibimet partiendas populus ſcindat. Et cum adſint multa a ſacris corporibus apoſtolorum martyrumque velamina, a peccatorum corpore ſumitur, quod pro magna reverentia ſervetur. De qua re præſenti decreto conſtituo, ut feretrum quo Romani pontificis corpus ad ſepeliendum ducitur, nullo tegmine veletur. Quam decreti mei curam gerere ſedis hujus presbyteros ac diaconos cenſemus. Si quis vero ex C eorum ordine hoc curare neglexerit, anathema ſit. Reſponderunt omnes: Anathema ſit.

* humanda.

## V.

Antiquam patrum regulam ſequens, nihil unquam de ordinationibus accipiendum eſſe conſtituo, neque ex datione pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex ea quam nova per ambitionem ſimulatio invenit appellatione paſtelli. Quia enim ordinando epiſcopo pontifex manum imponit, evangelii vero lectionem miniſter legit, confirmationis vero hujus epiſtolam notarius excipit, ſicut pontificem manum non decet quam imponit ven D dere, ita miniſter vel notarius non debet in ordinatione ejus vocem ſuam, vel calamum venundare. Pro ordinatione ergo, vel * uſu pallii, ſeu chartis atque paſtello, eumdem qui ordinandus eſt vel ordinatur, omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus ſi quis aliquid commodi appellatione exigere vel petere forte præſumpſerit, in diſtricto omnipotentis Dei examine reatui ſubjacebit. Is autem qui ordinatus fuerit, ſi non ex placito, neque exactus, vel petitus, poſt acceptas chartas & pallium efferre aliquid cuilibet ex clero gratis tantummodo cauſſa voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus: quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non proceſſit.

* pallio

## VI.

Multos ex eccleſiaſtica familia, ſeu ſæculari militia novimus ad omnipotentis Dei ſervitium feſtinare, ut ab humana ſervitute liberi in divino ſervitio valeant familiarius in monaſteriis converſari. Quos ſi paſſim dimittimus, omnibus fugiendi eccleſiaſtici juris dominium, occaſionem præbemus. Si vero feſtinantes ad omnipotentis Dei ſervitium incaute retinemus, illi invenimur negare quædam qui dedit omnia. Unde neceſſe eſt ut quiſquis ex juris eccleſiaſtici ſervitute, vel ſæcularis militiæ, ad Dei ſervitium converti deſiderat, probetur prius in laico habitu conſtitutus. Et mores * illius atque converſatio bono deſiderio illius teſtimonium ferunt, abſque ulla retractatione ſervire in monaſterio omnipotenti Deo permittatur, ut a ſervitio humano liber recedat, qui * divino amore diſtrictiorem ſubire appetit ſervitutem (*a*) * Si autem & in monaſtico habitu ſecundum patrum regulas irreprehenſibiliter fuerit converſatus, poſt præfixa ſacris canonibus tempora, licenter jam ad quodlibet eccleſiaſticum officium provehatur, ſi tamen illis non fuerit criminibus maculatus, quæ in teſtamento veteri morte mulctantur.

* ejus
* pro divino obſequio.
* Hic deſinit ms. c. Juſtelli.

C (*b*) *Gregorius gratia Dei epiſcopus his decretis ſubſcripſit, & confirmaverunt epiſcopi & presbyteri numero* LVIII.

GRegorius ſanctiſſimus apoſtolicus papa ante corpus beatiſſimi Petri in ſynodo reſidens dixit: Hinc maxime nimium dolens & ingemiſcens dico, quia aliquot ex Chriſtianis in occidentis partibus conſtitutos audio temere contra catholicam fidem & patrum ſtatuta agere: ita ut conſecratas feminas ducere præſumant mulieres, & propinquas conjugio ſortiantur. Quod opportunum eſt ſpiritali amputare mucrone, atque, ſi veſtræ placeat ſanctitati, radicitus evellite; ne ſeges boni agri- D colæ, iniquorum mixta horrentibus forte ſordeſcat. Sanctiſſimi epiſcopi, ſeu venerabiles presbyteri reſponderunt: Vere cognoſcimus gratia ſancti Spiritus cor apoſtolatus veſtri ſuccenſum, ut tantæ miſeriæ ſqualorem a fidelium mentibus detergatis. Poſt hanc omnium conſonam reſponſionem Gregorius apoſtolicus papa ante corpus memoratum venerabile Chriſti apoſtolorum principis inferendo ſententiam dixit.

I. Si quis presbyterum in conjugium duxerit, anathema ſit.

II. Si quis presbyter vel diaconus duxerit uxorem, anathema ſit.

III. Si quis monacham, quam Dei ancil- E lam appellant, in conjugium duxerit, anathema ſit.

IV. Si quis commatrem ſpiritualem duxerit in conjugium, anathema ſit.

V. Si

(*a*) In vetuſtiſſimo Friſingenſi Cod. hic abſolvitur iſtud Concilium, cui ſubjunguntur ſubſcriptiones illæ quas Flaviniacenſi Cod. inferius Conc. Rom. III. adſcribit, ubi variantes dabimus. *Manſ.*

(*b*) Cum in optimis MSS. Codd. totum iſtud concilium inter ſcripta S. Gregorii Magni nequaquam repræſentetur, vix dubito, quin hæc expreſſa ſint ex Concilio Romano Gregorii II. cujus eadem eſt Pontificis allocutio ad Patres, iidem canones nonnulli, & alii ex illis Gregorii hic transformati, alii tandem refecti. *Manſ.*

v. Si quis fratris uxorem duxerit in conjugium, anathema ſit. A

vi. Si quis neptem duxerit in conjugium, anathema ſit.

vii. Si quis novercam aut nurum ſuam duxerit in conjugium, anathema ſit.

viii. Si quis conſobrinam duxerit in conjugium, anathema ſit.

ix. Si quis de propria cognatione, in qua cognatas habuit, duxerit in uxorem, anathema ſit.

x. Si quis virginem rapuerit, vel furatus fuerit eam, cum ſibi conſentientibus, anathema ſit. B

xi. Si quis virginem quam ſibi non deſponſaverit, rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem, una cum ſibi faventibus, anathema ſit.

xii. Si quis hariolos, aruſpices, vel incantatores obſervaverit, aut phylacteriis uſus fuerit, anathema ſit.

xiii. Si quis in quamlibet partem præcepta ante emiſſa apoſtolicæ eccleſiæ de cameris & locis diverſis temeraverit, & non in omnibus obſervaverit, anathema ſit.

xiv. Si quis homicidium fecerit, agat pœnitentiam decem annis.

xv. Si quis in ſcelere permanſerit, anathema ſit.

xvi. Si quis ex clericis laxaverit coronam, anathema ſit.

xvii. Et reſponderunt omnes per ſingula (a) capitulo tertio: Anathema ſit.

*Subſcriptio beati Gregorii papæ.*

Gregorius ſanctæ catholicæ atque apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, huic conſtituto a * vobis promulgato ſubſcripſi. * nobis

* Agnellus epiſcopus civitatis Ferentinenſis huic conſtituto a nobis promulgato ſubſcripſi. * Agnellus

Et ceteri ſubſcripſerunt. Valete.

# JOANNIS DOMINICI MANSI

## PRÆMONITIO

## IN CANONES A SE HIC PRIMO ADJECTOS.

*COEptum jam inſtitutum adjiciendi Canones in variis canonicis collectionibus diſperſos, qui Pontificum Romanorum (falſo tamen non raro) præferunt Canones ſub Gregorii Magni nomine editos hic exhibendos cenſeo. Quod tamen non omnes addendos judicaverim hæc me ratio induxit. Sunt enim nonnulla eorum dicta quæ adhortandi potius, & ad vitam recte componendam admonitiones habenda ſunt, quam ex mente prolata, ut decreta ſancirentur. Adhortationes igitur omiſi; decreta retinui, adjecta ſæpe brevi cenſura qua ſinceros Canones a non ſinceris diſtinguerem; qua in re adjutum me gratus profiteor a voluminibus V. C. Caroli Sebaſtiani Bernardi nuper Taurini emiſſis, qui totum Gratiani decretum ſingulari diligentia expendit, atque illuſtravit.*

## CANONES A GRATIANO

ALIISQUE GREGORII NOMINE DATI.

I.

*Gregorius.*

Dist. XVII. can. 4. NEc licuit alicui aliquando, nec licebit particularem ſynodum congregare, ſed quoties aliqua de univerſali ſynodo aliquibus dubitatio naſcitur ad recipiendam de eo quod non intelligunt rationem; aut ſponte ii, qui ſalutem animæ ſuæ deſiderant ad apoſtolicam ſedem pro recipienda ratione conveniant, aut ſi forte (ſicuti de talibus ſcriptum eſt: *peccator cum venerit in profundum malorum contemnit*) ita obſtinati, & contumaces extiterint ut doceri non velint; eos ab eiſdem apoſtolicis ſedibus, aut attrahi ad ſalutem quoquo modo neceſſe eſt, aut (ne aliorum perditio eſſe poſſint) ſecundum canones per ſæculares comprimi poteſtates.

II.

*Gregorius papa.*

IStud eſt quod a vobis popoſcimus, ut nunc iterum poſtulamus, ut Paulinum Aquilejenſem C pſeudoepiſcopum, & illum Mediolanenſem epiſcopum ad clementiſſimum principem ſub digna cuſtodia dirigatis; ut & iſte, qui epiſcopus eſt, nullatenus poteſt, quia contra canonicam conſuetudinem factus eſt, alios ultra non perdat; & ille, qui contra morem antiquum eum ordinare præſumpſit, canonum vindictæ ſubjaceat. XI. q. 1. can. 10.

III.

*Gregorius.*

REgulæ ſanctorum patrum pro tempore, loco, & perſona, & negotio, inſtante D neceſſitate traditæ ſunt. Dist. XXIX. can. 2.

IV.

(a) Quam inepta hæc ſunt Deus bone? Profecto ſic emenda: *Reſponderunt omnes tertio per ſingula capita anathema ſit.*

## I V.

*Gregorius.*

Dist. XXXIII. can. 2. — * cod. Luc. addit conſortes. — * qui concubinam vel meretricem in &c. — * per emptionem.

MAritum duarum poſt baptiſmum matronarum clericum non ordinandum, neque *enim qui unam quidem, ſed concubinam non matronam habuit, nec illum*, qui viduam, aut repudiatam, vel meretricem in matrimonium aſſumpſerit; nec eum, qui ſemetipſum quolibet corpori ſuo membro indignatione aliqua, vel juſto, vel injuſto timore ſuperatus, truncaverit; nec illum, qui uſuras accepiſſe convincitur aut in ſcena luſiſſe dignoſcitur, nec eum, qui publica pœnitentia B mortalia crimina deflevit; neque illum, qui in furiam aliquando verſus inſanivit, vel afflictione diaboli vexatus eſt; neque eum, qui* per ambitionem, ad imitationem Simonis Magi, pecuniam obtulerit.

## V.

*Gregorius.*

Dist. LXXXI. can. 23. — * in cod. Luc. deeſt animi. — * Deeſt Dominus Deus veſter.

OPortet ſacerdotes quibus Dei populus commiſſus eſt cum magna *animi conſtantia vigilare ſuper Dominicas oves, ne lupinis morſibus, ideſt diaboli ſtimulis, lanientur.

Neque enim hoc ſilere debeo, quod cum gravi animi triſtitia dico: ſacerdotes cum feminis habitare conſpicio, quod nefarium eſt C dicere, vel audire, & contra ſanctorum canonum ſancita. Ubi enim talis fuerit commorantium cohabitatio, antiqui hoſtis ſtimuli non deſunt. Ideoque admonendi ſunt, ut non antiqui hoſtis decipiantur fraude, quatenus juxta apoſtoli vocem non vituperetur miniſterium. Cavere enim nos oportet, Fratres, ab illicitis, ut mundas valeamus ad Dominum levare manus; ſcriptum eſt enim: *ſancti eſtote, quoniam ſanctus ego ſum * Dominus Deus veſter*. Si quis vero præſumſerit aliter agere, ſacerdotii honore privetur. Unde omnino cavendum eſt, fratres, ne fallamus populum, & D illud prophetæ dictum impleatur in nobis: *ſacerdotes mei contaminant ſancta, & reprobant legem*; quos & alius propheta increpat, dicens: *O vos ſacerdotes, qui fallitis nomen meum, & dixiſtis: in qua re fallimus nomen tuum?* Quibus reſponſum eſt: *offerentes ad altare meum panes pollutos. Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus; & ſacrificium non accipiam de manibus veſtris, quia polluti eſtis.*

## V I.

I. q. 1. c. 12. — * cod. Luc. danti ... ac accipienti.

QUicumque ſacros ordines vendunt, aut emunt, ſacerdotes eſſe non poſſunt. E Unde ſcriptum eſt: anathema * danti, anathema accipienti, hoc eſt ſimoniaca hæreſis. Quomodo ergo ſi anathema ſunt, & ſancti non ſunt, ſanctificare alios poſſunt? Et cum in Chriſti corpore non ſunt, quomodo corpus Chriſti tradere vel accipere poſſunt? Qui maledictus eſt, benedicere quomodo poteſt?

## V I I.

I. q. 1. c. 89.

NOn nocet malitiæ epiſcopi, neque ad baptiſmum infantis, neque ad eccleſiæ conA ſecrationem: quia baptiſma a Deo datur, non ab homine venit; ſic & euchariſtia & omnia quæcumque in altari ponuntur non ab homine, ſed a Deo ſanctificationem accipiunt.

## V I I I.

I. q. 4. 1.

ECcleſia quæ pactione conſecrata fuerit, potius execrata, quam conſecrata dici debet.

## I X.

II. q. 3. c. 70. — * cod. Luc. præcavendum eſt, ne. — * deeſt ut — * ſi quid ibi

SUmmopere * præcavere debent rectores eccleſiarum, & qui publica judicia exercent * ut in dictandis ſententiis nullatenus levitate B aut furore ducti ſunt præcipites: ſed cauſis prius diligenter ventilatis, cum res, quæ ignorabatur, pleniter ad notitiam venerit; tunc divina, & humana lex reſolvatur; & * tunc ſecundum quod ibi conſtitutum eſt, remota perſonarum acceptatione, deſinitiva proferatur ſententia. Hinc eſt quod Moyſes querelas populi ſemper ad Dominum, tabernaculum ingreſſus, referebat, & juxta quod Dominus imperabat, judicia proponebat: nimirum nos inſtruens, ut non ex corde noſtro, ſed ex præcepto divino condemnationis, vel juſtificationis ſententiam proferamus.

## X.

II. q. 3 c. 78. — * præſtare.

QUatuor modis pervertitur humanum judi- C cium, timore, dum metu poteſtatis alicujus veritatem loqui pertimeſcimus: cupiditate, dum præmio animum alicujus corrumpimus; odio, dum contra quemlibet adverſarium molimur: amore, dum amico, vel propinquo * complacere contendimus.

## X I.

XVI. q. 1 c. 25. — * Angel. l. 7. in fine. — * Juſto canone. — * Cod. Luc. meritoque.

MOderamine * apoſtolicæ auctoritatis decernimus, ut monachi, ſi prebyterii honore dedicati ſunt cum ligandi ſolvendique poteſtate, decimarum, primitiarum, oblationum, D donationum quæ fiunt pro vivis, & pro defunctis portionem * juxta canonem ad ſuam, proximorumque utilitatem * merito perfectionis juſtitiæ non minus quam ceteri ſacerdotes laudabiliter ſibi vendicent.

## X I I.

XVI. q. 1. c. 24.

EX auctoritate hujus decreti (quod apoſtolico moderamine, & pietatis officio a nobis eſt conſtitutum) ſacerdotibus, monachis, apoſtolorum figuram tenentibus, liceat prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata ſolvere.

## X I I I.

XXIII. q. 5. c. 7.

REos ſanguinis defendat eccleſia, ne effuſione ſanguinis particeps fiat.

## X I V.

COnſiderandum eſt de eccleſiis, quæ inter cohæredes diviſæ ſunt, quatenus ſi ſecundum providentiam & admonitionem epiſcopi ipſi cohæredes eas voluerint tenere & honorare

rare, faciant. Sin autem hoc contradixerint, in epiſcopi poteſtate maneat, utrum eas conſiſtere permittat, aut reliquias inde auferri velit.

## X V.

XXVII. q. 1. c. 15.

PErvenit ad nos quo quidam vir nequiſſimus, diabolico inſtinctu de monaſterio ſuaſerit exire quandam Deo ſacratam, atque a quodam viro, unde exierat, ſit revocata; rurſuſque eam mulierem vir ille nequiſſimus iniqua ſuaſione de monaſterio ejiciens, apud ſe retineat impudice. Volumus autem, & epiſcopatus tui auctoritate in monaſterio revocetur, atque recludatur.

## X V I.

XXVII. q. 2. c. 14.

SI Quis uxorem deſponſaverit, vel eam ſubarrhaverit, quemquam poſtmodum, præveniente die mortis ejus, nequiverit eam ducere in uxorem; tamen nulli de conſanguinitate ejus licet accipere eam in conjugio. Quod ſi inventum fuerit, factum ſeparetur omnino.

## X V I I.

XXVIII. q. 2. c. 2.

SI infidelis diſcedit odio chriſtianæ fidei, diſcedat. Non eſt enim frater aut ſoror ſubjectus ſervituti in hujus modi. Non eſt enim dimiſſo * peccatum propter Deum, ſi alii ſe copulaverit. Contumelia quippe Creatoris * ſolvit jus matrimonii, circa eum, qui relinquitur. Infidelis autem diſcedens, & in Deum peccat, * & in matrimonium: nec eſt ei fides ſervanda conjugii, quia propterea diſcedit, ne audiret Chriſtum Deum eſſe chriſtianorum conjugiorum.

* Cod. Luc. *peccatorum dimiſſo propter Deum*
* *ſolum*
* *non in matrimonium.*

## X V I I I.

XXXII. q. 7. c. 22.

HIs vero qui uxores ſuas in adulterio deprehendunt, non licebit nec eum, nec eam aliam uxorem accipere, vel alium virum, quandiu ambo vivunt. Si adultera mortua fuerit; vir ejus ſi vult, nubat tantum in Domino; adultera vero nunquam etiamſi mortuus fuerit vir ejus: omnibus tamen diebus vitæ ſuæ acerrimæ pœnitentiæ lamenta perſolvat.

## X I X.

De pœnitentia diſt. 6. c. 2.

SAcerdos ante omnia caveat, ne de his, qui ei confitentur peccata alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque, quod abſit, pro aliquo ſcandalo. Nam ſi hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominoſus peregrinando pergat.

## X X.

Burch. lib. 1. c. 103. Grat. II. q. VII. c. 32. ex Auguſtino.

QUi nec regiminis rationem habet in ſe, nec ſua delicta deterſit, nec filiorum crimen correxit, canis impudicus dicendus eſt, magis quam epiſcopus.

## X X I.

XXXV. q. IX. c. 4.

APoſtolicæ ſedis ſententia tanta ſemper conſilii moderatione concipitur, tanta maturitate decoquitur, tantaque deliberationis gravitate profertur, ut retractatione non egeat, A nec immutari neceſſarium ducat, niſi forte ſic prolata ſit, ut retractari poſſit, vel immutanda ſecundum præmiſſæ tenorem conditionis exiſtat.

## X X I I.

De conſecr. diſt. 1. c. 17.

SOlemnitates dedicationum eccleſiarum, & ſacerdotum per ſingulos annos ſolemniter ſunt celebrandæ, ipſo Domino exemplum dante, qui ad feſtum dedicationis templi, omnibus id faciendi dans formam, cum reliquis populis eandem feſtivitatem celebraturus venit: ſicut ſcriptum eſt: *facta ſunt encænia in Hieroſolymis, & hyems erat, & ambulabat Jeſus in templo in porticu Salomonis.* Quod autem octo B diebus encænia ſint celebranda in lib. Regum, perlecta dedicatione templi reperietis.

## X X I I I.

XVIII. q. II. c. 21.

IN nullo loco monachos, & monachas permittimus unum monaſterium habitare, ſed nec ea quæ duplicia vocant. Et ſi quod tale eſt, religioſus epiſcopus mulieres quidem in ſuo loco manere ſtudeat; monachos autem aliud monaſterium ædificare cogat. Si autem plurima ſint talia monaſteria, ſeparentur in aliis monaſteriis monachæ, & in aliis mona- C chi, res autem, quas habent communes, ſecundum jura ei competentia diſtribuantur.

## X X I V.

Burch. lib. can 14.

SI quis venerit contra decretum epiſcopi, ab eccleſia abjiciatur.

## X X V.

Ex addition. ad cod. Burch. in cod. Luc.

SI quis terram, aut pratum, aut vineam, aut ſilvam quolibet fraudis ingenio & avaritia captus, eccleſiæ Dei abſtulerit, in quadruplum reddat, & annis duobus, exceptis D diebus ſanctis, a carne vinoque jejunans, pœnitentiam agat.

## X X V I.

*Ex dictis Gregorii papæ.*

ibid.

SI quis ad ſe ditandum, aliis fraudandum, aquam cum muſto, vel cum vino miſcuerit per annos quinque vinum non bibat.

## X X V I I.

*Ex dictis ejuſdem.*

ibid.

E QUicumque tanquam amore cujuslibet ſancti feria II. vel VI. jejunium ruperit, niſi pro ejuſdem ſancti reverentia in vigilia ipſius ſancti jejunaverit, ſeptem dies in pane & aqua pœniteat.

## X X V I I I.

*Ex dictis ejuſdem.*

ibid.

SI quis neque ſanctis pollens virtutibus; neque a Deo populoque vocatus, vel pulſatione coactus impudenter Chriſti ſacerdotium jam quolibet facinore pollutus, injuſto cordis amore, vel ſordibus precibus oris, ſive comitatu

tatu ſive manuali ſervitio, ſive fraudulento A munuſculo epiſcopalem, ſacerdotalem, non lucro animarum ſed inanis gloriæ avaritia ſuffultus, dignitatem acceperit, & in vita ſua non ſponte reliquerit, eumque in aſpera mors pœnitentia non invenerit, proculdubio in æternum peribit.

## XXIX.

*Privilegium archidiaconi*

*Beato Gregorio digeſtum & conſtitutum ex lib. inſtitut. S. Gregorii papæ.*

Ibid.

MInisterium archidiaconi conſtat eſſe in ec- B cleſia, ita ut quidquid ſub epiſcopo eſt illi videatur commiſſum. Conſecrationum videlicet perfectio, quæ ab epiſcopo perfici debet, in archidiaconi providentia traditur, ut ab ipſo qui conſecrandi ſunt diſcernantur, & utrum boni teſtimonii, & vitæ ſint, perſcrutentur. Et ſic deinceps ut inſtituti fuerint de ſcientia literarum, ſive bono teſtimonio juſſione archidiaconi conſcribantur, quam quiſque gradum honoris percipere debeant; & eodem ordine, quo ſcripti fuerint ab archidiacono ad conſecrandum ante epiſcopum perducantur. Si quando vero ſynodus ab epiſcopo facienda erit, archipresbyteri, & ceteri, qui ſub ipſis ſunt ab archidiacono juxta ſuum ordinem dedu- C cantur, in præſentiam epiſcopi ad ſynodum peragendum. Tempore autem confirmationis, quod epiſcopus parochiam ſuam viſitando confirmare debet archidiaconum in obſequium ſui epiſcopi proficiſci oportet, ſi epiſcopus ire potuerit, ut ſui archidiaconi ſolamine fultus, ſine aliquo ſcrupoloſitatis diſcrimine gratiam S. Spiritus populis valeat impertiri. Si vero aliqua neceſſitas aut invaletudo corporis epiſcopum ire non permiſſerit, oportet, epiſcopum archidiaconum mittere, ut parochiam ſuam viſitet, vitam clericorum requirat, ſi in uno conclavi pene omnes ad eccleſiam dormiunt, ſi ad officium inprætermiſſe concurrant, ſi caſte & ſobrie vivant; ſi nullo malo teſtimonio D ab aliis hominibus diſcriminantur; & in cetera ſi ſecundum canonicam auctoritatem quartam portionem de redditibus a ſuo præpoſito percipiunt. Perquirat etiam ab ipſis clericis, vel ab aliis honeſtis hominibus de inceſtis, & rebus illicitis. Et quod incongruenter actum repererit, ſtudioſe in quantum prævalet emendare provideat. Et quod minimo valuerit corrigere ſuo epiſcopo ſtudeat nuntiare. Requirat etiam diligenter de rebus eccleſiæ, ne aliqua negligentia, ſeu etiam fraudulentia diſpernaut. Viduarum, pauperum, pupillorum, E juxta mandatum epiſcopi, & ſuam poſſibilitatem curam gerat.

In eccleſia civitatis vaſa altaris & cetera utenſilia per manus archidiaconi cuſtodi tradantur cuſtodienda, ut nihil ex illis depereat, ſed magna cuſtodia ſerventur illæſa. Ordines ſtandi in eccleſia, & legendi tam nocturna, quam diurna officia a præfato archidiacono vigilanti ſtudio procurentur, ne aliqua injuria ſacer ordo detrimentum patiatur. Et quidquid ſacri ordinis in eccleſia celebratur ab archidiacono provideatur; præter miſſarum celebrationes, quæ alteri miniſtro ab epiſcopo providenda jubentur.

De infantibus ſcilicet in paſcha conſignandis nihilominus archidiaconus procuret, ut ſecundum auctoritatem patrum ad ſcrutinium accedant, & quæ erga illos gerenda ſunt, ſumma induſtria perficiat. Si in plebibus archipresbyteri obierint, aut pro aliquo reatu fuerint exinde ejecti, archidiaconus quantocius eundo illuc eos imbreviet, & cum clericis vel populis ipſius plebis electionem faciat, quatenus domui Dei dignus conſtituatur paſtor, & interim dum ordinatur ejus providentia cuſtodiatur plebs. Ita hæc talia ſtudioſe omnia perficiat, quatenus epiſcopus in ipſo ſecurus partiatur onera ſua, & domus Dei diligenter cuſtodita in nullo detrimento ſeſe ſentiat pertuliſſe.

## XXX.

*Privilegium archipresbyteri ab S. Gregorio digeſtum ex lib. inſtitut. S. Gregorii Papæ.*

MInisterium archipresbyteri in eo conſtituitur, ut diligenti cura provideat miniſterium ſacerdotum cardinalium, quod ſolemniſſimum debent peragere officium in communicatione corporis & ſanguinis D. N. J. C. ita ut viciſſim eos ſibimet ſuccedere faciat, quatenus a ſacroſancto die Dominico incipiendo, per omnes horas canonicas indeclinabiles perſeverent, ut opus Dei digne & infucate perficiatur ab eo, cui committitur, verens ſententiam illius ſapientis, ubi dicitur: *maledictus qui opus Dei facit negligenter*. Provideat etiam archipresbyter vitam ſacerdotum cardinalium, præceptis ſui epiſcopi obtemperando, ne aliqua accedia aut ſcurrilitate torpeant, ſed reminiſcantur, quod labia ſacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum eſt. Si epiſcopus defuerit, exceptis his, quæ preſbyteris prohibita ſunt, archipreſbyter provideat cetera, quæ in ſacerdotis miniſterio perfici debent; ideſt fontes benedicere, infirmum oleo perungere, pœnitentem infirmum conſulto epiſcopo reconciliare, pœnitentiam, junctis aliis ſacerdotibus, quæ ad purgationem animarum pertinet, injungere. In præcipuis feſtivitatibus aut ipſe celebrationem miſſæ ſolemniter adimpleat, aut ad ſui oris juſſionem cui committitur veneranter peragat.

Ibid. cap. Miniſterium de offic. archipresbyteri ubi ex Leone I. citatur.

## XXXI.

*Gregorius Venerio Calaris epiſcopo.*

DE gradibus propinquitatis, ſuper quibus parvitatem noſtram conſulere placuit, quod ego cum omnibus orthodoxæ fidei cultoribus ſentio ratum duxi paucis vobis abſolvere.

Ex iiſd. additamentis ad cod. Burchardi in MS. cod. Luc.

Ab his omnino diſſentio, qui perverſæ parentelæ ſucceſſiones ſupputantes gradus diducunt, & de uno duos conſtituunt; ac per hoc eum, qui primus eſſe debet, ſecundum; qui vero ſecundus efficiunt tertium. Itaque ex omni parte generationis corrumpunt; ut cum arborem quæ de parentela compingitur, ab ipſis abſciſſam conſpicimus, corpus ut ita dixerim, detruncatum ſuis artubus videatur. Igitur parentelæ gradus a nobis taliter computatur. Siquidem ego & frater meus una gene-

neratio ſumus, primumque gradum efficimus, nullo a nobis gradu diſtamus.

Rurſus filius meus, fratriſque mei filius ſecunda generatio ſunt, ac per hoc gradum ſecundum faciunt, nec a ſe gradu aliquo ſeparantur. Itemque meus nepos, fratriſque mei nepos tertia generatio ſunt, ideoque gradum tertium faciunt, nec a ſe gradu aliquo dividuntur.

Hic incipit canon Porro de affinitate xxxv. q. v.

Atque ad hunc modum ceteræ ſucceſſiones numerandæ veraciſſime ſunt. * Porro autem de affinitate, quam dictis parentelam eſſe, quæ ad virum ex parte uxoris, ſeu quæ a parte viri ad uxorem pertinet, manifeſtiſſima ratio eſt. Quia ſi ſecundum divinam ſententiam ego & uxor mea una caro ſumus; profacto mihi ex illa in ea ſuaque parentela propinquitas una efficitur. Quocirca ego & ſoror uxoris meæ in uno & primo gradu erimus; filia vero ejus, ſecundo a me gradu erit, nepos vero tertio. Eodem modo utrinque in ceteris agendum eſt ſucceſſionibus. Uxorem vero propinqui cujuſcumque gradus ſit, ita me oportet attendere, quemadmodum ipſius quoque gradus aliqua femina propriæ propinquitatis ſit; quod nimirum uxori meæ de propinquarum ſuarum viris & in cunctis cognationis gradibus convenit obſervare. Qui vero aliorſum ſentiunt Antichriſti ſunt, a quibus tanto vos ſollicitius cavere oportet, quanto apertius deprehenditis illos divinis legibus oppugnare.

## GREGORIUS PAPA.

*Venerio Caralitano epiſcopo.*

xxxv. q. 2. Can. Fraternitatis.

FRaternitatis veſtræ ſtudioſæ ſagacitati, frater amande, quas debeo, refero grates. Quoniam quæſiſti, quæ debuiſti; jucundum me reddidiſti. Unde placide ad inquiſita reſpondeo. Sedem Apoſtolicam conſulere decreviſti, ſi mulier copula nuptiali extraneo viro conjuncta, cognationi ejus pertineat, ſi eo defuncto cognatio maneat vel ſi ſub altero viro cognationis vocabula diſſolvantur, vel ſi ſuſceptæ ſoboles poſſint legitime ad prioris viri cognationis tranſire copulam. Eſt enim verbum Domini validum, & forte eſt durabile, eſt immutabil, eſt perſeverabile, non momentaneum, non tranſitorium. Ait enim per ſe ipſa Veritas, quæ Deus eſt, & verbum Dei: *Cœlum, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*. Antequam Deus in carne inter homines appareret, eo inſpirante dixit Adam: *quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*: cui non contradixit Dominus. Deinde cum veritas oriretur de terra in terram, & viſibilis in humanitate appareret; interrogatus eſt, ſi licitum eſſet homini uxorem relinquere. Quod prohibens, fieri vetuit; niſi forte fornicatio excluderet maritalem copulam. Unde protulit ſtatim in medium eamdem ipſam ſententiam, quam ante ſecula manens cum Patre Verbum inſpiraverat Adæ, ipſe confirmans, quod ipſe homo primus protulit. *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne una*. Si una caro ſiunt; quomodo poteſt aliquis eorum propinquius pertinere uni, niſi pertineat alteri? hoc minime poſſe fieri credendum eſt. Porro uno defuncto, in ſuperſtite affinitas non deletur; nec alia copula conjugalis affinitatem prioris copulæ ſolvere poteſt. Sed neque alterius conjunctionis ſoboles placet ad affinitatis prioris viri tranſire conſortium: pro eo quod verbum Domini validum eſt, & forte: & ut inquiens dixit Propheta: *Verbum Domini manet in æternum*. Et alius Propheta: *quoniam ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt: ſtatuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi: præceptum poſuit, & non præteribit*. Non poteſt per verbum ſuum, atque præceptum efficere Deus duos carnem unam, ideſt, maſculum, & fœminam: qui innumeram multitudinem utriuſque ſexus non deſtitit ſecum facere unum, ſicut per ſe veritas dixit: *non pro his tantum rogo, ſed etiam pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint*. Si quis ergo temerario, & ſacrilego uſu in defuncto quærit propinquitatem extinguere, vel ſub altero affinitatis vocabulo diſſipare, vel ſuſceptam ſobolem alterius copulæ, propinquitati prioris credit legitime ſociari, hic negat Dei verbum validum eſſe, & forte: & qui tam facile, & tam velociter quærit diſſolvere; hic non credit verbum Dei in æternum permanere. Confice terram ex quatuor locis magna intercapedine a ſe diſtantibus: & confectam, & conglutinatam finge cujuſcumque figuræ, vel immenſitatis corpus volueris; numquid erit humanum ingenium, quod ipſas quatuor partes ad invicem valeat ſegregare, ut unaquæque per ſe poſſit agnoſci? ſic a quatuor avis duo conficiuntur in unum: & de duobus fit una concreatio. Hanc ſimilitudinem de quatuor elementis, unde concreatus eſt homo, colligere potes; ſi eorum unamquamque ſpeciem, quæ in multis diviſionibus partita eſt per diſcretas inter ſe partes aſſignaveris. Fit idem in metallis; hoc etiam in liquoribus: probat etiam in coloribus pictor, qui ſequitur arte naturam, colores admiſcendo ex viſibilibus ſucis corpora fingens.

## XXXII.

*Hæc ſunt jejunia, quæ S. Gregorius genti Anglorum prædicari præcepit.*

In eiſd. addit MS. cod. Luc.

SUnt quatuor jejunia quatuor temporum anni; ideſt veris, æſtatis, autumni, & hyemis. Jejunium primum in prima hebdomada quadrageſimæ. Jejunium ſecundum in hebdomada poſt Pentecoſten. Jejunium tertium in plena hebdomada ante autumnale æquinoctium. Jejunium quartum in plena hebdomada ante natale Domini. Jejunium in feria ſexta per totum annum, niſi a paſcha uſque ad pentecoſten, aut ſi major feſtivitas fuerit.

## XXXIII.

*Gregorius Randulpho principi Salernitano.*

Ivo p. 1. cap. 179.

DE his requiſiti, qui ob cauſam frigidæ naturæ ſe dicunt non poſſe invicem operam carnis dantes, commiſceri. Iſte vero ſi non poteſt ea uti pro uxore, habeat quaſi ſororem. Quod ſi retinaculum jugale volunt reſcin-

ſcindere, maneant utrinque innupti. Nam ſi huic non potuit naturaliter concordare, quomodo alteri conveniet? Igitur ſi vir aliam vult accipere uxorem, manifeſta ratio patet, quia ſuccendente diabolo odii fomitem exoſam eam habuit, & idcirco illam dimittere mendacii falſitate molitur. Quod ſi mulier cauſatur, & dicit, volo mater eſſe, & filios procreare, uterque eorum ſeptima manu propinquorum tactis ſacroſanctis reliquiis jurejurando dicat, ut nunquam per commixtionem carnis conjuncti una caro effecti fuiſſent: tunc videtur mulierem ſecundas poſſe contrahere nuptias. Humanum dico, propter infirmitatem carnis eorum. Vir autem, qui frigidæ naturæ eſt, maneat ſine conjuge. Quod ſi & ille aliam copulam acceperit, tunc hi qui juraverint, perjurii crimine rei teneantur, & pœnitentia peracta priora cogantur recipere connubia.

## JOANNES DOMINICUS MANSI

### *in ſuperiores Canones Notæ.*

PRimus & ſecundus Canon totidem verbis legitur in epiſtola Pelagii I. ad Valerianum Patricium, quæ in hac collectione legitur.

Can. III. Totidem verbis nullibi, quod ſciam, reperitur: cenſet tamen Cl. Berardus haberi aliquid non abſimile, quamvis fuſioribus verbis expreſſum, in epiſtola 5. lib. 9. regeſti Epiſtolarum Gregorii VII. quæ ad Hugonem Dienſem data eſt.

Can. IV. Ab Ivone laudatur ſub nomine Auguſtini de Eccleſiaſticis rebus, ſeu dogmatibus; qui ſane liber quamvis non eſt Auguſtini, ſed Gennadii, interdum apud veteres Auguſtino adſcriptus legitur.

Can. V. Apud Ivonem inſcribitur Gregorius *Civibus Romanis*; ſed eſt Concilii Romani ſub Zacharia anno 743. celebrati. Ideo vero nomen Gregorii præferre cenſet Berardus, quod in eodem Concilio præcedentibus verbis Gregorius Magnus laudetur, ad quem proinde poſteriora hæc pariter referri veteres collectores cenſuerunt, inſcripſeruntque per compendium *Gregorius C. R.* nempe Concilium Romanum I. Nec movere nos debet hic verba omnia ita accommodari, ac ſi non a pluribus, ſed ab uno dicerentur, cum in Concilio verbo multitudinis Patres uſi ſint; leviuſcula enim mutatio pro uſu eſt Collectorum.

Can. VI. Sapit diſciplinam exeuntis ſæculi XI. vel ineuntis XII. ac reipſa Paſchali II. in collectione Deuſdedit inſcribitur, correctoribus Romanis teſtantibus.

Can. VII. Potiori jure Auguſtino, quam Gregorio tribueretur, cum perſæpe ſimiliter recurrant apud eundem, rarius vero in Gregorio.

Can. VIII. In collectione S. Anſelmi Lucenſis Alexandri II. nomine inſcribitur; ac reipſa diſciplina ejus ætatis melius congruit.

Can. IX. Sententiam Gregorii potius, quam fragmentum ex eo periclum exhibet.

Can. X. Eſt totidem verbis in lib. III. Sententiarum S. Iſidori Hiſpalenſis.

Can. XI. Referendus videtur ad illud Romanum Concilium, quod libertati Monachorum conſecraſſe Gregorius Magnus fertur; fertur, inquam, nam apud multos, Berardum præſertim, Concilii hujus auctoritas nutat. Verum quam ille ſuſpicionem promovet, ſapere ſcilicet hæc diſciplinam Sæculi XI. vel XII. inane eſſe commentum demonſtrant vetuſtiſſimi codices Floriacenſis, & Friſingenſis, apud quos decretum illud de libertatibus Monachorum ſub S. Gregorii nomine legitur. Ambo enim hi Codices ad ſæculum VIII. pertinent.

Can. XII. Cum XI. congruit.

Can. XIII. Exponit ſummatim ea quæ ex epiſtola Gregorii data Romano defenſori indict. 2. in cauſa 14. q. 6. Can. 3. ipſis Gregorii verbis latius exponuntur.

Can. XIV. Eſt totidem verbis in Capitular. lib. v. cap. 44.

Can. XV. Eſt in epiſtola Gregorii ad Marinianum lib. 8. epiſt. 9. quamvis nonnullis, ex more apud Collectores hujuſmodi ſolemni, immutatis.

Can. XVI. De hoc dicendum recurret inferius cum de epiſtola Gregorii ad Venerium agendum mihi erit.

Can. XVII. Ex commentariis Hilarii in epiſtolas Pauli ſub nomine S. Ambroſii vulgatis ad caput vii. 1. ad Corinthios depromptus eſt.

Can. XVIII. Diſciplinam, Berardo judice, recentiorem, quam ſit ætas Gregorii I. præfert. Cujnam debeatur, ignotam.

Can. XIX. Forte deſumptus eſt ex Capitular. Francorum lib. 6. cap. 315. vel lib. 7. cap. 201. ſed in ſenſum plane ab ea lege diverſum detortus eſt.

Can. XX. Ex Burchardo nomine Gregorii inſcriptus eſt, ſed a Gratiano 2. q. 7. can. 32. ex Auguſtino profertur.

Can. XXI. In Nicolai I. epiſtola ad Epiſcopos Regni Ludovici totidem verbis reperitur; quare Gregorii nomine male inſcribitur.

Can. XXII. In epiſtola Pſeudofelicis IV. recurrit, quamquam hoc nomine immerito a Gregorio Magno abjudicaretur, cum epiſtola iſta plerumque ex male conſertis aliorum Pontificum ſententiis contexta ſint.

Can. XXIII. A Romanis Correctoribus reperitur totidem verbis in Novel. 115. apud Julianum Anteceſſorem cap. 57. ſed & in hanc rem ſunt plurimæ inter epiſtolas Gregorii indict. 2. datas.

Can. XXXIV. Legitur in loco laudato Burchardi, nihil tamen ejuſmodi in Gregorio reperio, attamen res ipſa extat in Epiſtola Pſeudo-Clementis, cujus verba recitantur II. q. 3. Can. II.

Can. XXV. Hus, & ſequentes canones reperi in manuſcripto codice Lucenſi poſt codicem Canonum Burchardi. Num vero additamentis hiſce Gregorii nomen merito præmittatur; ambigere me profiteor. Sed multo vehementius dubito an ſingula hæc vel ſaltem aliqua Gregorio Magno tribuenda ſint, cum ne veſtigium quidem illorum occurrat in ſcriptis ejuſdem S. Doctoris. Prior tamen ille canon ſub num. xxv. productus aliquid habet adſine cum canone XIII. Concilii Romani ſub Gregorio II. ita enim ibi: *ſi quis in quamlibet partem præcepta ante emiſſa Apoſtolica Eccleſia de Olivetis, & locis diverſis temeraverit, & non in omnibus obſervaverit anathema ſit*. Forte præcepta hæc, quæ non immerito ab ipſo Gregorio edita cenſerentur, id continuerint, quod in hoc canone, a me primum vulgato, exprimitur.

Merito vero hic aliquid a me addendum eſt *de inſtitutionibus Gregorii*, ex quibus plura hic dantur. Nondum reperii, qui hunc librum, vel cui auctori tribuendum ſit, indicaverit; novi tamen fragmenta ex hoc quædam ſupereſſe in Decretalibus Gregorii V. Can. *Miniſterium de Officio Archipreſbyteri*; ubi tamen non ex Gregorio, ſed ex Leone recitantur. Ex qua varietate diſcimus opus illud eſſe incerti auctoris, & forte neque Leoni, neque Gregorio tribuendum, cum præſertim diſciplinam præferat non omnino cum ætate utriuſque Pontificis conſentientem. Utcumque res habeat ſeſe, cum nomen Gregorii in meo codice excerpta hæc præferant; ideo hunc ſibi locum merito vindicant.

Adjeci ex eiſdem additamentis epiſtolam integram inſcriptam: *Gregorius Venerio Calaris Epiſcopo*, ex qua excerptus eſt canon *porro de affinitate* 35. q. 5. & quidem tamquam ex Epiſtola Gregorii ad Venerium acceptus. Monachi S. Mauri in editione operum S. Gregorii de hoc fragmento judicium ferentes, adeo indignum tanto nomine judicarunt, ut inter dubia S. Gregorii adſcribere illud nequaquam ſuſtinuerint, adeoque & neglexerint. Judicium hoc ſuum ex eo petunt, quod ſtylo a ſinceris S. Gregorii abhorreat; quod Calaritanæ Sedi ætate S. Gregorii nullus Venerius præſederit. At ex ſtylo quidem certam ferre ſententiam neminem poſſe arbitror; neque enim ex brevi, & ejus generis epiſtola id elicere tutum eſt. Quod ajunt de Calaritanis tabulis majori etiam eſt ambiguitate obvolutum. In regeſto enim S. Gregorii lib. xi. Epiſt. xviii. legitur Epiſtola ejuſdem S. Gregorii *Venerio & Stephano Epiſcopis* data (ita enim inſcribitur apud illos, cum in vulgatis ſit tantum Venerio Epiſcopo) quibus gemina Paſtore ſuo viduatæ Eccleſiæ viſitatio committitur, alteri altera. Inter eas Eccleſias una eſt *Turritanenſis*, quæ profecto Metropolitæ Calaritano ſubjiciebatur; ex quo conjicere licet Calaritanæ Eccleſiæ Venerium quendam præfuiſſe, cujus curæ viſitatio Eccleſiæ ſuffraganeæ commiſſa fuerit. Non me equidem fugit Thurritanam etiam dici apud Veteres eccleſiam quandam in Calabria, quam hic in Epiſtola S. Gregorii deſignari viri plures docti ſuſpicantur. Verum cum nomine Turritanæ eccleſiæ Turritana in Sardinia plerumque veniat, conſentiatque S. Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, qui & in ſua collectione MS. canonem *porro de affinitate* ex epiſtola S. Gregorii ad Venerium Calaritanum Epiſcopum primus omnium produxit, conſentiat demum, & authoritas noſtri Codicis ſæculo ſaltem XII. ſcripti, valida hinc conjectura pro Venerio Calaritano efformatur. Utcumque tamen ſit epiſtolam ex ejus tantum fragmento a Gratiano dato huc uſque notam hic primum integram habent Eruditi.

Aliud eſt etiam in Ivone p. 9. cap. 38. & in Gratiano 35. q. 10. cap. *Fraternitatem*, fragmentum ſeu potius

rius integra Epiſtola *ad Venantium Calaritanum Epiſcopum* ... , in qua non diſſimile ſuperiori argumentum tractatur, eademque in regeſto fruſtra quærenda hic datur.

Can. XXXII. In quo ſedes certa jejuniorum quatuor temporum aſſignata eſt, ad Gregorium VII. referendus cum uſque ad eam ætatem incertam ſedem jejunia hæc haberent, uti probat Muratorius. Tom. II. pag. 962. in diſſert. de jejuniis quatuor temporum. Cap. VII.

Can. XXXIII. Extat pariter apud Gratianum quamvis ibi nequaquam notetur nomen ejus ad quem Epiſtola data eſt, & ex ſententia Pithœi ad Gregorium II. potius referendus eſt.

ANNO CHRISTI 590.

# [a] CONCILIUM HISPALENSE I.

## CIRCA TEMPORA GREGORII

### Papæ I. eſt provinciale.

Epiſtola epiſcoporum de concilio Hiſpalenſi ad Pegaſium epiſcopum miſſa.

### TITULI CAPITULORUM.

collatum nunc primo cum cod. Vatic. Palat. 575.

I. *De mancipiis eccleſiæ ab epiſcopo manumiſſis.*

II. *De mancipiis eccleſiæ ab epiſcopo* (a) *ſuis collatis.*

III. *De clericis cum quibus mulieres cohabitant.*

*Domino* (b) *ſancte & reverenter a nobis honorando cariſſimo fratri Pegaſio epiſcopo, Leander, Joannes, Agapius, Stephanus, Baſilius,* (c) *Velatius, Sintitius, & Petrus epiſcopi, qui in unum in urbe Hiſpalenſi adfuimus, ſanctitatem tuam caritatis ſtudio ſalutantes, precamur dominum qui nos de ſalute tua vel viſione lætificare dignetur.*

### CAPITULA.

### I.

Interea confidentibus nobis in eccleſia Hiſpalenſi ſancta Jeruſalem, brevem mancipiorum eccleſiæ, * quos libertaſſe viſus fuerat deceſſor tuus, ſanctæ recordationis Gaudentius epiſcopus, veſtri nobis diacones obtulerunt, & non C ſolum * quos liberaverat, ibidem relegimus, ſed etiam quos proximis ſuis de familiis eccleſiæ donaverat, * in eodem breve recenſuimus annotatos. Qua de re canonum inſtituta conſuluimus, ſi talis libertas aut tranſactio potuiſſet eſſe ſtabilis: comperimus autem in canone, ut epiſcopus qui res proprias, excepto filiis & nepotibus, alteris & non eccleſiæ ſuæ dimiſerit, quidquid de eccleſiæ rebus aut donavit aut vendidit, aut * D quoquo modo ab eccleſia tranſtulit, irritum haberetur. Et ideo, ſi res prædeceſſoris tui Gaudentii epiſcopi eccleſia veſtra non poſſidet, liberi qui ab eo facti ſunt, non ſunt * (d) abſoluti. Ceterum ſi res illius in compenſationem eccleſiæ veſtræ A deſerviunt, illi prorſus maneant liberi: nam ſi (ut dictum eſt) præſtitum de ſuis rebus non fecit eccleſiæ, damnum utique inferre non debuit. Propterea ergo de uno conſenſu omnes ſignificamus, magis humanius quam ſeverius cogitantes, ut hi, quos conſtat tali conditione fuiſſe * (e) libertos, in jure eccleſiæ maneant, ut idonei, & peculium ſuum non aliis perſonis, ſed tantum ſuis filiis derelinquant, ipſis quoque B filiis & nepotibus cum peculio ipſorum, quaſi idoneis, in jure eccleſiæ permanentibus, in extraneam eis perſonam non liceat quippiam * tranſmutare: ſed qui eorum ſine herede diſceſſerunt, peculium eorum * (f) veſtræ proficiat eccleſiæ.

* qua libertaſſe.
* quæ liberaverat.
* in eodem brevi invenimus annotata.
Concil. Agathenſi Can. 7. Sic ſupra concilio Bracarenſi III. Can. 7. pro exceptis & alibi.
* quod commodum.
* legitime abſoluti
* liberatos.
* tranſmittere.
* ſanctæ.

### II.

Ea vero mancipia quæ memoratus epiſcopus de jure eccleſiæ ſublata ſuis proximis contulit, ſi ſimilia de proprio ſuo eccleſiæ ipſius non compenſavit, eccleſia veſtra abſque * alia oppoſitione recipiat. Hanc formam non ſolum veſtra, hoc eſt, * Aſtigitana ſervabit eccleſia; ſed & ſi qui per omnem Bæticam provinciam tali conditione vel forte de jure eccleſiæ commearunt, pari ſententiæ ſubjacebunt: durum eſt enim atque irreligioſum ut epiſcopus, qui eccleſiaſticis ſtipendiis vivit, & proprietatem ſuam lucris eccleſiæ minime confert, aliorum oblationes a jure eccleſiaſtico privet.

* aliqua.
* al. Accitana, ſed Aſtigitana legendum: nam Pegaſius Aſtigitanus ſubſcribit in 3. Tol. n. 63.

### III.

Inter cetera vero cognoſcite a nobis hoc definitum pro abolendis maculis (a) cle-

Conc. Tol. 2. can. 3. & Tol. 4. cap. 41. de hac re ſcripſimus.

(a) Vatic. Palat. *proximis ſuis collatis.* (b) *Domino noſtro.* (c) *deeſt Velatius.* (d) *legitime abſoluti.* (e) *liberatos.* (f) *ſanctæ.*

(a) clericorum; quia quidam epiſcoporum non obſervantes nuper editum concilii Toletani decretum, minus ſoliciti in ſubjectis exiſtunt, proinde placuit ut ſi presbyteri, diacones, vel clerici conſortia extrancarum feminarum, vel ancillarum familiaritatem per ſacerdotis ſui admonitionem a ſe minus removerint, in ſecundis judices eaſdem mulieres cum voluntate & permiſſu epiſcopi comprehenſas in ſuis lucris uſurpent, ut vitium hoc, dum ſacerdos inhibere non prævalet, poteſtas judicialis coerceat: dato tamen ab iiſdem judicibus ſacramento epiſcopis, ut eas claricis nulla arte reſtituant. Quod ſi reſtituerint ipſi judices ſententia excommunicationis feriantur: *mulieres vero illæ juxta priores canones a ſacerdotibus (b) diſtractæ in monaſterio Deo votarum tradantur ſervituræ.

Tol. 3. c. 5. Tol 4 c. 42. Tol. 8. c. 5. Carthagin. 3. c. 17

* mulieribus vero illis juxta priores canones a ſacerdote diſtractis, pretium earum indigentibus diſpenſetur. Renenatus in 3 Tolet. num. 21.

Quæ ſtatuta manu noſtra ſubſcripſimus, data ad ſanctitatem veſtram die (c) primo Nonarum Novembrium, anno quinto regni glorioſiſſimi domini noſtri Reccaredi regis æra 628.

## SUBSCRIPTIONES.

Leander eccleſiæ ſanctæ Hiſpalenſis epiſcopus hanc conſtitutionem firmavi & ſubſcripſi.

Joannes epiſcopus *(d) Egabrenſis hanc conſtitutionem firmavi & ſubſcripſi.

* Agabrenſis.

Agapius eccleſiæ ſanctæ (e) Cordubenſis epiſcopus hanc conſtitutionem firmavi & ſubſcripſi.

Stephanus epiſcopus Eliberitanus hanc conſtitutionem firmavi & ſubſcripſi.

Baſilius epiſcopus * Eliplenſis hanc conſtitutionem ſignavi & ſubſcripſi.

* Iiipenſis.

Velatus epiſcopus Tuccitanus hanc conſtitutionem firmavi & ſubſcripſi.

Sintitius epiſcopus Italicenſis hanc conſtitutionem firmavi & ſubſcripſi.

Petrus epiſcopus Abderitanus hanc conſtitutionem firmavi & ſubſcripſi.

## FRAGMENTA QUÆ EX concilio Hiſpalenſi citantur.

### *Ex Concilio Hiſpalenſi.* Cap. 1.

Burch. lib. 1. cap. 113. Ivo part. 5. c. 115

NE paſſim epiſcopus multitudinem clericorum faciat, ſed ſecundum meritum vel reditum eccleſiarum numerus moderetur.

### *Ex Concilio Hiſpalenſi.* Cap. 2.

Burch. lib. 1. cap. 102. Ivo part 5. cap. 104.

Ut nullus epiſcopus, vel infra poſitus, die dominico cauſſas judicare præſumat. *

* Hadr. c. 44.

### *Ex concilio Hiſpalenſi.* Cap. 3.

Accuſationes adverſus doctorem nemo ſuſcipiat, quia non poteſt humano condamnari examine, quem Deus ſuo judicio reſervavit. *

Burch. lib. 1. cap. 166. Ivo part. 5. cap 166. * Hadr. c. 70.

### *Ex Concilio Hiſpalenſi.* Cap. 4.

Ut ſingulis annis quiſque epiſcopus parœciam ſuam circumeat, populumque confirmet ac doceat; & ea quæ vitanda ſunt prohibeat, & ea quæ agenda ſunt viriliter agere ſtudeat.

### *Ex eodem.* Cap. 5.

Quoniam multi epiſcoporum amore propinquorum ſuorum de rebus ſibi commendatis ſuo aut quolibet amicorum nomine prædia & mancipia emunt, & ut in propinquorum ſuorum jus cedant ſtatuunt; & ob hoc jura eccleſiaſtica convelluntur, & miniſterium ſacerdotale fuſcatur, imo a ſubditis detrahitur & contemnitur, placuit omnibus, ut deinceps avaritiæ hoc genus caveatur, fixumque abhinc & perpetuo manſurum eſſe decrevimus, ut epiſcopus res ſui juris, quas aut ante epiſcopatum, aut certe in epiſcopatu hereditaria ſucceſſione acquiſivit, ſecundum auctoritatem canonicam quidquid vult faciat, & cui vult conferat. Poſtquam autem epiſcopus factus eſt, quaſcumque res de facultatibus eccleſiæ aut ſuo aut alterius nomine qualibet conditione comparaverit, decrevimus ut non propinquorum ſuorum, ſed in eccleſiæ cui præeſt jura deveniant.

Burch lib. 1. c. 114 Ivo p. 5. c 318. Gratian. 12. q. 5. Fixum. Habes integrum hoc caput in Concil Pariſ. ſub Lud. Pio lib. 1. c. 14. unde potius eſſe judicandum eſt Vide capitul. V. 175.

### *Ex Concilio Hiſpalenſi.* Cap. 5.

Si quis epiſcopus a quoquam impetitur, vel ille aliquam quæſtionem retulerit, per epiſcopos judices cauſſa finiatur, ſive quos eis primates dederint, ſive quos ipſi vicinos ex conſenſu elegerint. *

Burch. lib. 1 cap. 141 Ivo part 5. cap. 258.

* Conc. Africanum c. 120. Burch. lib. 1. cap. 187.

### *Ex Concilio Hiſpalenſi.* Cap. 8.

Epiſcopum non liceat ante finem vitæ alium in loco ſuo conſtituere ſucceſſorem. Si quis autem hoc uſurpare tentaverit, talis conſtitutio irrita erit. Non ergo aliter fieri oportet, niſi cum conſilio & judicio epiſcoporum; qui poſt exitum præceſſoris poteſtatem habent dignum eligere.

### *Ex eodem Concilio Hiſpalenſi.* Cap. 9.

Judices autem epiſcopos, quos communis conſenſus elegerit, non liceat quemquam provocare, & quiſquis probatus fuerit pro contumacia nolle obtemperare judicibus, cum hoc primæ ſedis epiſcopo fuerit probatum, det literas ut nullus ei communicet epiſcoporum, donec obtemperet *.

Burch. l. 1. c 146. Ivo p. 5. c. 259.

* Conc. Afr. c. 122.

*Ex*

(a) *Clericorum oblationes quas quidam &c.* (b) *diſtracta pretium earum indigentibus diſpenſetur.*
(c) *pridie Nonarum* (d) *Agabrenſi.* (e) hujus & ſubſequentium ſedes deſunt in Vat. Palat.

*Ex Concilio Hiſpalenſi*. Cap. 10.

Burch. l. 1. cap 30. — * Arelatenſe 13. c. 19.

Si quis autem epiſcoporum ſynodo adeſſe neglexerit, aut cœtum fratrum antequam concilium diſſolvatur crediderit deferendum *, alienum ſe a fratrum communione cognoſcat, nec eum recipi liceat, niſi in ſequenti ſynodo fuerit abſolutus.

*Ex Concilio Hiſpalenſi*. Cap. 10.

Burch. l. 1. c. 213. Ivo p. 5. c. 317.

Ut epiſcopi in rebus eccleſiæ circa propinquos ſuos exponendis reprehenſionem caveant, & ut diſcretionis modum teneant.

*Ex Concilio Hiſpalenſi*.

Ivo p. 2. c. 179.

Ut unicuique eccleſiæ manſus integer abſque ullo ſervitio attribuatur. Omnes primitias & decimas, tam de pecoribus, quam de frugibus dives ſimul & pauper eccleſiis ſuis recte offerant. Dicit enim dominus per prophetam: *Apportate omnem decimam in horreo meo ut cibus ſit ſervientibus in domo mea*. (Malach. 3.) Omnis ruſticus & artifex quiſque de negotio juſtam decimationem faciat. Sicut enim dominus omnia dedit, ita de omnibus decimam exigit; ut de fructibus agri, ita de nutrimento omni; ut de apibus, ita de melle; ut de agnis, ita de A velleribus & caſeis; ut de porcellis, ita de capris de bubus & equis; ut de minoribus, ita de majoribus exigimus, & ceteris. Si quis autem hæc omnia non decimaverit, prædo Dei eſt, & fur, & latro, & maledicta quæ intulit dominus Cain non recte dividenti congerantur. De his vero omnibus nullus ſit qui de ſacerdotibus requirat cenſum, vel aliquod ſervitium, præter eccleſiaſticum.

NOTÆ BINII EX GARSIA.

B a *Concilium Hiſpalenſe*.) De Hiſpali, ſeu Spali, ut Gothi efferunt, Bæticæ provinciæ urbe clariſſima, habes apud Plinium, lib. 3. cap. 1. & Strabonem lib. 3. Ptolemæum lib. 2. cap. 4. Fuit hoc concilium congregatum anno quinto Reccaredi regis. Exiſtimo hoc concilium non extare integrum, ſed eſſe tantum epiſtolam ex concilio miſſam Pegaſio Aſtigitano epiſcopo; alia vero plura in concilio fuiſſe decreta quæ non extant.

b Leander, Agapius, Stephanus, Baſilius, Velatus ſubſcribunt in tertio concilio Toletano, Joannes, & Sintius, & Petrus poſt tertium Toletanum ſedibus præfecti ſunt.

*Ad Hiſpalenſem metropolim pertinent ex his*.

C

| | |
|---|---|
| Hiſpalis. | Elipla. |
| Egabro. | Tucci. |
| Corduba. | Italica. |
| Elibertis. | Abdera. |

Additur antiquæ partitioni Tucci, & Abdera, & deficiunt Aſidona Malaca, Aſtigis, *Hæc Garſias*.

# [a] CONCILIUM ROMANUM I.

## PRO UNIONE SCHISMATICORUM ANNO

## Domini DXC. ſub Gregorio celebratum.

Conſſa ſynodi. — Acta ſynodi.

a *Concilium*.) Hæc ſynodus congregata eſt Romæ ad petitionem Mauritii Auguſti: ſcripſerat enim ad Gregorium Romanum pontificem, ut auctoritate ſua omnes ſchiſmaticos Romam ad ſynodum convocaret, ut ſynodali decreto iis, quæ ab ipſis revocata ſunt in dubium, amotis, perfecta eccleſiæ unitas ſanciretur. Addidit ut nolentes venire ſedibus ſuis ejicerentur. Acquievit petitioni imperatoris pontifex. Citatus eſt Severus Aquileienſis cum reliquis ſchiſmaticis epiſcopis. Recuſans accedere, juſto Dei judicio ab hoſtibus Aquileia accenſa, ſede privatus eſt, factuſque profugus D ad ſummam inopiam deductus fuit. Hujus ſynodi meminit Gregorius epiſt. 16. lib. 1. ad Severum Aquilejenſem epiſcopum ſcribens, his verbis: *Pro qua re imminente latore præſentium, juxta Chriſtianiſſimi & sereniſſimi domini juſſionem ad B. Petri Apoſtoli limina cum tuis ſequacibus venire te volumus, ut auctore Deo aggregata ſynodo de ea qua inter vos vertitur dubietate quod juſtum fuerit judicetur*, &c. Baronius anno 590. n. 28. Hoc fortaſſe concilio accidit quod de Stephani cujuſdam ſchiſmatici converſione ad eccleſiam refert Gregorius epiſtola 14. lib. 1.

# CONCILIUM IN CONFINIO

## TRIUM CIVITATUM

Adverſus Tetradiam, quæ Eulalii comitis uxor fuerat, celebratum anno Chriſti DCX. Gregorii Magni Papæ I. Childeberti regis XV. Clotarii junioris VI.

Ex editione Sirmondi.

*Tetradia Eulalii comitis Arverni uxor, cum ab eo inhumanius tractaretur, clam ad Deſiderium ducem cum rebus Eulalii, quas auferre poterat, ſe contulit, atque eidem poſtea, uxore* E *ipſius mortua, nupſit. Eulalius poſt Deſiderii obitum res ſuas a Tetradia repetiit: quas illa ex ſynodi hujus ſententia in quadruplum reſtituere coacta eſt. Gregorius Turon. lib. 10. hiſt. c. 8.*

In confinio, *inquit*, termini Arverni, Gabalitani, atque Ruteni, ſynodus epiſcoporum facta eſt contra Tetradiam relictam quondam Deſiderii, eo quod repeteret ab ea Eulalius comes res quas ab eo fugiens ſecum tuliſſet. *Et poſt alia*. Igitur conjunctis, ut diximus, ſacerdotibus & viris magnificis in confinio ſupradictarum urbium, Tetradia ab Aginno repræſentatur, atque Eulalius contra eam cauſſaturus acceſſit. Cumque res, quas de ejus abiens ad Deſiderium domo abſtulerat, inquireret, judicatum eſt Tetradia ut quadrupla ſatisfactione ablata reſtitueret; filioſque, quos de Deſiderio conceperat, incertos haberi. Illud inſuper ordinantes, ut ſi hæc quæ Eulalio eſt juſſa diſſolveret, accedendi in Arvernum licentia præberetur, rebuſque ſuis quæ ei ex paterna ſucceſſione obvenerant abſque calumnia frueretur. Quod ita factum eſt.

# CONCILIUM PICTAVENSE.

## IN QUO MONASTERII PICTAVENSIS CAUSSA

### Inter Chrodieldem & abbatiſſam, ab utriuſque regni epiſcopis diſcuſſa & judicata eſt, anno Chriſti DXC. Guntramni regis XXIX. Childeberti XV.

*Cum eo tandem prorupiſſet Chrodieldis audacia, ut occupato nocte per emiſſarios ſuos monaſterio, vi abbatiſſam inde abduceret; ex quo dira mox ſecuta ſeditio cædibus ac ſtragibus urbem fœdabat: re ad principes delata, convenit inter eos, ut delecti ex utroque regno antiſtites mitterentur, qui de omnibus eccleſiaſtico more cognoſcerent: Macconi etiam comiti mandatum, ut ſeditionem ſi qui reſiſterent vi opprimeret. Synodus ergo in baſilica ſancti Hilarii habita eſt. Quid in ea geſtum ſit declarat ſynodica epiſcoporum ad reges, quæ apud Gregorium Turonenſem libro 10. capite 16. legitur his verbis:*

Judicium epiſcoporum qui Pictavis convenerant contra Chrodieldem & Baſinam ac ſocias latum ad Guntramnum & Childebertum reges.

*Domnis glorioſiſſimis regibus epiſcopi qui adfuerunt.*

Gregor. lib. 10. cap. 16.

PRopitia divinitate piis atque catholicis populo datis principibus, quibus conceſſa eſt regio, rectiſſime ſuas cauſſas patefacit religio, intelligens ſacroſancto participante Spiritu, eorum qui dominantur ſe ſociari & conſtabiliri decreto. Et quia ex juſſione poteſtatis veſtræ cum ad Pictavam civitatem pro conditionibus monaſterii ſanctæ recordationis Radegundis convenimus, ut altercationes inter abbatiſſam ejuſdem monaſterii & monachas, quæ de ipſo grege non ſalubri deliberatione progreſſæ ſunt, ipſis diſceptantibus agnoſcere deberemus, evocatis partibus, interrogata Chrodieldis & Baſina, quare tam audacter contra ſuam regulam foribus monaſterii confractis diſceſſerant, & hac occaſione congregatio adunata diſciſſa ſit, quæ reſpondentes profeſſæ ſunt famis, nuditatis, inſuper & cædis ſe jam non ferre periculum; adjicientes etiam, eo quod diverſi earum in balneo lavarentur incongrue, ad tabulam ipſas luſerit, atque ſæculares cum abbatiſſa reficerent, etiam & ſponſalia in monaſterio facta ſint, de palla holoſerica veſtimenta neptis ſuæ temerarie fecerit; foliola aurea, quæ fuerant in gyro pallæ, inconſulte ſuſtulerit, & ad collum neptis ſuæ facinoroſe ſuſpenderit; vittam de auro exornatam eidem nepti ſuæ ſuperflue fecerit; barbatorias intus eo quod celebraverit. Interrogantes abbatiſſam quid ad hæc reſponderet, dixit: De fame quod conqueruntur, ſecundum quod temporis penuria permitteret, nunquam ipſæ nimiam egeſtatem pertulerunt. De veſtimento vero dixit: Si quis earum arcellulas ſcrutaretur, amplius eas habere, quam neceſſitas indigeret. De balneo vero quod opponeretur, retulit hoc factum diebus quadrageſimæ: & pro calcis amaritudine, ne lavantibus noceret novitas ipſius fabricæ, juſſiſſe domnam Radegundem, ut ſervientes monaſterii publice hoc viſitarent, donec omnis odor nocendi diſcederet: quod per quadrageſimam uſque ad pentecoſtem in uſu famulis fuerit. Ad hæc Chrodieldis reſpondit: Et poſtea ſimiliter multi per tempora laverunt. Retulit abbatiſſa, ſe nec probare quod dicerent, & ſe neſcire an factum ſit. Sed adhuc inculpans eaſdem, quod ſi ipſæ vidiſſent, cur abbatiſſæ non proderent. De tabula vero reſpondit: Etſi luſiſſet vivente domna Radegunde, ſe minus culpa reſpiceret: tamen nec in regula per ſcripturam prohiberi, nec in canonibus retulit: ſed ad juſſionem epiſcoporum repromiſit cervice ſe inflexa per pœnitentiam quidquid juberetur implere. De conviviis etiam ait ſe nullam novam feciſſe conſuetudinem, niſi, ſicut actum eſt ſub domna Radegunde, ſe Chriſtianis fidelibus eulogias obtuliſſe, nec ſibi comprobari cum illis ullatenus conviváſſe. De ſponſalibus quoque ait, coram pontifice, clero, vel ſenioribus, pro nepte ſua orphanula arrhas accepiſſe: & tamen ſi hæc culpa ſit, veniam ſe coram cunctis petere profeſſa eſt, & tamen nec tunc convivium in monaſterio fecerit. De palla quod reputarent, protulit monacham nobilem, quæ ei maſortem holoſericum, quem de parentibus detulit, muneris cauſſa conceſſerit, & inde partem abſcidiſſet, unde quod vellet & faceret; de reliquo vero quantum opportunum fuit ad ornatum altaris, pallam condigne condiderit, & de illa inſciſſura, quæ pallæ ſuperfuit, purpuram nepti ſuæ in tunica poſuerit, quam ibi dediſſe dixit, quo monaſterio profuit: quæ omnia donatrix Didinia confirmavit. De foliolis aureis, & vitta auro exornata. Macconem famulum veſtrum præſentem teſtem adhibuit, eo quod per manum ejus

ejus a ſponſo puellæ prædictæ neptis ſuæ viginti ſolidos accepit, unde hoc publice ſecerit, nec de re monaſterii quidquam ibi permixtum ſit. Interrogata Chrodieldis cum Baſina, ſi forſitan aliquid abbatiſſæ, quod abſit, adulterii reputarent, ſive quid homicidii vel maleficii fecerit, aut crimen capitale quo percuteretur, edicerent; reſpondentes protulerunt: Non habere ſe aliquid niſi per hæc quæ dixerant eam iſta feciſſe contra regulam proclamarent. Ad extremum pro peccatis, quia clauſtra diſrupta ſunt, & miſeris licuit ſine diſciplina abbatiſſæ ſuæ quod vellent committere per tot menſium ſpatia, quas credebamus innocentes, monachas nobis protulerunt prægnantes. Quibus per ordinem diſcuſſis, nec invento crimine quod abbatiſſam dejiceret, de levioribus cauſſis paterna commonitione conteſtati ſumus, ut hæc nullatenus deinceps pro reprehenſione repeteret. Tunc nobis percunctantibus cauſſam adverſæ partis, quæ majora crimina commiſerunt, id eſt quæ prædicationem ſui ſacerdotis intra monaſterium, ne foras procederent, deſpexerunt, pontifice conculcato, & in ſummo contemptu in monaſterio relicto, confractis ſeris & januis irrito facto diſceſſerunt, & ad ſuum peccatum aliæ tractæ tranſgreſſæ ſunt. Inſuper & Gundegiſilus pontifex cum ſuis provincialibus pro ipſa cauſſa commonitus per præceptionem regum Pictavos acceſſiſſet, & ad audientiam eas ad monaſterium convocarent, deſpecta commonitione, ipſis occurrentibus ad B. Hilarii confeſſoris baſilicam, ubi ipſæ commorabantur accedentes, ut condecet paſtorum ſolicitudinem dum commonerentur, facta ſeditione fuſtibus tam pontifices quam miniſtros affecerunt, & intra baſilicam fuderunt ſanguinem Levitarum. Dehinc ex juſſione domnorum principum cum vir venerabilis Teutharius presbyter in cauſſa directus fuerat, & ſtatutum fuiſſet quando judicium fieret, non expectato tempore, monaſterium ſeditioſiſſime accenſis in corte cuppis, vectibus ac ſecuribus confractis poſticis, igne accenſo, intra ſepta cæſis & vulneratis monachabus, in ipſis oratoriis ſpoliato monaſterio, denudata & diſciſſa capillis abbatiſſa, graviter ad ridiculum ducta & tracta per compita, & in locum retruſa, etſi non ligata, nec libera; ſuperveniente die paſchæ feſto per ſæculum, offerente pontifice pro condemnata pretium, ut ſpectaret vel baptiſmum, nec ulla ſuaſione hoc impetraſſet vox ſupplicum: atque reſpondente Chrodielde, eo quod tale facinus nec ſciſſent, nec juſſerint; adhuc Chrodielde aſſerente ad interſignium ſuum, ne a ſuis interficeretur, obtentum ſit: unde certum eſt tractari quid ex hoc datur intelligi, quod additur crudelitati, ad ſepulcrum beatæ Radegundis fugientem ſervum monaſterii ſui occiderent, & creſcente ſcelere nihil petendo ſanaverint; ſed per ſe poſt intrantes monaſterium ceperint, & ad domnorum juſſionem, ut ſeditioſos illos in publico repræſentarent, nolentes acquieſcere, & contra regum præcepta magis arma tenerent, & de ſagittis vel lanceis contra comitem & plebem indignanter erigerent. Hinc denuo egreſſæ ad audientiam publicam, extrahunt crucem ſanctam ſacratiſſimamque occulte & ad injuriam, indecenter ad culpam, quæ poſtea reſtituere coactæ ſunt in eccleſia. Quibus tot capitalibus agnitis facinoribus, nec refrenatis, ſed jugiter magis auctis criminibus, nobis eiſdem dicentibus, abbatiſſæ pro culpa veniam peterent, aut quod male direptum fuerat emendarent: & nolentes hoc facere, ſed magis de ejus interfectione tractarent, quod publice ſunt profeſſæ, reſeratis a nobis & recenſitis canonibus viſum eſt æquiſſimum, eas, uſquequo dignam agerent pœnitentiam, a communione privari, & abbatiſſam ſuo loco permanſuram reſtitui. Hæc nos pro veſtra juſſione, quod ad eccleſiaſticum pertinet ordinem, circumſpectis canonibus abſque perſonarum aliqua acceptione ſuggerimus peregiſſe. De cetero quod de rebus monaſterii, vel inſtrumentis cartharum domnorum regum parentum veſtrorum de loco ſubreptum eſt, quæ ſe habere profeſſæ ſunt, ſed nobis inobedientes nullatenus erunt voluntariæ redditure, qualiter veſtra vel anteriorum merces æterna permaneat, ad loci inſtaurationem, veſtræ pietatis atque poteſtatis eſt auctoritate regia cogere reformari. Neque ipſas ad locum, quem tam impie ac profaniſſime deſtruxerunt, ne pejora proveniant, vel redire concedite, vel permittatis iterum aſpirare: quatenus his in integrum præſtante domino reſtitutis, ſub catholicis regibus totum acquiratur Deo, nihil perdat religio: ut ſtatus conſervatus tam patrum quam canonum nobis proficiat ad cultum, vobis propagetur ad fructum. Chriſtus vos dominus alat regatque, regnum tribuens prolixius, vitamque conferat beatam.

## Nota Jacobi Sirmondi, S. J.

1. *Concilium Pictavenſe* ) Sex omnino judices epiſcopi videntur in hoc concilio ſediſſe, tres e regno Childeberti, Ebregiſilus Agrippinenſis, Gregorius Turonenſis, & Maroveus Pictavienſis: totidem e regno Guntramni, Gundegiſilus Burdegalenſis, Nicaſius Engoliſmenſis, & Saffarius Petrocoricus. Etſi enim Gregorius Turonenſis libro decimo capite decimoquinto, cum de judicibus a Guntramno delectis agit, nec eorum numerum indicat, & unius tantum Gundegiſili nomen exprimit, quem cum provincialibus ſuis miſſum ait; veriſimile eſt tamen, ut numero cum Childeberti epiſcopis convenirent, plures tribus deſignatos non fuiſſe, & hos potiſſimum miſſos, qui de hac cauſſa proximo ante anno jam cognorant.

## Nota Severini Binii.

a *Concilium* ) Duæ Francorum regum filiæ, Chrodieldis filia Chariberti regis & Baſina Chilperici filia, ſub ſancta Radegunde virginitatem & monaſtica inſtituta ſub regula ſancti Cæſarii Arelatenſis epiſcopi profeſſæ, poſt obitum prædictæ Radegundis extra clauſtra eruperant, tractiſque quadraginta & amplius virginibus, reges Francorum adiverant, conquerentes quod ab abbatiſſa male tractarentur. Sed cum apud reges nihil profeciſſent, Pictavos regreſſæ, cum armato ſatellitio nefariorum & perditorum hominum baſilicam ſancti Hilarii invaſerunt, indeque ſceleſtiſſimos homines ad invadendum monaſterium, & alligandam vinculis abbatiſſam miſerunt. Qua de cauſſa cum duplici ſynodali ſententia, quam Ebregiſilus Agrippinenſis epiſcopus præſentia ſua, ut teſtatur Greg. Turonenſis lib. 19. cap. 15. confirmavit, excommunicatæ fuiſſent, rurſum per ſuos armatos monaſterium invaſerunt, cæſiſque & ſignatis pluribus epiſcopis, monachos plures occiderunt, atque abbatiſſam plane denudatam a monaſterio ſuo abſtraxerunt. Quæ cum Childebertus rex audiviſſet, legationem miſit ad regem Guntramnum; ut ſcilicet epiſcopi ex utroque regno conjuncti hæc quæ gerebantur canonica ſanctione emendarent. Macconi comiti datum eſt negotium ut ſeditionem comprimeret; quod nonniſi per multas factioſorum cædes fieri potuit. Conſtituto demum judicio abbatiſſa de levibus rebus confeſſa, gravioribus non probatis abſolvitur, & monaſterio reſtituitur. Chrodieldis ejuſque conſortium flagitiis & ſceleribus comprobatis omnes communione privatæ fuerunt, uſquequo condignam pœnitentiam agerent. Hæc ex Gregorii Turonenſis hiſt. Franc. lib. 9. & 10.

Cauſſa concilii quæ.

Acta concilii

CON-

# CONCILIUM METENSE,

## IN QUO ÆGIDIUS RHEMORUM EPISCOPUS

Ob crimen majeſtatis, obtenta vita, epiſcopatus gradu dejectus eſt; Chrodieldis & Baſina in communionem receptæ, anno Chriſti DXC. Gregorii magni papæ I. Chilperici Francorum in Auſtraſia regis XV.

Ex P. Sirmondo.

E*Tſi de Ravingi & ſociorum conjuratione, cujus parsicept Ægidius epiſcopus ferebatur veniam is a Childeberto rege impetrarat, ut Gregorius Turonenſis ſcribit libro nono capite decimoquarto, & compoſita jam ac ſopita contentio videbatur, tamen cum ejus criminis hoc anno memoria Sunnigiſilo in tormentis prodente recruduiſſet; atque aliis etiam nominibus regi ſuſpectus & exoſus eſſet Ægidius, convocata in eam rem ſynodi examen judiciumque ſubire coactus eſt: cujus progreſſum exitumque Gregorius idem his verbis enarrat libro decimo, capite decimonono:* Sunnigiſilus in tormentis diverſa ſcelera ſe admiſiſſe confeſſus eſt. Inter quas confeſſiones addidit etiam Ægidium Rhemenſem epiſcopum ſocium fuiſſe in illo Ravingi, Urſionis, ac Berthefredi conſilio ad interficiendum Childebertum regem. Nec mora, tenetur epiſcopus, & ad Metenſem urbem cum eſſet valde ab ægrotatione longinqua defeſſus, adducitur; ibique ſub cuſtodia degens, rex epiſcopus acceſſiri ad ejus examinationem præcepit; ſcilicet ut initio menſis octavi apud Viridunenſem urbem adeſſe deberent. Tunc ab aliis ſacerdotibus increpatus, cur hominem abſque audientia ab urbe rapi, & in cuſtodiam retrudi præcepiſſet; permiſit eum ad urbem ſuam redire, dirigens epiſtolas, ut ſupra diximus, ad omnes regni ſui pontifices, ut medio menſe nono ad diſcutiendum in urbe ſupradicta adeſſe deberent. Erant autem pluviæ validæ atque immenſæ, rigor intolerabilis, diſſolutæ luto viæ, amnes litora excedentes; ſed præceptioni regiæ obſiſtere nequiverunt. Denique convenientes pertracti ſunt uſque Metenſem urbem; ibique & præfatus Ægidius adſuit. Tunc rex inimicum eum ſibi, regioniſque proditorem denuntians, Ennodium ex Duce ad negotium delegit proſequendum. Cujus propoſitio prima hæc fuit: Dic mihi, o epiſcope, quid tibi viſum fuit, ut relicto rege, in cujus urbe epiſcopatus honore fruebaris, Chilperici regis amicitiis ſubdereris, qui ſemper inimicus domino noſtro regi fuiſſe probatur? qui patrem ejus interfecit, matrem exilio condemnavit, regnumque pervaſit, & in iis urbibus quas, ut diximus, iniquo pervaſionis ordine ſuo dominio ſubjugavit, tu ab eodem poſſeſſionem fiſcalium prædia meruiſti. Ad hæc ille reſpondit: Quod fuerim amicus Chilperici regis negare non potero; non tamen contra utilitatem regis Childeberti hæc amicitia pullulavit. Villas vero quas memoras per iſtius regis chartas emerui. Tunc proferente eaſdem in publico, negat rex ſe largitum fuiſſe; requiſituſque Otho, qui tunc referendarius fuerat, cujus ibi ſubſcriptio meditata tenebatur adſuit, negat ſe ſubſcripſiſſe. Conficta enim erat manus ejus in hujus præceptionis ſcripto. In hac igitur cauſſa primum epiſcopus fallax repertus eſt.

Poſt hæc epiſtolæ prolatæ ſunt, in quibus multa de improperiis Brunichildis tenebantur, quæ ad Chilpericum ſcriptæ fuerant. Similiter & Chilperici ad epiſcopum delatæ, in quibus inter reliqua habebatur inſertum: Quia ſi radix cujuslibet rei inciſa non fuerit, culmus qui in terris eſt editus non areſcet. Unde prorſus manifeſtum eſt, ideo hæc ſcripta, ut ſuperata Brunichilde filius ejus opprimeretur. Negavit ſe epiſcopus has epiſtolas vel miſiſſe ſuo nomine, vel ſuſcepiſſe a reſcripto Chilperici. Sed puer ejus familiaris adſuit, qui hæc notarum titulis per tomos chartarum comprehenſa tenebat. Unde non dubium fuit reſidentibus hæc ab eodem directa. Deinde prolatæ ſunt pactiones, quaſi ex nomine Childeberti ac Chilperici regis, in quibus tenebatur inſertum, ut ejecto Guntramno rege, hi duo reges inter ſe ejus regnum urbeſque dividerent. Sed negavit hæc rex cum ſuo facta conſilio, dicens, quia tu commiſiſti patruos meos, ut inter illos bellum civile conſurgeret. Unde factum eſt, ut commotus exercitus Bituricas urbem pagumque Stampenſem, Miliodunenſe caſtrum attererent atque depopularentur: in quo bello multi perempti ſunt, quorum ut puto animæ erunt Dei judicio de tuis manibus requirendæ. Hæc epiſcopus negare non potuit. Scripta enim iſta in regeſto Chil‚ perici regis in uno ſcriniorum pariter ſunt reperta; ac tunc ad eum pervenerunt, quando interempto Chilperico theſauri ejus de Calenſi Pariſiacæ urbis villa ablati ad eumdem delati ſunt. Cumque de hujuſmodi cauſſis altercatio diutius traheretur, adſuit & abbas Epiphanius baſilicæ ſancti Remigii, dicens quod duo millia ſolidorum, ſpecieſque multas pro conſervanda regis Chilperici amicitia accepiſſet. Adſtiteruntque etiam & legati qui cum eodem ad memoratum regem fuerant, dicentes: Quia nobis relictis ſolus cum eodem diutius collocutus eſt, de quibus verbis nihil intelleximus, niſi ſupradicti excidii proſecutionem in poſterum coguoſcentes. Hæc eo negante, abbas qui fuerat ſemper in his conſiliorum arcanis particeps locum hominemque denominat, ubi & cui aureos quos diximus detuliſſet, & qualiter de excidio regionis ac regis Guntramni conventum fuerat, ut geſtum eſt, ex ordine denarravit. Quæ & ille convictus deinceps eſt confeſſus. Hæc audientes epiſcopi qui evocati fuerant, & in tantis malis ſacerdotem domini contuentes fuiſſe ſatellitem, ſuſpirantes de iis triduani temporis ſpatium deprecantur tractandi. ſcilicet ut forſitan reſipiſcens Ægidius ullum modum reperire poſ-

ſet,

ſet, per quem ſe ab his noxiis quæ ei objiciebantur excuſare valeret. Sed illuceſcente die tertia convenientes in eccleſiam interrogant epiſcopum, ſi aliquid excuſationis haberet edicere. At ille confuſus ait: Ad ſententiam dandam ſuper culpabilem ne moremini. Nam ego novi me ob crimen majeſtatis reum eſſe mortis, qui ſemper contra utilitatem hujus regis matriſque ejus abii; ac per meum conſilium multa fuiſſe geſta certamina quibus nonnulla Galliarum loca depopulata ſunt. Hæc epiſcopi audientes, ac lamentantes fratris opprobrium, obtenta vita, ipſum ab ordine ſacerdotali lectis canonum ſanctionibus removerunt. Qui ſtatim ad Argentoratenſem urbem, quam nunc Strataburgum vocant, deductus, exilio condemnatus eſt. In cujus locum Romulfus filius Lupi ducis, jam presbyterii honore præditus, epiſcopus ſubrogatus eſt; Epiphanio abbatis officio, qui baſilicæ S. Remigii præerat, remoto. Multa enim auri argentique in hujus epiſcopi regeſto pondera reperta. Quæ autem de illa iniquitatis militia erant, regalibus theſauris ſunt illata, quæ autem de tributis, aut reliqua ratione eccleſiæ inventa ſunt, inibi relicta.

In hac ſynodo Baſina Chilperici regis filia, quam ſupra cum Chrodielde a communione remotam diximus, coram epiſcopis ſolo proſtrata veniam petiit, promittens ſe cum caritate abbatiſſæ monaſterium ingredi, ac de regula nihil tranſcendere. Chrodieldis autem obteſtata eſt, quod Leobovera abbatiſſa in hoc monaſterio commorante ibidem nuſquam ingrederetur. Sed utriſque rex veniam impertiri deprecatus eſt: & ſic in communionem receptæ Pictavos regredi juſſæ ſunt: ſcilicet ut Baſina in monaſterium, ut præfati ſumus, regrederetur, Chrodieldis vero in villa, quæ quondam Vvaddonis ſuperius memorati fuerat, ſibi a rege conceſſa reſideret.

### NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Concilium Metenſe* ) Eodem anno quo Pictavenſe, ſed aliquanto poſt, menſe Majo, ut ex Gregorii conſtet narratione, celebratum.

### NOTA SEVERINI BINII.

a *Concilium.* ) In hac Synodo, quæ Metis in Gallia habita fuit, redigitur in ordinem Ægidius Rhemenſis epiſcopus, de crimine læſæ majeſtatis convictus. Rei geſtæ ſeriem habet Gregorius Turonenſis lib. 10. cap. 20. ubi in fine hæc ſubjungit: *In hac Synodo Baſina Chilperici regis filia, quam ſupra Chrodielde a communione remotam diximus, coram epiſcopis proſtrata veniam petiit, promittens ſe cum caritate abbatiſſæ monaſterium ingredi, ac de regula nihil tranſcendere, & cætera.* Ob crimen læſæ majeſtatis Ægidius Rhemenſis epiſcopus deponitur.

ANNO CHRISTI Incerto.

## SYNODUS MENESBRENSIS IN BRITANNIA MINORI,

### In qua Comes Comorrus excommunicatur.

H*Ujus Synodi meminit Auctor vitæ S. Hervæi Abbatis apud Bollandianos tom.* 3. *Junii die* 16. *pag.* 370. *cap.* 3. *ubi narrato Comitem Comorrum necaſſe S. Triphinam cum filio S. Tremorio uxorem, quam gravidam ſuſpicabatur, ſubditur*: Omnes Britanniæ Epiſcopi convenerunt ad crimen puniendum & membrum tam putridum ab Eccleſiæ corpore reſcindendum. Synodus iſta habita fuit in monte appellato Menesbre prope l' Ourgart ( *Forte Lovegra* ) Belleiſe & Guengamp. Non enim audebant convenire in urbem aliquam timore hujus tyranni, qui occiſo rege Johava filium ejus Jugduvalum exulare cogebat; ita pro libitu toto reguo dominabatur. Epiſcopus Leonenſis ad Synodum ipſam aſcendens jubet S. Hervæum venire ſecum: hanc ob cauſſam non potuit tam cito adeſſe: nam S. Hervæus, ut erat cæcus, & nudipes incedebat, non poterat alios eundo ſubſequi. Cum ad ſynodum perveniſſet, ex præſentibus quidam audita cauſſa, ob quam ſerius adeſſet epiſcopus Leonenſis &c. *Et præter miraculum in ea Synodo a S. Hervæo patratum nihil aliud nobis innoteſcit. Argentræus lib.* 2. *cap.* 2. *hujus Comorri ſcelera, mortem Johavæ,* ( *quem ipſe vocat* Jonam. *Albertus le Grand* Jovam, ) *ejuſque filii fugam narrat, additque Comorrum ab Epiſcopis Britanniæ fuiſſe excommunicatum, nihil tamen de parricidio habens, ut notavit Franciſcus Baertius hujus Abbatis vitam illuſtrans. Tempus, quo hæc Synodus celebrata, non liquet. S. Paulus primus Leonenſis epiſcopus a Sammarthanis obiiſſe dicitur circa ann.* 606. *a Bollandianis vero circa an.* 573.

ANNO CHRISTI 591.

## PSEUDO-SYNODUS ISTRIENSIS, SEU VENETA, ET GRADENSIS,

### In Cauſſa Trium Capitulorum a Schiſmaticis Epiſcopis celebrata.

Ex Noriſii Diſſert. de V. Synodo.

D. *Gregorius Magnus ſui pontificatus initio* A *Severum Epiſcopum Aquilejenſem datæ fidei prævaricatorem* ( *Ravennæ enim tribus capitulis damnatis coram Joanne Archiepiſcopo ad eccleſiam Romanam acceſſerat* ) *Romam una cum cæteris epiſcopis ſchiſmaticis evocavit datis litteris menſe Decembri an.* 590. *quæ ſupra in ejus regeſti lib.* 1. *ep.* 16. *leguntur. Severus his acceptis illico literas ad collegas dedit, conſilium & opem implorans, qui cito citius Synodum coegerunt*

*rant in commune conſulturi. Hac autem illis ſententia ſtetit, ne ullus Romam ad Synodum proficiſceretur: interim litteras ad Mauritium Imperatorem miſere, queis facti rationem reddebant; & Severo diſtrictim per litteras injunxere, ne quid novi in cauſſa ſine communi provincialium conſilio deliberaret, ut ipſimet Schiſmatici teſtantur in præfatis ad Mauritium Imp. litteris; ex quibus pariter Pſeudo Synodum celebratam colligitur. ajunt enim Schiſmatici:* Ergo, mitiſſime dominator, totius concilii noſtræ parvitatis hæc eſt deliberatio, ſicut & eidem patri, & Archiepiſcopo noſtro (*nempe Severo*) ſcripſimus &c. *Hinc etiam intelligimus Severum huic conventiculo non interfuiſſe, ſicuti nec quemquam alium ex Iſtria epiſcopum: horum enim urbes maritimæ in Imperatoris poteſtate perſeverabant, & Langobardi ægre ferebant, ſuarum urbium epiſcopos cum iis, qui Imperatori ſubjectas urbes regebant, convenire. Supplicem libellum Schiſmaticorum ad Imperatorem poſt Baronium edidit Harduinus ex Jacobi Sirmondi apographo in tom. 3 Concil. & talis eſt.*

## SUGGESTIO EPISCOPORUM ISTRIÆ,

*Qui pro tribus capitulis ab eccleſia Romana diſſidebant ad Mauritium Imp.*

Suggerendum domino noſtro clementiſſimo ac piiſſimo domino Mauritio Tiberio; humiles Venetiarum vel ſecundæ Retiæ, Ingenuinus, Maxentius, Agnellus, Fontejus, Laurentius, Agnellus, Felix, Auguſtus, Junior, & Horontius epiſcopi.

Pietatis veſtræ eſt, clementiſſime dominator, preces humilium ſacerdotum imperiali dignatione ſuſcipere: quod etiam ſupplices deprecamur per Dominum Deum noſtrum Jeſum Chriſtum Salvatorem omnium, per fidem catholicam, & regnum quod meruiſtis a Deo conceſſum, atque ſalutem dominorum filiorum veſtrorum, cum quibus perpetuum imperium Deo gubernante permanet; ut aditum inveniat ſupplicatio noſtra apud pias aures veſtras, & cum fiducia recurrentes ad principalia remedia, mereamur quæ petimus impetrare. Nam etſi nos peccata noſtra ad tempus graviſſimo jugo gentium ſummiſerunt, auxiliante nobis Domino, nullo pondere preſſurarum ab integritate catholicæ fidei invenimur ullo modo titubare. Deinde nec obliti ſumus ſanctam rempublicam veſtram, ſub qua olim quieti viximus, & adjuvante Domino, redire totis viribus feſtinamus. Suggerimus etenim, domine piiſſime princeps, ſcandalum eccleſiæ, quod tempore divæ memoriæ Juſtiniani principis totius mundi eccleſias conturbavit, noſtrarum quoque provinciarum partibus ex tunc jam eſſe compertum, damnationem ſcilicet trium capitulorum, id eſt, epiſtolæ venerabilis Ibæ epiſcopi Edeſſenæ civitatis, perſonæ quoque Theodori Mopſueſtiæ epiſcopi, atque ſcriptorum Theodoriti epiſcopi Cyri, quæ in ſancta ſynodo Chalcedonenſi recepta ſunt: & Vigilio tunc Romano Præſuli, atque omnibus pene ſacerdotibus damnatio ipſa, ſicut revera contraria ſancti Chalcedonenſis concilii, exſecrabilis noſcitur extitiſſe. Qui etiam Vigilius ſcripta ſua per omnes provincias mittens, anathematis vinculis omnem populum obligavit,

A ſi quis damnationi trium capitulorum præberet aliquando conſenſum. Et licet poſtea imperiali pondere ad conſenſum damnationis capitulorum ipſorum paulatim ſinguli tunc fuerint coarctati; noſtrarum tamen provinciarum venerandi deceſſores, quibus indigni ſucceſſimus, prædicti quondam Vigilii inſtructionibus informati, ad hoc inclinari nullo modo potuerunt. Quorum nos exempla, Deo propitiante, ſervantes cum univerſo populo nobis credito, ſequentes etiam in omnibus definitionem ſancti Chalcedonenſis concilii, defenſioni capitulorum ipſorum & reverentiam exhibemus; & a communione damnantium, cum divina gratia abſtinere dignoſcimur. Et dum B Smaragdus glorioſus chartularius patrem noſtrum ſanctæ memoriæ Heliam archiepiſcopum Aquilejenſis eccleſiæ pro cauſſa ipſa vicibus contriſtaret; cum noſtro omnium conſilio atque conſenſu direxit ad pia veſtigia principatus veſtri preces; ſupplicans ut exſpectata Dei miſericordia, revocatis omnibus conſacerdotibus ſynodi noſtræ in poteſtate ſanctæ reipublicæ, ad veſtræ clementiæ præſentiam veniretur, & veſtrum in cauſſa ipſa exſpectaretur judicium. Quod pietas veſtræ manſuetudinis ad mercedem & laudem imperii ſui clementi dignatione ſuſcipiens, miſſionem ſuam dedit ad prædictum glorioſum Smaragdum, ut nullatenus quemquam ſacerdotum pro cauſſa commu- C nionis inquietare præſumeret; ſed Dei miſericordia operante ſuſtineretur, quouſque compreſſis gentibus ad libertatem omnes ſacerdotes noſtri concilii ſub ſancta republica pervenirent. Deinde defunctus eſt memoratus archiepiſcopus noſter Helias. Nos vero pro imperatis precibus ejuſdem cum omnibus populis noſtris ardentibus devotiores effecti, ſi fieri potuiſſet, eiſdem diebus ad veſtra certabamus redire veſtigia: & gratias Deo retulimus, & pro vita imperii veſtri, ſicut ipſe novit Dominus, aſſiduas preces ejus obtulimus majeſtati. Poſt hoc ordinato in ſancta Aquilejenſi eccleſia beatiſſimo archiepiſcopo noſtro Severo, quæ contumeliæ illatæ ſint, & quibus in- D juriis ac cæde corporali ſuſtium, & qua violentia ad Ravennatem fuerit civitatem perductus, atque redactus in cuſtodia, quibuſque neceſſitatibus oppreſſus atque contritus fuerit, potuit ad domini noſtri pias aures ſine dubio pervenire. Nos autem tam inauditis calamitatibus patrem & archiepiſcopum noſtrum, quod numquam ſub Chriſtianis principibus factum dignoſcitur, cognoſcentes afflictum, inſanabilium dolorum ſumus ſtimulis vulnerati. Nam in hoc tempore iterum cognovimus reverendum Papam Gregorium ad ejuſdem patris noſtri exhibitionem miſiſſe cum ſacratiſſima veſtræ pietatis juſſione, ut pro cauſſa ipſa communionis ad Romanam deberet civitatem de- E duci. Quod audientes, quamvis certi eſſemus talem miſſionem domini noſtri ſpecialiter adverſariorum improba importunitate ſubreptam, contabuimus & contriti atque luctu graviſſimo ſauciati ad ultimam deſperationem pervenimus; ut ad illius judicium metropolita noſter cogeretur occurrere, cum quo cauſſa ipſa eſſe dignoſcitur, & cujus communionem ab initio motionis cauſſæ hujus uſque nunc deceſſores noſtri, & nos cum omni populo evitamus. Et quidem memoratum beatiſſimum archiepiſcopum noſtrum frequenti conteſtatione conveni-

venimus, ne nobis abſentibus, & a ſe ab præſens diviſis, de communi cauſſa eccleſiæ aliquid audeas definire. Quoniam, piiſſime domine, ſic acceſi ſunt omnes homines plebium noſtrarum in cauſſa iſta, ut ante mortem perpeti, quam ab antiqua catholica patiantur communione divelli. Revera, clementiſſime dominator, fidem catholicam conſervantes, & Chalcedonenſis concilii definitiones in omnibus venerantes, ut quibuslibet occaſionibus contriſtentur, nec Deo nec veſtræ pietati placere credendum eſt. Ergo, mitiſſime dominator, totius concilii noſtræ parvitatis hæc eſt deliberatio, ſicut & eidem patri & archiepiſcopo noſtro ſcripſimus: ut pro reddenda ratione communionis noſtræ, contrito Dei judicio in jugo barbarico, opportuno tempore ad veſtræ pietatis veſtigia occurramus: habentes præ oculis exempla fidelia, quibus edocti ſumus, cum omnes intentiones ſopitæ ſunt. Sic Theodoſii ſenioris Conſtantinopolitana ſynodus, Deo propitiante, ſedatis eſt ſcandalis confirmata: ſic deinde Epheſina prima ſynodus, divæ memoriæ Theodoſio juniore diſponente, bene noſcitur definita: ſi ad poſtremum præſentia Marciani divi principis, abſciſſis omnibus ſcandalis, pax catholica in Chalcedonenſi concilio reformata eſt. Nam per abſentiam Chriſtianiſſimorum principum in Epheſina ſecunda epiſcoporum congregatione, a Dioſcoro Alexandrino Flavianus ſanctiſſimus regiæ veſtræ urbis epiſcopus veritatem catholicæ fidei defendens occiſus eſt; aliique epiſcopi aſſertores orthodoxæ fidei in cuſtodia dejecti ſunt; & ſcandalum eccleſiæ peſſimum generatum eſt. Quod cum magno labore poſtea divæ memoriæ Marcianus Imperator avus veſtræ pietatis ſua præſentia in Chalcedonenſi concilio amputans, catholicam pacem univerſali eccleſiæ reſtauravit. Hoc tantum proſtrati depoſcimus, ut quia miſericordia Dei circa ſanctam rempublicam operante, in meliore ſtatu Italiæ partes, laborante fideliter glorioſo Romano Patricio, dignanter perduxit; & credimus nos celeriter devictis gentibus ad priſtinam libertatem reduci; ceſſet violentia militaris, quam veſtro feliciſſimo tempore Deus fieri non permittat. Sint induciæ, & cum juſſione ſacratiſſimi imperii veſtri parati erimus ad pedes veſtræ pietatis occurrere, & noſtræ fidei atque communionis plenam reddere rationem. Nam cum quo nobis ipſa cauſſa eſt, & quem in communione vitamus, judicem experiri non poſſumus. Quod etiam ſacratiſſimis legibus veſtris ſtatutum eſt, nullum poſſe judicem eſſe in cauſſa, qua adverſarius comprobatur. Sed ſicut ſemper Deus præſentia Chriſtianorum principum intentiones eccleſiaſticas ſedare dignatur, hoc & nunc fieri ſupplicamus. Etenim ſi aliter, clementiſſime domine, actum fuerit, ut archiepiſcopum noſtrum, quod abſit, ad Romanam contingat violenter exhiberi eccleſiam; ſpes jam nulla erit conſervandæ juſtitiæ, ſed tantum pondus graviſſimæ violentiæ. Suggerimus etenim, pie dominator, quia tempore ordinationis noſtræ unuſquiſque ſacerdos in ſancta ſede Aquilejenſi cautionem ſcriptis emittimus, ſtudio ſed fide ordinatoris noſtri, nos fidem integram ſanctæ reipublicæ ſervaturos; quod ipſe novit Dominus nos fideliter toto corde ſervaſſe, & hucuſque jugiter conſervare. Si conturbatio iſta

A & compulſio præſentibus [illegible] mota non fuerit, ſi quem de nobis, qui nunc eſſe videmur, defungi contigerit, nullus plebium noſtrarum ad ordinationem Aquilejenſis eccleſiæ poſt hoc patietur accedere. Sed quia Galliarum archiepiſcopi vicini ſunt, ad ipſorum ſine dubio ordinationem occurrent; & diſſolvetur metropolitana Aquilejenſis eccleſia ſub veſtro imperio conſtituta, per quam Deo propitio eccleſias in gentibus poſſidetis: quod ante annos jam fieri cœperat, & in tribus eccleſiis noſtri concilii, id eſt, Beconcenſi, Tiburnienſi, & Auguſtana, Galliarum epiſcopi conſtituerant ſacerdotes. Et niſi ejuſdem tunc divæ memoriæ Juſtiniani principis juſſione com- B motio partium noſtrarum remota fuiſſet, pro noſtris iniquitatibus pene omnes eccleſias ad Aquilejenſem ſynodum pertinentes, Galliarum ſacerdotes pervaſerant. Ergo, domine pie, quia ſemper piiſſimorum principum fides pro tranquillitate eccleſiæ vigilavit, & hoc ſtudio, repentante Deo, contrariæ gentes divina manu compreſſæ ſunt, mereamur nos humillimi ſacerdotes, ſupplicationis noſtræ ſortiri effectum. Nam qui aliter domino noſtro ſubrepere cupiunt, nec Dei judicium habent præ oculis, nec utilitatem ſanctæ reipublicæ veſtræ, ſeu opinionem pii imperii, quam lacerari non metuunt de murmoratione totius populi partium iſtarum, qui perſecutionem C evidenter Chriſtianis fieri ſuſpicantur. Præſentem igitur ſupplicem relationem confidenter direximus, quam pia clementia dignetur placida aure recipere: ut effectum noſtræ ſupplicationis, Deo vobis aſpirante, ſortiti, pro quiete matris noſtræ Aquilejenſis eccleſiæ ſacratiſſimis juſſionibus relevetur, & pro incolumitate domini noſtri, ac dominorum filiorum veſtrorum, Domino Deo noſtro jugiter ſupplicemus.

## SUBSCRIPTIO.

Ingenuinus epiſcopus ſanctæ eccleſiæ * ſecundæ Retiæ, hanc relationem a nobis factam ſubſcripſi.

D Maxentius epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Julienſis, ut ſupra.

Laurentius epiſcopus ſanctæ catholicæ eccleſiæ Bellutanæ, ut ſupra.

Auguſtus epiſcopus ſanctæ catholicæ Concordienſis eccleſiæ, ut ſupra.

Agnellus epiſcopus ſanctæ * Trejentinæ eccleſiæ, ut ſupra.

Agnellus epiſcopus ſanctæ * Acelinæ eccleſiæ, ut ſupra.

Junior epiſcopus ſanctæ eccleſiæ catholicæ Veronenſis, ut ſupra.

Fontejus epiſcopus ſanctæ Feltrinæ eccleſiæ, ut ſupra.

Felix epiſcopus ſanctæ Terviſianæ eccleſiæ, ut ſupra.

E Horontius epiſcopus ſanctæ catholicæ eccleſiæ Vecetinæ, ut ſupra.

* [illegible], id eſt, [illegible].

* Tridentinæ.

* Aquilinæ.

*Ex his ſubſcriptionibus liquet non eſſe cum Pagio ad an. Ch. 590. n. 11. confundendum hoc ſchiſmaticorum conventiculum cum altero Maranenſi ab iiſdem habito anno Chriſti circiter 589. de quo Paulus Diaconus lib. 3. cap. 27. Huic enim interfuit Maxentius Julienſis, qui Maranenſi non adfuit; & vice verſa Maranenſi adfuit Petrus de Altino, qui huic non interfuit. Maranenſi præterea adfuere Clariſſimus Concordienſis, & Ru-* ſticus

*ſticus de Tarviſio; quibus non diu poſt defunctis allato libello ſubſcribunt eorum ſucceſſores Auguſtus Concordienſis, & Felix Tarviſinus. Horontius Vicentinæ Eccleſiæ erat epiſcopus. Quo autem hi decem Schiſmatici epiſcopi convenerint, incompertum.*

*Interea Severus apud Gradum Synodum alteram cum Iſtriæ Epiſcopis habuit, atque in unam ſententiam itum, ut a Pontifice Cæſarem appellarent. Hinc tres epiſtolæ ad Mauritium miſſæ ſunt, utraque Pſeudo Synodus ſcripſit, privatas etiam Severus addidit, quod ex reſcripto Mauritii ad Gregorium intelligitur. Mauritius ſiquidem his litteris acceptis hæc Gregorio reſcripſit.*

IN NOMINE DOMINI DEI NOSTRI JESU CHRISTI.

*Imperator Cæſar Flavius Mauritius, Tiberius, Fidelis in Chriſto, Pacificus, Manſuetus, Maximus, Beneficus, Alammanicus; Gregorio viro ſanctiſſimo, & beatiſſimo archiepiſcopo almæ urbis Romæ ac Papæ.*

CONſuetam & Deo placitam veſtram ſanctitatem ſcientes, & quod recte catholicæ noſtræ eccleſiæ dogmatum omnibus doctri- nam exercetis, ſcire vos volumus, quod epi- ſcopi Iſtrienſium provinciarum per clericos ali- quos ad nos directos ſuggeſtiones nobis tranſ- miſerunt: unam epiſcoporum, civitatum, & ca- ſtrorum, quos Longobardi tenere dignoſcuntur: aliam Severi Aquilejenſis epiſcopi, aliorumque epiſcoporum qui cum illo ſunt: & tertiam ſolius ejuſdem Severi, in quibus omnes dixerunt tuam beatitudinem milites ad illos tranſmiſiſſe cum uno tribuno & excubitore, neceſſitatem imponentes præfato reverentiſſimo Severo & teſtibus epiſcopis, ut ad tuam beatitudinem perveniant, propter diverſam voluntatem quam habent ad ſacra & catholica dogmata ſacroſanctæ noſtræ eccleſiæ. Et ſupplicaverunt nos inducias ad hoc ſibi fieri, & nullam eis interim neceſſitatem imponi ad veſtram ſanctitatem pervenire; ut * licentes, quod tempore opportuno ad hanc ſacratiſſimam urbem accedentes, per ſeipſos ſuggerere nobis habent quæ ſibi obſtare videntur. Quia igitur & tua ſanctitas cognoſcit præſentem rerum Italicarum confuſionem, & quod oportet temporibus competenter verſari; jubemus tuam ſanctitatem nullam moleſtiam eiſdem epiſcopis inferre; ſed concedere eos otioſos eſſe, quouſque providentiam Dei & partes Italiæ * paccales conſtituantur, & ceteri epiſcopi Iſtriæ ſeu Venetiarum iterum ad priſtinum ordinem redigantur. Tunc enim perfectius omnia pro pace & diverſitate dogmatis, cum antecedentibus tuis orationibus corrigentur. *Et ſubſcriptio.* Divinitas te ſervet per multos annos, ſanctiſſime ac beatiſſime pater.

* Ita Sirmondi apographum, ſed mendoſe, ut ipſe admonet.

* Baron. edidit, pacati aliter.

*Cum vero utraque Pſeudo-ſynodus poſt Magni Gregorii epiſtolam ad Severum datam menſe Decembri indictione nona indicta fuerit, ſatis claret vel exeunte anno Chriſti 590. ſeu potius inſequenti 591. utramque celebratam.*

# DE SYNODO MARANENSI ALIISQUE IN CAUSA SEVERI GRADENSIS

## *ADNOTATIO.*

Ex Manſi Supplem. t. I. pag. 41[illegible]

QUæ olim ſcripſi in meis ad Pagium animadverſionibus de ſynodo Maranenſi, aliiſque in cauſa Severi patriarchæ Gradenſis, hic repetere juvat. Ita ergo diſſerui ad annum 590. II.

Quæ hic diſſerit Pagius de ſynodis a ſchiſmaticis Aquilejenſibus habitis, diligentius explicanda ſunt. Primo igitur conſtat Severum Gradenſem epiſcopum vi adductum Ravennam tria capitula coactum ejuraſſe, atque ita de- mum & Pontificis gratiam & libertatem ob- tinuiſſe. Ingratum id accidit epiſcopis ejus ſuffraganeis; quare coacta ſynodus Marani gra- ve aliquid in Severum ſtatuiſſet, niſi ille, obla- to libello palinodiam recinens, ſchiſmaticis ſe iterum adhærere profeſſus fuiſſet. Hunc re- lapſum illi objicit S. Gregorius in epiſtola ad eum data, legenda regeſt. lib. I. Epiſ. 16. Id ergo ut reſcivit idem S. Gregorius, ex ſenten- tia ſynodi Romæ coactæ diem Severo dixit Romæ Commoti in pontificem ſchiſmatici iterum convenerunt in loco incerto, atque una totius ſynodi ſententia literas ad Impera- torem dederunt, quas ſinguli ſubſcriptione ſua munierunt, rogantes principem, ut inducias pro Severo a Pontifice impetraret, ſpondentes inſuper, quamprimum per tumultus Italiæ li- ceret, Conſtantinopolim ſe conventuros ad cauſam ſuam coram eo dicendam. Ex ſyno- dicæ hujus ſubſcriptionibus liquet aliam eſſe hanc ſynodum a Maranenſi, cum utrinque alii & alii ſint unius ejuſdemque eccleſiæ epi- ſcopi. Maranenſi equidem ſubſcripſit *Clariſſimus Concordienſis*; epiſtolæ vero *Auguſtus Concordienſis*; ibi *Ruſticus*, hic *Felix de Tarviſo*. Huic autem ſynodo incerti loci Severus non adfuit, ſcribunt enim patres illi, agentes de Severo: *Nobis abſentibus & a ſe ad præſens diviſis*. Alias in eandem ſententiam literas ad Imperatorem dedit Severus cum ſuis, & ipſis forte in ſynodum Grado coeuntibus, quorum ſynodicæ Imperator in ſuo reſcripto apud Pagium An. 589. num. 12 meminit. Ex his patet geminas præter Maranenſem & Romanam ſynodos Schiſmaticorum admittendas eſſe, has vero utraſque, cum Romanam decembri menſe anni 590. habitam ſubſecutæ fuerint, ad annum 591. pertinere. Maranenſis vero, cum Romanam præceſſerit, ſerius anno 590. cogi non potuit.

CON-

## ¹CONVENTUS NEMPTODORENSIS
## IN QUO BAPTIZATUS EST CLOTARIUS

Rex puer, ſuſceptuſque de ſacro fonte a Guntramno patruo ſuo rege anno Chriſti DXCI. Clotarii ipſius regis VII. Guntramni XXX.

Ex P. Sirmondo.

A *Ctum jam quidem antea non ſemel fuerat de baptiſmo Clotarii; ad quem celebrandum, & ante annos quinque invitatus Guntramnus, Pariſios ex Burgundia venerat, ut auctor eſt Gregorius Turonenſis libro octavo capite primo & nono. Sed res tum ſtudio dilata, variiſque poſt hæc intercedentibus cauſſis impedita, hoc demum anno apud Nemptodorum Pariſienſis agri vicum, in epiſcoporum quos Guntramnus adeſſe juſſerat conventu peracta eſt, ut Gregorius idem narrat libro decimo capite vigeſimo octavo.* Poſt hæc, *inquit*, Fredegundis legatos ad Guntchramnum regem mittit dicens: Proficiſcatur dominus meus rex uſque Pariſios, & arceſſito filio meo nepote ſuo, jubeat eum baptiſmatis gratia conſecrari, ipſumque de ſancto lavacro B excipiens tamquam alumnum proprium habere dignetur. Hæc audiens rex, * commonitis epiſcopis, id eſt, Ætherio Lugdunenſi, Syagrio Auguſtodunenſi, ² Flavioque Cabillonenſi, & reliquis quos voluit, Pariſios accedere jubet, indicans ſe poſtmodum ſecuturum. Fuerunt etiam ad hoc placitum multi de regno ejus, tam domeſtici, quam comites, ad præparanda regalis expenſæ neceſſaria. Rex autem deliberatione acta, ut ad hæc deberet accedere, pedum eſt dolore prohibitus. Poſtquam autem convaluit, acceſſit Pariſios: exinde ad Rotojalenſem villam ipſius urbis properans, evocato puero juſſit baptiſterium præparari in vico Nemptodoro. Dum autem hæc C agerentur, legati Childeberti regis acceſſerunt ad eum dicentes: Non enim iſta nuper nepoti tuo Childeberto pollicitus eras, ut cum inimicis ejus amicitias colligares. Sed, inquantum cernimus, nihil de promiſſione tua cuſtodis, ſed potius quæ promiſeras prætermittis, & puerum illum in urbis Pariſiacæ cathedra regem ſtatuis. Judicabit autem Deus, quia non reminiſceris quæ ultro pollicitus es. Hæc iis dicentibus rex ait: Promiſſionem, quam in nepotem meum Childebertum regem ſtatutam habeo, non omitto. Nam illum non oportet ſcandalizari, ſi conſobrinum ejus, filium fratris mei, de ſancto ſuſcipiam lavacro; quia A hanc petitionem nullus Chriſtianorum debeat abnuere. Eamque ego, ut Deus manifeſtiſſime novit, non calliditate aliqua, ſed in ſimplicitate puri cordis agere cupio, quia offenſam divinitatis incurrere formido. Non eſt enim humilitas gentis noſtræ, ſi hic a me excipiatur. Si enim domini proprios famulos de ſacro fonte ſuſcipiunt, cur & mihi non liceat propinquum parentem excipere, ac filium facere per baptiſmi gratiam ſpiritualem? Abſcedite nunc & nuntiate domino veſtro, pactionem quam tecum pepigi cuſtodire cupio illibatam; quam ſi tua conditionis noxa non omiſerit, a me prorſus omitti nequibit. Et hæc dicens, legatis diſcedentibus, rex accedens ad lavacrum ſanctum obtulit puerum ad baptizandum. Quem excipiens Clotarium vocitari voluit, dicens: Creſcat puer, & hujus ſit nominis executor, ac tali potentia polleat, ſicut ille quondam cujus nomen indeptus eſt. Quo myſterio celebrato, invitatum ad epulum parvulum multis muneribus oneravit. Similiter & rex ab eodem invitatus, pleriſque donis refertus abſceſſit, & ad Cabilonenſem urbem redire ſtatuit.

* Forte commonitis Hard.

### Notæ Jacobi Sirmondi, S. J.

1 *Conventus Nemptodorenſis*.) Rectius *Nemetodorenſis*, ſicut parochia Nemetodorenſis a vita ſanctæ Genovefæ ejus loci indigenæ. Itaque mendum videtur apud Gregorium, cum *in vico Nemptodoro* legitur pro *Nemetodoro*, & apud Conſtantium presbyterum lib. 1. de vita ſancti Germani cap. 10. *Vicus cui Metodori nomen erat* ubi *vocabulum indidit*, pro Nemetodori, quamquam Metodorum quoque ibi legerat Ericus monachus, qui eamdem vocem retinet.

2 *Flavio Cabillonenſi*.) Qui ante annos decem Agricolæ Cabilonenſi epiſcopo ſucceſſit, anno Chriſti 580. & Concilio Matiſconenſi II. ſubſcripſit cum Verano Cavellicenſi. Cum ergo Flavius idem ſuperſtes fuerit hoc anno 590. conſequens eſt, Veranum, qui anno 585. legatus ad Clotarium a Guntramno miſſus eſt cum Artemio Senonico, & Agroecio Trecaſſino, quique Theodoricum Clotarii filium de ſacro fonte ſuſcepit anno 587. & cujus nomen inter ceteros epiſcopos legitur in reſcr. pro de monialibus Pictavenſibus anno 589, hunc inquam Veranum Cavellicenſem epiſcopum fuiſſe, non Cabilonenſem, mendumque eſſe apud Gregorium lib. 8. c. 31. & lib. 9. cap. 4. cum Cabilonenſis pro Cavellicenſis appellatur.

## ☞ CONCILIUM SALONITANUM IN DALMATIA

*Anno 591. celebratum.*

Ex Suppl. Manſi pag. 419.

NAtalis Salonitanus epiſcopus, neſcio qua D de cauſa, Honoratum quemdam archidiaconum invitum Sacerdotio initiare tentavit. Cum ille recuſaſſet, vel ipſa Archidiaconatus dignitate multandum illum, habito concilio, epiſcopus ſtatuit. Certior ea de re factus S. Gregorius, datis ad Natalem literis priſtinam dignitatem reſtitui Archidiacono juſſit, cauſamque ad ſe avocans mandavit Natali ut pro ſe certum patronum ad litem agendam mitteret. Extant literæ illæ in regeſto epiſtolarum S. Gregorii nonæ Indict. in quibus & de eodem concilio Salonitano fit mentio.

ANNO CHRISTI 592.

# [a] CONCILIUM CÆSARAUGUSTANUM II.

ANNO CHRISTI 592.

Æra DCXXX. anno VII. Reccaredi regis ſub Gregorio Papa I. celebratum,

## VETERES TITULI

*Hujus Concilii ex Vetuſto Cod. 490. Lucenſi,*

Ex Concilio Cæſarauguſtano.

I. *Presbyter de Arriana lege in catholicam ſi venerit, ſi dignus fuerit denuo benedicatur; ſi non dignus fuerit in clero permaneat.*

II. *Reliquiæ ab Arrianis poſitæ igne probentur.*

III. *Si quis abſconderit reliquias ex Arrio excommunicetur.*

IV. *Eccleſiæ Arrianæ a catholicis Epiſcopis denuo ſacrentur.*

[1] CUm in Dei nomine [2] urbem Cæſarauguſtanam provinciæ Tarraconenſis, ex B permiſſu glorioſi atque ſanctiſſimi principis Reccaredi regis, in anno ſeptimo regni ejus, congregati fuiſſemus, pro Dei [3] amore tractantes.

## CANONES.

### I.

Id placuit ſanctæ & venerabili ſynodo, ut presbyteri qui ex hæreſi Ariana ad ſanctam catholicam eccleſiam converſi ſunt, qui ſanctam & puram fidem, atque caſtiſſimam tenuerint vitam, [4] acceptam denuo benedictionem [5] presbyterii ſancte & pure miniſtrare debeant: ceteri vero qui hanc ſuprascriptam vitam adimplere vel tenere neglexerint, ab officio depoſiti ſint in clero. [6] Ita de diaconibus ſicut & de presbyteris conſtitutum eſt.

### II.

Statuit ſancta Synodus, ut reliquæ, in quibuſcunque locis de Ariana hæreſi inventæ fuerint, prolatæ a ſacerdotibus, in quorum eccleſiis reperiuntur, pontificibus præſentatæ igne probentur. D Quod ſi a quibuslibet occultatæ fuerint, & deteguntur, a [7] ſacroſanctæ catholicæ eccleſiæ cœtu ſegregentur.

### III.

Statuit ſancta Synodus, ut epiſcopi de Ariana hæreſi venientes, ſi quas eccleſias ſub nomine catholicæ fidei con- A ſecraverint, [8] nec dum benedictione percepta, a catholico ſacerdote conſecrentur denuo.

## SUBSCRIPTIONES.

Sub die Kalendarum Novembrium, [9] æra DCXXX. anno quo ſupra, Artemius, in Chriſti nomine epiſcopus, Tarraconenſis provinciæ metropolitanus hanc conſtitutionem ſubſcripſi.

Sophronius, in Chriſti nomine epiſcopus, hanc conſtitutionem ſubſcripſi.

Stephanus, in Chriſti nomine epiſcopus ſubſcripſi.

Julianus, in Chriſti nomine epiſcopus, ſub- B ſcripſi.

Simplicius, in Chriſti nomine epiſcopus, ſubſcripſi.

Aſterius, in Chriſti nomine epiſcopus, ſubſcripſi.

Mumius, in Chriſti nomine epiſcopus, ſubſcripſi.

Liliolus, in Chriſti nomine epiſcopus, ſubſcripſi.

[b] Magnus, in Chriſti nomine epiſcopus, ſubſcripſi.

Joannes, in Chriſti nomine epiſcopus, ſubſcripſi.

[10] Galanus, in Chriſti nomine epiſcopus, C ſubſcripſi. [11]

Antedius, in Chriſti nomine diaconus, agens vicem domini [12] Gavini epiſcopi, ſubſcripſi.

Stephanus, in Chriſti nomine diaconus, agens vicem domini mei [13] Aquilini epiſcopi, ſubſcripſi.

### NOTÆ GARSIÆ LOAISÆ.

a *Concilium.* ) Hoc concilium fuit actum anno ſeptimo Reccaredi regis, æra 630. Toletanum vero tertium æra 627. unde fere omnes epiſcopi qui in Toletano, in hoc etiam ſubſcribunt. Præfuit Artemius Tarraconenſis, qui ſucceſſit Stephano, deinde Sophronius Egarenſis, Stephanus Tyraſſonenſis, Julianus Dertoſanus, Simplicius Cæſarauguſtanus, vel potius Urgelitanus, Aſterius Aucenſis, Mumius Calagurritanus, Liliolus Pampilonenſis, Joannes Mentesanus, Gavinus Oſcenſis, Aquilinus Auſonenſis, Galanus in Barcinonenſi, Emporitanæ eccleſiæ epiſcopus.

b *Magnus.* ) Lego Maximus, qui fuit Cæſarauguſtanus, de quo infra in concilio Barcinonenſi, & Simplicius eſt Urgelitanus.

DE

1 Ex editione Loaiſæ. Em. de Aguirre tom. 2. Concil. Hiſp. p. 414. hoc Concilium exhibuit tranſcriptum ex Cod. MS. D. Antonii Auguſtini Archiep. Tarraconenſis ex editione D. Michaelis Cercito Epiſcopi Barbaſtrenſis. In ſequentibus varies Aguirriana editio ab hac Labbeana. 2 Aguir. *in urbem.*

3 Aguir. *timore.* 4 Forte, *accepta denuo benedictione.* Cercito. 7 Aguir. *ſacroſancto.*

5 Aguir. *presbyteratus.* 6 Aguir. *Ita de diaconibus.* 9 Aguir. non habet *æra* DCXXX.

8 Aguir. *nec dum benedictione a Catholico ſacerdote percepta, conſecrentur denuo.* 11 Aguir. poſt hunc addit: *Julianus in Chriſti nomine epiſcopus ſubſcripſi.*

10 Aguir. *Oaſanus.* 13 Aguir. *Aquilini.*

12 Aguir. *Gavini.*

# DE FISCO BARCINONENSI, ÆRA DCXXX.

*Dominis ſublimibus & magnificis filiis, aut fratribus numerariis Artemius Epiſcopus Tarraconenſis, vel omnes epiſcopi ad civitatem Barcinonenſem fiſcum inferentes.* A

Ita. QUoniam ex electione domini & filii ac fratris noſtri Scipionis [a] comitis patrimonii, in anno feliciter ſeptimo glorioſi domini noſtri Reccaredi, regis in officium [b] numerarii in civitatem Barcinonenſem provinciæ Tarraconenſis electi eſtis, & a nobis, ſicut conſuetudo eſt, conſenſum ex territoriis, quæ nobis adminiſtrare conſueverant, poſtulatis, idcirco per hujus conſenſus noſtri ſeriem decrevimus, ut tam vos, quam agentes, ſive adjutores veſtri, pro uno [c] modio canonico ad populum exigere debeatis, hoc eſt [d] ſiliquas VIII. & pro laboribus veſtris ſiliquam unam; & pro inevitabilibus damnis, vel interpretia ſpecierum ſiliquas IV. quæ faciunt in uno ſiliquas XIV. Inibi hordeo, quod pro noſtra definitione, ſicut diximus, tam vos quam adjutores atque agentes exigere debeant, nil amplius præſumant vel exigere vel auferre. Si quis ſane ſecundum conſenſum noſtrum acquieſcere noluerit, vel tibi inferre minime procuraverit in ſpecie, quod tibi convenerit; fiſcum ſuum inferre procuret. Quod ſi ab agentibus veſtris aliqua ſuperexacta fuerint, quam hujus conſenſus noſtri tenor demonſtrat, vos emendare & reſtituere cui male ablata ſunt ordinetis.

In quo conſenſu ſubter qui conſenſimus manibus noſtris ſubſcripſimus factum conſenſum, ſub die pridie Nonas Novembris, æra DCXXX. anno ſeptimo regni domini noſtri.

## SUBSCRIPTIONES.

[e] Artemius in Chriſti nomine epiſcopus conſenſum noſtrum ſubſcripſi.

Sophronius in Chriſti nomine epiſcopus conſenſum noſtrum ſubſcripſi.

Galanus in Chriſti nomine epiſcopus conſenſum noſtrum ſubſcripſi.

Joannes in Chriſti nomine epiſcopus conſenſum noſtrum ſubſcripſi.

### NOTÆ GARSIÆ LOAISÆ.

a *Comitis patrimonii*) Comes ſacri patrimonii erat, qui regii patrimonium, poſſeſſiones, & menſam procurabat: unde procurator a Lampridio in Commodo dictus: & meminit de hoc Caſſiodorus ad Julianum comitem patrimonii, ſcribente Theoderico lib. 1. variar. & 4. 6. — *Comes ſacri patrimonii quis?*

B b *Numerarii*) Sub arte ſupputandi numerarii continentur, qui a Juſtiniano tabularii dicti ſunt, eo quod in tabulis tota ratio [illegible] complecteretur, lib. 2. de numerariis, & actuariis, lib. 12. C. titul. 50. & calculatores, eo quod calculis ſupputatio fit: olim & nunc lapillis, id eſt, calculis numeratum, nemo eſt qui ambigat: unde titulus eſt, De errore calculi. Perſius — *Numerarii qui?*

*—— diem numera meliore lapillo,*
*Qui tibi labentes apponit candidus annos.*

Iſidorus lib. 8. etymol. cap. 6. *Numerarii* (inquit) *vocati, qui publicum nummum ærariis inferunt.*

c *Modio canonico*) De modio vide Iſidorum lib. 16. etymol. cap. 25. Eſt menſura librarum 44. Plinius lib. 18. cap. 7. — *Modius canonicus quid?*

C d *Siliquas*) Ex eodem cap. 25. vigeſimaquarta pars ſolidi eſt, ab arboris nomine vocabulum tenens. — *Siliqua quid?*

e *Artemius*) Artemius erat metropolitanus Tarraconenſis, Sophronius Egarenſis, Joannes Gerundenſis, in Barcinonenſi, Galanus Empuritanæ eccleſiæ epiſcopus, in Barcinonenſi.

# [a] CONCILIABULUM NUMIDIÆ
# A SANCTO GREGORIO REPROBATUM.

*Sancti Petri claves cum ramentis catenæ ad Africanos miſſa.*

[a] *Conciliabulum*) De cogendo Numidiæ concilio Gregorius ſcripſerat ad provinciæ Numidiæ epiſcopos Adeodatum & Columbum illum, cui etiam pro benedictione claves ſancti Petri cum ramentis de catena ejuſdem ſancti Petri in eis incluſis tranſmiſerat. Qui dum ad concilium celebrandum cum reliquis epiſcopis Numidiæ conveniſſent, & præter jus faſque aliqua ſtatuiſſent, ſanctus Gregorius ſacrorum canonum rigidus obſervator, illa nullius auctoritatis eſſe voluit. Legatur ejuſdem Gregorii ep. 7. lib. 3. indict. 12. ad Gennadium exarchum.

## JOANNIS DOMINICI MANSI
### *in Synodum Numidiæ.*
### *CENSURA.*

VIx credo, in ea S. Gregorii epiſtola, hic a Labbeo indicata, verum Numidiæ concilium deſignari. Licet enim reipſa ſynodus in Numidia haberi tunc potuit; cum indicendam illam Columbo epiſcopo mandaverit lib. 2. epiſt. 47. ad Columbum; attamen epiſt. 7. lib. 3. ad Gennadium exarchum ſcriptam alio ſpectare credo. Narrat in ea Pontifex *quorumdam de Africanis partibus* venientium relatione comperiſſe, D *plura in concilio Numidiæ contra patrum tramitem, atque canonum ſtatuta committi*; quare Columbo epiſcopo mandaſſe ſe, ait, ut *frequentes* earum tranſgreſſionum *querelas* perquireret, tum rogavit exarchum, ut epiſcopo adſiſtat, ne *ſi quod male geritur quæſitum, vel vindicatum non fuerit, longorum uſurpatione temporum in futuris creſcat exceſſibus*. Agi hic profecto conſtat de abuſionibus in eccleſiaſticam diſciplinam uſu jam inductis, non de concilii ſtatutis eandem diſciplinam relaxantibus, quæ ſane revocatione, non perquiſitione, nec E vindicta opus habuiſſent. Concilii ergo nomen hic generali voce, eccleſiaſticum Numidiæ cœtum ſimul omnes non vero eccleſiaſticos in concilium coeuntes ad cauſas eccleſiaſticas tractandas deſignat. In hanc ipſam ſignificationem *concilii* vocem uſurpaſſe viſus eſt S. Gregorius epiſt. 72. lib. 1. *ad Gennadium*.

CON-

ANNO CHRISTI 594.

# CONCILIUM CABILONENSE,

ANNO CHRISTI 594.

## Anno Domini DXCIV. celebratum.

*De ordine pſallendi in S. Marcelli monaſterio.*

a Labbei appendice Tom. V.

A*Imoinus lib. 3. hiſt. cap.* 81. Anno, *inquit*, XXXIII. Guntramni, ipſe rex terrenum regnum pro cæleſti commutans, in eccleſia ſancti Marcelli Cabilonis ſepultus eſt. Hanc denique baſilicam ipſe, ut præfati ſumus, Divino ſuccenſus amore, in ſuburbio quidem prædictæ civitatis, ſed in territorio Segonum, ſaltuque Brexio ſtudioſiſſime ædificavit: ubi monachos aggregans, monaſterium conſtruxit, quod pluribus prædiis facultatibuſque ditavit: ſynodum XL. epiſcoporum aggregari præcipiens, ut ordo pſallendi, qui in loco ſanctorum Agaunenſium, temporibus Sigiſmundi regis, ab Avito & cæteris pontificibus illius temporis inſtitutus fuerat, in cœnobio quod ipſe fabricarat, teneretur, effecit. Qui videlicet ordo etiam ad ſepulchrum ſancti Martini antiquitus celebratur, & a Beato Germano in monaſterio Sancti Vincentii ſervari juſſus; necnon in monaſterio ſancti Dionyſii, ut poſt declarabitur, a Dagoberto Rege agi præceptus, & a nobis cujuſmodi eſſet exquiſitus, taliter ſe habere eſt repertus. In diebus namque æſtivis ſex antiphonæ binis pſalmis explicabantur. Porro toto Auguſto, poſt crebras feſtivitates, manicationes fiebant. Manicare autem, mane ſurgere dicitur. In Septembri vero ſeptem antiphonæ canebantur, diſtributis unicuique binis pſalmis: in octobri octo, cum ternis pſalmis: in Novembri novem, cum ternis itidem pſalmis. Verum in Januario ac Februario, ut poſſibilitas ſinebat. Hoc tamen obſervantes, ne minus a duodecim pſalmorum quantitate ad vigilias dicerent nocturnas. Ad ſextam tamen ſex pſalmi cum Alleluia, ad duodecimam duodecim, idque cum Alleluia, pſallebantur. Sed de his iſta ſufficiant. *Hæc Aimoinus.*

# SYNODUS AFRICANA *forte* CARTHAGINIENSIS

## In Donatiſtas.

*Anno 594. vel 595. habita.*

Ex Suppl. Manſi Tom. I. pag. 419.

SAnctus Gregorius in epiſtola V. alias III. libri V. alias IV. indictionis XIII. datis ad Dominicum Carthaginenſem literis recepiſſe ſe ab eo ſignificat *habita* apud eos *ſynodi chartulam cum allegatione principalium juſſionum*, id eſt conſtitutionis a pincipe ea occaſione emiſſæ. In eo vero concilio, quod pro ſuccidendis Donatiſtarum propaginibus celebratum eſt, ſtatutum ſignificat, ut deſides (epiſcopi) ab inveſtigandis hæreticis Donatiſtis *ſubſtantiarum dignitatumque privatione plecterentur.* Quem canonem, ne quid forte ſcandali apud primates aliarum provinciarum ingereret, metuere ſe Sanctus præſul admonet. Ex quo intelligimus concilium iſtud, non quidem pro ſola Carthaginienſi provincia, ſed & pro reliquis per Africam celebratum fuiſſe. Quid vero ſua illa conſtitutione edixerit Imperator, innuit S. Gregorius in eadem epiſtola, his verbis: *Piiſſimos dominos occaſione religionis ſilatas venalium perſonarum removiſſe calumnias.*

# CONCILIUM ROMANUM II.

## SUB GREGORIO I.

### Tempore Mauritii, indictione XIII. anno domini DXCV. celebratum.

*Geſta ſynodi habitæ a beato Gregorio papa, tempore Mauritii Augusti, & in urbe Romana.*

REgnante in perpetuum domino noſtro Jeſu Chriſto, temporibus piiſſimi ac sereniſſimi dominorum Mauritii, Tiberii & Theodoſii Auguſtorum ejuſdem domini, [b] Mauritii anno tertiodecimo, indictione tertia, quinto die menſis Julii. *Vide reliqua inter epiſtolas ſancti Gregorii lib. 4. epiſt. 44. tom. 9. hujus concil.*

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Concilium*) Hoc concilium indictum eſt a Gregorio Papa in cauſſa Joannis presbyteri Calchedonenſis eccleſiæ, qui cum a Joanne epiſcopo Conſtantinopolitano hæreſis injuſte damnatus fuiſſet, & ad ſedem apoſtolicam

eum appellaſſet, noſtertque pontificis ſynodum hanc A ibidem congregari fecit: in qua cum poſt cognitionem cauſſæ innocentem eſſe repertum, idemque a retractato Conſtantinopolitano ſynodali judicio deſuper habito juſte abſolutum fuiſſe teſtatur Gregorius libro quinto epiſt. 15. 16. & 17. ad Joannem epiſcopum Conſtantinopolitanum. In hac eadem ſynodo, poſt ſex canones ſupra extantes, ſanctus Gregorius implendum ſtatuit illud, de quo libro quinto epiſtola prima indictione decima quarta agit, ut nullius ſint ponderis, quæ de bonis poſt epiſcopatum adeptis epiſcopus teſtamento diſpoſuiſſet. Secus vero de his quæ ante epiſcopatum poſſediſſet. *Reperimus in ſcripto codice* Sublacenſi, inquit Baron. ann. 595. num. 30. *in Concilio Romano eundem Gregorium regulam ſancti Benedicti probaſſe & confirmaſſe.*

b *Mauritii anno* XIII.) Corrige decimo: nam cum indictione decimatertia decimus Mauritii, non decimuſtertius currebat; ut apparet ex principio lib. 2. epiſtolarum Gregorii, ubi annum ſeptimum Mauritii imperatoris decimæ indictioni annumerat.

Acta concilii emendantur.

### Observatio P. Antonii Pagi ad annum Christi 595. n. 4.

Baronius, (ex eo hic Binius) ait in actis hujus Concilii pro anno Mauritii XIII. legendum eſſe annum decimum, idque apparere ex ejuſdem Gregorii ſcriptis, qui lib. 2. Regiſtri [illegible] ... perverte decima indictione. Verum ex illis temporum characteribus conſtat eum tardius quam par erat Mauritiani imperii initium poſuiſſe. Si enim illud cum die xv. menſis Augusti anni 582., ut fieri debet, conjungas, invenies menſe Julio hujus anni in curſu fuiſſe annum XIII. ejuſdem imperii, & indictionem pariter XIII. Praterea ex illis verbis, quæ leguntur in Regiſtro Gregoriano lib. 2. Ind. 2. anno ordinationis Gregorii II. menſe Septembri: *Temporibus Papæ Gregorii Conſulatus Mauritii Auguſti anno ſeptimo, depoſitus eſt Laurentius &c.* minime ſequitur, ut putat Baronius, anno Chriſti 595. Mauritium decimum tantum Imperii numeraſſe. Nam præfatio libri ſecundi Regiſtri S. Gregorii poſt hujus mortem addita eſt eidem libro cum in eo agatur de regeſta indictione X. annoque ejus ordinationis primo, quod ipſe Mauritii Conſulatus extra controverſiam ponit. Mauritium enim ann. 583. Conſulatum ſuſcepiſſe certiſſimum. Quare annus ſeptimus Conſulatus Mauritii non eſt annus ſeptimus ejus B imperii, ſed denotat annum Chriſti 590. Auctor quippe illius additamenti uſurpat modum loquendi Marii Aventicenſis, annumque 585. annum ſecundum Mauritii Conſulatus appellat. Quæ loquendi formula accurate a nobis ſuo loco explicata. Hinc etiam in Regiſtro D. Gregorii ipſas etiam ejus epiſtolas ſæpe temporis ordinem non repræſentare. Denique eadem nota temporaria legitur in exemplari MS. Bibliothecæ Vallicellanæ num. 22. B A. ubi iſtud Concilium Romanum refertur.

# CONCILIUM TOLETANUM

## Sub Reccaredo Anno XII. Regni ejus, æra DCXXXV. anno Chriſti DXCVII. habitum ſub Gregorio papa I.

*In nomine Domini, conſtitutio ſynodi epiſcoporum, numero decem & ſex, qui convenerunt in urbem Toletanam, in eccleſiam apoſtolorum ſanctorum Petri & Pauli, ſub die ſextodecimo Kalendas Junias, anno feliciter duodecimo regni Chriſtianiſſimi & amatoris Dei glorioſiſſimi domini Reccaredi regis.*

### CANONES.

I.

PRiſcorum patrum ſequentes monita, id præcipiunt Dei ſacerdotes, ut quæ ſanctæ Trinitati conveniunt, operibus fidei catholicæ in omnibus conjungantur: ita ut ſanctam & amicam Dei obſervantes caſtitatem, non ſolum retinendam pontifices ſuo corpore cenſeant, ſed & presbyteris, & diaconibus miniſtrantibus Dei altaribus, modis omnibus obſervandam conſtituant: ut ex his qui caſtitatis voluerit patientiam violare, tali ſorte coerceatur; ut ultimus a E quo eſt gradu dejectus, Deo amplius non miniſtret, ſed ſacerdotis ſui electione ſit tali clauſtro conſeptus, ut ceteros ſuo exemplo corrigat, & ille ex pœnitentia reviviſcat.

II.

Id etiam placuit Dei ſacerdotibus, ne quiſquam antiſtes infra ſuam parœciam Dei aulam inquirat; & munificus ille, qui ſanctam Dei ædificaverit eccleſiam, quod ibidem pro ſuo herede largitus eſt, eodem loco presbyter ſecundum priorum canonum inſtituta deſerviens, habeat. Et ſi presbyterum ea facultas habere non permittit, vel diaconus inſtituatur. Certe ſi minor eſt cenſus, oſtiarius a ſacer- D dote ſit electus, qui nitorem infra ſinus ſanctæ eccleſiæ faciat; qui & ſanctarum reliquiarum luminaria omni ſubſequente nocte accendat.

### SUBSCRIPTIONES.

Maſſona in Chriſti nomine Emeritenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Migetius in Chriſti nomine Narbonenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.

a Adelphius in Chriſti nomine Toletanæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.

b Motto in Chriſti nomine Setabitanæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.

c Petrus in Chriſti nomine Arcavicenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.

Aſterius in Chriſti nomine Aucenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Eleutherius in Chriſti nomine Cordubenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi

Joannes in Chriſti nomine Oxonenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.

Baddo in Chriſti nomine Eliberitanæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.

Licerius in Chriſti nomine Egitanæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.

Ginesius in Chriſti nomine Magalonenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.

Stephanus in Chriſti nomine Oretanæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.

d Jo-

d Julianus in Chriſti nomine Elborenſis eccle-ſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.

A

**Notæ Garsiæ Loaisæ.**

a *Adelphius*) Qui ſucceſſit Euphremio viro ſancto, qui III. Toletano interfuit.

b *Motto*) Lege Mutto ex ſubſcriptionibus III. Toletani. *Motto* (inquit) *Setabitana Ecleſia Epiſcopus*.

c *Petrus*) ſubſcribit in III. Toletano, ſicut Aſterius & Migetius, & Maſſona.

d *Iepmus*) Elbora an ſit Talavera, quæ nunc eſt in Carpentana provincia inſigne oppidum, an in Luſitana Ebora, diſcrepant viri doctiſſimi Reſendius, & Bartholomæus Alboruoz, & Quevedo Toletanus portionarius.

## SYNODUS PERSICA, *forte* SELEUCIENSIS NESTORIANORUM.

*Qua errores quidam Monachorum damnantur,*

Anno ſexto Choſroe filii Hormiſdæ regis, Chriſti 596. a Sabarjeſu patriarcha celebrata.

Ex Suppl. Manſ. Tom. I pag. 419

ANno ſexto Choſroæ filii Hormiſdæ menſe Jaro, (*id eſt Majo*) ſedente patriarcha Sabarjeſu, convocata eſt ſynodus metropolitanorum & epiſcoporum orientalium, in qua actum eſt de quibuſdam pſeudomonachis, de Apoſtolorum atque Patrum decem & octo B ſymbolo veræ fidei dubitantibus &c. *Hæc Elias Damaſcenus in Nomocanone Arabico pagina 74. Acta vero ſynodi hæc deſcribuntur in ſynodico Neſtorianorum pag. 70. apud Aſſemanum Biblioth. Orient. tom. III. part. I. pag. 448.*

## SYNODUS SABARJESU CATHOLICI.

HÆc congregata fuit ob quoſdam Monachos, qui pravas opiniones diſſeminabant, docentes peccatum naturæ humanæ eſſe inſitum, Adamum vero natura immortalem fuiſſe: negabant præterea duas Chriſto ineſſe ſubſtantias, Theodorique Commentatoris expoſitiones repudiabant. Synodus itaque primum confirmavit fidem trecentorum decem & octo Patrum circa divinarum perſonarum Trinitatem, Chriſtique divinitatem atque humanitatem, docens utramque ſubſtantiam citra omnem permixtionem, & confuſionem manſiſſe, neque divinam ſubſtantiam humanas ſuſcepiſſe paſſiones: Filium proinde unum eſſe & unum Chriſtum, neque divinitatem ab humanitate ex ipſo hujus exortu unquam ſeparatam fuiſſe. Expoſitiones inſuper magni Commentatoris (*Theodori Mopſueſteni*) ſuſcepit & approbavit: contraria opinantes, aut a prædictis articulis recedentes, anathematizavit; eademque anathematis ſententia involutos declaravit aſſerentes peccatum naturæ eſſe, non liberi arbitrii. Cohabitationem etiam convictumque fratrum & ſororum in Chriſto ſub excommunicationis pœna poſt primam admonitionem incurrenda interdixit. Monachos vero, & ſacerdotes omittentes in eccleſia, ſive in propria cella eccleſiaſtici Officii canones, B juxta ritum eccleſiæ Cochenſis recitari ſolitos, (ajebant enim quoſdam ſupprimere canones continentes dogma de dualitate ſubſtantiarum in uno Filio Dei) juſſit ſynodus admoneri; & ſi quidem pertinaces deprehenſi fuiſſent, eccleſiaſticæ correctioni ſubjacere voluit & excommunicari, atque ab euchariſtiæ ſumptione ſuſpendi, donec reſipiſcerent: proteſtatique ſunt Patres ſibi ſecus agendi poteſtatem non eſſe. Poſtremo agitur profeſſio monachorum cœnobii Barchitæ confitentium Sanctam Trinitatem & unionem magnam & inſeparabilem; continuo inſuper ſtudio ſe operam daturos C expoſitionibus Commentatoris, & Pſalmodiam ſanctumque jejunium obſervaturos. Subditur denique, ut monachi ſtabilem in propriis cellis ac monaſteriis commorationem minime abrumpant otioſis evagationibus extra propria clauſtra: ſacra inſuper myſteria frequentent diebus dominicis & feſtis, itaut omnes celebrationi Liturgiæ divinarumque ſcripturarum lectioni intereſſe teneantur. Tranſgreſſores ſæpius moneantur: ſin vero reſipiſcere noluerint, D a conventu arceantur. Qui hos canones tranſgreſſus fuerit, a patre Patriarcha excommunicetur, ſuſpenſuſque maneat, donec reſipiſcat, & reſurgat.

ANNO CHRISTI 598.

## CONCILIUM OSCENSE.

ANNO CHRISTI 598.

Anno tertio decimo Regni Domini noſtri glorioſiſſimi Reccaredi regis, Æra DCXXXVI. anno Chriſti DXCVIII. celebratum.

**VETERES TITULI Concilii Oſcenſis.**

*I. Ut annuis vicibus Epiſcopus in ſua Diœceſi Concilium de ſuis Clericis, & Abbatibus faciat; necnon & diſcutiat adulteros, Clericos, vel Monachos* (a)

CA-

(a) Ex hoc titulo inferre liceret concilii hujus canones editos forte minus integros ad nos perveniſſe, cum de inveſtigatione criminoſorum monachorum nihil ſatis perſpicuum in eiſdem canonibus legatur.

## CANONES.

### I.

De concilio Oscensi fit mentio intra in concil. Tarrac. five Egarensi sub Sisebuto rege.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, convenientes omnes in unum, concilio Oſcenſi, hoc ſynodus ſancta fieri elegit, ut annuis vicibus unuſquiſque noſtrum omnes abbates monaſteriorum, vel presbyteros, & diaconos ſuæ diœceſis ad locum, ubi epiſcopus elegerit, congregare præcipiat: & omnibus regulam demonſtret ducendi vitas, cunctoſque ſub eccleſiaſticis regulis adeſſe præmoneat: quouſque etiam parſimoniæ & ſobrietatis, atque veridicæ caſtimoniæ, honeſtorum virorum teſtimonio fama commendet.

### II.

Solicitum etiam pro hac re unumquemque noſtrum eſſe convenit, ut curioſa indagine perquiramus, ſi presbyteris & diaconibus atque ſubdiaconibus & clericis, pudica & caſta ſit vita. Quod ſi, quod abſit, quidquam malum de quoquam fama dictaverit, per veram & certiſſimam clericorum probationem, vel virorum ammanuenſium, vel certe illarum fœminarum de quibus fama percurrit; atque etiam diverſis argumentis, ex quibus adulterorum indicia certiſſime ſuſpicare ſolent, omnia argutiſſime perquirantur: ut neque per ſalutatis obumbrationem quiſquam notetur, neque per quaſdam excuſationes admiſſum facinus operiatur; dum per publicam operationem minime ſe convinci garriant; ſed probatæ vitæ ſe vixiſſe, honeſtiorum clericorum teſtimonio clarere demonſtrent.

#### Nota Cardinalis de Aguirre.

Oſca, vulgo Huesca, urbs eſt Hiſpaniæ citerioris in regno Aragoniæ. Hic Sertorius Academiam erexit [illegible] juventutem inſtituit, atque [illegible], ut refert Plutarchus in Sertorio. Velleius: *Sertorium [illegible] Ilerda interemit*, ubi legendum Oſca. Strabo [illegible] de eodem Sertorio, [illegible] Oſca [illegible] emendavit cl. [illegible], ubi [illegible] Florus 3. 21. Oſcam inter urbes [illegible] a Sertorio occiſo in poteſtatem Romanorum venere. [illegible] ita legendus eſt: *Ipſa quoque in [illegible]* [illegible], Oſca, *Thermae* [illegible]. Oſca urbs Ille[illegible] in Vaſconiæ tractu, ad Iſuelam fluvium, novem leucis a Cæſaraugusta. Epiſcopatus eſt ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi olim, nunc Cæſaraugustano. Patriam fuiſſe S. Vincentii Martyris [illegible] Aragonenſium præcipue [illegible] non nulli contra [illegible] tenent, [illegible] Valentini, qui eum [illegible]. De Sancto Laurentio autem [illegible] dubium [illegible] Oſcenſem [illegible].

## SYNODUS CONSTANTINOPOLITANA.

a *Synodus.*) Hujus Synodi memoria reperitur dumtaxat apud ſanctum Gregorium lib. 7. ep. 70. indictione 2. qua ſcripſit ad omnes Epiſcopos (licet in inſcriptione epiſtolæ Euſebius Theſſalonicenſis Epiſcopus dumtaxat nominetur) monens eos, ut ſi Cyriacus Conſtantinopolitanus epiſcopus de nomine Oecumenici Conſtantinopolitano antiſtiti attribuendo, vel quid ſimile canonibus contrarium decernendo attentaret, fortiter illi omnes reſiſtant.

## CONCILIUM BARCINONENSE

ANNO CHRISTI 599.

### ÆRA DCXXXVII ANNO XIV.

### Regis Reccaredi, anno Chriſti DXCIX. habitum.

#### PRÆFATIO.

Non eſt in Collectione Iſidori

CUm duce domino Jeſu Chriſto, die Kalendarum Novembris, anno feliciter decimo quarto regis Chriſtianiſſimi & piiſſimi domini Reccaredi regis, Tarraconenſis provinciæ epiſcopi in urbem Barcinonenſem, in eccleſia ſanctæ Crucis, fuiſſent congregati, hoc ſancta ſynodus ſtatuere elegit.

#### CANONES.

##### I.

Ut cum ad officia eccleſiaſtica clerici provehuntur, nil pro benedictione, aut ſubdiaconii, vel presbyterii collata, quidquam, vel ſub obligationis nomine a quocumque epiſcopo, vel ab eius clero inquiratur: illud Domini Jeſu meminentes edictum, quod ait: *Gratis accepiſtis, gratis date.* Matth. 10.

##### II.

Simili etiam ſtatutum conditione eſt, ut cum chriſma presbyteris diœceſanis pro neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur; ne gratia Dei pretio benedictionis affecta, Simoniacum interitum ementibus vendentibuſque aſſociet.

##### III.

Hoc etiam innovandum cuſtodiendumve in omnibus ſancta ſtatuit ſynodus, ut ſecundum priſcorum canonum conſtituta, vel ſynodalium epiſtolas præſulum præmonentes, nulli deinceps laicorum liceat ad eccleſiaſticos ordines prætermiſſo canonum præfixo tempore, aut per

per ſacra regalia, aut per conſenſionem A cleri, vel plebis, vel per electionem, aſſenſionemque pontificum, ad ſummum ſacerdotium aſpirare, ac provehi; ſed cum per canonum conſcripta tempora eccleſiaſticos per ordinem, ſpeciali opere deſudando, probatæ vitæ adminiculo comitate, conſcenderit gradus, ad ſummum ſacerdotium, ſi dignitati vita reſponderit, auctore Domino provehatur. Ita tamen, ut duobus, aut tribus, quos ante conſenſus cleri & plebis elegerit, metropolitani judicio ejuſque coepiſcopis præſentatis, quem ſors, B præeunte epiſcoporum jejunio, Chriſto Domino terminante, monſtraverit, benedictio conſecrationis accumulet. Aliter deinceps, quod abſit, præſumptum, & ordinatores & ordinatos proprii honoris depoſitio ſubſequatur.

IV.

Pari etiam conſideratione ſancientes, ut ſi qua virgo propria voluntate, abjecta laicali veſte, devotarum more induta, caſtitatem ſervare promiſerit; vel ſi qui ho- C minum utriuſque ſexus pœnitentiæ benedictionem expetendo a ſacerdote perceperint, & ad terrena connubia ſponte tranſierint; aut violenter abſtractæ feminæ a pudicitiæ violatore ſe ſequeſtrare noluerint; utrique ab eccleſiarum liminibus expulſi ita ab hominum catholicorum communione ſint ſeparati, ut nulla prorſus eis vel colloquii conſolatio ſit relicta.

b SUBSCRIPTIONES.

Aſiaticus in Chriſti nomine epiſcopus Tarraconenſis metropolitanæ civitatis, his conſtitutionibus interfui, conſenſi & ſubſcripſi.

In Chriſti nomine Ugnus Barcinonenſis epiſcopus, hunc conſenſum ſubſcripſi.

A Simplicius in Chriſti nomine Urgelitanæ eccleſiæ epiſcopus, hanc conſtitutionem conſentiens ſubſcripſi.

In Chriſti nomine Aquilinus Auſonenſis eccleſiæ, hanc conſtitutionem conſentiens ſubſcripſi.

Julianus in Chriſti nomine eccleſiæ Dertoſanæ epiſcopus, annuens ſubſcripſi.

Mumius in Chriſti nomine eccleſiæ Calahorritanæ epiſcopus, conſentiens ſubſcripſi.

Galanus in Chriſti nomine eccleſiæ Empuritanæ epiſcopus, his conſtitutionibus annuens ſubſcripſi.

Froiſclus in Chriſti nomine eccleſiæ Dertoſanæ epiſcopus, annuens ſubſcripſi.

B Joannes peccator de Gerunda, in his conſtitutionibus annuens ſubſcripſi.

Maximus eccleſiæ Cæſarauguſtanæ miniſter, in his conſtitutionibus annuens ſubſcripſi.

Amelius in Chriſti nomine eccleſiæ Ilerdenſis epiſcopus, his conſtitutionibus annuens ſubſcripſi.

Ilergius in Chriſti nomine eccleſiæ Egarenſis epiſcopus, in his conſtitutionibus ſubſcripſi.

NOTÆ BINII EX GARSIA.

C a *Concilium*) Cum ſanctus Gregorius per Cyriacum abbatem ad præcipuos Galliarum epiſcopos ſcripſiſſet epiſtolas plures lib. 7. Indictione 2. extantes, ut ſimonia, aliaque nefanda crimina corrigerentur, eaque ibidem peracta fuiſſent, videtur idem Abbas juſſu ſancti Gregorii in Hiſpanias profectus eſſe, ut ad extirpandam ubique ſimoniacam hæreſim idem fieret in Hiſpaniis quod in Galliis factum fuerat. Nam ſecundum argumentum illarum epiſtolarum ſancti Gregorii, quas in Gallias detulit Cyriacus, hoſce quatuor canones patres Barcinonenſis concilii edidiſſe reperiet, quiſquis prædictas epiſtolas legerit. Hæc Baronius anno 599. num. 23. Cauſæ Concilii hujus quæ.

b *Subſcriptiones*) Aſiaticus Metropolita Tarraconenſis ſucceſſit Artemio, qui ſubſcribit in Cæſarauguſtano II. Ugnus Barcinonenſis ſcribit in III. Toletano, ſimiliter Simplicius Urgelitanus & Aquilin. Auſonenſis in II. Cæſarauguſt. & Julianus Dertoſanus: in utroque etiam & Mumius: Galanus in II. Cæſarauguſtano ſine titulo eccleſiæ: in III. Toletano ſubſcripſit Froiſclus, D non adjecto nomine epiſcopatus. Jam diximus ſupra, qua ratione duo ejuſdem eccleſiæ haberent titulum, Julianum Dertoſæ in II. Cæſarauguſtano, & III. Toletano, & Mumius ſimiliter. Maximus Cæſauguſtanus fuit vir eruditione & pietate conſpicuus: ſcripſit de rebus Gothorum in Hiſpania, ut refert S. Iſidorus, *Garſias*.

# CONCILIUM INCERTO LOCO
## IN GALLIA CELEBRATUM

Circa annum Domini DC.

Ex Annal. Eccleſ. Baronag Ethe rod ſcript ad An. Ch. 600

IN epiſtolis Columbani ſynodum in Gallia incerto loco celebratam deprehendimus, ſed tam obſcuris temporis notis involutam, E ut anno ſuo illam reddere Chronologorum viribus editus exiſtimemus. Scribentis verba hæc ſunt in epiſt. 2. *Mihi liceat cum veſtra pace, & charitate, in his ſylvis ſilere & vivere juxta oſſa noſtrorum fratrum decem & ſeptem defunctorum, ſicut uſque nunc licuit nobis inter vos vixiſſe duodecim annos*. Utrum vero anni illi duodecim ab adventu Columbani in Gallias, vel ab incolatu Luxovienſi numerentur, non ſatis liquet. Quamquam eo magis inclinet animus, ut a Luxovienſi habitatione numerandi faciendum ſit initium. Dum igitur in Luxovienſi eremo degeret, ſynodus, cujus meminimus, in Gallia cogitur, quam de Paſchatis ſolemnitate conſultum ivit, quia variabat in ea re Scotorum, Britonumque, & Gallorum, Romanorumque diſciplina: *Deo gratias*, inquit, *quod vel pro me de Paſchate diſcutiendo occaſio vobis ſancta facta eſt ſynodi*. Deinde Chriſtum ſupplex orat, *ut non de ſolo Paſcha negotio, quod jam diu ventilatum, ac diu varie a diverſis auctoribus judicatum eſt*, tractent, *ſed etiam de univerſis neceſſariis obſervationibus canonicis*,

quæ

quæ a multis, quod gravius eſt, ea apta ſunt. Voce quoque libera profeſſus ſe ad ſynodum non iviſſe, ne penſans in ea contenderet, de Paſchatis quæſtione ſententiam ſuam oſtendit: *Confiteor conſcientiæ meæ ſecreta, quod plus credo Traditioni patriæ meæ, juxta Do.... & calculum 84. annorum, & Anatolium ab Euſebio Eccleſiaſticæ hiſtoriæ auctore epiſcopo, & ſancto Catalogi ſcriptore Hieronymo laudatum, Paſcha celebrare, quam juxta Victorium nuper dubie ſcribentem, & ubi neceſſe erat nihil definientem.* Sancta denique compellatione ſynodi Patres hortatur, *ut cum pace & humilitate ſine ulla contentione libri legantur utrique, & quæ plus veteri & novo teſtamento concordant, ſine invidia ſerventur.* Quid in Paſchali hoc negotio peractum ſit, nos prorſus fugit. Pacem Luxovienſibus ceptam non fuiſſe ſit vero ſimillimum, cum Monaſterium Columbanus ſuum incoluerit, donec an. 606. prætextu variantis a Gallorum ritibus diſciplinæ, regno Theodorici pelleretur. Concilium porro, quod epiſtola ſua Columbanus adiit, incerti & loci & temporis in an. Chr. 600. abſque Chronologiæ injuria collocari poſſe exiſtimamus.

## SENONENSE CONCILIUM IN GALLIA

ANNO CHRISTI 601.

ANNO CHRISTI 601.

*Anno 601. circiter.*

Ex Supplem. Manſ. pag. 1411.

DE hoc concilio ita nos in nota ad Pagium ad an. 601. 16. Circa hunc annum celebratum fuiſſe concilium quoddam Senonenſe docet nos vetuſtus author vitæ S. Betharii Carnotenſis epiſcopi, qui narrato bello a Theodorico rege Burgundiæ geſto cum Clotario, cæteriſque, de quibus Pagius, ſubdit: *Accidit quoque illis diebus ut indiceretur ſynodale concilium Senonis civitate, ad quam cum perveniſſet* (Betharius) *cum cæteris clericis, coram pontificibus cum omni honore ibidem eſt ſuſceptus.* Vide Bollandiſtas ad diem 2. Auguſti pag. 171. Concilium hoc indictum fuiſſe arbitror a Patribus Gallicanis, ut obſequerentur voluntati S. Gregorii papæ, qui ſcriptis per Galliam literis ad Regem, ad Reginam, ad Vigilium Arelatenſem, alioſque ſuaſit, concilia indicerent ad morum reformationem, ad tollendam ſimoniam, & neophytorum ordinationem. Has literas detulit Cyriacus Abbas S. Andreæ in clivo Scauri, quem ad eaſdem ſynodos admitti Pontifex rogavit. Nec alia forte eſt ſynodus illa hoc circiter anno in Gallia celebrata, ad quam invitatus S. Columbanus ire recuſavit, ne, ut ipſe ait in epiſtola II., quietem ſuam ad duodecim annos inter fratres ſuos (in ſolitudine ſcilicet Volagi) productam, turbaret. Actum in ea de quæſtione Paſchatis, quæ ætate illa inter Scotos, Britones, Gallos, ac Romanos agitabatur. Author collectionis conciliorum Veneto-Labbeanæ concilii hujus notitiam ex Baſnagio in annalibus accepit. Baſnagius vero, ſicut & Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib. 9. num. 34. rem ex epiſtola S. Columbani repetentes, ſub nomine concilii incerti loci illud deſignarunt. Sed locum concilii Senonenſem urbem fuiſſe ex vita S. Betharii a nobis producta diſcimus.

## CONCILIUM (1) ROMANUM III.

## SIVE LATERANENSE, (a)

### Tempore Gregorii Papæ I. in quo anno domini DCI. pro monachis ſequens conſtitutum edidit.

*Gregorius epiſcopus * omnibus epiſcopis.*

* ſervus ſervorum Dei.

Extat ſere eadem inter epiſtolas S. Greg. lib. 7. indict. 1. ep. 18.

QUam ſit neceſſarium monaſteriorum quieti conſpicere, & de eorum perpetua ſecuritate tractare, ante actum nos officium, quod in regimine cœnobii exhibuimus, informat. Et quia in plurimis monaſteriis multa a præſulibus præjudicia atque gravamina monachos pertuliſſe cognoſcimus; oportet ut veſtræ fraternitatis proviſio de futura quiete eorum ſalubri diſponat ordinatione, quatenus converſantes *in illis in Dei ſervitio, gratia ipſius ſuffragante libere perſeverent. Sed ne ex ea quæ magis emendanda eſt conſuetudine quiſquam monachis quidquam moleſtiæ præſumat inferre; neceſſe eſt ut hæc quæ inferius enumerare curavimus, ita ſtudio fraternitatis epiſcopi * debeant * cuſtodire, ut ex eis non poſſit ulterius inquietudinis * occaſio reperiri.

* illi

* epiſcopo. * eam cuſtod. * alia

Interdicimus igitur in nomine domini noſtri Jeſu Chriſti, & ex auctoritate beati Petri apoſtolorum principis, cujus vice huic Romanæ eccleſiæ præſidemus, prohibemus, ut nullus epiſcoporum aut ſæcularium ultra præſumat de reditibus, rebus, vel chartis monaſteriorum, vel de cellis, vel villis quæ ad ea pertinent, quocumque modo, qualibet occaſione minuere, vel dolos, vel immiſſiones aliquas facere. Si qua cauſſa forte inter

(1) Ex hoc forte Concilio edita a Gregorio M. epiſtola ad Marinianum Archiep. Raven. quam affert Ughellus de Archiep. Raven. num. 34. Hac autem confirmat Eccleſiæ Ravennat. Exarchatum Æmiliæ a ſuis anteceſſoribus & Imperatoribus antea collatum: atque ad contradicentem; *Sciat*, inquit, *ſe ex parte Dei omnipotentis, & ſanctorum 318. patrum, nec non & noſtræ mediocritatis auctoritate, & ſanctæ ſynodi Romanæ præſenti indictione congregatæ anathematis vinculis innodatum.* De qua vero indictione loquatur, epiſtola non exprimit. Verum cum iam conſtitutum pro Monachis, quem hac epiſtola data ſit ferme circa idem tempus, nempe hac die 24. Martii, illud 5. A villa, facile eſt utraque ex eodem Concilio emiſſa, præcipue cum eodem interfuerit Marinianus, qui primus actis ſubſcripſit.

(a) Hæc ipſa pariter conſtitutio legitur adjecta epiſtolæ S. Gregorii ad Caſtorium Ariminenſem Epiſcopum in editione Monachorum S. Benedicti Pariſienſi lib. 2. regeſt. indict. X. epiſt. 41. ex qua editione hic pariter datur lib. 4. ep. 43. ex quo inferas Concilium illud celebrari minime potuiſſe poſt annum 592. quo indictio X. decurrebat. In Labbeo quidem epiſtola hæc ad Caſtorium obſignatur indict. XIII. ſed editores Benedictini hanc temporariam notam in mſs. minime ſe reperiſſe, niſi in veter. Colbert. & in Collect. Pauli Diaconi teſtantur; quia nec ambo inter ſe cohærere ad indictionem X. omnino referenda probant. *Manſ.*

A inter terram venientem ad partem ſuarum eccle-
ſiarum & monaſteriorum evenerit, & pacifice non
* potuit ordinari, apud electos abbates & alios
patres * timentes dominum, ſine voluntaria di-
latione, mediis ſacroſanctis evangeliis finiatur.

Defuncto autem abbate cujuſque congregatio-
nis, non extraneus eligatur, niſi de eadem con-
gregatione, quem ſi propria voluntate concors
fratrum ſocietas elegerit: & qui electus fuerit,
ſine dolo vel venalitate aliqua ordinetur. Quod
ſi aptam inter ſe perſonam invenire nequeant,
ſolerter ſibi curent de aliis monaſteriis ſimiliter
ordinandum. Neque conſtituto abbate quæcum-
que perſona qualibet occaſione præponatur, niſi
forte extantibus (quod abſit) criminibus, quæ
ſacri canones punire monſtrantur,

Pariter autem cuſtodiendum eſt, ut invito ab-
bate, ad ordinanda alia monaſteria, aut ad ordi-
nes ſacros, vel clericatus officium tolli exinde mo-
nachi non debeant.*

Deſcriptiones quoque rerum & chartarum mo-
naſterii ab epiſcopo eccleſiaſticas fieri omnino * ve-
tamus: ſed ſi quando res exigit, abbas loci cum
aliis (a) fratribus * cauſſas rerum inventarum
faciat, & eorum * conſilio & judicio finiantur.
Obeunte quoque abbate, epiſcopus in deſcriben-
dis providendiſque rebus monaſterii acquiſitis, vel
datis * perquirendis nullatenus ſe permiſceat. Miſ-
ſas quoque publicas ab eo in cœnobio fieri omni-
no prohibemus, ne in ſervorum Dei receſſibus &
C eorum receptaculis ulla * popularis præbeatur oc-
caſio conventus, vel mulierum fiat novus introi-
tus, quod omnino nec expedit animabus eorum.
Neque audeat ibi cathedram collocare, vel * quan-
tamlibet poteſtatem habere imperandi, nec ali-
quam ordinationem quamvis leviſſimam faciendi,
niſi ab abbate loci fuerit rogatus, quatenus mo-
nachi ſemper maneant in abbatum ſuorum pote-
ſtate: nullumque monachum ſine teſtimonio vel
conceſſione abbatis (b) in aliqua eccleſia teneat,
vel ad aliquem promoveat honorem.

Hanc ergo ſcriptorum noſtrorum paginam om-
ni futuro tempore ab omnibus epiſcopis firmam
ſtatuimus illibatamque ſervari, ut & ſuæ eccleſiæ
juvante domino tantummodo * jure contenti, &
D monaſteria eccleſiaſticis conditionibus, ſeu anga-
riis, vel quibuslibet obſequiis ſæcularibus nullo
modo ſubjaceant, nullis canonicis * juribus deſer-
viant, ſed remotis vexationibus * in cunctis gra-
vaminibus * diurnum opus cum ſumma animi de-
votione perficiant.

Univerſi epiſcopi * reſpondere: Libertati mo-
nachorum congaudemus, & quæ nunc de his ſta-
tuit beatitudo veſtra firmamus.

## SUBSCRIPTIONES.

Gregorius epiſcopus catholicæ & apoſtolicæ Ro-
manæ eccleſiæ huic conſtituto a nobis promulga-
to ſubſcripſi.

E Agnellus epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Ferentinen-
ſis huic conſtituto a vobis promulgato ſubſcripſi.

* Humilis epiſcopus * Belitrenſis huic conſtituto
a vobis promulgato ſubſcripſi.

Et ſic alii omnes epiſcopi numero viginti, qua-
tuordecim presbyteri, & diaconi quatuor, die No-
nas Aprilis, indictione * quarta (c).

*Integras ſubſcriptiones, quas huic Concilio ſubji-
ciendas cenſuit Labbeus reperiſſe ſe arbitratus eſt in
MS. Cod. Cœnobii Flaviniacenſis in Burgundia Du-
catu diœceſ. Auguſtodun. Eas pariter ſervat vetu-
ſtiſſimus Codex Friſingenſis, de quo ſæpe alias dixi;
& poſtrema iſta quidem cum Flaviniacenſibus in
epiſcopis fere per omnia congruunt; at in presbyte-
ris multo auctiores ſunt. Amotis ergo prioribus,
poſteriores dabo, variantibus in margine adnotatis.
Denique animadvertendum eſt, ſubſcriptiones haſce
ad aliud Concilium Romanum pertinere, ut ego in
mea ad decreta Gregorii adnotatione indicavi.*

## SUBSCRIPTIO EPISCOPORUM.

B Gregorius gratia Dei epiſcopus his decretis ſub-
ſcripſi.
Marinianus epiſc. civitatis Ravennæ.
Joannes epiſc. civitatis * Tarentinæ.
Joannes epiſc. civitatis Falaritanæ.
Romanus epiſc. civitatis Blentanæ.
* Belagius epiſc. civitatis Anagninæ.
* Joannes epiſc. civitatis Belliternæ.
Luminoſus epiſc. civitatis Ferentino.
Balbinus epiſc. civitatis Roſellæ.
Martianus epiſc. civitatis Ferentis.
Dominicus epiſc. civitatis Utriculanæ.
Fortunatus epiſc. civitatis Neapolim.
Proculus epiſc. civitatis Præneſtinæ.
Paulus epiſc. civitatis Nepeſinæ.
C * Gratioſus epiſc. civitatis Numentum.
* Agellus epiſc. civitatis Terracinenſis.
Dominicus epiſc. civitatis Centumcellenſis.
* Filex epiſc. civitatis Portuenſis.
Candidus epiſc. civitatis Bulſinenſis.
* Uribonus epiſc. civitatis * Turcanenſis.
[illegible]undinus epiſc. civitatis Tauromenio.
Homobonus epiſc. civitatis Albanenſis.
* Conſtantinus epiſc. civitatis Narnienſis.
Anaſtaſius epiſc. civitatis Tiburtinæ.
epiſc. XXIV.

## SUBSCRIPTIO PRESBYTERORUM.

Laurentius presb. tit. S. Sylveſtri.
D Specioſus presb. tit. S. Clementis.
Deuſdedit presb. SS. Joan. & Pauli.
Creſcens presb. tit. S. Laurentii.
Vibulus presb. tit. S. Marcelli.
Spectatus presb. tit. S. Vitalis.
Felix presb. tit. S. Sixti.
Juſtus presb. tit. SS. Nerei & Achilei.
Maurus presb. tit. S. Priſcæ.
Victor presb. tit. S. Ceciliæ.
Aurelius presb. tit. S. Praxedis.
Joannes presb. tit. SS. Joan. & Pauli.
Filex presb. S. Sabinæ.
Baſſus presb. tit. S. Putentis.
Albinus presb. tit. SS. Marcellini & Petri.
Antonius presb. tit. S. Balbinæ.
E Romanus presb. tit. S. Marcelli.
Aventius presb. tit. S. Cyriaci.
Joannes presb. tit. S. Vitalis.
Deuſdedit presb. tit. S. Praxedis.
Andromacus presb. tit. Apoſtolorum.
Ruſticus presb. tit. S. Suſannæ.
Petrus presb. tit. S. Balbinæ.

Spe-

Margin notes: * poſuerit * ita — * In i. Flavin. alias hæc inſeruntur: Sed ſi abundantes fuerint qui ad celebrandas Dei laudes vel utilitates loci explendas ſufficiant, de his qui ſuperfuerint offerat abbas coram Deo quos dignos potuerit. Quiſquis autem ex monaſterio ad eccleſiaſticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec poteſtatem aliquam, nec licentiam habeat habitandi. — * denegamus * noticiam * conſilia ſine præjudicio finiat * adquirendiſve * popularibus conventibus * quamlibet fiat * curie * ac * divinum — * presbyteri & diaconi dixerunt. — * Joannes humilis * Velitrenſis * ſit — alias tertia — * Edit. Pariſ. Surrentinæ. — * Pelagius * Deeſt hic in Flavin. — * Lab. Generoſus * Lab. Angelus * Lab. Felix * Lab. Urbanus * Lab. Tuſcanenſis * Lab. Conſtantius

(a) In edit. Pariſ. eſt, *cum aliis abbatibus*.

(b) *In Eccleſia aliqua vocat.* Pariſ.

(c) Subſcriptiones ſuperius adnotatæ quanquam hic retuli ut Labbeanam editionem repræſentarem, adhuc tamen ab hoc concilio alienæ ſunt, cum potius ad concilium ſub Gregorio II., anno 721. celebratum, pertineant, uti ſcite monent Ballerini in Append. ad Opera S. Leonis Magni pag. CCXLIII. *Manſ.*

# SYNODUS WIGORNENSIS

## AB AUGUSTINO PRIMO DOROBERNIÆ

Seu Cantuariæ archiepiſcopo Ethelberti regis ope convocata ad Auguſtineizac locum in Wigornia, præſentibus, præter Auguſtinum & Romanum ſuum clerum, epiſcopis ſeptem & doctoribus plurimis Britannicis, duabus ſcilicet ſeſſionibus. In quibus Auguſtinus primo poſcit obedientiam Romanæ eccleſiæ, poſtea ut Britones ſint Romanis conformes in tribus iſtis, in paſchate celebrando, baptiſmo miniſtrando, in prædicando Angloſaxonibus.

Auguſtinus poſcit clerum Britannicum ſibi conformem.

INterea Auguſtinus, adjutorio uſus Edilberthi A Regis, convocavit ad ſuum colloquium epiſcopos ſive doctores maximæ & proximæ Britonum provinciæ, in loco ubi uſque hodie lingua Anglorum *Auguſtineszac*, id eſt, robur Auguſtini, in confinio Vectiorum & occidentalium Saxonum appellatur, cœpitque eis fraterna admonitione ſuadere, ut pace catholica ſecum habita, communem evangelizandi gentibus pro domino laborem ſuſciperent: non enim paſchæ diem dominicum ſuo tempore, ſed a decimaquarta uſque ad viceſimam lunam obſervabant. Quæ computatio octoginta quatuor annorum circulo continetur. Sed & alia plurima unitati eccleſiæ contraria faciebant. Qui, cum longa diſputatione habita, neque precibus, neque hortamentis, ne- B que increpationibus Auguſtini ac ſociorum ejus aſſenſum præbere voluiſſent, ſed ſuas potius traditiones univerſis quæ per orbem ſibi in Chriſto concordant eccleſiis præferrent, ſanctus pater Auguſtinus hunc laborioſi ac longi certaminis finem fecit, ut diceret: Obſecremus Deum, qui habitare fecit unanimes in domo Patris ſui, ut ipſe nobis inſinuare cæleſtibus ſignis dignetur, quæ ſequenda traditio, quibus viis ad ingreſſum regni illius properandum. Adducatur aliquis æger, & per cujus preces fuerit curatus, hujus fides & operatio Deo devota atque omnibus ſequenda credatur. Quod cum adverſarii, inviti licet, concederent, allatus eſt quidam de genere Anglorum, oculorum luce privatus, qui cum oblatus C Britonum ſacerdotibus nil curationis vel ſanationis horum miniſterio perciperet, tandem Auguſtinus juſta neceſſitate compulſus flectit genua ſua ad Patrem domini noſtri Jeſu Chriſti, deprecans ut viſum cæco, quem amiſerat, reſtitueret, & per illuminationem unius hominis corporalem, in plurimorum cordibus fidelium ſpiritalis gratiæ lucem accenderet. Nec mora, illuminatur cæcus, ac verus ſummæ lucis præco ab omnibus prædicatur Auguſtinus. Tum Britones confitentur quidem intellexiſſe ſe, veram eſſe viam juſtitiæ, quam prædicaret Auguſtinus, ſed non ſe poſſe abſque ſuarum conſenſu ac licentia priſcis abdicare moribus.

Renuentem miraculo vincit.

Petunt ſecundam Synodum celebrationem.

Unde poſtulabant ut ſecunda ſynodus pluribus D advenientibus fieret. Quod cum eſſet ſtatutum, venerunt (ut perhibent) ſeptem Britonum epiſcopi, & plures viri doctiſſimi, maxime de nobiliſſimo eorum monaſterio, quod vocatur lingua Anglorum Bancornaburg, cui tempore illo Dinooth abbas præfuiſſe narratur, qui ad præfatum ituri concilium, venerunt primo ad quemdam virum ſanctum ac prudentem, qui apud eos anachoriticam ducere ſolebat vitam, conſulentes an ad prædicationem Auguſtini ſuas deferre traditiones deberent: qui reſpondebat: Si homo Dei eſt, ſequimini illum. Dixerunt: Et unde hoc poſſumus probare? At ille, dominus, inquit, ait, *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde*. Si ergo Auguſtinus ille mitis eſt, & humilis corde, credibile eſt, quia jugum Chriſti & ipſe portet, & vobis portandum offerat: ſin autem immitis ac ſuperbus eſt, conſtat quia non eſt de Deo, neque nobis ejus ſermo curandus eſt. Qui rurſus ajebant: Et unde vel hoc dignoſcere valemus? Procurate, inquit, ut ipſe prior cum ſuis ad locum ſynodi adveniat, & ſi vobis appropinquantibus aſſurrexerit, ſcientes quia famulus Chriſti eſt, obtemperantem illum audite: ſin autem vos ſpreverit, nec coram vobis aſſurgere voluerit, cum ſitis numero plures, & ipſe ſpernatur a vobis. Fecerunt ut dixerat. Factumque eſt, ut venientibus illis ſederet Auguſtinus in ſella. Quod illi videntes, mox in iram converſi ſunt, eumque notantes ſuperbiæ, cunctis quæ dicebat contradicere laborant.

Virum ſanctum conſulunt.

Matth. 11.

Auguſtini ut diceb. faſtum ſpernunt.

Dicebat autem eis, quod in multis quidem noſtræ conſuetudini, immo univerſalis eccleſiæ contraria geritis: & tamen ſi in tribus his mihi obtemperare vultis, ut paſcha ſuo tempore celebretis, ut miniſterium baptizandi, quo Deo renaſcimur, juxta morem Romanæ ſanctæ eccleſiæ, & apoſtolicæ eccleſiæ compleatis, ut genti Anglorum una nobiſcum prædicetis verbum domini, cetera quæ agitis, quamvis moribus noſtris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus. At illi nihil horum ſe facturos, neque illum pro archiepiſcopo habituros eſſe reſpondebant, conferentes ad invicem: Quia ſi modo nobis aſſurgere noluit, quanto magis, ſi ei ſubdi cœperimus, jam nos pro nihilo contemnet. Quibus vir domini Auguſtinus fertur minitans prædixiſſe, quod ſi pacem cum fratribus accipere nollent, bellum ab hoſtibus forent accepturi: & ſi nationi Anglorum noluiſſent viam vitæ prædicare, per horum manus ultionem eſſent mortis paſſuri.

In tribus poſtulat, & negantes excidium prædicat.

Quod ita per omnia (ut prædixerat) divino agente judicio patratum eſt. Siquidem poſt hæc ipſe, de quo diximus, rex Anglorum fortiſſimus Edilfridus, collecto grandi exercitu ad civitatem Legionum, quæ a gente Anglorum Legaceſter, a Britonibus autem Carlegion appellatur, maximam gentis perfidæ ſtragem edidit. Cumque bellum acturus videret ſacerdotes eorum, qui ad exorandum Deum pro milite bellum agente convenerant, ſeorſim in tutiore loco conſiſtere, ſciſcitabatur qui eſſent ii, quidve acturi illo conveniſſent. Erant autem plurimi eorum de monaſterio Bancor, in quo tantus fertur fuiſſe numerus monachorum, ut cum in ſeptem portiones eſſet cum præpoſitis ſibi rectoribus monaſterium diviſum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum ſuarum vivere ſolebant. Horum ergo pluri-

Quod brevi evenit.

Monaſterium Bancor 2100 habet monachos opere manuum viventes.

plurimi ad memoratam aciem, peracto jejunio A triduano, cum aliis orandi cauſſa convenerant, habentes defenſorem nomine Brocmalium, qui eos intentos precibus a barbarorum gladiis protegeret. Quorum cauſſam adventus cum intellexiſſet rex Ediſfridus, ait: Ergo ſi adverſum nos ad Deum ſuum clamant, profecto & ipſi, quamvis arma non ferant, contra nos pugnant, qui adverſus nos * in precationibus proſequuntur. Itaque in hos primum arma verti jubet, & ſic ceteras nefandæ militiæ copias, non ſine magno exercitus ſui damno, delevit. Extinctos in ea pugna ferunt de his qui ad adorandum venerunt viros circiter mille ducentos, & ſolum quinquaginta fuga eſſe lapſos. Brocmalius ad primum hoſtium adventum cum ſuis terga vertens, eos quos defendere debuerat inermes ac nudos ferientibus gladiis reliquit. Sicque completum eſt præſagium pontificis Auguſtini, quamvis ipſo jam multo ante tempore ad cæleſtia regna ſublato, ut etiam temporalis interitus ultionem ſentirent perfidi, quod oblata ſibi perpetuæ ſalutis conſilia ſpreverant. *Hactenus Beda hiſt. Anglic. lib.* 2. *cap.* 2.

* imprecationibus.

Horum mille ducenti occiduntur.

ANNO CHRISTI 602.

# a CONCILIUM BYZACENUM

## IN CAUSSA CLEMENTII PRIMATIS

Provinciæ Byzacenæ, celebratum in Africa, anno domini DCII. tempore Gregorii papæ I.

Cauſa concilii.

a *Concilium*) Cum Clementius primas provinciæ Byzacenæ gravium criminum reus conſtitutus eſſet apud ipſum Romanum pontificem, viſum eſt ipſi pontifici, qui inter Longobardorum gla- B dios ſæpius verſabatur, ut collecto epiſcoporum concilio hæc cauſſa ab epiſcopis comprovincialibus exactiſſime tractaretur. Vide Gregor. epiſt. 35. lib. 10.

ANNO CHRISTI 603.

# a CONCILIUM CABILONENSE

## IN QUO SANCTUS DESIDERIUS EPISCOPUS

Vienenſis, Brunichilde regina inſtigante, exauctoratus eſt anno Chriſti DCIII. Gregorii magni papæ XIV. Theodorici regis VIII. Clotarii junioris XIX.

Ex Sirmondo.

B*Runichildis impios mores multi eo ſæculo viri ſancti liberius arguebant: inter ceteros, ut Ado in chronico teſtatur, Deſiderius epiſcopus Vienneuſis. Quem illa capitali exinde proſequens odio, primum exilio relegandum, tum deinde poſt aliquot annos perimendum curavit. Sed ante omnia, ut fraudem tegeret, id agit, ut epiſcopali honore in Synodo Cabilonenſi ſpoliaretur. Synodo enim præfuit Aridius Lugdunenſis antiſtes, Brunichildis adverſus Deſiderium conſiliorum particeps & adjutor. Fredegarius in appendice ad Gregorium Turon.* Anno VIII. regni Theodoryci Synodus Cabillono colligitur. Deſiderium Viennenſem epiſcopum dejiciunt: & inſtigante Aridio Lugdunenſi epiſcopo, & Brunichilde, ſubrogatus eſt loco ipſius ſacerdotali officio Domnolus. Deſiderius vero in in- C ſulam quamdam exilio retruditur. * *Et poſt alia.* Anno XII. Theodoricus conſilio Aridii epiſcopi Lugdunenſis, & perſuaſione Brunichildis aviæ, Deſiderium ſanctum de exilio egreſſum lapidari præcepit.

Addendum eſt Eo anno ſol obſcuratus eſt.

### Nota Jacobi Sirmondi, S. J.

a *Concilium Cabilonenſe*) Anno octavo Theodorici regis habitum fuiſſe hoc concilium auctor eſt Fredegarius. Ducuntur autem, ut paulo ante dictum eſt, anni Theodorici & Theodeberti fratrum regnum ex anno Chriſti 596. Quare octavus illorum annus congruit anno Chriſti 603. Itaque hunc annum ſynodo inſcripſimus. Alii quinquennio poſt ſtatuunt. Sed firmat ſententiam noſtram obſervatio, quam habet idem Fredegarius. Nam ingens hoc anno fuit ſolis eclipſis die 12 menſis Auguſti. *

forte ſecundo hora tertia pomeridiana.

# a CONCILIUM NUMIDIÆ

## IN CAUSSA DONADEI DIACONI, ET PAULINI EPISCOPI

Juſſu ſancti Gregorii in Numidia celebratum.

Cauſa concilii.

a *Concilium*) Donadeus Africanæ eccleſiæ diaconus, in Numidia a Victore epiſcopo injuſte degradatus, ad ſedem apoſtolicam appellavit. Quem dum ſanctus Gregorius audiſſet, cauſſam ejus a primate Numidiæ, aliiſque ejus provinciæ epiſcopis, in publico concilio cognoſci voluit; ut ſi diaconus re vera innocens repertus eſſet, Victor epiſcopus, qui eum damnaverat, digna cenſura percelleretur. In eodem concilio co- D gnoſci mandavit cauſſam Regini Numidiæ epiſcopi, qui a ſuis clericis accuſatus fuerat, quod ſimoniacis ordines eccleſiaſticos conferret: quod ſi verum eſſet, juſſit tam epiſcopos dantes, quam accipientes canonica pœna damnari. De innovandis ſimoniacorum pœnis in eodem concilio aliud præceptum addidit. Vide epiſtolas Gregorii 8. & 31. lib. 10.

ANNO CHRISTI 604.

# SABINIANI PAPÆ VITA.

*Hoc & quæ ſequuntur ueſ. poſt ſibum in Anaſtaſio b. bibliothecario Moguntiæ. edito deſunt pro ſunt.*
* Volaterra.
* menſes ſ. dies 19.
* per ſolidos 15.
* addidit.
* evectum

Dantur varietates ex cod. Luc. 496.

SAbinianus, natione Tuſcus, de civitate * Ulera, ex patre Bono [b], ſedit * annum unum, menſes quinque, dies novem. [c] Eodem tempore fuit fames in civitate Romana gravis. Facta autem pace cum gente Longobardorum, & juſſit aperire horreum eccleſiæ, & venumdari frumentum (a) populo * per ſolidum unum tritici modios triginta (b). Hinc in eccleſia beati Petri apoſtoli luminaria (c)* dedit. [d] Quo defuncto, funus ejus (d)* ejectum eſt per portam ſancti Joannis, & ductum eſt foris muros civitatis per pontem Milvium. Qui & ſepultus eſt in eccleſia beati Petri apoſtoli (e) die XXII. menſis Februarii. Hic eccleſiam de clero implevit. Hic epiſcopos fecit per diverſa loca numero ſex & viginti, & [e] ceſſavit epiſcopatus menſes XI. dies XXVI. (f)

## NOTÆ SEVERINI BINII.

*An. Sabinianus Gregorio immediate ſucceſſerit, & quando.*

a *Sabinianus*) Poſtquam defuncto beato Gregorio ſedes apoſtolica menſibus quinque & novendecim diebus vacaſſet, ipſis kalendis Septembris, anno Chriſti nati 604. Sabinianus, non ſine tumultu, (ut ex Bonifacii ſucceſſoris illius conſtituto colligere licet) electus fuit. Hoc tam Latinis, quam Græci omnes confirmant. Qua auctoritate igitur tertius ſcribat Nicephorus Calliſtus quemdam Innocentium ſancto Gregorio ſubrogatum fuiſſe, non video. Tempore Mauritii functus eſt munere apocriſiarii apud urbem Conſtantinopolim, habuitque in officio ſucceſſorem Anatolium, & poſt eum temporibus Phocæ Bonifacium, qui ſecundus etiam in ſede apoſtolica ſucceſſor eſſe meruit.

*Quamdiu ſederit.*

b *Sedit annum unum, menſes quinque, dies novem.*) Menſibus quinque & novendecim diebus ſedit ex ſententia Baronii, omniumque veterum & Græcorum, qui omnes aſſerunt defunctum eſſe undecimo kalendas Martias, indictione octava, eadem qua pontificatum obtinuerat.

c *Eodem tempore fuit fames in civitate Romana, &c.*) De hac fame Paulus diaconus lib. 4. cap. 9. ait. *Fuit hiems frigida nimis, & emortuæ ſunt vites pene in omnibus locis meſſeſque percuſſæ rubigine paſſim evanuere.* Hujus famis tempore, in deteſtationem avaritiæ, contigiſſe videtur illud miraculum quod ſub pontificatu Sabiniani Sigebertus in chronico verbis hiſce deſcribit. *Hoc tempore*, inquit, *pauper quidam, cum a nautis eleemoſynam peteret, nec acciperet, dicente Nauclero: Deſiſte petere a nobis eleemoſynam, qui nihil præter lapides habemus, cum ſubjeciſſet pauper: Omnia ergo vertantur in lapides; quidquid manducabile in navi erat, in lapides converſum eſt, colore & forma rerum eadem permanente.*

*Cibaria in lapides converſa.*

d *Quo defuncto.*) Cauſſam repentini obitus Sabiniani pontificis terribiliorem affert Sigebertus in chron. his verbis deſcriptam: *Cum Sabinianus papa & ipſe liberalitati Gregorii prædeceſſoris ſui derogaret, Gregorius eum per viſum ter pro culpa tenacia & hujus derogationis increpavit, quod non reſipiſceret, etiam quarto horribiliter increpans, & comminans in capite percuſſit. Quo ille dolore vexatus, non multo poſt mortem obiit.* Hujus rei gratia accidit ſine dubio quod de ſepultura ejus ſupra enarrat Anaſtaſius: quamquam dubium nullum ſit adverſus eum gravius commotum fuiſſe populum, ideo maxime quod triticum eccleſiæ non (ut conſueverat ſanctus Gregorius) in pauperes erogaſſet, ſed potius unum modium triginta ſolidis venum expoſuiſſet. De eodem Onophrius, neſcio quo auctore ſcribit. *Hic Gregorii prædeceſſoris ſui adeo maxime adverſatus eſt, ipſum maximis proſequens calumniis, adeo ut aliquando non veritus ſit referre de ejus operibus cremandis, tamquam haud ſanam doctrinam ſentientibus, quæ tamen a Petro doctiſſimo ſacræ Romanæ eccleſiæ diacono defenſa ſunt. Hic papa campanarum uſum invenit, juſſitque ut ad horas canonicas & miſſarum ſacrificia pulſarentur in eccleſia.* Hoc qua auctoritate ſcriptor ſæculi præcedentis aſſerat, nondum mihi ſatis compertum eſt. Lectio, quam habet codex Anaſtaſii Moguntiæ excuſus, *funus ejus evectum eſt*, omnem de obitu ejus terribili opinionem aut fabulam tollit.

*Obitus Sabiniani qualis.*

e *Ceſſavit epiſcopatus menſes undecim, dies viginti ſex*) Hujus interregni tempore Phocas, tyrannus magis quam imperator deinceps habitus, rebellantem Romanorum ducem multis victoriis contra Perſas obtentis glorioſiſſimum Narſetem, iteratis juramentis redire perſuaſum, fœdifragus & perjurus imperator vivum comburi juſſit. Cedrenus & auctor miſcell. hiſt. anno 3. Phocæ.

# SYNODUS LONDINENSIS

*Ab Auguſtino & coepiſcopis habita, quæ nuptiæ in tertio neceſſitudinis gradu, & quæ cum fœmina velata componuntur, inſectæ judicatæ ſunt, circa annum 605.*

*Ex W. lkins Conc. Magnæ Britanniæ I. pag. 25. Baluz. Miſcell. 6. pag. 461.*

HUjus ſynodi S. Bonifacius Moguntinus archiepiſcopus in epiſtola ad Zachariam Papam meminit his verbis. *Laicus quidam magnæ perſonæ ad nos veniens dicebat, ſibi ab apoſtolicæ ſedis pontifice ſanctæ memoriæ Gregorio datam fuiſſe licentiam, ut in matrimonium acciperet viduam avunculi ſui, quæ & ipſa fuit uxor conſobrini ſui, & ipſa, illo vivente, diſceſſit ab eo, & iſti viro, qui nunc eam accipere deſiderans affirmabat ſibi licentiam datam, in tertia generatione propinqua eſſe dignoſcitur, & votum vovit Deo caſtitatis, & velata fuit, & iterum abjecto velamine maritata. Tale enim matrimonium ſupradictus homo ſibi ab Apoſtolico affirmat eſſe conceſſum. Quod non æſtimamus eſſe verum, quia ſynodus & eccleſia, in qua natus & nutritus ſui, idest in tranſmarina Saxonia, Ludunenſis ſynodus* (lege Londinenſis) *quæ in primis a diſcipulis S. Gregorii, id eſt Auguſtino, Laurentio, Juſto, Mellito archiepiſcopis conſtituta & ordinata fuit, talem copulam & matrimonium maximum ſcelus, & inceſtum, & horribile flagitium, & damnabile piaculum eſſe, ex auctoritate ſanctæ Scripturæ, judicabant.*

Neque alio videtur referendum, quod in ipſius Zachariæ ad eundem Bonifacium epiſtola legitur. *Primum capitulum pro ſynodo provinciæ, in qua natus & nutritus es: quam & in gentem Anglorum & Saxonum in Britannia inſula primi prædicatores ab apoſtolica ſede miſſi, Auguſtinus, Laurentius, Juſtus & Honorius, & noviſſime tuis temporibus Theodorus ex Græco Latinus, ante philoſophus & Athenis eruditus, Romæ ordinatus, pallio ſublimatus, ad præfatam Britanniam tranſmiſſus, judicabat & gubernabat. In illa tale decretum & judicium firmiſſime præceptum & diligenter demonſtratum eſſe dignoſcitur, ut quicumque ſine invocatione Trinitatis lotus fuiſſet, ſacramentum regenerationis non haberet.* Hoc quoque obſervaſſe in dicta ſynodo ſacerdotes, ut qui vel unam de Trinitate perſonam in baptiſmo non nominaret, illud

(a) *decſt populo* (b) *hic.* (c) *addit.* (d) *eleſitur.*
(e) *die XXII. Menſis Februarii* deeſt (f) *addit. depoſitus ſub die XXII. Menſ. Februarii.*

illud baptiſma verum non eſſe poſſet. Vide Gratian. de conſecrat. diſtinct. 4. in ſynodo Anglorum.

JOANNIS DOMINICI MANSI AD HANC SYNODUM ADNOTATIO.

CL. Wilkins ad ſynodum hanc S. Auguſtini referendam cenſet ſanctionem illam, cujus meminit Zacharias papa in epiſtola ad S. Bonifacium de baptiſmo abſque SS. Trinitatis invocatione irrito atque inani. Verum illam ego ad ſynodum Londinenſem ſub Theodoro epiſcopo congregandam malverim; nam ſynodum illam, cujus meminit Zacharias, celebratam aſſerit in eccleſia quam *Auguſtinus, Juſtus & Honorius & noviſſime Theodorus ex Oratu Latinis judicabat & gubernabat*; vix autem ante Theodori hujus mentio inducta fuiſſet, niſi ſynodus illa ſub eo conveniſſet. Quare in mea hac collectione hunc canonem ad Theodori ſynodum retuli.

ANNO CHRISTI 605

# CONCILIUM CANTUARIENSE

## HABITUM QUINTO IDUS JANUARII,

**Anno dominicæ incarnationis DCV. præſentibus rege & Auguſtino epiſcopo, clero etiam & populo, ad confirmandum monaſterium ſanctorum Petri & Pauli cum prædiis & libertatibus quod fundavit ipſe Auguſtinus juxta Cantuariam, & primum fuit omnium monaſteriorum inter Angloſaxones.**

Ex hiſtor. Thom. Sprot. ap. Ben. p. 49.

AUguſtinus ſuſcepto pallio a beato Gregorio per Laurentium & Petrum, de quibus ſupra fit mentio, Doroberniam reverſus eſt, & cum apoſtolicis inſigniis in ſede ſua conſecratus inthronizatur. Et in præfato monaſterio monachos inibi perpetuis temporibus Deo ſervituros inſtituens, Petrum monaſteriali prælatione dignum eidem collegio præfecit (rege aſtipulante) in abbatem primum.

Anno dominicæ incarnationis DCV. Ethelbertus rex in fide roboratus catholica, una cum * beata Regina filioque ipſorum Eadbaldo, ac reverendiſſimo præſule Auguſtino ceteriſque primatibus terræ, ſollemnitatem natalis domini celebravit Cantuariæ. Convocato igitur ibidem communi concilio tam cleri quam populi die quinto Idus Januarii, omnium & ſingulorum approbatione & conſenſu monaſterium ſupradictum per ipſum beatum Auguſtinum Deo & monachis ibidem perpetuo domino Deo ſervituris cum dotatione ejuſdem tradidit, atque perpetua libertate donavit, poſſeſſionibuſque terrarum variis, & aliis donis ampliſſimis ditavit, ac eidem monaſterio congregationem monachorum, eiſdemque Petrum monachum ſuperius nominatum ad abbatiam præpoſuit: & ut hæc legentibus manifeſtius appareant, tenorem codicillorum Ethelberti & Auguſtini dignum duxi annotare.

* Bertha

B

*In nomine domini Jeſu Chriſti, notum ſit omnibus tam præſentibus quam poſteris, quod ego Ethelbertus Dei gratia rex Anglorum, per evangelicum genitorem meum Auguſtinum, de idolatra factus Chriſticola, tradidi Deo per ipſum antiſtitem aliquam partem terræ juris mei ſub orientali muro civitatis Dorobernæ*, &c.

# CONCILIUM CANTUARIENSE.

## Pro confirmando monaſterio SS. Petri & Pauli, ejuſque juribus, anno 605. celebratum

### *ADDITIO.*

Ex Manſ. ſuppl. Tom. I. pag. 163.

COncilium hoc indicante Spelmanno Labbeum non latuit, legiturque tom. VI. col. 1351. Venet. edit. Illud vero ex codicillo II. Æthelberti regis erutum eſt, cujus ſane ſcripti exordium Labbeus afferens, reliqua omittit; ego integrum nactus ex appendice ad tomum IV. conciliorum Angliæ Cl. VVilkins, hoc totum tranſcribo.

### SECUNDA CHARTA REGIS ÆTHELBERTI.

*Dotatio terræ de Langeport.*

Suſpectam habet Uſſerius apud Wilkins to. IV. pag. 731.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti: notum ſit omnibus, tam præſentibus, quam poſteris, quod ego Æthelbertus, Dei gratia rex Anglorum, per evangelicum genitorem meum Auguſtinum de idolatra factus chriſticola, tradidi Deo per ipſum antiſtitem aliquam partem terræ juris mei ſub orientali muro civitatis Dorobernia, ubi ſcilicet per eundem in Chriſto inſtitu-

C

torem monaſterium in honore principum apoſtolorum Petri & Pauli condidi, & cum ipſa terra, & cum omnibus quæ ad ipſum monaſterium pertinent, perpetua libertate donavi, adeout nec mihi, nec alicui ſucceſſorum meorum regnum, nec ulli unquam poteſtati, ſive eccleſiaſticæ ſive ſæculari quicquam inde liceat uſurpare, ſed in ipſius abbatis ſint omnia libera ditione. Si quis vero de hac donatione noſtra aliquid minuere, aut irritum facere tentaverit, auctoritate Dei & beati papæ Gregorii, noſtrique apoſtoli Auguſtini, ſimul & noſtra imprecatione ſit hic ſegregatus ab omni ſanctæ eccleſiæ communione, & in die judicii ab omni electorum ſocietate. Circumcincta eſt hæc terra his terminis. In oriente eccleſia ſancti Martini. Et inde ad orientem be Sivvendoune. Et ſic ad aquilonem be VVyhongeſmarke. Iterumque ad orientem & ad auſtrum be Burghvvaremarke. Et ſic ad auſtrum & occidentem be Kingeſmarke. Item ad aquilonem & orientem be Kingeſmarke. Sicque ad occidentem to Rideſchaepe. Et ita ad aquilonem to Dritingſtreet. Actum eſt hoc in civitate

tate Dorovernì. Anno ab Incarnatione Chriſti DCV. indictione VIII.

✠ Ego Æthelbertus rex Anglorum hanc donationem meam ſigno Sanctæ crucis propria manu confirmavi. ✠ Ego Auguſtinus gratia Dei archiepiſcopus libenter ſubſcripſi. ✠ Ego Ædbaldus regis filius ſavi. ✠ Ego Hamgiſilus dux laudavi. ✠ Ego Hocca comes conſenſi. ✠ Ego Angemundus referendarius approbavi. ✠ Ego Graphio comes benedixi. ✠ Ego Tangiſilus regis optimas confirmavi. ✠ Ego Pinca conſenſi. ✠ Ego Geddi corroboravi.

## ☞ SYNODUS PERSICA NESTORIANORUM

*In qua de fide aliiſque ad diſciplinam ſpectantibus actum eſt,*

Præſide Gregorio Neſtorianorum Catholico, anno XV. Choſroæ filii Hormiſdæ regis, Chriſti 605. celebrata.

Ex Suppl. Manſi Tom. I pag. 461.

IN hac ſynodo Gregorius electus fuit; *verba ſunt Eliæ Damaſceni in Nomocanone Arabico pag. 75. apud Aſſemanum Bibl. Orient. to. III. pag. 453.* anno quintodecimo ejuſdem Choſroæ, menſe Niſan (*hoc eſt aprili*). Deinde relatum eſt de fide & eccleſiaſticis legibus, atque canonibus patrum: viſumque fuit hæc omnia in unum volumen referri, juxta morem peritorum Catholicorum, qui hactenus conſueverant in Metropolitanorum & epiſcoporum ſynodo fidem ſuam iterare, leges ſancire, & propriam religionem conſtabilire. Fecerunt itaque quod Sabarjeſus ejuſque metropolitani & epiſcopi una congregati ſecerant, & quæcumque illi damnaverant, condemnarunt cc. *Acta ejus ſuſiora dat ſynodicus Arabicus apud eundem Aſſemanum ibid. pag. 452. his verbis.*

## ☞ GREGORII CATHOLICI SYNODUS.

HÆc ſynodus magnum fidei ſymbolum confirmavit; tum etiam magni commentatoris expoſitiones approbavit. Memoriam præterea deinceps fieri juſſit Barſumæ Metropolitæ Niſibis, eumque cum ſuis ſcriptis a quorundam ſectariorum calumniis vindicavit. Qui ſecus feciſſent, excommunicationi ſubjecit. In hac itidem ſynodo confirmata fuere, quæ olim ſtatuta fuerant ad coercendos ſacerdotes certa eccleſia aut certo monaſterio carentes, qui nec Rectoribus parebant, nec in ſchola manebant, ſed ſolitarii habitabant & per domos vagabantur: eaque decreta extendi voluit ad ſorores, quæ virum non habentes, & per domos circumeuntes, mores hominum corrumpebant: nec non ad negligentes monachos, qui in pagis vel in ſuburbiis ædes conducebant, homineſque depravabant. Unanimi ergo Patrum conſenſu decrevit ſynodus, preſbyterum & Diaconum certa eccleſia carentes, & feminam quamcumque nec virum habentem, nec in monaſterio commorantes, necnon fratrem cum ſororibus vagantem, aut ſorores cum fratribus vagantes, ſeu monachum in ſolitaria domo in pagis atque ſuburbiis habitantem, a communione arcendos. Epiſcopum vero hominum hujuſmodi correctionem negligentem, ab omnibus admonendum. Dictumque fuit in ſynodo, monachos quoſdam ob perverſas opiniones quædam de ſacris & vivificis precibus omittere. Hos etiam excommunicatione coercendos patres decrevere. Relatum præterea fuit in ſynodo, quoſdam eccleſias & monaſteria ædificaſſe, eiſdemque redditus aſſignaſſe, eoſque conſanguineis ſuis ex teſtamento commiſiſſe, quos illi poſt fundatorum obitum in ſuos uſus convertiſſent. Sanxit ſynodus, ſcripturas, ad hujuſmodi negotia pertinentes, apud epiſcopum ſervari oportere, & ad hunc ſpectare expenſarum atque reddituum prædictorum locorum adminiſtrationem.

## ☞ ÆTHELBERTI ANGLORUM REGIS

De rebus Dei & eccleſiis non abſtrahendis,

## L E G E S.

*Hæc ſunt judicia, quæ Æthelbertus rex conſtituit Auguſtini diebus.*

Ex eodem Manſi ibid.

Ex Wilkins tom. I. pag. 19.

I. DEi peculium & eccleſiæ duodecies emendetur; epiſcopi peculium undecies emendetur; ſacerdotis peculium novies emendetur; diaconi peculium ſexies emendetur; clerici peculium ter emendetur; eccleſiæ pax bis emendetur; monaſterii pax bis emendetur.

II. Si rex populum ſuum ad ſe vocaverit, & ipſis quis ibi malefecerit, dupliciter compenſetur, & regi L. ſolidi ſolvantur.

III. Si rex in alicujus domo convivetur, & ibi aliquid damnum quoddam fecerit, duplici emendatione emendet &c.

*Sequuntur reliquæ leges Æthelberti, quæ cum ad res eccleſiaſticas nequaquam pertineant, ideo hic omittuntur. VILKINS.*

BONI-

ANNO CHRISTI 606. | ANNO CHRISTI 610.

# BONIFACII PAPÆ III. VITA.

*Dantur variantes ex cod. Luc. 490.* — * 23. — * *Id eſt decretum* — * *& quem voluerint habeant*

a BOnifacius, natione Romanus, ex patre Joanne Cataudioce, ſedit menſes octo, dies (a) * viginti octo. b Hic obtinuit apud Phocam principem, ut ſedes apoſtolica B. Petri apoſtoli caput eſſet omnium eccleſiarum, id eſt, eccleſia Romana, quia eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium eccleſiarum ſcribebat. Hic fecit * conſtitutum in eccleſia beati Petri, in qua ſederunt epiſcopi ſeptuaginta duo, presbyteri Romani (b) triginta quatuor, diaconi, & omnis clerus ſub anathemate, ut nullus pontifice vivente, aut epiſcopo civitatis ſuæ, præſumat loqui de ſucceſſore, aut partes ſibi facere, niſi tertio die depoſitionis ejus, adunato clero, & filiis eccleſiæ: tunc electio fiat, * & quem quiſque voluerit habebit licentiam eligendi ſibi ſacerdotem. Qui defunctus, ſepultus eſt in eccleſia beati Petri apoſtoli die 12. menſis Novembris. Hic fecit epiſcopos per diverſa loca numero 21. & ceſſavit epiſcopatus menſes decem, dies ſex.

## NOTA SEVERINI BINII.

*Bonifacius quando pontifex factus.*

a *Bonifacius.*) Poſt interregnum undecim menſium & 26. dierum, decimoquinto Kalendas Martias, anno Chriſti Redemptoris ſexcenteſimo ſexto, qui eſt quartus imperatoris Phocæ, Bonifacius, quem ſanctus Gregorius apocriſarii munere fungentem miſerat Conſtantinopolim ad Phocam imperatorem, ex diacono creatus eſt pontifex; ideo quod is gratus eſſet imperatori, cum quo Conſtantinopoli uſque ad obitum S. Gregorii amice vixerat. Cum enim tyrannica uſurpatione imperatorum orientalium, oporteret ad electionem cleri Romani accedere conſenſum imperatoris, eum eligere ſtudebant, quem eidem gratum fore ſciebant. Sic factum fuit, quod ſicut hoc loco Bonifacius, ita etiam ſupra Vigilius, Gregorius, atque Sabinianus munere apocriſarii fungentes electi fuerunt.

*Cur apocriſarii plures ad pontificatum aſſumpti.*

b *Hic obtinuit apud Phocam, &c.*) In odium Cyriaci Conſtantinopolitani patriarchæ, contra morem ſuorum anteceſſorum imperatorum, Romano pontifici pluſquam Conſtantinopolitanæ urbis antiſtiti favens, hoc de quo cum epiſcopis Conſtantinopolitanis Pelagius, Gregorius, & Bonifacius pontifices jamdiu ante contenderant, decidit Phocas imperator: nimirum, quod Conſtantinopolitanus epiſcopus nomen œcumenici indebite uſurpet, utpote quod ſoli Romanæ eccleſiæ jure divino debeatur. Romanam eccleſiam ſemper tenuiſſe primatum ſuper omnes totius orbis eccleſias, ſatis declarant ea quæ ſupra in ſingulis pontificibus annotavi: & ſingulariter ea quæ de primatu Romanæ eccleſiæ dixi in notis concilii Nicæni I. Can. 6. & 7. quæque de nomine œcumenico a Romanis pontificibus uſurpato vel attributo notavi ſupra in concilio Chalcedonenſi. Romanæ eccleſiæ primatum agnoverunt etiam ipſi refractarii & ambitioſi epiſcopi Conſtantinopolitani Joannes & Cyriacus; quando hic profeſſionem fidei ad ſanctum Gregorium miſit, ille vero ſuo de presbyteris ad Romanam ſedem appellantibus judicio per Gregorium retractato non gravate acquievit. Nomen œcumenici longe ante tempora Phocæ a ſynodo Chalcedonenſi & a patriarcha Alexandrino pontifici Romano oblatum fuiſſe, præter ea quæ ego locis allegatis ſupra annotavi, teſtatur ſanctus Gregorius epiſtola 30. libro 7. indictione 1. Quid ergo Phocas ſuo edicto Romanæ eccleſiæ contulit? Nihil plane, niſi quod ſua ſententia declaraſſet, ut non Conſtantinopolitanus, ſed tantum Romanus pontifex ſolus œcumenicus appellaretur. Idque præter morem ſuorum anteceſſorum, ut ſupra dixi, fecit in odium Cyriaci epiſcopi, a quo ſe impeditum ajebat, quod Germanus patricius imperii perduellis juſtam ſceleris vindictam effugiſſet. *Poſt detectam conjurationem conſortes ſeditionis feminæ ad eccleſiam confugerant*, inquit Theophanes: *volenti eas inde abſtrahere, Cyriacus patriarcha reſtitit, non ferens e templo abduci.* Qua occaſione cum expectata præda e manibus imperatoris opera Cyriaci eſſet elapſa, viderenturque ex ipſo novi imperatoris creandi fomenta ſubminiſtrari, redditus eſt infenſior Cyriaco, cœpitque Romanæ eccleſiæ favere. Quod cum Bonifacio innotuiſſet, illo odio Cyriaci bene uſus, hoc quod a Mauritio imperatore S. Gregorius ſæpe licet fruſtra petierat, a Phoca facile impetravit, ut in primis Joannem de titulo œcumenici vana blaterantem, deinde vero Cyriacum ejus ſucceſſorem coerceret, promulgato tali edicto, ne quis nomen œcumenici, ſoli Romano pontifici debitum, ſibi ambitioſe arrogaret. Unde manifeſtiſſime conſtat quod Phocas hoc edicto, cujus etiam mentio reperitur apud Paulum diaconum lib. 4. cap. 11. de geſtis Longobardorum, Romanæ eccleſiæ primatum non contulerit, ut malitioſe calumniantur novatores noſtri temporis, ſed tantum declaraverit nomen œcumenici illi ſoli jure divino competere. Quæ cum tam aperta luce veritatis conſtent, non dubito quin ſupra modum pœniteat novatores hæreticos hanc rem in controverſiam adduxiſſe. Vide Baron. ann. 606. Bellarm. lib. 2. de conciliis.

*An Phocas Romanæ eccleſiæ primatum contulerit.*

# a CONCILIUM ROMANUM

## SUB BONIFACIO III.

### Celebratum anno DCVI. De modo eligendi Romanum pontificem.

*Cauſa & acta concilii.*

a *Concilium.*) Per ambitionem multorum clericorum in electionem pontificis irrepſerat, ut ſuperſtite adhuc pontifice, de eo qui poſt obitum ejus in ſucceſſorem eligendus eſſet, tractaretur. Quæ facinoroſa molitio, etiamſi ante ſacris legibus pontificiis vetita fuiſſet, tamen e re eccleſiæ futurum exiſtimavit Bonifacius, ſi ad tollendum pravum illum uſum electionis ſynodale decretum ederetur. Quare ubi primum ſedem pontificiam adeptus fuit, in baſilica Vaticana hanc ſynodum ſeptuaginta duorum epiſcoporum convocavit, qua ad reformandos pravos electionis pontificiæ mores, ſub pœna anathematis conſtitutum fuit, ut non prius de eligendo ſucceſſore pontificis agatur, quam defunctus pontifex triduo ſepultus fuerit. Acta concilii ſummatim recenſentur ab Anaſtaſio ſupra in vita Bonifacii III.

ANNO CHRISTI 607. | ANNO CHRISTI 607.

# BONIFACII PAPÆ IV. VITA.

*Dantur variantes ex Cod. Luc. 490.*

a BOnifacius natione Marſorum, de civitate Valeria, ex patre Joanne medico, ſedit annos ſex, menſes octo, dies tredecim. Hujus temporibus fames, peſtilentiæ, & inundationes aquarum graviſſimæ fuerunt. Eodem tempore b petiit a * Phocate principe templum quod appel-

* *Phoca*

(a) XXII. (b) XXXIII.

pellatar Pantheon : in quo fecit eccleſiam (a) A
ſanctæ Mariæ ſemper virginis, & omnium* mar-
tyrum. In qua eccleſia (b) princeps multa (c)
bona obtulit. Hic domum ſuam monaſterium fe-
cit, quod & ditavit. Qui defunctus ſepultus eſt
ad beatum Petrum apoſtolum die vigeſimo quin-
to menſis Maii. Hic fecit ordinationes duas per
menſem Decembrem, diaconos octo, epiſcopos
per diverſa loca* (d) triginta quinque. (e)

* martyrum Chriſti.

* 25.

## NOTÆ SEVERINI BINII.

Bonifacius IV quando pontifex creatus.

a *Bonifacius.*) Decima octava die Septembris, anni
ſexcenteſimi ſeptimi, poſt interregnum decem menſium &
ſex dierum creatus eſt pontifex Bonifacius ejus nominis
quartus. Hujus temporibus Perſæ fuſis aliquoties Roma-
norum exercitibus, Armeniam, Cappadociam, Galatiam
& Paphlagoniam occuparunt. Heraclius prætor Africæ, a
Priſco Phocæ genero adjutus, & ad rebellionem ſollicita-
tus, habita pugna imperatoris exercitum profligavit, at-
que captum in prælio cum fratribus & neceſſariis omnibus
obtruncari juſſit, inferens illi pro ſuo merito idem vitæ
ſupplicium quod de Mauritio ejuſque cognatione ipſe ſum-
pſerat. De Phoca imperatore apud Cedrenum & Nice-
phorum memorabile legitur illud, quod monacho quæren-
ti, *cur tam impium Chriſtianis impoſuiſſet imperatorem?*
Deus reſponderit, *deteriorem illo alium invenire non po-
tuiſſe ultorem, & hoc meruiſſe Conſtantinopolitanorum flagi-
tia.* Præterea eumdem magnopere contendiſſe, ſed reſi-
ſtentibus epiſcopis quod moliebatur non effeciſſe, ut mirum
qui in bello contra Chriſtianæ fidei hoſtes certantes ce-
ciderent, inter martyres cenſerentur; eo conſilio, ut col-
lapſam Romanorum militiam erigeret & firmaret. Per hoc
tempus Saraceni apud Damaſcum templum ſancti Theodo-
ri martyris conſpuerunt, & ex iis unus ſagittam intor-
ſit in ejus imaginem, & dextro ejus humero eſt infixa,
defluente ſanguine. Damaſcenus orat. 3. de imaginibus.

Phocas ab Heraclio obtruncatus.

b *Petiit a Phocate principe templum quod appellatur Pan-
theon, &c.*) Cum Bonifacius videret Phocam imperato-
rem erga Romanos pontifices propenſiorem, illa, quod
nemo anteceſſorum ſuorum unquam tentarat, Pantheon no-
bile delubrum ab imperatore ſibi dari petiit, ut expurga-
tum ab antiqua ſordibus idololatriæ Deo conſecraret.
Quod cum impetraſſet, abſque mora templum, quod
etiamnum hodie beatæ Mariæ ad martyres nominatur, ab
idolis expurgatum, divino cultui dedicavit. Sic mirandum
illud opus tot antiquorum ſcriptorum præconiis celebra-
tum, a Marco Agrippa tertium conſule tempore Augu-
ſti imperatoris erectum, Jovique Vindici conſecratum,
poſt ſexcentos triginta duos annos Chriſtianæ religionis
uſui ceſſit. Quod prius divino cultui dicatum fuerit, fa-
ctum eſt, quia execrabile videbatur delubra idolis conſe-
crata Chriſtianæ religionis uſui mancipare, ut patet ex
Gregorio, qui templa Angliæ idolis conſecrata potius di-
rui quam religioſe uſurpari decreverat. Quod vero Chri-
ſtiani Romanæ eccleſiæ ſedem dæmonis hactenus non fue-
runt demoliti, accidit ob ſolidæ molis ſtructuram firmiſ-
ſime ſtabilitam. Quando autem ſanctus Gregorius novel-
lis Chriſtianis in Anglia indulſiſſet, ut delubra deorum
gentilium integra relinquerentur, ritaque ſolenni expur-
gata ex profanis ſacra efficerentur, inſtiterunt Romani,
& ſimul impetrarunt, ut Pantheon in eccleſiam commu-
taretur, dictoque titulo beatæ Mariæ virginis & ſancto-
rum martyrum conſecraretur. Quam inepte hinc inferant
Centuriatores Romanum pontificem hiſce temporibus in
antichriſtum eſſe mutatum, ut qui Pantheon templum
omnium deorum aperuerit, nemo non ſatis manifeſte in-
telligit. Nam ſi, quod legimus Daniel. 11. antichriſtus
pugnaturus eſt contra omnes deos, & ſolum in occulto
adoraturus eſt deum Maozim, ſeque ſupra omne quod di-
citur Deus teſte Paulo 2. Theſſal. cap. 2. eſt elevatu-
rus, nulla ratione ex hoc facto Bonifacii concludi poteſt,
Romanum pontificem in antichriſtum mutatum eſſe. Quod
aiunt erexiſſe eum templum omnium deorum, ea quæ ſu-
pra dixi id falſum eſſe oſtendunt. Ante hæc tempora ſan-
ctorum cultum in eccleſia frequentatum, reliquias eorum-
dem pie & religioſe cultas, eccleſias in honorem ſancto-
rum Deo erectas fuiſſe, contra novatorum calumniam ſu-
pra multis locis annotavi; ita ſupervacaneum eſſe puta-
verim eadem hic ſæpius repetere.

Pantheon divino cultui conſecratur.

An hoc tempore papa cœperit eſſe antichriſtus.

B

C

ANNO CHRISTI 610.

# CONCILIUM ROMANUM SUB BONIFACIO IV.

ANNO CHRISTI 610.

In cauſſa Anglicanæ eccleſiæ celebratum Romæ, anno VIII. Phocatis imperatoris, indictione XIII. & tertia die Kalendarum Martiarum, rem Anglicam promovente, & in eodem conſedente Mellito primo epiſcopo Londinenſi.

*Non reperiuntur iſtius Concilii Canones vel decretum,* * *ſed finitis quæ ſcribit de Laurentio archiepiſcopo Cantuariæ, Beda ſic progreditur, lib. 2. cap. 4.*

* inquit Binius, nos illud poſtea exhibebimus. Cauſa ſynodi & tempus.

HIs temporibus venit Mellitus Londoniæ epiſcopus Romam, de neceſſariis eccleſiæ Anglorum cauſſis cum apoſtolico papa Bonifacio tractaturus. Et cum idem papa reverendiſſimus cogeret ſynodum epiſcoporum Italiæ, de vita monachorum & quiete ordinaturus, & ipſe Mellitus inter eos aſſedit anno octavo imperii Phocatis principis, indictione decima tertia, tertia die Kalendarum Martiarum, ut quæque erant regulariter decreta, ſua quoque auctoritate ſubſcribens confirmaret, ac in Britanniam rediens, ſecum Anglorum eccleſiæ mandata atque obſervanda deferret, una cum epiſtolis quas idem pontifex Deo dilecto archiepiſcopo Laurentio, & clero univerſo, ſimiliter & Edilberto regi atque genti Anglorum direxit. Hic eſt Bonifacius quartus a beato Gregorio Romanæ urbis epiſcopo, &c.

## NOTA SEVERINI BINII.

Extra mœnia Londini civitatis recens erat extructum monaſterium, pro cujus regulari obſervantia Mellitus plurimum ſolicitus Romam ſe contulerat, ut pote quod illud ipſum fore ſciret, ſi bene cuſtodiretur, amplum ſeminarium, ex quo omnes eccleſiæ, quæ erant in Anglia, ſibi antiſtites adſciſcerent. His accedebat alia cauſa, quæ & potiſſima videri poterat, an nimirum rata ſit habenda eccleſiæ ſancti Petri ejuſdem monaſterii dedicatio divinitus facta, de qua plura valde miranda refert Ealredus abbas, ſcriptor graviſſimus in vita ſancti Eduardi regis Anglorum, apud Surium die quinta Januarii. Vide Baronium anno 610. numero 10.

D

# BONIFACII PAPÆ IV.

## DECRETUM SYNODI

* promulgatum in concilio Romano III. Kal. Martias anno Chriſti DCX.

* Editum p. 242. collectionis Holſtenianæ.

*Quomodo liceat Monachis cum ſacerdotali officio ubi ubi miniſtrare.*

SUnt nonnulli fulti nullo dogmate, audaciſſime quidem, zelo magis amaritudinis quam dile-

Apud Grat. xvi q. 1. cap. 25. Ivo p. 1 c. 28.

(a) *Beatiſſimæ glorioſæ, & Dei genitrici, ſemperque Virgini Mariæ.* (b) *Phocas.*
(c) *dona.* (d) XXXVI (e) *addit. & ceſſavit epiſcopatus Menſ. VI. dies XXV.*

dilectione inflammati, aſſerentes monachos, quia mundo mortui ſunt, & Deo vivunt, ſacerdotalis officii potentia indignos, neque pœnitentiam, neque Chriſtianitatem largiri, neque abſolvere poſſe per ſacerdotali officio divinitus injunctam poteſtatem, ſed omnino labuntur. Nam ſi ex hac cauſſa veteres æmuli vera prædicarent, apoſtolicæ compar ſedis beatiſſimus Gregorius monachico cultu pollens ad ſummum nullatenus apicem conſcenderet. Quoniam quidem hæc oſtiatim fungendi, ligandi, ſolvendique poteſtas a Deo ſumma conceditur. Auguſtinus quoque ejuſdem ſanctiſſimi Gregorii diſcipulus Anglorum prædicator egregius, ac Pannonienſis Martinus beatiſſimus, cujus ſanctitatis fama longe lateque diffuſa totus perſonat mundus; alii quoque jam plurimi ſanctiſſimi pretioſiſſimo monachorum habitu fulgentes nequaquam annulo pontificali ſubarrarentur, ſi quia monachi fuerunt prædictis uti prohiberentur. Neque enim Benedictus monachorum præceptor almificus hujuſcemodi rei aliquo modo fuit interdictor; ſed eos ſæcularium negotiorum edixit expertes fore ſolummodo. Quod quidem apoſtolicis documentis, & omnium ſanctorum patrum inſtitutis non ſolum monachis, verum etiam canonicis maximopere imperatur. *Nemo enim militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus*. Utriſque etiam præfatorum patrum exemplis perſpicacibus circumquaque ut mundo mortui ſint evidentiſſima ratione præcipitur. Tantorum igitur patrum inſtituti exemplis, quibus periculoſiſſimum eſt refragari, credimus a ſacerdotibus monachis ligandi ſolvendique officium Deo imperante haud indigne adminiſtrari, ſi eos digne contigerit ad hoc miniſterium ſublimari. Quod incunctanter affirmat, quiſquis ſtatum monachorum & habitum potentatumque evidenter conſiderat. Verbi gratia: Angelus græce, latine nuntius dicitur. Sacerdotes igitur monachi atque canonici, qui quotidie ſancta Dei præcepta annunciant, angeli vocantur, ratione non incongrua. Sed unuſquiſque angelicus ordo quanto claritatem Dei vicinius contemplatur, tanto dignitate ſublimior affirmatur. Nam uti cherubim, monachi ſex alis velantur. Duæ quidem in capitio quo caput tegitur veriſimilibus demonſtrantur aſſertionibus. Illud vero tunicæ quod brachiis extenditur, alas duas eſſe dicimus: & illud tandem quo conditur corpus, ſex alarum numerum certiſſime implere aſſeritur. Decertantes igitur monachicæ profeſſionis presbyteros ſacerdotalis potentiæ arcere officio, omnimodo præcipimus, ut ab hujuſcemodi nefandis auſibus reprimantur in poſterum quia quanto quiſque celſior, tanto potentior.

2. Tim. 2. 4.

## EJUSDEM BONIFACII IV.

Epiſtola ex eodem concilio data ad Athelbertum regem Anglorum.

*Domino excellentiſſimo atque præcellentiſſimo regi Anglorum Athelberto Boniſacius epiſcopus ſervus ſervorum Dei.*

DUm chriſtianitatis veſtræ integritas ita circa conditoris ſui cultum excreverit, ut longe lateque reſplendeat, & in omni mundo annuntiata, veſtræ Deo dignæ operationis augmenta referat; enormes largitori omnium bonorum Deo grates exſolvimus, qui vos de excelſo proſpexit, & in tanto virtutum culmine erexit. Quapropter, glorioſe fili, quod ab apoſtolica ſede per coepiſcopum noſtrum Mellitum poſtulaſtis, libenti animo concedimus: id eſt, ut veſtra benignitas in monaſterio in Doroverneni civitate conſtituto, quod ſanctus doctor veſter Auguſtinus, beatæ memoriæ Gregorii diſcipulus, ſancti ſalvatoris nomini conſecravit, cui ad præſens præeſſe dignoſcitur dilectiſſimus frater noſter Laurentius, licenter per omnia monachorum regulariter viventium habitationem ſtatuat: Apoſtolica auctoritate decernentes, ut ipſi veſtræ ſalutis prædicatores monachi, monachorum gregem ſibi aſſocient, & eorum vitam ſanctam tum moribus exornent. Quæ omnia decreta ſi quis ſucceſſorum veſtrorum regum, ſive epiſcoporum, clericorum, ſive laicorum irrita facere tentaverit, a principe apoſtolorum Petro, & a cunctis ſucceſſoribus ſuis anathematis vinculo ſubjaceat, quo adulque quod temerario auſu peregit, deo placita ſatisfactione pœniteat, & hujus inquietudinis veram emendationem faciat. In Chriſto valeas domine fili.

### OBSERVATIO PHILIPPI LABBE S. J.

Illud idem decretum ſynodale a Bonifacio IV. papa promulgatum in concilio Romano anno 610. jampridem deſcripſimus ex veteri codice S. Symphoriani Metenſis qui modo viſitur in bibliotheca V. C. Claudii Hardy Pariſienſis ſenatoris eruditiſſimi: quod cum ab Holſteniano in quibuſdam plurimum differre animadverterim, ambigendum mihi non putavi quin illud etiam tibi, lector, offerrem.

*Ex concilio ſancti Boniſacii papæ, qui quartus a beato Gregorio fuit: Quod liceat monachis ubi cum ſacerdotali officio * celebrare.*

SUnt nonnulli ſtulti dogmatis, magis zelo amaritudinis, quam dilectionis inflammati, aſſerentes monachos, quia mundo mortui ſunt, & Deo vivunt, ſacerdotali officio indignos, neque pœnitentiam, aut chriſtianitatem, ſeu abſolutionem largiri poſſe per ſacerdotalis officii injunctam gratiam, ſed omnino falluntur. Nam ſi ex hac cauſſa veteres æmuli vera prædicarent, apoſtolicæ ſedis compar beatus Gregorius monachico pollens cultu, ad ſummum apicem nullatenus conſcenderit, cui ſolvendi ligandique poteſtas conceſſa eſt. Auguſtinus quoque ejuſdem ſanctiſſimi Gregorii diſcipulus Anglorum prædicator egregius, & Pannonienſis Martinus, aliique quamplurimi viri ſanctiſſimi pretioſorum monachorum habitu fulgentes nequaquam annulo pontificali ſubtraherentur. Neque enim Benedictus monachorum præceptor hujus rei aliquo modo fuit interdictor, ſed eos ſæcularium negotiorum dixit expertes eſſe debere: quod quidem apoſtolicis documentis & ſanctorum patrum inſtitutis, non ſolum univerſis, verum etiam canonicis ſummopere imperatur. Utriſque enim perſpicacibus ſanctorum patrum exemplis, ut mundo mortui ſint præcipitur. Credimus igitur a ſacerdotibus monachis ligandi ſolvendique officium digne adminiſtrari, ſi tamen digne contigerit eos hoc miniſterio ſublimari. Quod evidenter affirmat quiſquis ſtatum monachorum & habitum conſiderat. Angelus enim Græce, Latine nuncius dicitur. Sacerdotes igitur monachi atque canonici, qui Dei præcepta adnunciant, Angeli vocantur: ſed uniuſquiſque angelicus ordo, quanto vicinius dominum contemplantur, tanto ſublimius dignitate firmentur. Numquid non ut Cherubim monachi ſex alis velantur: duæ in capitio, quo caput tegitur, veris demonſtrantur aſſertionibus

Illud

* adminiſtrare in veteri ſchedâ membranaceâ quæ apud me eſt.

Illud vero quod brachiis extenditur duas alas eſſe dicimus, & illud quo corpus conditur, alas duas. Sic ſex alarum numerus certiſſime conficitur. Decertantes igitur contra monachos in hac A re ſacerdotalis potentiæ arcere officio præcipimus, ut ab hujuſcemodi nefandis auſibus impoſterum reprimantur, quia quanto quiſque excelſior, tanto potentior.

## a SYNODUS (1) TOLETANA

### b SUB GUNDEMARO ÆRA DCXLVIII. ANNO CHRISTI DCX.

### c De primatu eccleſiæ Toletanæ, habita tempore Bonifacii papæ IV.

*IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, conſtitutio Carthaginenſium ſacerdotum in Toletana urbe apud ſanctiſſimum eccleſiæ ejuſdem antiſtitem.*

CONvenientibus nobis in unum, pro religione & fide quam Chriſto debemus, placuit, ne quid ultra in nobis abſurdum, vel illicitum oriatur, alterna collatione decretum juſtiſſimæ promulgare ſententiæ; quo perſpicue clareat inter B nos ordo ac diſciplina eccleſiaſticæ dignitatis, & agnoſcatur fraternæ concordia pacis.

Tali ergo diſpoſitione neceſſarium contuentes, ob ſtudium noſtri ordinis, communi electione decrevimus, congruum eſſe provida diſpoſitione judicium, fatentes hujus ſacroſanctæ Toletanæ eccleſiæ ſedem metropolitani nominis habere auctoritatem, eamque noſtris eccleſiis, & honoris anteire poteſtate & meritis.

Cujus quidem principatus nequaquam collationi noſtræ conniventia nuper eligitur, ſed jamdudum exiſtere antiquorum patrum ſynodali ſententia declaratur; ea dumtaxat concilii forma, quæ apud d ſanctum Montanum epiſcopum in eadem urbe legitur habita. Proinde ergo diſpoſitionem noſtram inſtructæ collationis definitione C celebrantes, elegimus ne quis ultra comprovincialium ſacerdotum inani ac perverſa contentione obnitatur hujus ſacroſanctæ eccleſiæ Toletanæ primatum contemnere: neque pervicaci ſchiſmatum ſtudio ad ſummos ſacerdotalium inſularum ordines, remota hujus ſedis poteſtate, a nobis quempiam, ſicut hactenus factum eſt, provehere. Talem itaque ſpecialiter a nobis ac ſucceſſoribus noſtris deferri dignitatis honorificentiam huic eccleſiæ pollicemur, qualem in decretis ſanctorum conciliorum beatiſſimi patres metropolitanis eccleſiis decreverunt. Hujus ergo & nos reverentiæ obſervationem fideli cuſtodia pollicemur: hujus honorificentiam conſervari dili- D gentı proſpectu a ſucceſſoribus noſtris, per metas ſequentium ætatum, volumus. Sane quicumque ex nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, hæc ſtatuta tranſcenderit, anathema ſit Domino noſtro Jeſu Chriſto, atque culmine ſacerdotali dejectus, perpetuæ excommunicationis ſententia prædamnetur.

Facta conſtitutio ſacerdotum in urbe Toletana, ſub die x. Kalendarum Novembrium, anno regni primo piiſſimi atque glorioſiſſimi Gundemari regis, æra DCXLVIII.

### e SUBSCRIPTIONES.

Protogenes ſanctæ eccleſiæ Segontienſis epiſcopus hanc decreti noſtri profeſſionem pro firmitate ſubſcripſi.

Theodorus ſanctæ eccleſiæ Caſtulonenſis urbis epiſcopus ſubſcripſi.

Minitianus ſanctæ eccleſiæ Segobienſis epiſcopus ſubſcripſi.

f Stephanus ſanctæ eccleſiæ Oretanæ epiſcopus ſubſcripſi.

Jacobus Menteſanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Magnentius ſanctæ eccleſiæ Valerienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Theodoſius ſanctæ eccleſiæ Arcavicenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Marinus ſanctæ eccleſiæ Valentinæ epiſcopus ſubſcripſi.

Conantius ſanctæ eccleſiæ Palentinæ epiſcopus ſubſcripſi.

Poſcarius ſanctæ eccleſiæ Segobrienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Vincentius ſanctæ eccleſiæ Bigaſtrenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Eterius ſanctæ eccleſiæ Baſtianæ epiſcopus ſubſcripſi.

Gregorius ſanctæ eccleſiæ Oxomenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Præſidius ſanctæ eccleſiæ Complutenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Sanabilis ſanctæ eccleſiæ Elotanæ epiſcopus ſubſcripſi.

### NOTÆ BINII ET GARCIÆ.

a *Synodus Toletana.*) In his duobus Toletanis conciliis a me additis in hoc volumine numerum conſulto non poſui, ne antiquorum ordinem a patribus & generalibus conciliis citatum everterem & confunderem; unde conſultius exiſtimavi ea ſine ſerie ponere, ſervata tantum annorum antiquitate. Erant enim aliqua concilia in canone poſita, alia non; priora ſunt quæ citantur certis numeris; alia ſine numeris traduntur. Unde apud Rodericum archiepiſcopum invenies: Hoc concilium eſt in canone, hoc non eſt in canone. *Hæc Garſias.* — Cur duobus Toletanis conciliis non ſit adſcriptus numerus.

b *Sub Gundemaro.*) Hic fuit tertius a Reccaredo rege optimo, & ſancto, cui Liuba filius natu major Victericus, deinde Gundemarus, ſeu Gundemirus ſucceſſit, æra 648. Vixit in regno annos duos: in principio hanc ſynodum coegit. *Garſias.*

c *De primatu, &c.*) Quænam hujus concilii celebrandi cauſſa præceſſerit, ex actis concilii, nec non ex conſtitutione Gundemari regis hoc anno edita colligitur. Cum enim Toletanæ eccleſiæ primatum aliqui labefacere ſtuderent, quaſi ipſa non totius Carthaginenſis, ſed tantum Carpetaniæ provinciæ metropolis eſſet, hac de cauſſa hoc concilium congregari oportuit. Euphemius Toletanus epiſcopus concilio Toletano III. ſubſcribens, ex modeſtia ſe nominavit metropolitanum provinciæ Carpetaniæ. Ne quid ergo juris Toletana eccleſia per hoc factum Euphemii decederet, hoc ſynodali & ſequente regio decreto opus erat. Hæc ex edicto Gundemari Baronius anno 610. numero 13. — Cauſſa hujus concilii quæ.

E d *Sanctum Montanum.*) Montanus præſul Toletanus, æra 565. præfuit ſecundo concilio Toletano, ut metropolita, in eoque ſubſcripſit. *Garſias.*

e *Subſcriptiones.*) Subſcriptio Toletani epiſcopi deeſt: nam cum de ejus primatu & auctoritate ageretur & decerneretur, non erat æquum, ut ipſe ſubſcriberet; quamvis præſens adeſſet, ut in principio concilii dicitur. Erat his tempo- — Cur Toletanus epiſcopus non ſubſcripſerit.

(1) Hanc ſynodum eſſe ſpuriam ſuſpicatur Jo. Baptiſta Perezius. *Harduinus.*

temporibus episcopus Toletanus Aurasius, * vita, eruditione, & vitæ sanctitate clarus, & Ecclesiæ catholicæ doctrinæ acerrimus defensor. Vixit in sacerdotio 12. annos, regnante Witerico, & Gundemaro, & initio Sisebuti, ex sancto * Adefonso. *Garsia.*

Ildefonso.

f *Stephanus.*) Solus hic episcopus ex omnibus hujus concilii subscribit in altero Toletano, sub Reccaredo rege, anno XII. Sedes quæ ad Carthaginensem provinciam pertinebant, ex hoc concilio etiam animadvertere licet: erant enim

| | |
|---|---|
| Segontia. | Palentia. |
| Castulo. | Segobrica. |
| Secobia. | Bigastrum. |
| Oretum. | Bastitana. |
| Mentesa. | Oxoma. |
| Valeria. | Complutum. |
| Arcavica. | Elotana. |
| Valentia. | *De quibus supra diximus.* |

*a Suggestio servi vestri Sesuldi.*

MEam extremitatem ad sanctitatis vestræ deduco memoriam, & ut sæpe pro extremitate servi tui orare jubeas instanter suggero. * De cetero ad relatus sanctitatis vestræ deduco, quod convenientia servorum vestrorum fuit * pro humili vestro domino Emiliano; ut per voluntatem Dei & vestram, in ecclesia vestra sacerdotio fungatur. Et quia in ipsa diœcesi talis nec melior invenitur, pro eo domino suas suggestiones miserunt; ut si Deus domino aditum dederit, jubeatis venire, ut per manus vestras, & illud perficiatur, & aliud, quod adhuc insuper suspensum est: & desiderantes dominum, de vultu vestro læti efficiamur. Si vero aliter est vestra prævisio, cui vultis ordinationem vestram dirigite, qui caussam vestram perficiat: & ordo vester incolumis persistat.

* De cetero autem. * vel humilem vestrum dominum Emilianum.

*Alia proprii vernuli vestri Sunilani suggestio.*

AD relatum sanctitatis vestræ deducimus, quod per Dei electionem omnes sacerdotes vestri, & cuncti filii ecclesiæ, in unum convenientes, requisierunt a me * pro humili vestro domino Emiliano, * ut prædictus vestra ordinatione in ecclesiam Mentesanæ civitatis pontifex ordinetur. Et quia eum humilitas cum sanctitate adornat, & origo generis reddit illustrem, suggero clientulus tuus, ut si Deus beatitudini vestræ aditum dederit, ob restaurandas ecclesias vestras, ad vestros usque humillimos non dedigneris accedere: quatenus famulorum vestrorum electio vestris sacris manibus compleatur: si tamen casus sæculi in aliquid excellentiæ vestræ obviaverit, ordinare, cui jusseritis, ex fratribus vestris scribere, qui vestra compleant jussa, & amplius ecclesia vestra in desolatione non permaneat. Sic Christi gratiam eximietas vestra sine fine percipiat.

* per humilem vestrum dominum Emilianum. * ut per Dei & vestram ordinationem.

*Alia suggestio * servorum Joannis, Vicendi, Ermegeldi, vel omnium servorum vestrorum.*

* Ermigildi, homines & servi ejus.

PER Sesuldum filium * vestræ beatitudinis nomtuit, humilem vestrum dominum Emilanem, ut si Deo & domino placitum fuerit, in ecclesiarum ordine pontifex ordinetur: ita & nos servi vestri suggerimus, ut si Deus aditum dederit domino, jubeatis eum hoc fastigium pati, ut per manus vestras sit completum: si vero, quod absit, aliqua occasio sæculi domino obviaverit, suggerimus ut cui vult sanctitas vestra domino vestros noscat: quia persona vestra electionem vestrorum impleat. Sic vitæ æternæ præmium accipiatis.

* for. vestra beatitudini, vel vestræ sanctitati.

* Hic aliquid deest.

### Notæ Garsiæ Loaisæ.

a *Suggestio servi vestri Sesuldi.*) Erant in codice antiquo manuscripto post hoc concilium hæ tres suggestiones, quas libenter posui: sunt enim libelli supplices, & postulationes populi, vel ecclesiæ vacantis ad concilium, vel metropolitanum, ut in episcopum vocati pastor præficeretur: unde inquit: *Quod convenientia servorum vestrorum fuit*; habebatque hæc commendatio maximum pondus apud concilium in nominando antistite; debebat enim esse postulatus ad honorem sacerdoti, ex IV. concilio Toletano, cap. 19. & eligi ibidem, cum omni clericorum, vel civium voluntate, ab universis comprovincialibus episcopis.

Suggestiones quæ dicantur.

## DECRETUM PIISSIMI ATQUE GLORIOSISSIMI PRINCIPIS NOSTRI Gundemari regis, Æra DCXLVIII.

*Flavius Gundemarus rex venerabilibus patribus nostris Chartaginensibus sacerdotibus.*

LIcet regni nostri cura in disponendis atque gubernandis humani generis rebus promptissima esse videatur, tunc tamen * majestas nostra magis gloriosiori decoratur fama virtutum, cum ea quæ ad divinitatis & religionis ordinem pertinent, æquitate rectissimi tramitis disponuntur; scientes ob hoc pietatem nostram non solum diuturnum temporalis imperii consequi titulum, sed etiam æternorum adipisci gloriam meritorum. Nonnulli enim in disciplinis ecclesiasticis, contra canonum auctoritatem, per moras præcedentium temporum, licentiam sibi de usurpatione præteriti principis fecerunt: ita ut quidam episcoporum Chartaginensis provinciæ non revereantur, contra canonicæ auctoritatis sententiam, passim ac libere, contra metropolitanæ ecclesiæ potestatem, per quasdam * fratrias, & conspirationes, inexploratæ vitæ omnes episcopali officio provehi, atque hanc ipsam præfatæ ecclesiæ dignitatem imperii nostri solio sublimatam contemnere; perturbantes ecclesiastici ordinis veritatem, ejusque sedis auctoritate, quam prisca canonum declarat sententia, abutentes. Quod nos ultra modo usque in perpetuum fieri nequaquam permittimus: sed honorem primatus, juxta antiquam synodalis concilii auctoritatem, per omnes Chartaginensis provinciæ ecclesias Toletanæ ecclesiæ sedis episcopum habere ostendimus: eumque inter suos coepiscopos, tam honoris præcellere dignitate, quam nominis; juxta quod de metropolitanis per singulas provincias antiqua canonum traditio sanxit, & auctoritas vetus permisit. Neque eamdem Charthaginensem provinciam in ancipiti duorum metropolitanorum regimine contra patrum decreta permittimus dividendam, per quod oriatur varietas schismatum, quibus subvertatur fides, & unitas scindatur. Sed hæc ipsa sedes, sicut prædictum est, antiqua nominis sui, ac nostri cultu imperii, ita & totius provinciæ polleat ecclesiæ dignitate, & præcellat potestate.

* Titulus majestatis per antiquos, etiam regibus Hispaniæ.

Illud autem quod jampridem in generali synodo concilii Toletani a venerabili Euphemio episcopo manus subscriptione notatum est, Carpetaniæ provinciæ Toletanam esse sedem metropolim, nos ejusdem ignorantiæ sententiam corrigimus: scientes procul dubio Carpetaniæ regionem non esse provinciam, sed partem Chartaginensis provinciæ, juxta quod & antiqua rerum gestarum monumenta declarant. Ob hoc, quia una

In concilio Tolet. III. non subscribit Euphemius tamquam metropolitanus.

una eademque provincia eſt, decernimus, ut ſicut Bætica, Luſitania, vel Tarraconenſis provincia, vel reliquæ ad regni noſtri regimina pertinentes, ſecundum antiqua patrum decreta, ſingulos noſcuntur habere metropolitanos, ita & Chartaginenſis provincia unum eumdemque, quem priſca ſynodalis declarat auctoritas, & veneretur primatem, & inter omnes comprovinciales ſummum honoret antiſtitem; neque quidquam contempto eodem ultra fiat, qualia hactenus arrogantium ſacerdotum ſuperba tentavit præſumptio. Sancſper hoc auctoritatis noſtræ edictum, ammodo & vivendi damus tenorem, & religionis, vel innocentiæ legem; nec ultra poſtmodum inordinata licentia ab epiſcopis ſimilia fieri patimur, ſed per noſtram clementiam præteritæ negligentiæ, B pietatis intuitu, & veniam damus, & indulgentiæ opem concedimus: & dum ſit magna culpa hactenus deliquiſſe, majoris tamen ac inexpiabilis cenſura tenebit obnoxios, qui hoc noſtrum decretum, ex auctoritate priſcorum patrum veniens, temerario auſu violare tentaverint: nec ultra veniam delicti faciemus admiſſi, * adempti, ſi dehinc honorem ejuſdem eccleſiæ quilibet Chartaginenſium ſacerdotum contempſerit; ſubiturus procul dubio inobediens tam degradationis, vel excommunicationis eccleſiaſticæ ſententiam, quam etiam noſtræ ſeveritatis cenſuram. Nos enim talia in divinis eccleſiis diſponentes credimus fideliter regnum imperii noſtri ita divino gubernaculo regi, ſicut & nos cultum ordinis, zelo juſtitiæ accenſi, & corrigere ſtudemus, & in perpetuum perſeverare diſponimus.

* Ita Loaiſa, & alii, ſed mendoſe, ut videtur. Mard.

## * SUBSCRIPTIONES.

Flavius Gundemarus rex hujus edicti conſtitutionem pro confirmatione honoris ſanctæ eccleſiæ Toletanæ propria manu ſubſcripſi.

Ego Iſidorus Hiſpalenſis eccleſiæ provinciæ Bæticæ metropolitanus epiſcopus, dum in urbem Toletanam pro occurſu regio adveniſſem, agnitis his conſtitutionibus aſſenſum præbui atque ſubſcripſi.

D Ego Innocentius * Emeritenſis provinciæ Luſitaniæ metropolitanus epiſcopus, dum in urbem Toletanam pro occurſu regio adveniſſem, agnitis his conſtitutionibus aſſenſum præbui & ſubſcripſi.

* Menſona ſucceſſor.

Ego Euſebius * Tarraconenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

* Aſiatenſis ceſſiſſe dicitur.

Ego Sergius Narbonenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Joannes Gerundenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Ilergius Egarenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Licerius eccleſiæ Egeditanæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Maximus eccleſiæ Cæſarauguſtanæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Mumius eccleſiæ Calagurritanæ epiſcopus ſubſcripſi.

B Ego Pluridius eccleſiæ Tyraſſonenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Elias eccleſiæ Caurienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Goma eccleſiæ Olyſipponenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Fulgentius * eccleſiæ Aſtigitanæ epiſcopus ſubſcripſi.

* Frater SS. Leandri & Iſidori.

Ego Emila * eccleſiæ Barcinonenſis epiſcopus ſubſcripſi.

* Ugno ſucceſſit.

Ego Theodorus eccleſiæ * Auſeſinæ epiſcopus ſubſcripſi.

* Aquilino ſucceſſit.

Ego Joannes Pampilonenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Benjamin eccleſiæ Dumienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Agapius Tuccitanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

C Ego Gundemarus eccleſiæ Veſcenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Argebertus Portucalenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Teveriſtus Salmanticenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Vitularius eccleſiæ Laverricenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Leontianus Lutobenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Piſinus * eccleſiæ Eliberitanæ epiſcopus ſubſcripſi.

* Beddo ſucceſſit.

Ego Juſtinianus eccleſiæ Abelenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Venerius * eccleſiæ Caſtulonenſis epiſcopus ſubſcripſi.

* Theodoro ſucceſſit.

## ☞ AD CONCILIUM TOLETANUM

### Æra DCXLVIII. celebratum

### ADNOTATIO CRITICA.

Ex Supplem. Manſi pag. 467. T. I.

GEnuinum ſit necne concilium iſtud, viris doctiſſimis diſceptandum relinquo. Admonendos tamen lectores cenſeo, ſupplices illos libellos, quos velut ad concilium iſtud datos collectores conciliorum ſubjecerunt, alterum plane concilium ab hoc diverſum exigere. Libelli enim E facultatem poſtulant, ut ad ſanctam Menteſanam eccleſiam, quæ ſita erat in confinio Caſtellæ novæ & Andaluſiæ, Æmilianus quidam aſſumeretur. Inter eos vero, qui concilio ſubſcripti leguntur Jacobus Menteſanus exhibetur, qui pariter inter Patres concilii Toletani IV. anni 639. recurrit. Non ergo tunc, cum concilium hoc Toletanum anni 610. habebatur, eccleſia Menteſana vacabat, neque eo in concilio Æmilianus ſubſtitutus eſt. Nec eſt cur dicatur, epiſcopum illum poſtulaſſe quidem Menteſanam eccleſiam, ſed patres, eo rejecto, Jacobum qui concilio huic ſubſcripſit elegiſſe. Æmilianus enim ille, ut in triplici ſupplici libello aſſeritur, is erat ut in tota diœceſi *nemo melior inveniretur*, eumque *humilitas cum ſanctitate adornabat*, *& origo generis reddebat illuſtrem*. Cur igitur rejiceretur nihil erat. Melius igitur ad alterum Toletanum concilium hæc omnia referantur.

### NOTÆ GARSIÆ LOAISÆ.

a Fratriæ.) Fratriæ apud Ariſtotelem in politicis dicuntur hominum conventus, propria & peculiaria ſibi ſacra colentium: ii enim homines communi puteo utebantur, quod Græce dicitur φρέαρ. Hæc Bodinus ad tit. de officio quæſt. Inde fraternitates pro collegiis Chriſtianorum apud Cyprianum, Hieronymum, Tertull. lib. de velandis virginibus, & lib. ad martyres. Quandoque etiam pro conjuratione & ſodalitate factioſa uſurpatur, ut in concilio Chalced. can. 18. & 11. quæſt. 1. cap. Conjurationem.

b Sub-

De viris illuſtribus

verit (a) Ildefonſus, quod cum terrorem omnibus, & quam formidinem incuteret, a piis & improbis magna religione colebatur, ejuſque dignitati omnis cultus videbatur inferior. Quibus verbis tacite innuit cæleſte pignus, quod a ſanctiſſima angelorum hominumque regina accepit, & templum Toletanum quod una virgineo divinoque conſpectu atque genitricis Dei præſentia fuit amplificatum, & ſummo actum. Tunc enim cæleſti amictu Ildefonſus indutus, ad peragendam ſolemnioribus diebus rem ſacram, ſpeciem toti populo civis ſanctorum, & domeſtici Dei potius quam terreni habitaculi præ ſe ferebat. Addo etiam alios præſules ſanctiſſimos, qui eximiis virtutum ornamentis ſedem hanc illuſtrarunt, Eugenium martyrem, Patruinum, Montanum, Julianum I. Euphemium, Helladium, utrumque Eugenium II. & III. Felicem, Ildefonſum, Julianum II. Gundericum, quorum mores integri & ſanctiſſimi, virtuteſque excellentes & ſingulares, eos ſegregarunt ab omni conſuetudine mortali, ita ut miracula in hominum conſpectu vivi & mortui ederent. Concilia tandem in ea urbe coacta, admirabili & pene divina ſapientia a ſummis pontificibus & œcumenicis conciliis magno conſenſu approbata, illi celebritatem frequentiſſimam ſplendoremque per univerſum orbem attulerunt.

Pervenerat jam Toletana eccleſia ad ſummum auctoritatis & majeſtatis culmen, verum ita eſt inconſtans rerum viciſſitudo, ſtatuſque rerum humanarum labilis; ut illico ægrotare cœperit, & ab avita religione & optimis gravibuſque moribus, veluti floſculi ſolent ex arboribus, deciderit. Vitiza namque & Rodericus reges Gothi luxuria diffluxerunt; quorum turpi vita homines Gothi cœperunt emolleſcere, atque effeminari, religioniſque candorem & morum integritatem ſceleris contagione polluere. Quæ vitia teterrima in ſacerdotes etiam derivata indigniſſimam calamitatem toti populo attulerunt. Nam provocato flagitiis ad iracundiam divino numine, miſeriæ ſtatim & ærumnæ, inſtar agelli, ſunt facinorum & ſcelerum vindices. Invadunt igitur in Hiſpanicam provinciam Mauri, brevi tempore depopulantur urbes, vaſtant agros, diripiunt domos, munitiones expugnant, ſæviunt miſere in omnes, divina & humana violant & vexant, reges ipſos, a quibus juſta vindicta ortum habuit, de opulentiſſima poſſeſſione deturbant, totuſque populus in ſervitutem ex libertate dejectus capitur a barbaris. Neque tam tantæ vaſtationis alia eſt ſtudioſius perquirenda ratio, quam ubertatis provinciæ abuſus, libidiniſque effrenata [illegible] cui optima quæque molles animi inſervire ſecerunt. Et licet Rodericus rex adverſus irruentium Maurorum furorem delectus habere, equitatum parare, arma & ſtipendia populis contribuere, ut facilius tantus impetus ſuſtineretur, curavit; tandem miſere, ut mollis, profligatus, & funditus everſus eſt, anno domini ſeptingeſimo decimoquarto, poſtquam imperium Gothicum ab Athanarico uſque ad eum per trecentos & quadraginta quatuor annos fuit productum. Improbi enim Vitizæ Rodericique mores, vita eorum infamis, effeminata & crudelis, multo ante luctuoſum hunc interitum ſummamque ruinam videbantur quaſi prædicere præſagireque. Nam primo ad imperium ſunt provecti morte aliorum deinde totum ſuum ſtudium ad opprimendos populos contulerunt, nulla ſanis adhibita reverentia, neque ſacerdotibus obſervantia, divina omnia profanata ab ipſis & everſa ſunt, viaque ad omnem turpitudinem aperta, exemploque ſuo iniqui & auctoritate ducti totam reipublicæ effigiem & animum deformarunt.

## §. IV.

Tertius Toletani primatus ſtatus nihil aliud quam ſueſtam complectitur ruinam nam fuſo atque deleto turpiter Roderico in Maurorum ditionem poſt varias expugnationes civitas intra annum venit. Urbanus præſul, eo quod Sineredus abeſſet, primatis honorem ſuſcepit. Qui ut erat vir ſanctus, conſtanti & forti animo invictoque inſignem illam ſuſtinuit calamitatem. Cui multum adjumenti ad pondus miſeræ ſervitutis ferendum attulit (b) Evantius archidiaconus Toletanus. Erant enim ambo præclara docti diſciplina, & ea cognitione eccleſiaſtica informati, qua Toletanam eccleſiam ſanctiſſimus inſtruxerat Ildefonſus. Urbanus igitur in tanta rerum commutatione non deſtitit quibus potuit rebus providere, libros complures, ſacras divorum reliquias atque corpora ſtudioſe & accurate collecta, & (c) in capſam ſumma cum veneratione incluſa, in montanus Aſtures diligenter deportanda curavit. Hæc vero beata capſa in eccleſia Oveti poſtea cum multis aliis reliquiis ſancte collocata, cum pietate hodie colitur; & ubi illa aſſervatur, Camera ſancta nomen eſt inditum. Miſerandis Urbani temporibus divinus cultus & ſacramentorum uſus cœpit Toleti magna ex parte immutari imminuique illa namque amplitudo, ſummaque auctoritas præſulis Toletani, ad ſex tantum parœcias & exiguum fidelium numerum redacta, iniquus admodum finibus incluſa eſt. Neque tamen fuit paucitate eſſe imminutos, verum qui ſuperfuerunt fideles, aſſidua Maurorum familiaritate & conſuetudine uſi, & ſæviſſima perſecutione deterriti, in religione Chriſtianique inſtitutis turpiter fluctuare cœperunt. Quos ut firmos in fide efficerent, & ad pericula ſubeunda excitarent, curam & ſtudium maximum adhibuerunt Urbanus, Evantius, aliique pii & officioſi ſacerdotes. Idem munus Cixila non minori diligentia præſtitit, qui, Urbano vita functo, Toletanæ ſedis epiſcopus ab univerſo clero renunciatus eſt. Is erat pietate & diſciplina Spiritus ſancti conſpicuus. Cum vero Toletani templi dignitas miſere rueret, aliis in partibus (ut eſt Dei optimi maximi bonitas) cœpit cultus eccleſiaſticus oriri, augerique. Nam Compoſtellanum divi Jacobi templum, & Ovetenſe alterum in montanis Aſturum ſitum, attributa illis metropolitanæ dignitate vigere cœperunt. (d) Compoſtellanæ enim baſilicæ tantum venerationis & cultus propter ſanctiſſimi Jacobi corpus, quod ibi religioſe quieſcit, delatum eſt, ut in ejus honorem Iriæ Flaviæ epiſcopatus, ex Bracarenſi juriſdictione exemptus, eo fuerit tranſlatus. (e) Cui poſtea Calliſti II. temporibus honos metropolitanæ acceſſit, & Emeritenſis primæ ſedis illi auctoritas eſt data. Is enim pontifex Compoſtellanam eccleſiam omni officio proſecutus, archiepiſcopatus titulo & legati decoravit; tum quod in ea ejus pater fuerat conditus, tum etiam quod ibi Alfonſum Hiſpaniæ imperatorem Vraccæ filium ſacro fonte laverit, oleoque deinde conſecrato in regem unxerit. Quas potiſſimum ob cauſſas, Compoſtella exemptæ ſibi nomen vendicavit, & ex poteſtate Toletani primatis ſe illis temporibus cœpit ſubtrahere. Ovetum ortum habuit a Gothorum calamitate, vagantes namque primi ſedem ibi collocarunt. (f) Regnante Froila in pretio habita, ab eoque condita, urbis titulo, & epiſcopali dignitate exornatur, Hermegildumque primo in epiſcopali ſede conſtituit. Alfonſus vero cognomento, ut re, Caſtus, templum magnificentiſſime extruxit, (g) ad illius inſtar quod erat Toleti in Maurorum poteſtate, ut triſtitia de amiſſi templi jactura, imitatione novi, aliquo pacto leniretur. Labente tempore Alfonſus III. ex decreto Joannis papæ VIII. (h) Ovetenſem ſedem in metropolitanam extulit auctoritatem. Fuit (i) hæc civitas domicilium certum & portus tutiſſimus multorum epiſcoporum, qui, amiſſis in vaſtatione Hiſpaniæ ſedibus, fidem & religionem amplexi, auxilium commeatumque regium experti, in eam appulſi tamquam ex procelloſo enatarunt naufragio. ibique ſanctiſſimam agentes vitam, tandem fato functi, cæleſtibus copulati in cathedra perennis gloriæ ſedent. Toletum vero licet in Maurorum ditione eſſet, primatus jure & auctoritate utebatur. Nam in defuncti Cixilæ locum, Petrus, qui propter elegantem corporis formam Pulcer cognominatur, cooptatus eſt. Fuit hic vir literis apprime eruditus, & in religionis obſervantiam & pietatem ita accenſus, ut non modo in urbis ſuæ curam ſolicite incumberet, omnibuſque periculis diligenter provideret, verum & aliorum Hiſpaniæ præſulum neceſſitatibus conſulendum eſſe arbitraretur. Nam cum ad eum perveniſſet, paſchatis computum rite & canonice Hiſpali non obſervari, ad epiſcopum & Hiſpalenſem clerum ſuper ea reſcripſit quid tenendum eſſet. (k) Quod vero attinet ad paſchatis computum, de conciliorum decretis nemini licebat, præterquam primis epiſcopis, quid conſtans & firmum eſſet decernere. Petrus Pulcer Elipandum habuit, poſt alios quoſdam, ſucceſſorem; qui tantum munus ſibi demandatum, non ſolum negligenter, verum & inique admodum explevit. Uſus enim frequenti Maurorum commercio, cum longe abeſſet ab illorum temporum felicitate in quibus eccleſiaſtice ſinceraque doctrina vigebat, parumque accurate in ſacris litteris verſatus eſſet in hæreſim de adoptione Chriſti ſervatoris noſtri arroganter & ignoranter impegit: quæ poſteà fuit Francofordienſi concilio damnata. (l) Cum vero quibuſdam epiſcopis & Hiſpaniæ urbibus per literas impietatem ſuam perſuadere conaretur, rejectus eſt elegantibus ſcriptis Ætherii epiſcopi Oxomenſis, & Beati presbyteri, qui literis ſacris apprime eruditi, adverſus Elipandum præclara edidere monumenta. Sublato Elipando Toletana ſedes (m) Vviſtremiro præſuli egregio atque optimo commiſſa eſt, de quo Eulogius martyr hæc literis conſignata reliquit: *Poſt quintum diem Toletum reverti, ubi adhuc vigentem ſanctiſſimum ſenem noſtrum, faculam Spiritus ſancti, & lucernam totius Hiſpaniæ Vviſtremirum epiſcopum comperi: cujus vita ſanctitas totum orbem, illuſtrans, hactenus honeſtate morum, celſiſque meritis catholicum gregem refovet. Multis apud eum diebus degimus, ejuſque angelico contubernio baſimus.*

Vita functo Vviſtremiro idem Eulogius ſufficitur; qui ad aliud excellentius munus vocatus, antequam Toletum venire potuiſſet, conſtanti animo ſubiit Cordubæ martyrium in ea perſecutione quam barbari Mauri in religionem Chriſtianam excitarunt. Quibus hoc cordi erat, ut eas quæ ſuperfuerant Chriſtiani cultus & doctrinæ ſcintillas omnino delerent & extinguerent. Inde furentes univerſas Hiſpaniæ urbes, pagos, & domos puriſſimo martyrum ſanguine compleverunt. De Cordubenſibus (n) martyribus adhuc extat particularis hiſtoria ab Eulogio martyre conſcripta. Sanguis iſte innocentiſſimus, qui impie & immaniter fundebatur, ſine intermiſſione clamabat ad Deum, debitamque pœnam, & tanto ſcelere digniſſimam repetebat, ut afflictum deſolatumque populum catho-

(b) [illegible] Roderic. lib. 4. c. 3.

Roderi[cus] lib. 4. c. 3. [Ur]banus Sin[ere]di ſuc[ceſſ]or arcam [reli]quiarum, [de]ſcripta B [Ilde]fonſo, & [quam] Po[ſt]ea, & ve[ſt]em ſacram, [qu]am B. V. dederat [Ilde]fonſo, ad [Aſt]uras dici[tur] detuliſſe.

(d) De Compoſtellanæ eccleſia extat opus, quod dicitur hiſtoria Compoſtellana Rod. l. 3. c. 19. & 28.

(e) Id conſtat ex literis Calliſti papæ.

(f) Rodericus lib. 4. cap. 6.

(g) Rodericus lib. 4. c. 8.

(h) Rodericu[s] lib. 4. c. 18. ubi agitur de ſublimatione Ovetenſis urbis.

(i) Unde vocatur civitas epiſcoporum & ita cautum erat in Conc. Sardic. can. 11. ex decreto Oſii epiſcopi Cordubenſis ut epiſcopi a ſuis ſedibus pulſi in aliis civitatibus reciperentur benigne & humane.

Sub Petro Pulchro qui ſtatui eccleſ. Tol.

(k) Contendebatur olim, quo die ſolet paſcha celebrandum unde cautum eſt, ut eccleſia major minori præſcribat diem, III. conc. Carth c. 1. & 41. I. Arelat. can. 1. & IV Carth 65. IV. Carth 7. IV Aurel. 1. IV. Tolet. 5. II. Brac. 9.

Elipandus Petri ſucceſſor hæreticus.

(l) De hæreſi Elipandi præſulis Tolet. vide concil. Francofor. & Jonam epiſcopum Aurelian. in libello de cultu imaginum. Extat apud me liber Ætherii epiſcopi Oxomæ, & Beati adverſus Elipandum.

(m) Eulogius in ep. ad Vviliſindum Pampilonenſem.

Elipando Vviſtrimirus, & huic Eulogius martyr ſuccedit.

(n) Quam in lucem nunc primum edidit doctiſſimus Ambroſius Morales, & ſcholiis illuſtravit.

eccleſias, tam cathedrales quam alias, quæ in omnibus Hiſpaniarum regnis ex Maurorum poteſtate in Chriſtianorum ditionem pervenirent, poſſet pro ſuo libito canonice ordinare, & non ſolum clericos, ſed canonicos & prælatos in eiſdem recenter creare. Et quoniam velut umbra cuncta prætereunt, & quæ geruntur in tempore cum tempore dilabuntur, non abs re priſcis noſtriſque temporibus ſtatutum eſt, quæ æterna digna ſunt propagatione ſcriptis mandentur, & monumentis æternis, ut nulla poſſint oblivione deleri. Ideoque notum ſit omnibus hominibus præſentem paginam inſpecturis, quod in eodem concilio apud Lateranum præfatus dominus Rodericus Toletanæ ſedis archiepiſcopus, Hiſpaniarum primas, impetrata audientia ab eodem papa, propoſuit in pleno conſiſtorio coram ipſo, & cardinalibus, & pluribus archiepiſcopis & epiſcopis, & abbatibus, & canonici, & aliis clericis querimoniam de Bracarenſi, & Compoſtellano, & Tarraconenſi, & Narbonenſi archiepiſcopis; quod nollent ei, tamquam primati ſuo, debitam obedientiam præſtare. Et ut probaret illorum ſe primatem eſſe, oſtendit privilegia, & legit, Honorii, Gelaſii, Lucii, Hadriani, & ejuſdem Innocentii tertii Romanorum pontificum; quibus continebatur, & manifeſtiſſime probatur, Toletanum archiepiſcopum Hiſpaniarum eſſe primatem. Addidit etiam idem archiepiſcopus Toletanus habere ſe alia plura privilegia, & monimenta, & ſcripta, quibus oſtendebatur eſſe ſe Hiſpaniarum primatem. Oſtendit etiam eadem die & legit ibi ſententiam Jacinthi cardinalis apoſtolicæ ſedis legati, latam in archiepiſcopum Bracarenſem, qua jubebatur ut Toletano archiepiſcopo, tamquam primati ſuo, obediret. Legit etiam executionem ejuſdem Jacinthi miſſam ſuffraganeis eccleſiæ Bracarenſis, in qua eis præcipiebat, ut Toletano archiepiſcopo, tamquam primati ſuo, debitam reverentiam & obedientiam exhiberent. Unde obnixe petebat, ut jus ſuum ſibi redderetur.

Rodericus in concilio Lateranenſi de primatu contendit.

Cui reſpondit archiepiſcopus Bracarenſis, qui fuerat ad hoc ſpecialiter citatus, ſicut fuit poſtea per ipſum papam & teſtes legitimos ſufficienter probatum, conteſtari ſe litem in præſentia ejuſdem papæ, propterea quod non fuerat ad hoc citatus, & ideo ſe non debere reſponſum dare: & ſententiam prædicti Jacinthi penitus ſe ignorare affirmavit. Dominus autem Toletanus, impetrata a domino papa audientia, reſpondit.

Exceptio Bracarenſis epiſcopi contra primatum Tolet.

Pater ſancte, mirum non eſt ſi Bracarenſis, qui præſens eſt, citationem apoſtolicam, & Toletanæ eccleſiæ primatum, & domini Jacinthi ſententiam hac de re latam deneget, ſeu non erubeſcat ſupprimere: cum olim prædeceſſor ſuus Burdinus archiepiſcopus Bracarenſis non ſolum contra Romanam eccleſiam, quæ omnium eccleſiarum mater eſt, & magiſtra, non erubuit recalcitrare. Sed tamquam alter Arius viſus ſit inter catholicos ſempiternam ſchiſmatis diſcordiam ſeminare. Cujus rei talem affero probationem. Cum dominus Bernardus quondam archiepiſcopus Toletanus Romanam curiam viſitaſſet, & ad propria rediens per Lemovicenſem civitatem tranſiſſet, deduxit ſecum inde clericos & pueros in Toletana eccleſia collocandos & nutriendos: inter quos Burdinum, de quo ſit ſermo: quem non ſolum bonis ditavit, ſed etiam literis erudiendum curavit: quem deinde creavit archidiaconum Toletanum. Hic vero cooptatus in Conimbricenſem epiſcopatum, antiquum nomen mutavit, & pro Burdino Mauritius appellari voluit. Progreſſu temporis ad inſtantiam domini Bernardi, cujus alumnus extiterat, in archiepiſcopum Bracarenſem aſſumptus eſt. Cum autem videret dominum Bernardum ſenio confectum, immemor acceptorum beneficiorum, depoſita ovina pelle, non erubuit lupinam induere. Acceſſit itaque ad curiam, & a domino Paſchali papa ſecundo obnixe petiit, domino Bernardo ſene jam & inutili amoto, in ejus locum ſe ſubſtitueret in Toletana eccleſia. Cujus preces dominus papa tamquam frivolas & inanes nihil fecit. Interim orta eſt diſcordia inter Paſchalem papam II. & (a) Othonem imperatorem. Hic autem Mauritius, ſive Burdinus, exiſtimans notam ſibi eſſe inuſtam, quod in petitione eccleſiæ Toletanæ repulſam ſit paſſus, acceſſit ad imperatorem, & modis omnibus ad ſummum pontificatum aſcendere conatus eſt. & validiſſimo imperatoris inſtructus exercitu urbem Romanam ingreſſus, tamquam ſacrilegus & apoſtata, non erubuit Paſchalis veri pontificis apoſtolicam uſurpare ſedem, & ſumpto Gregorii octavi nomine, commentitiis & falſis bullis, per univerſum orbem apoſtolicas, imo apoſtaticas literas dirigebat. Interim vita functus eſt Paſchalis, in cujus locum ſuffectus eſt Gelaſius ſecundus, permanente adhuc diſcordia mortuus etiam eſt. Huic ſucceſſit Alexander tertius (b), qui cum imperatore Othone in gratiam rediit, & pacem inter imperium & eccleſiam Romanam conſtituit. Deinde Burdinus, ſeu Mauricius, tamquam ſacrilegus & excommunicatus, incluſus eſt in perpetuam in Calabria in quamdam caveam, in monaſterio ſanctæ Trinitatis Scapiſe. Hoc non ſolum authentica hiſtoria teſtatur, verum etiam laicorum pictura hoc aſſerit & proteſtatur. Si quis aſtantium hac de re dubitat, tollat oculos ad præſentes loci hujus parietes, & videbit hujuſmodi hiſtoriam picturatam. Erigentes autem oculos omnes, ut dixerat, viderunt & domini Toletani ſubtilitatem & peritiam collaudantes, cœperunt tam admirare, tum etiam in Domini Bracarenſis faciem intendere, quæ magno jam erat rubore perfuſa.

Replica Roderici Tolet. epiſc. pro Tolet. primatu

(a) Henricum V. dicere debuerat

(b) Hæc quoque falſiſſima.

Compoſtellanus ſimiliter eadem die in pleno conſiſtorio reſpondit:

Pater ſancte, certe deriſoria videtur petitio domini Roderici, quod eccleſia Compoſtellana tam antiqua, & nobilis condita in honorem apoſtoli Jacobi domini conſanguinei, qui primo in Hiſpania verbum domini ſeminavit, & infideles ad fidem Chriſti convertit, cujus corpus in eadem eccleſia requieſcit, nunc (quod abſit) obediat eccleſiæ Toletanæ.

Exceptio Compoſtellani ep. contra primatum Toletanum

Dominus autem Rodericus archiepiſcopus Toletanus, petita & obtenta a domino papa facultate, reſpondit.

Pater ſancte, o utinam cauſa iſta in rationibus reverendi archiepiſcopi Compoſtellani nunc propoſitis remaneret, & aliæ undique allegationes ceſſarent, maxime ſi per prædicta credat ſe poſſe defendere Toletanæ eccleſiæ nullam ſe debere obedientiam: ad quod breviter reſpondeo. Cauſa mea deriſoria fortaſſe videbitur, non tamen ſapientibus, ſed inſipientibus. Si antiquitatem Compoſtellanæ eccleſiæ pro te facere exiſtimas, antiquitas iſta centum & novem annorum ſpatio continetur: quod ſic perſuadeo. Dominus Calliſtus papa, ad inſtantiam principis, cleri, & populorum Hiſpaniæ metropoliticum jus antiquæ & celeberrimæ civitatis Emeritenſis Compoſtellam tranſtulit, anno domini 1124. tum quia civitatis Emeritenſis erat ſub dominio Saracenorum conſtituta, tum quia peregrinantium devotio, qui ob reverentiam beati Jacobi, cujus corpus ibidem creditur eſſe ſepultum, in melius ſemper creſceret. Nam uſque ad hæc tempora oratorium quoddam admodum parvum erat locus ille, in quo nunc ſita eſt Compoſtellana eccleſia. Antiquior eſt ergo eccleſia Toletana, quæ fundata eſt a tempore Eugenii, qui Pauli apoſtoli fuit diſcipulus. Si nobilitate eccleſiæ tuam tueri cauſam niteris, propter invocationem beati Jacobi: licet apoſtolorum appellatio nobilis ſit & illuſtris, nobilior tamen eſt & illuſtrior B. Virginis, cujus invocatione & nomine eccleſia quæcumque auguſtiſſima & celeberrima efficitur, & potiſſimum Toletana, quam ipſa Virgo ſanctiſſima præſentia ſua inviſere voluit, atque dignata eſt, cum quondam beato Ildefonſo archiepiſcopo Toletano ſacrificium domino offerenti, & omnibus præſentibus, qui divinum audiebant officium, ſe viſibilem præbuit. Si præterea in ſuæ cauſæ confirmationem conſanguinitatem domini inducit; certe nemo ſanæ mentis ignorat, arctiori conſanguinitatis vinculo beatam virginem domino copulatam eſſe, quem concepit, peperit, nutrivit, & uſque ad crucis patibulum & ſepulcrum ſecuta eſt.

Replica Roderici contra Compoſtel. pro primatu

Si inducat etiam primam divini verbi promulgationem & plurimorum converſionem ad fidem Chriſti in Hiſpania, qui divinam paginam noverunt, teſtimonium perhibeant. Ego tantum legi datam ei fuiſſe poteſtatem prædicandi (c) in Hiſpania. ſed interim, cum per Judæam & Samariam divinam legem ſeminaret, ſub Herode Hieroſolymis truncato capite exhalavit animam, & domino reddidit. Quomodo ergo ibi prædicavit, quo nondum ingreſſus eſt? Aut ſine prædicatione, quos obſecro convertit ad dominum? Memini bene in primis me annis accepiſſe a quibuſdam ſanctis monialibus & religioſis viduis, paucos admodum ejus prædicatione ad fidem converſos eſſe; in qua cum tam exiguos progreſſus efficit videret, in patriam reverſus fato functus eſt. Si nobilitatem etiam ſepulturæ inducant, quod ibi divus jaceat Jacobus, libenter aſſentior cum his qui illud aſſerunt, licet quidam affirment corpus ejuſdem Hieroſolymis requieviſſe, poſtea raptum a diſcipulis delatum eſſe & ſepultum apud Compoſtellam. Abſit autem, ut propter gloriam hujus primatus aſſeram corpus beatæ Virginis, quod firmiter credimus in cœleſtibus cum domino glorioſum eſſe, in eccleſia Toletana fuiſſe aliquando ſepultum, pedibus humanis quotidie conculcandum. Membratim enim dilaniari me potius paterer quam ad hoc affirmandum animum adjicere. Videat ergo dominus Compoſtellanus, an debeat eccleſiæ Toletanæ faſces ſubmittere. Sed omiſſis rationibus, ſi placet, reſpondeat propoſitæ quæſtioni. Dominus autem Compoſtellanus reſpondit, quod licet Toletanus eſſet Hiſpaniarum primas, quod falſiſſimum erat, non tamen ejus ſuffraganei deberent ei in aliqua re obedire: qua reſponſione multi crediderunt Compoſtellanum conteſtatum eſſe litem.

(c) Beatus Iacobus apoſtolus filius Zebedæi in Hiſpaniam venit, & ibi prædicavit Chriſti evangelium, & in tota provincia novem tantum ad fidem illum ferunt convertiſſe. Verum beatus Calixtus papa in epiſtola [illegible] ſed doctrina habuiſſe ſpeciales, quorum novem, dum adhuc viveret, in Gal- [illegible] lecia c'egiſſe, præterea dum Cæſarauguſtæ prædicaret [illegible] meruiſſe [illegible] Mariæ admonitu templum erexiſſe ipſi dicatum, quod nunc dicitur, *Nueſtra Señora del Pilar*. Atque hæc fuit prima in [illegible] orbe Chriſtianorum eccleſia, in qua ſemper cultus divinus viguit, effique innumeris nobilitata miraculis. Jacobus vero relictis pluribus in Hiſpania diſcipulis, cum reliquis in Judæam rediit, ibique martyrium primus omnium apoſtolorum [illegible] primo Tiberii Cæſaris. occiſus eſt [illegible] die Martii, corpus a diſcipulis [illegible] gio impoſitum ab Joppe [illegible] in Hiſpaniam appulit, [illegible] Kal. Auguſti [illegible] quo die præcipuum ejus feſtum ab eccleſia colitur, & [illegible] domum Compoſtellam tranſlatum [illegible] Kal. Januarii [illegible] Hiſpania [illegible] celebre eſt.

Pro Tarraconenſi autem archiepiſcopo, qui non aderat, reſpondit epiſcopus Vicenenſis, ſuffraganeus ejus, pro ſe & pro aliis ſuffraganeis ejus abſentibus, Toletanum archiepiſcopum nec eſſe primatem, nec ſe deberi ei in aliquo obedientiam præſtare.

Nar-



# VITA EPISTOLÆ, ET DECRETA DEUSDEDIT PAPÆ.

Dantur variantes ex Cod. Luc. 490. [a]

DEuſdedit, natione Romanus, ex patre Stephano (a) ſubdiacono, [b] ſedit annos tres, dies [*] (b) 24. Hic clerum multum dilexit, ſacerdotes & clerum ad loca priſtina revocavit. (c) [c] Eodem tempore veniens Eleutherius patricius & cubicularius Ravennam, occidit omnes qui in nece Joannis exarchi [*] (d) & judicis reipublicæ fuerant (e) mixti. Hic venit Romam, & ſuſceptus eſt a ſanctiſſimo Deuſdedit papa [*] optime. Qui egreſſus de Roma venit Neapolim, quæ tenebatur a Joanne (f) Compſino [*] intarta (g) Qui Eloutherius patricius pugnando ingreſſus eſt Neapolim, & interfecit tyrannum, (h) reverſuſque eſt Ravennam, & data [d] roga militibus pax facta eſt in tota Italia. Hic conſtituit ſecundam miſſam (i) in clero. Eodem tempore factus eſt terræ motus magnus menſe Auguſto indictione (m) XI. Poſt hæc ſecuta eſt clades in populo, percuſſio (n) ſcabierum, ut nullus [*] potuiſſet mortuum ſuum cognoſcere. Qui defunctus & ſepultus eſt ad beatum Petrum apoſtolum [*] die 8. menſis Novembris. Hic dimiſit [*] per obſequia ſua, & ad omnem clerum rogam unam integram. Hic fecit ordinationes tres, presbyteros [*] (o) novem, diaconos quinque, epiſcopos per diverſa loca numero viginti novem. Et [e] ceſſavit epiſcopatus menſem unum, dies [*] ſexdecim.

Marginal variants: [*] annos tres minus diebus 5. — [*] ex judicibus, & judicum. — [*] optimo — [*] Arſenio; [*] cantata. — [*] terra — [*] poſſet. — [*] vi. Idus Novembris. — [*] pro obſequiis — [*] 14 — [*] ſex.

### NOTA SEVERINI BINII.

a *Deuſdedit.* ) Cum poſt obitum Bonifacii IV. ſedes apoſtolica menſibus quinque & duodecim diebus vacaſſet, Deuſdedit egregiis virtutibus & ſanctitate conſpicuus, creatus eſt pontifex. De hoc publice cantatur in eccleſia 8. die Novembris eum tanti meriti extitiſſe, quod cum viſitaret ægrotos, leproſum unum oſculo ſanaverit, & a lepra mundum reddiderit. Sub initium pontificatus illius Coſrhoes Perſarum rex Hieroſolymam civitatem expugnavit & incendit. Crucem ſanctam domini noſtri Jeſu Chriſti, una cum Zacharia Hieroſolymitano antiſtite, aliiſque innumeris Chriſtianis in Perſidem tranſtulit. De qua hiſtoria hæc paucis Theophanes in ſuis annalibus: *Anno quinto imperii Heraclii*, qui eſt Chriſti 614. *ceperunt Perſæ Jordanem bello & Palæſtinam & ſanctam civitatem, & multos in ea per manus Judæorum interfecerunt, id eſt ut quidam ajunt, 90000. Iſti enim emenies Chriſtianos, prout unuſquiſque habere poterat, occidebant eos. Zachariam vero Hieroſolymitanum præſulem comprehenſum, & pretioſa & vivifica ligna ſancta crucis cum multa præda abduxerunt in Perſidem.* In hac tranſlatione, teſte Suida in Heraclio, illud admiratione dignum contigit, quod rex impius ſalutis noſtræ trophæum adeo reveritus fuerit, ut nec auſus fuerit ab ipſa theca, qua operiebatur, ſignaculum amovere; eodemque modo & honore aſſervarit idem in Perſide, quo Hieroſolymis aſſervatum & honoratum fuerat.

Deuſdedit quando pontifex factus. — Oſculo ſanat leproſum. — Crux Chriſti in Perſidem tranſlata.

b *Sedit annos tres dies* 24.) Annis tribus minus quinque diebus. Octavo enim die Novembris hujus anniverſaria memoria in eccleſia recolitur, adeoque facta computatione ab ingreſſu pontificatus, prædicto tempore ſediſſe reperitur.

Quamdiu ſederit.

c *Eodem tempore Eleutherius* ). Vide Baronium anno domini 615. numero 6. & 7.

d *Roga* ) Eſt donatio, ſic dicta ab erogando.

Roga quid.

e *Ceſſavit dies ſexdecim.* ) Alii codices legunt dies ſex.

## [*] EPISTOLA DEUSDEDIT PAPÆ AD GORDIANUM HISPALENSEM EPISCOPUM:

Qui proprios filios de ſacro fonte ſuſcipiunt, ab uxoribus ſeparentur: & prohibetur ne quis commatrem ſuam in uxorem accipiat.

*Deuſdedit ſancta Romana & apoſtolica eccleſiæ epiſcopus Gordiano Hiſpalenſis eccleſiæ coepiſcopo & fratri dilectiſſimo.*

[*] Falſam eſſe ep. docent cum alia tum ipſe Iſidorus, qui Hiſpali ſedit ab anno 600. ad 636. nec ullum poſſet eſſe ſibi collegam ab anno 614. ad 617.

PErvenit ad nos diaconus veſter, veſtræ ſanctitatis epiſtolam ferens, quod quidam viri etiam

(a) *Subdiacono.* (b) XXIII. (c) *hujus temporibus.* (d) *& judicibus.* (e) *Mixti Joan.* (f) *Conſino antarta.* (g) *contra quem pugnando Eleutherius &c.* (h) addit: *ſimul cum eo alios multos, & ſic reverſus &c.* (i) addit: *magna.* (l) *fieri in &c.* (m) *VI.* (n) *ſcabearum ita ut.* (o) *XIV.*

etiam & mulieres, præterito ſabbato paſchali die, præ magno populorum incurſu, neſcientes, proprios ſuos filios ſuſcepiſſent ex lavacro ſancto. Cupis ergo ſcire, ſi pro tali accidente ratione debeant viri & mulieres ad ſuum proprium redire uſum, an non. Nos vero * mœſti hac in re inquiſivimus priorum patrum noſtrorum dicta. Invenimus autem in archivis hujus apoſtolicæ ſedis jam talia contigiſſe in eccleſiis Iſauriæ, Epheſiorum, ſimulque Hieroſolymæ, & etiam aliarum civitatum. Epiſcopis etiam earum civitatum ab hac apoſtolica ſede volentibus ſcire, utrum viri & mulieres redirent ad proprium torum, beatæ memoriæ ſanctiſſimi patres, Julius, Innocentius, & Cæleſtinus, cum epiſcoporum plurimorum & ſacerdotum * conſenſu, in eccleſia beati apoſtolorum principis prohibentes talia perſcripſerunt, & confirmaverunt, ut nullo modo jam ſe in conjugium reciperent mulieres aut viri quicumque aliqua ratione ſuſceperunt natos proprios: ſed ſepararent ſe, ne ſuadente diabolo tale vitium * peccati inoleſcat per mundum, & univerſorum error accreſcat. Scitis quia quomodo ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti, ita ſunt ſeptem dona baptiſmi, a primo pabulo ſacrati ſalis, & ingreſſu ſanctæ eccleſiæ, uſque ad * confirmationem Spiritus ſancti per chriſma. Ab hoc ergo primo Spiritus ſancti dono uſque ad ſeptimum nullus Chriſtianus ſuam commatrem in conjugium ſuſcipere debet: & qui præſumpſerit, anathematis vinculo religetur in perpetuum, niſi pœnitentiam egerit digne. Mulieres * vero, cum ſeparatæ fuerint pro hac illicita re, a propriis viris totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali receperunt; & poſt expletum annum recipiant alium virum, ſimiliter & vir uxorem.

* Ed. rom. ex hoc mœſti inquiſivimus.

* Conventu

* inoleſcat Sicule

* confirmationem

* Conjugia diſſolvi lex humana conceſſit, divina prohibet [illegible] ... Deuſdedit conjungenda S. Greg. ep. [illegible] l. [illegible] cap. [illegible]

# ☞ AD DECRETA DEUSDEDIT PAPÆ

## APPENDIX.

*Decretum de electione Romani Pontificis Deuſdedit papa nomine promulgatum, inſeruit in ſua collectione Udalricus Bambergenſis, cujus codicem vulgavit Eccardus in cor. Hiſtoricor. medii ævi to. II. col. 188. An genuinum illud ſit, nec ne, alii diſputent; mihi ſatis eſt illud ita exhibere, quale illic legitur. Prætereundum tamen non arbitror, hoc ipſum decretum iiſdem verbis ab aliis Stephano IV. ab aliis VI., ab aliis impoſtori cuipiam tribui.*

In Manſi Supplem. to. I. pag. 467.

*Deuſdedit Romanus pontifex decreto ſuo inſtituit, dicens:*

Quia Sancta Romana eccleſia, cui, Deo auctore præſidemus, plurimas patitur violentias, Pontifice obeunte, quæ ob hæc inferuntur, quod abſque imperatoris notitia & ſuorum legatorum præſentia Pontificis fit conſecratio, nec canonico ritu & conſuetudine ab Imperatore directi ſunt nuntii, qui violentiam & ſcandala in ejus conſecratione non permittant fieri, volumus ut id deinceps obdicetur (*ſic*), & cum præſtituendus eſt Pontifex, convenientibus epiſcopis & univerſo clero, eligatur, expectente Senatu & populo eum, qui ordinandus eſt, ſic in conſpectu omnium celeberrime electus, præſentibus legatis imperialibus conſecretur, nullusque ſine ſui periculo juramenta aut promiſſiones aliquas nova adinventione audeat extorquere, niſi quæ antiqua exigit conſuetudo, ne eccleſia ſcandalizetur, aut Imperatoris honorificentia minuatur.

# ☞ IN EPISTOLAM DEUSDEDIT PAPÆ

## ADNOTATIO CRITICA.

Unicam Deuſdedit papæ epiſtolam ex Labbeo accepimus, nec plures in MSS. codicibus nactus ſum; ſed ex iiſdem MSS. codicibus animadverſione dignum cenſeo, inſcriptionem aliquando diverſam referre; quo enim loco in editis dirigitur, *Gordiano Hiſpalenſi epiſcopo*; in MS. codice Piſtorienſi annorum ſaltem octingentorum, in quo Iſidori Mercatoris extat collectio, præfert, *Gordiano Hiſpaniarum eccleſiæ coepiſcopo*. Hæc vero lectio alicujus eſt momenti, cum ex vulgata inſcriptione argumentum deduxerit Labbeus contra epiſtolæ hujus ſinceritatem; animadvertit enim Hiſpalenſi eccleſiæ per hæc tempora non Gordianum, ſed Iſidorum præfuiſſe. Ex hac ergo correctione noſtra argumentum iſtud evertitur: quamquam alia ſunt, quæ ſuſpicioſam hanc ipſam epiſtolam efficiunt; ut v. g. eadem ipſa ſcriptio ab ætatis ejus moribus plane aliena; nullus enim præcedentium ſive proxime ſubſequentium pontificum hoc titulo ſe ornat. *Deuſdedit Sancta Romana & apoſtolica* (deeſt *apoſtolica* in MS. cod.) *eccleſiæ epiſcopus*. Poſt S. Gregorium, vix alium titulum ſibi præſcribebant pontifices Romani, quam: *Servus ſervorum Dei*; ut ex literis Bonifacii V. diſcimus. Adde diſciplinam in hac epiſtola traditam de connubii diſſolutione, ſi forte accidiſſet, ut vir inſcius imprudenſque filium ex uxore ſuſceptum, e ſacro fonte levaſſet, abſonam eſſe, ac plane contrarium definiſſe Nicolaum I. papam in fragmento illius epiſtolæ ad Salemonium, forte Salomonem, quod ex MS. cod. ſuo loco proferam.

CON-

ANNO CHRISTI 615.

# CONCILIUM PARISIENSE V.

Clotarii II. Francorum regis evocatione celebratum, ſub die xv. Kalendas Novembris, [a] anno Chriſti DCXV. Deuſdedit papæ I. Clotarii ejuſdem regis XXXI.

## TITULI CANONUM.

[a] Primus edidit Sirmondus ex MS. Remenſi. Hard.

I. *De epiſcoporum electionibus juxta canones obſervandis.*
II. *Ut epiſcopo ſuperſtite nullus illi ſubrogetur.*
III. *Ut clerici contra epiſcopos ſuos potentiorum patrocinia non quærant.*
IV. *Ut clerici a judice ſæculari abſque epiſcopi conſenſu non diſtringantur.*
V. *Ut liberti ab epiſcopis defenſentur.*
VI. *Ut non ſubducantur quæ ad ſarta tecta eccleſiis fuerint delegata.*
VII. *Ut defuncti epiſcopi, aut clerici cujuſcumque res ante cognitum teſtamentum contingere nemo præſumat.*
VIII. *Ut quæ abbates, aut presbyteri morientes relinquunt, ab epiſcopo, vel archidiacono non uſurpentur, ſed in eo loco maneant, ubi relicta ſunt*
IX. *Ut nemo alterius epiſcopi, vel eccleſiæ res competere aut pervadere audeat.*
X. *Ut rata ſint donationes epiſcoporum & clericorum eccleſiæ vel aliis facta.*
XI. *Ut epiſcopus cum epiſcopo controverſiam habens non ad judicem publicum, ſed ad metropolitani ſui judicium recurrat.*
XI. *De monachis & monialibus vagis ad ſepta monaſterii per epiſcopos revocandis.*
XIII. *De viduis & puellis, quæ rejecto religionis habitu nuptias ineunt, excommunicandis.*
XIV. *De inceſtis conjunctionibus diſſolvendis.*
XV. *Ut nullus Judæorum publicam actionem ullam ſuper Chriſtianos exerceat, aut ab epiſcopo cum omni familia ſua baptizetur.*

## PRÆFATIO.

CUm in Dei nomine ſecundum priſcorum ſanctorum patrum conſtitutionem in urbe Pariſiis ex evocatione glorioſiſſimi principis domni Clotacharii regis in ſynodali concilio conveniſſemus, tam pro renovandis antiquorum canonum ſtatutis, quæ præſentis temporis neceſſarium facit opportunitas iterari, quam his quæ ad ſurgentes undecumque querelarum materias recentis definitionis ordo popoſcit inſti- D tui, tractantes quid principis, quid ſaluti populi utilius competeret, vel quid eccleſiaſticus ordo ſalubriter obſervaret.

## CANONES.

### I.

Primo in loco ut canonum inſtituta ab omnibus conſerventur, & quod per priora temporum ſpatia præceptum eſt, vel deinceps perpetualiter obſervetur. Hoc eſt, ut decedente epiſcopo, in loco ipſius ille Chriſto propitio debeat ordinari, quem metropolitanus, a quo ordinandus eſt, cum provincialibus ſuis, clerus vel populus civitatis, abſque ullo A commodo vel datione pecuniæ elegerint. Quod ſi aliter aut poteſtate ſubrepat, aut quacumque negligentia abſque electione metropolitani, cleri conſenſu vel civium, fuerit in eccleſia intromiſſus, ordinatio ipſius ſecundum ſtatuta patrum irrita habeatur.

### II.

Ut nullus epiſcoporum ſe vivente alium in loco ſuo eligat; nec qualiſcumque perſona illo ſuperſtite locum ipſius ſub quocumque argumento vel ingenio adoptare præſumat, nec a quoquam debeat or- B dinari; niſi certæ conditiones extiterint, ut eccleſiam ſuam & clerum regere non poſſit.

### III.

Ut ſi quis clericus quolibet honore munitus, contempto epiſcopo ſuo, ad principem, vel ad potentiores homines, vel ubi & ubi ambularit, vel ſibi patronos elegerit, non recipiatur, præter ut veniam debeat promereri. Quod ſi fecerit, qui ipſum poſt admonitionem pontificis ſui retinere præſumpſerit, noverint ſe utrumque priorum canonum ſententia C damnandos.

### IV.

[b] Ut nullus judicum neque presbyterum, neque diaconum, vel clericum ullum, aut juniores eccleſiæ ſine ſcientia pontificis per ſe diſtringat, aut damnare præſumat. Quod ſi fecerit, ab eccleſia, cui injuriam irrogare dignoſcitur, tamdiu ſit ſequeſtratus, quamdiu reatum ſuum * corrigat & emendet.

[b] Capitul. l. 6. cap. 3 14. Addit. 4. c. 61. 11. q. 1. can. nullus judicum, & c. 1. de foro competenti

* cognoſcit

### V.

Liberti quorumcumque ingenuorum a ſacerdotibus defenſentur, nec ad publi- D cum ulterius revocentur. Quod ſi quis auſu temerario eos imprimere voluerit, aut ad publicum revocare, & admonitus per pontificem ad audientiam venire neglexerit, aut emendare quod perpetravit diſtulerit, communione privetur.

Addit. 4. c. 63.

### VI.

Quæcumque pro ſartis tectis eccleſiis fuerint delegata, in poteſtate pontifices, presbyteri, vel ſervientes ſanctorum locorum, ſecundum voluntatem conferentis, ad ſe debeant revocare. Quod ſi ali- E quid exinde quicumque abſtulerit, noverit ſe ab eccleſia ſequeſtratum, quoadusque ea quæ abſtulit ſtuduerit reformare.

Addit. 4. c. 61.

VII.

VII.

His etiam conſtitutionibus adnecti placuit, ut defuncto epiſcopo, presbytero, vel diacono, vel quoquam junioris ordinis clerico, non per præceptum, neque per judicem, nec per qualemcumque perſonam, res eccleſiæ vel eorum propriæ, quouſque aut teſtamentum, aut qualemcumque obligationem fecerit, cognoſcatur, a nullo penitus ſupraſcriptæ res contingantur; ſed ab archidiacono, vel clero in omnibus defendantur & conſerventur. Quod ſi quis immemor definitionis hujus temere aliquid exinde auferre præſumpſerit, aut auſu temerario in res ipſas ingreſſus fuerit, & de dominatione eccleſiæ abſtulerit, ut necator pauperum communione privetur.

VIII.

Comperimus denique, cupiditatis inſtinctu, deficiente abbate, presbytero, vel his qui per titulos deſerviunt, præſidium quodcumque in mortis tempore dereliquerint, ab epiſcopo vel archidiacono diripi, & quaſi ſub augmentum eccleſiæ vel epiſcopi, in uſum eccleſiæ revocari, & eccleſiam Dei per pravas cupiditates expoliatam relinqui. Statuimus obſervandum, ut neque epiſcopus, aut archidiaconus exinde aliquid auferre præſumat: ſed in loco ubi moriens hoc dereliquerit, perpetualiter debeat permanere. *

* Hic deeſſe videtur aliquid.

IX.

Id etiamnum adjungi cenſuimus, * ut neque epiſcopus clericorum vel ſæcularium cujuſcumque alterius epiſcopi, ſeu eccleſiæ, ſeu privatas res, aut * regnorum defenſionem, aut provinciarum ſequeſtrationem competere, aut pervadere audeat, aut quacumque acceptatione, aut pervaſione poſſidere, aut retinere præſumat. Quod ſi quis hoc facere tentaverit, tamdiu ſit ab omnium caritate ſuſpenſus, vel a communionis gratia ſequeſtratus, quouſque res ablatas cum fructuum ſatiſfactione reſtituat.

* Interregnorum defenſione aut provinciarum ſequeſtratione.

X.

Concilium Lugdunenſe II. can. 2.

Et quia multæ tergiverſationes infidelium eccleſiam Dei quærunt collatis privare donariis, ſecundum conſtitutionem præcedentium pontificum id convenit inviolabiliter obſervari, ut teſtamenta quæ epiſcopi, presbyteri, ſeu inferioris ordinis clerici, vel donationes, aut quæcumque inſtrumenta propria voluntate confecerint, quibus aliquid eccleſiæ, aut quibuſcumque perſonis conferre videantur, omni ſtabilitate ſubſiſtant. Specialiter ſtatuentes, ut etiamſi quorumcumque religioſorum voluntas, aut neceſſitate, aut ſimplicitate faciente, aliquid a legum ſæcularium ordine viſa fuerit diſcrepare, voluntas tamen [illegible] inconvulſa manere, & in omnibus, Deo auſpice, cuſtodiri. De quibus rebus ſi quis animæ ſuæ contemptor aliquid alienare præſumpſerit, uſque ad emendationis ſuæ, vel reſtitutionis rei ablatæ tempus, a conſortio eccleſiaſtico, vel a Chriſtianorum convivio habeatur alienus.

XI.

Placuit etiam, ſecundum conſtitutionem anteriorem, ut ſi quis epiſcoporum cum coepiſcopo ſuo quodcumque negotium exequi voluerit, ad judicium metropolitani ſui recurrat. Quod ſi ſpreto metropolitano, vel reliquis comprovincialibus, judicem publicum adierit, tamdiu a caritate metropolitani habeatur extraneus, quamdiu in proxima ſynodo coram fratribus facti hujus debeat reddere rationem.

XII.

Capitular. l. 7. c. 136.

Illud etiam unanimi conſenſu convenit, quod ſi quis monachus, aut monacha, in congregatione poſiti religioſam converſationem elegerint, & poſtea aut ad parentes, aut ad propriam quamcumque ſubſtantiam ſe de congregatione ipſa ſubtraxerint, & ab epiſcopo ſuo per epiſtolam admoniti ad ſepta monaſterii ſui redire diſtulerint, ſint uſque ad exitum vitæ a communione ſuſpenſi; nec prius ad euchariſtiæ gratiam admittantur, quam ad ovile ſuum, de quo ſe vagationis inſolentia viſi ſunt ſubtraxiſſe, cum humillimæ ſupplicationis debeant ſatiſfactione reverti.

XIII.

Capitular. lib. 7. c. [illegible] 15. quæſt. 1. De viduis & puellis.

* De viduabus & puellis, quæ ſibi veſtes in habitu religionis in domibus propriis, tam a parentibus, quam per ſeipſas mutaverint, & ſe poſtea contra ſtatuta canonum, conjugia patrum, vel præcepta canonum, conjugio crediderint copulandas, tamdiu utrique habeantur a communione ſuſpenſi, quouſque quod illicite perpetraverunt emendent: aut ſi emendare neglexerint a communione eccleſiaſtica, vel omnium Chriſtianorum convivio in perpetuum ſint ſequeſtrati.

XIV.

Inceſtas vero conjunctiones ab omni Chriſtianorum populo cenſuimus ſpecialiter reſecari: ita ut ſi quis relictam fratris, ſororem uxoris, privignam, conſobrinam, ſobrinam, vel ſolictam item patrui atque avunculi, vel in religionis habitu deditam, conjugii crediderit conſortio violandam tamdiu a communionis gratia ſegregetur, quamdiu ab illicitis conjunctionibus ſequeſtratione manifeſtiſſima debeat abſtinere.

XV.

Ut nullus Judæorum qualemcumque militiam aut actionem publicam ſuper Chriſtia-

ſtianos, aut petere a principe, aut agere præſumat. Quod ſi tentaverit, ab epiſcopo civitatis illius ubi actionem contra canonum ſtatuta competiit, cum omni familia ſua baptizandi gratiam conſequatur.

*Huic ſynodo ſubſcripſerunt epiſcopi num. 79.*

## Nota Jacobi Sirmondi, S. J.

1 *Concilium*) Nova hac ſynodus a Clotario II. rege tum indicta, cum poſt Theodeberti & Theodorici mortem illorum quoque regno ſucceſſiſſet, univerſumque, ſicut Clotarius alter ipſius avus, Francorum imperium adeptus eſſet. Quo factum, ut maximo ad eam numero epiſcopi convenerint. Septuaginta novem adfuiſſe proditum eſt in vetere quadam collectione, quot in nullo antea Francorum concilio fuiſſe memorantur. Eadem propterea generalis ſynodus appellatur in concilio Rhemenſi canone 3. Verum integram & ſine lacunis repræſentare non licuit, ob unicum ejus exemplar, quod uſi ſumus, ſitu & carie multis locis exeſum, vel corruptum.

2 *Anno Chriſti* DCXV.) Cum hoc anno congruere videtur Clotarii annus poſt Chilperici patris obitum 31. qui cum in titulo ſynodi, tum in ſequentis edicti ſubſcriptione annotatur. Quod ſi quis illam malit ad annum DCXIV. referre, cum paulo ante Benedicti Papæ creationem, ſede poſt Bonifacium IV. vacante, habitam dici oportebit.

Can. 4 3. *Ut nullus judicum.*) Citatur etiam hic canon ſub paleæ titulo a Gratiano 11. quæſt. 1. *Nullus judicum* & in decretalibus cap. 2. *De foro competenti*, ex hoc concilio Pariſienſi.

Cau. 13. 4. *De viduabus & puellis.*) Citat hunc itidem Gratianus 27. q. 1. *De viduis & puellis*, ſed falſo titulo, Burchardum ſecutus lib. 8. c. 48. & Ivon. part. 7. c. 66. qui perperam tribuunt concilio IV. Toletano.

## EDICTUM CLOTARII II. REGIS

### in Synodo Suprascripta.

*Edictum vel conſtitutio incliti principis Chlotacarii regis ſuper omnem plebem in conventu epiſcoporum in ſynodo Pariſiis adunata, ſub die quintodecimo Kalendas Novembris, anno XXXI. ſupraſcripti regis imperii.*

FElicitatem regni noſtri in hoc magis magiſque divino intercedente ſuffragio ſuccreſcere non dubium eſt, ſi quæ in regno Deo propitio noſtro bene acta, ſtatuta, atque decreta ſunt, inviolabiliter noſtro ſtuduerimus tempore cuſtodire, & quæ contra rationis ordinem acta vel ordinata ſunt, ne inantea, quod avertat divinitas, contingant, diſpoſuerimus Chriſto præſule per hujus edicti noſtri tenorem generaliter emendare. Ideoque definitionis noſtræ eſt, ut canonum inſtituta in omnibus conſerventur; & quod per tempora ex hoc prætermiſſum eſt, vel dehinc perpetualiter obſervetur. Ita ut epiſcopo decedente in loco ipſius qui a metropolitano ordinari debet cum provincialibus, a clero & populo eligatur; & ſi perſona condigna fuerit, per ordinationem principis ordinetur: vel certe ſi de palatio eligitur, per meritum perſonæ & doctrinæ ordinetur. Ut nullus epiſcoporum ſe vivente eligat ſucceſſorem: ſed tunc alius ei ſubſtituatur, cum taliter afficeretur, ut eccleſiam ſuam nec clerum regere poſſit. Itemque ut nullus vivente epiſcopo adoptare locum ejus præſumat: quod ſi petierit, ei minime tribuatur. Si quis clericus, quolibet honore munitus, contempto epiſcopo ſuo, vel prætermiſſo, ad principem, aut ad potentiores quaſque perſonas ambulare, vel ſibi patrocinium elegerit expeten-

A dum, non recipiatur, præter ſi pro venia videtur expetere. Et ſi pro qualibet cauſſa principem expetierit, & cum ipſius principis epiſtola ad epiſcopum ſuum fuerit reverſus, excuſatus recipiatur. Is qui ipſum poſt admonitionem pontificis ſui retinere præſumpſerit, ſancta communione privetur. Ut nullus judicum de quolibet ordine clericos de civilibus cauſſis, præter criminalia negotia, per ſe diſtringere aut damnare præſumat, niſi convincitur manifeſtus, excepto presbytero aut diacono. Qui vero convicti fuerint de crimine capitali, juxta canones diſtringantur, & cum pontificibus examinentur. Quod ſi cauſſa inter perſonam publicam & homines eccleſiæ ſteterit, pariter ab utraque B parte præpoſiti eccleſiarum, & judex publicus, in audientia publica poſiti ea debeant judicare. Cuicumque defuncto, ſi inteſtatus deceſſerit, propinqui abſque contrarietate judicum in ejus facultate juxta legem ſuccedant. Libertos cujuſcumque ingenuorum a ſacerdotibus juxta textus chartarum ingenuitatis ſuæ defenſandos, nec abſque præſentia epiſcopi aut præpoſiti eccleſiæ eſſe judicandos, vel ad publicum revocandos. Ut ubicumque cenſus novus impie additus eſt, & a populo reclamatur, juſta inquiſitione miſericorditer emendetur. De teloneo ut per loca debeat exigi, vel de ſpeciebus ipſis, de quibus præcedentium principum tempore, id eſt uſque ad tranſitum bonæ memoriæ domnorum parentum noſtrorum Gunthramni, Chilperici, Sigeberti regum eſt exactum. Judæi ſuper Chriſtia- C nos actiones publicas agere non debeant. Quare qui ſe quæſtuoſo ordini ſociare præſumpſerit, ſeveriſſimam legem ex canonica incurrat ſententia. Ut pax & diſciplina in regno noſtro ſit Chriſto propitiante perpetua, rebellio vel inſolentia malorum hominum ſeveriſſime reprimatur. Ut nullus judex de aliis provinciis aut regionibus in alia loca ordinetur: ut ſi aliquid mali de quibuslibet conditionibus perpetraverit, de ſuis propriis rebus exinde quod male abſtulerit juxta legis ordinem debeat reſtituere. Præceptiones noſtræ per omnia impleantur, &c. *deſunt reliqua hujus capitis, cum duobus ſequentibus.* Quidquid parentes noſtri anteriores principes, vel nos per juſtitiam viſi ſumus conceſſiſſe & confirmaſſe, in omnibus debeat confirmari. Et quæ unus de fidelibus ac leodibus, ſuam fidem ſervando domino legitimo, interregno faciente viſus eſt perdidiſſe, generaliter abſque aliquo incommodo de rebus ſibi juſte debitis præcipimus & reveſtiri. Puellas & viduas reli- D giosas, aut ſanctimoniales, quæ ſe Deo voverunt, tam quæ in propriis domibus reſident, quam quæ in monaſteriis poſitæ ſunt, nullus nec præceptum noſtrum competat, nec trahere, nec ſibi in conjugio ſociare penitus præſumat. Et ſi quis exinde præceptum elicuerit, nullum ſortiatur effectum. Etſi quicumque aut per virtutem, aut per quemlibet ordinem ipſas detrahere aut ſibi in conjugium præſumpſerit ſociare, capitali ſententia feriatur. Et ſi in eccleſia conjugium fecerint, & illa rapta aut rapienda in hoc conſentire videbitur, ſequeſtrati ab invicem in exilio deportentur, facultates eorum propinquis heredibus ſocientur. Epiſcopi E vero, vel potentes, qui in aliis poſſident regionibus, judices vel miſſos diſcuſſores de aliis provinciis non inſtituant, niſi de loco, qui juſtitiam percipiant & aliis reddant. Agentes igitur epiſcoporum aut potentum per poteſtatem nullius rei collecta ſolatia nec auferant, nec cujuſ-

certe

cumque contemptum per ſe tacere præſumant. Porcarii fiſcales in ſilvas eccleſiarum aut privatorum abſque voluntate poſſeſſoris in ſilvas eorum ingredi non præſumant. Neque ingenuus, neque ſervus, qui cum furto non deprehenditur, ab judicibus, aut ad quemcumque interfici non debeat inauditus. Et quandoquidem paſtio non fuerit, unde porci debeant ſaginari, cellarinſis in publico non exigatur. Quicumque vero hanc deliberationem, quam cum pontificibus, vel tam magnis viris optimatibus, aut fidelibus noſtris in ſynodali concilio inſtituimus, temerare præſumpſerit, in ipſum capitali ſententia judicetur, qualiter alii non debeant ſimilia perpetrare. Quam auctoritatem vel edictum perpetuis temporibus valiturum manus noſtræ ſubſcriptionibus decrevimus roborandum. Hamingus Chlotacharius in Chriſti nomine rex hanc definitionem ſubſcripſi. Data ſub die XV Kalendas Novembris, anno XXXI. regni noſtri, Pariſiis.

NOTA JACOBI SIRMONDI S.J.

1. *Edictum Clotarii.*) In manuſcripto ſynodum ſequitur: poſtponi autem debere viſum eſt, eo quod ſynodi mentionem faciat, & ea quæ ſynodus decreverat, ſua principis auctoritate confirmet.

## AD CONCILIUM PARISIENSE

### Anni 614.

### ADNOTATIO HISTORICO-CHRONOLOGICA.

Ex Suppl. Mans. pag. 461.

Concilium hoc, quo epiſcopi, ab ipſo Clotario rege invitati, convenerunt, & quas ipſi ſanxerunt leges ab eodem ipſo Clotario regia conſtitutione roboratæ ſunt, non plane diverſum credo ab eo concilio, cujus meminit Fredegarius in his verbis. *Anno XXXIII. regni Chlotharii VVarnacharium majorem domus cum univerſis pontificibus, ſed & Burgundæ farones Bonogelo Villa ad ſe venire præcepit, ibique cunctis illorum juſtis petitionibus annuens, præceptionibus roborat.* Habemus hic Clotarii invitationem, quam Pariſienſis concilii patres commemorant. Eſt inſuper Clotarii conſtitutio, quæ integra poſt canones Pariſienſis concilii ſubjicitur. At enim, quomodo inter ſe cohæreant *Bonogelo Villa* cum urbe Pariſienſi, quo convenisse ſe Pariſienſes Patres teſtantur? Viri docti complures nomine *Bonogelo villa* deſignari cenſent *Bonœil*, qui locus eſt in Pariſienſi agro ſitus. Vide Mabillon. de re Diplom. lib. 4. Forte igitur epiſcopi a rege, in agro Pariſienſi verſante, acciti ad vicinam urbem pro concilio celebrando diverterunt. Fateor equidem utriuſque concilii annum minime congruere, cum Fredegarius invitatos a rege epiſcopos anno XXXIII. Regni ſui affirmet, conſtitutio vero Clotarii pro concilio Pariſienſi annum regni XXXI. ſignet. Sed forte in alterutrum textum mendum aliquod irrepſit, vel ſi mavis Fredegarius hic, ut ſæpe alias, a recta chronologia paululum aberravit. Id vero mihi facilius perſuaderetur, quam ut crederem omitti ab illo potuiſſe celebrem epiſcoporum conventum rege invitante habitum, qualem fuiſſe conſtat Pariſienſe concilium, cujus conſtitutiones, velut ab ipſo Clotario editas, concilium quoddam Galliæ incerti loci mox ſubjiciendum laudat & confirmat.

## CANONES EX SYNODO INCERTI LOCI,

### Paulo poſt ſuperius Pariſienſe concilium celebrata.

## ADMONITIO EJUSDEM SIRMONDI

### DE CANONIBUS SEQUENTIBUS.

In eodem codice Rhemenſi, unde petitum eſt proximum concilium Pariſienſe, ſubjiciebantur canones ſynodi alterius, incertum quo loco vel anno habitæ, quia titulo carebant: ſed quam poſt concilium Pariſienſe haud longo intervallo celebratam primus canon oſtendebat. Quot numero ii fuerint, perinde incertum eſt. Mutilum enim exemplar, quod in decimo ſexto deſinebat, plures fuiſſe indicabat. Ex his porro reliquiis cariæ, ut dictum eſt, atque deformatis decem dumtaxat excerpere canones licuit, qui ſequuntur.

### TITULI CANONUM.

I. *De ſervandis conſtitutionibus concilii Pariſienſis.*
II. *De altarium conſecratione.*
IV. *Ut monachi juxta regulam vivant.*
V. *De nonnaiis in monaſterio fieri vetitis.*
VIII. *De interdicta clericis cohabitatione mulierum.*
IX. *De iis qui ad eccleſias confugiunt.*
XI. *De abbatibus & archipresbyteris ſine culpa non removendis, nec per præmia ponendis: & ne ſæculares archipresbyteri ponantur.*
XII. *Ut presbyteri & diaconi uxores ducere non præſumant.*
XIII. *De excommunicatis per vicinas civitates vicinaſque indicandis.*
XIV. *De ingenuis qui ſeipſos vendiderint, vel oppigneraverint.*
XV. *De antiquis diœceſibus.*

## CANONES.

### I.

Ut conſtitutiones illæ quæ Pariſiis ſunt decretæ, hoc eſt tam a dominis ſacerdotibus, quam a domno Chlothacario rege, juxta priſcas patrum conſtitutiones, in omnibus conſerventur: quia in nullo fidei catholicæ vel eccleſiaſticæ regulæ contrariæ ſunt inventæ.

II.

Ut altaria alibi conſecrari non debeant, niſi in his tantum eccleſiis, ubi corpora ſepulta non ſint.

IV.

Ut monachi juxta regulam vivant, nec ſequeſtrati per cellas habitent vel convivant, & peculiare nullum habeant: ſed juxta apoſtolum ſint eis omnia communia, ſicut abbatis vel præpoſiti diſpenſatio juſta perpenderit.

V.

Ut intra ſepta monaſterii non baptizetur nec miſſæ defunctorum ſæcularium celebrentur, nec ſæcularium corpora ibidem ſepeliantur: forſitan permiſſu pontificis. B

VIII.

Illud ſpecialiter decernimus, ut nullus epiſcopus, vel presbyter, aut diaconus, vel clericus honore munitus, mulierem in domo ſua habeat præter matrem, ſororem, & amitam. Quod ſi quis ſuper ſtatuta canonum d[illegible] habere præſumpſerit, juxta arbitrium pontificis ſententia canonica feriatur, & illa ut adultera condemnetur.

IX.

De his qui ad eccleſias confugium faciunt, ut eccleſiæ ſtatus in omnibus firmo robore perſiſtat, nullus de eccleſia violenter trahatur, nec confugiendi jus in eccleſiam ſubtrahatur. Sed nec vinculis, aut ferro, qui in eccleſiam confugerit colligetur. C

XI.

Ut abbates, vel archipresbyteri, abſque culpa de eccleſiaſtico miniſterio removeri non debeant: nec per præmia nullus abbas, vel archipresbyter ponantur. Quod ſi quis facere præſumpſerit, communione A privetur. Nec ſæculares archipresbyteri ponantur. Forſitan ſi talis fuerit, quem pro merito perſonæ in ſolatium eccleſiæ pontifex neceſſarium eſſe judicet, ut ſine ejus defenſione parœciani illi ſe defenſare non poſſint.

XII.

Presbyteri, vel diaconi, ſe nulla ratione nubere præſumant. Quod ſi præſumpſerint, ab eccleſia ſequeſtrentur.

XIII.

De excommunicatis placuit, ſi quis pro crimine ſuo ab epiſcopo, vel presbytero, fuerit communione privatus, epiſcopus, vel presbyter, & facinus excommunicati, & privationem communionis vicinis civitatibus vel parœciis ſtudeant indicare. Quod ſi quis, ad ejus poſtquam notitiam venerit, uſque audientiam cum ipſo communicare præſumpſerit, biennio communione privatus ab eccleſia ſequeſtretur.

XIV.

De ingenuis qui ſe pro pecunia aut alia re vendiderint, vel oppigneraverint, placuit ut quandoquidem pretium, quantum pro ipſis datum eſt, invenire potuerint, abſque dilatione ad ſtatum ſuæ conditionis reddito pretio reformentur, nec amplius quam pro eis datum eſt requiratur. Et interim, ſi vir ex ipſis uxorem ingenuam habuerit, aut mulier ingenuum habuerit maritum, filii qui ex ipſis nati fuerint in ingenuitate permaneant.

XV.

Si quis Chriſtianorum diœceſem, quæ ab anterioribus epiſcopis, *&c. Hic codex Ms. deficit.*

ANNO CHRISTI [illegible]

# VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA BONIFACII PAPÆ V.

ANNO CHRISTI 617.

BOnifacius natione Campanus, de civitate Neapoli (a) [b] ſedit * annos quinque (b) dies tredecim. Hic conſtituit, ut teſtamentum valeat ſecundum juſſionem principis. Hic conſtituit, ut nullus trahatur de eccleſia. Hic conſtituit, ut acolythus non præſumat reliquias ſanctorum martyrum levare, niſi presbyter. Hic conſtituit, ut in Lateranis acolythus non baptizaret cum diacono, ſed ſubdiaconi ſequentes. Hic (c) perfecit cœmeterium ſancti (d) Nicodemi *, & dedicavit illud. Erat enim beatiſſimus Bonifacius mitiſſimus ſuper omnes homines, & miſericors. Hic clerum amavit, rogam integram (e) clero ſuo dedit. Eodem tempore ante dies ordinationis ejus Eleutherius patricius * & (f) eunuchus factus (g) Intrata * aſſumpſit regnum, & veniente eo ad civitatem * Romanam * in caſtrum quod dicitur Luceolis, * ibidem (h) Amites Ravennatis interfectus eſt. Cujus caput ductum eſt Conſtantinopolim ad D piiſſimum principem. Qui defunctus ſepultus eſt ad beatum Petrum apoſtolum die 25. menſis Octobris. Hic dimiſit omni clero * obſequia ſua * rogam unam integram. Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembrem, presbyteros (i) vigintiſeptem, diaconos quatuor, epiſcopos per diverſa loca numero 29. Et ceſſavit (l) epiſcopatus menſes ſex, dies 18.

* Nicomedis

* ſ. exarchus. * Antea in caſtro, * a militibus Ravennatis.

* pro obſequiis ſuis.

NOTÆ

(a) addit *ex patre Joanne*. (b) deeſt *dies* XIII. (c) *fecit*. (d) *Nicomedis*. (e) *Clero ſuo*, deeſt. (f) [illegible] (g) [illegible] (h) *a militibus Ravennatibus* &c. (i) XXVI. (l) *epiſcopatus* [illegible] XIII.

## NOTÆ SEVERINI BINI.

Boniſacius quo tempore factus ſit papa.

a *Bonifacius*) Decima quarta, vel ſecundum aliam lectionem, 24. menſis Decembris, anno domini 617. poſt interregnum unius menſis & ſex vel ſexdecim dierum, Bonifacius ejus nominis quintus, patria Neapolitanus, creatus eſt pontifex. Hujus temporibus, cum Romanum imperium a Perſis plurimum affligebatur, Eleutherius exarchus, poſtquam juſtum ſupplicium de aliis defectionem & tyrannidem molientibus ſumpſiſſet, factus eſt ipſe tyrannus, ideoque juſtas uſurpati imperii pœnas luit, quas Anaſtaſius hic deſcribit. Heraclius imperator cum adverſus Perſas viribus non ſubſiſteret, antea non ſemel repulſus miſſa legatione pacem petiit, conditiones ſatis iniquas offerens. at Coſrhoes rex Perſarum non aliter concedendam pacem eſſe reſpondit, quam ſi ipſe cum toto Romano imperio Chriſti cultum abnegaret, & cum Perſis ſolem divino cultu adoraret. Imperator reparatis viribus & quaſita undique pecunia, tyrannum bello aggreſſus, ſanctæ crucis ſubſidio adjutus, contra hoſtes victoriam glorioſiſſime retulit. Hujus temporibus vixit Mahometes Arabs, pſeudo-propheta, peſtis orbis terrarum, a quo Mahometanorum ſecta originem cepit qui ut omnes populos in ſuam ſectam attraheret, ex cunctis ferme ſectis aliquid adſcivit. Ex Judæis circumciſionem, unius Dei cultum, & abſtinentiam a carne ſuilla: ex Chriſtianis Chriſtum, ſed cum Arianis creatum, cum Neſtorianis purum hominem, cum Manichæis non vere, ſed tantum apparenter crucifixum: ex gentibus cultum Lunæ, ſeu alicujus aſtri. Legem quam propoſuit ſtultiſſimam, armis propagandam eſſe docuit, eamque diſputationibus examinari prohibuit. Vide Damaſcenum de hæreſibus, Theophanem & Cedrenum in Heraclio, Baronium anno 630.

Heraclius a Perſis pacem petiit.

Mahometes quis & qualis.

b *Sedit annos* 5.) Annis 7. menſibus decem, & die uno pontificatum tenuiſſe probat Baronius ex eo quod anno domini 617. vigeſima quarta menſis decembris pontifex creatus, eumdem adminiſtraverit ad illum uſque annum quo Paulinus Eboracenſis epiſcopus a Juſto archiepiſcopo ordinatus, monitu pontificis Bonifacii, qui de ſuſcipienda fide & deſerenda idololatria literas ad regem & ejus conjugem ſcripſerat, Anglis Borealibus convertendis operam impendit. Illud contigiſſe anno a nativitate domini 625. qui eſt octavus Bonifacii papæ, diſertis verbis profitetur Beda libro 2. capite 9. Unde aperte conſtat, quod quem Anaſtaſius 25. Octobris vita functum eſſe ſcribit, non quinque tantum, ſed annis ſeptem, menſibus 10. & uno die, ſedem pontificiam obtinuerit.

Quamdiu ſederit.

## EPISTOLA I. BONIFACII PAPÆ V. AD JUSTUM NUPER ROFFENSEM EPISCOPUM, modo Melliti ſucceſſorem in archiepiſcopatu Cantuariæ.

Laudat eum quod Adelvaldum regem ad fidem perduxerit, ſperanſque alios perducturum, pallium mittit, juſque ordinandi epiſcopos ei concedit.

*Dilectiſſimo fratri Juſto Bonifacius.*

Bed. lib. 2. cap. 8. Laudat ſolertiam ejus in convertendis populis.

QUam devote, quamque etiam vigilanter pro Chriſti evangelio elaboraverit veſtra fraternitas non ſolum epiſtolæ a vobis directæ tenor, imo indulta deſuper operi veſtro perfectio indicavit. Nec enim omnipotens Deus aut ſui nominis ſacramentum, aut fructum veſtri laboris deſeruit, dum ipſe prædicatoribus evangelii fideliter repromiſit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.* Quod ſpecialiter, injuncto vobis miniſterio, ejus clementia demonſtravit, aperiens corda gentium ad ſuſcipiendum prædicationis veſtræ ſingulare myſterium. Magno enim præmio faſtigiorum veſtrorum delectabilem curſum bonitatis ſuæ ſuffragiis illuſtravit, dum creditorum vobis talentorum fideliſſimæ negotiationis officii uberem fructum, impendens ei quod ſignare poſſitis, multiplicatis generibus præparavit. Hocque etiam illa a vobis repenſatione collatum eſt, qui injuncto miniſterio jugiter perſiſtentes, laudabili patientia redemptionem gentis illius expectatis, & veſtris ut proficerent meritis eorum eſt ſal-

Matth. 28.

A vatio propinata, dicente domino: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Salvati ergo eſtis ſpe patientiæ, & tolerantiæ virtute, ut infidelium corda naturali ac ſuperſtitioſo morbo purgata, ſui conſequerentur miſericordiam ſalvatoris.

Matth. 10. & 24.

Suſceptis namque apicibus filii noſtri Adelvaldi regis, reperimus quanta ſacri eloquii eruditione ejus animum ad veræ converſionis & indubitatæ fidei credulitatem fraternitas veſtra perduxerit. Qua ex re de longanimitate clementiæ cæleſtis certam aſſumentes fiduciam, non ſolum

B ſuppoſitarum ei gentium pleniſſimam ſalutem, imo quoque vicinarum, veſtræ quoque prædicationis miniſterio credimus ſubſequendam, quatenus, ſicut ſcriptum eſt conſummati operis veſtri merces a retributore omnium bonorum domino tribuatur. Et vere per omnem terram exiſſe ſonum eorum, & in fines orbis terræ verba ipſorum, univerſalis gentium confeſſio (ſuſcepto Chriſtianæ ſacramento fidei) proteſtatur.

Pſalm. 18.

Pallium præterea per latorem præſentium fraternitati tuæ benignitatis ſtudiis invitati direximus, quo videlicet tantum in ſacroſanctis myſteriis celebrandis licentiam utendi impertivimus: concedentes etiam tibi ordinationes epiſcoporum exigente opportunitate, domini præveniente

C miſericordia, celebrare: ita ut Chriſti evangelium plurimorum annuntiatione in omnibus gentibus quæ necdum converſæ ſunt dilatetur. Suadeat ergo tua fraternitas hoc quod ſedis apoſtolicæ humanitate percepit, intemerata mentis ſinceritate ſervare, intendens cujus rei ſimilitudine tam præcipuum indumentum humeris tuis bajulandum ſuſceperis. Talemque te domini implorandæ clementia exhibendum ſtude, ut indulti muneris præmia non cum reatitudine, ſed cum commodis animarum ante tribunal ſummi & venturi judicis repræſentes. Deus te incolumem cuſtodiat, dilectiſſime frater.

## D II. AD EDUVINUM REGEM ANGLORUM.

Eum ad fidem Chriſtianam exhortatur.

*Viro glorioſo Edwino regi Anglorum Bonifacius epiſcopus ſervus ſervorum Dei.*

LIcet ſummæ divinitatis potentia humanæ locutionis officiis explanari non valeat, quippe quæ ſui magnitudine ita inviſibili atque ininveſtigabili æternitate conſiſtit, ut eam nulla ingenii ſagacitas quanta ſit, comprehendere diſſerereque ſufficiat: quia tamen ejus humanitas ad inſinuationem ſui reſeratis cordis januis,

E quæ de ſemetipſa proferantur, ſecreta humanis mentibus inſpiratione clementer infundit, ad annuntiandam vobis plenitudinem fidei Chriſtianæ, ſacerdotalem curavimus ſolicitudinem prærogare, ut perinde Chriſti evangelium, quod ſalvator noſter omnibus præcepit gentibus prædicari, veſtris quoque ſenſibus inſerentes, ſalutis veſtræ remedia propinemus.

Superna igitur majeſtatis clementia, quæ cuncta ſolo verbo præceptionis ſuæ condidit & creavit, cælum videlicet & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt (diſpoſitis ordinibus quibus ſubſiſterent) coæterni Verbi ſui concilio, & ſancti Spiritus unitate diſpenſans, hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam ex limo terræ plaſmatum conſtituit, eique tantam præmii præroga-

rogativam indulſit, ut eum cunctis præponeret, A
atque ſervato termino præceptionis æternitatis
ſubſiſtentia præmuniret? Hinc ergo Deum Pa-
trem, Filium, & Spiritum ſanctum, quid eſt
individua Trinitas, ab ortu ſolis uſque ad oc-
caſum humanum genus, quippe ut creatorem
omnium atque factorem ſuum, ſalutifera con-
feſſione fidei veneratur & colit. Cui etiam ſum-
mitates imperii, rerumque poteſtates ſubmiſſæ
ſunt: quia ejus diſpoſitione omnium prælatio
regnorum conceditur. Ejus ergo bonitatis mi-
ſericordia, totius creaturæ ſuæ dilatandæ ſubſi-
dijs, etiam in extremitate terræ poſitarum gen-
tium corda frigida ſancti Spiritus fervore in ſui
quoque agnitione mirabiliter eſt dignata ſucce- B
dere. Quæ enim in glorioſi filii noſtri Audu-
baldi regis, gentiumque ei ſuppoſitarum illu-
ſtratione clementia redemptoris fuerit operata,
plenius ex vicinitate locorum veſtram gloriam
conjicimus cognoviſſe. Ejus ergo mirabile do-
num, & in vobis certa ſpei cæleſtis longanimi-
tate conferri confidimus. Cum profecto glorio-
ſam conjugem veſtram quæ veſtri corporis pars
eſſe dignoſcitur, æternitatis præmio per ſacri ba-
ptiſmatis regenerationem illuminatam agnovimus.

Unde præſenti ſtylo glorioſius vos adhortan-
dos cum omni affectu intimæ caritatis curavi-
mus, quatenus abominatis idolis eorumque cul-
tu, ſpretiſque fanorum fatuitatibus, & augu-
riorum deceptibilibus blandimentis, credatis in
Deum Patrem omnipotentem, ejuſque Filium C
Jeſum Chriſtum, & Spiritum ſanctum, ut cre-
dentes a diabolicæ captivitatis nexibus, ſanctæ
& individuæ Trinitatis cooperante potentia,
abſoluti, æternæ vitæ poſſitis eſſe participes.
Quanta autem reatitudinis culpa teneantur ad-
ſtricti hi qui idololatriarum pernicioſiſſimam ſu-
perſtitionem colentes amplectuntur, eorum quos
colunt exempla perditionis inſinuant. Unde de
eis per pſalmiſtam dicitur: *Omnes dii gentium
dæmonia, dominus autem cælos fecit*. Et iterum: D
*Oculos habent & non vident, aures habent &
non audiunt, & nares habent & non odora-
bunt. Manus habent & non palpabunt, pe-
des habent & non ambulabunt. Similes ergo effi-
ciuntur his qui ſpem ſuæ confidentiæ ponunt in
eis*. Quomodo enim juvandi quamlibet poſſunt
habere virtutem hi qui ex corruptibili materia
inferiorum etiam ſuppoſitorumque tibi manibus
conſtruuntur, quibus videlicet artificium huma-
num accommodans, eis inanimatam membrorum
ſimilitudinem contuliſti: qui niſi a te moti fu-
erint, ambulare non poterunt, ſed tamquam
lapis in uno loco poſitus, ita conſtructi, nihil-
que intelligentes, ipſaque inſenſibilitate obruti,
nullam neque lædendi, neque juvandi facultatem
adepti ſunt? Qua ergo mentis deceptione eos
deos quibus voſipſi imaginem corporis tradidiſtis
colentes ſequimini, judicio diſcreto reperire non
poſſumus.

Unde oportet vos ſuſcepto ſigno ſanctæ cru-
cis, per quod humanum genus eſt redemptum,
execrando diabolicæ verſutiæ ſupplantationem,
qui divinæ bonitatis operibus invidus æmuluſ-
que conſiſtit, a cordibus veſtris abjicere, inje-
ctiſque manibus, hos quos eatenus materiæ com-
page vobis deos fabricaſtis, confringendos dimi-
nuendoſque ſummopere procurare; ipſa enim
eorum diſſolutio corruptioque, quæ nunquam
viventem ſpiritum habuit, nec ſenſibilitatem a
ſuis factoribus potuit quolibet modo ſuſcipere,
vobis patenter inſinuet, quod nihil erat quod
eatenus colebatis, dum profecto meliores vos,
A qui Spiritum viventem a domino percepiſtis,
eorum conſtructione nihilo minus exiſtatis: quip-
pe quos Deus omnipotens, ex primi hominis
quem plaſmavit cognatione deductos, per ſæcu-
la innumerabilibus propaginibus pullulare con-
ſtituit.

Accedite ergo ad agnitionem ejus qui vos Et Deum vivificantem colat.
creavit, qui vobis vitæ inſufflavit ſpiritum, qui
pro veſtra redemptione Filium ſuum unigenitum
miſit, ut vos ab originali peccato eriperet &
ereptos de poteſtate diabolicæ nequitiæ cæleſti-
bus præmiis muneraret. Suſcipite verba prædi-
catorum & evangelium Dei quod vobis annun-
tiant, quatenus credentes, ſicut ſæpius dictum
B eſt, in Deum Patrem omnipotentem, & in Je-
ſum Chriſtum ejus Filium, & Spiritum ſan-
ctum, & inſeparabilem Trinitatem, fugatis dæ-
moniorum ſenſibus, expulſaque a vobis ſolici-
tatione veneno ſi & deceptibilis hoſtis, per aquam
& Spiritum ſanctum renati, ei cui credideritis
in ſplendore gloriæ ſempiternæ cohabitare ejus
opitulatione & munificentia valeatis.

Præterea benedictionem protectoris veſtri bea- Xenia mittit
ti Petri apoſtolorum principis vobis direximus,
id eſt, camiſiam cum ornatura in auro una, &
læna Anciriana una, quod petimus ut eo beni-
gnitatis animo gloria veſtra ſuſcipiat, quo a
nobis noſcitur deſtinatum.

## III. AD EDELBURGAM EDUVINI REGIS
C
### CONJUGEM.

Gratulatur eam fidem recepiſſe, monetque ut
hoc merito ſuo regi præſtet beneficium. Mu-
nuſcula etiam mittit, ſpeculum argenteum,
& pectinem eburneum.

*Dominæ glorioſæ filiæ Edelburgæ reginæ, Bonifacius
epiſcopus ſervus ſervorum Dei.*

D
REdemptoris noſtri benignitas humano ge- Beda lib. 2 cap. 18. Summe gratulatur ejus converſioni.
neri, quod pretioſi ſanguinis ſui effuſione
a vinculis diabolicæ captivitatis eripuit, multa
providentia, quibus ſalvaretur, propinavit reme-
dia; quatenus ſui nominis agnitione diverſo mo-
do gentibus innoteſcens, creatorem ſuum ſuſce-
pto Chriſtianæ fidei agnoſcerent ſacramento:
quod quidem veſtræ gloriæ ſenſibus cæleſti col-
latum munere myſtica regeneratio veſtræ pur-
gationis patenter innuit.

Magno ergo largitatis dominicæ beneficio
mens noſtra gaudio exultavit, quod ſcintillam
orthodoxæ religionis in veſtri dignatus eſt con-
verſione ſuccendere. Ex qua re non ſolum glo-
rioſi conjugis veſtri, imo totius gentis ſuppoſi-
E tæ vobis intelligentiam in amorem ſui facilius
inflammaret. Didicimus namque, referentibus
his qui ad nos glorioſi filii noſtri Audubaldi
regis laudabilem converſionem nuntiantes per-
venerunt, quod etiam veſtra gloria, Chriſtianæ
fidei ſuſcepto mirabili ſacramento, piis & Deo
placitis jugiter operibus eniteſcat. Ab idolorum
etiam cultu, ſeu fanorum augoriorumque ille-
cebris ſe diligenter abſtineat, & ita in amo-
re redemptoris ſui immutata devotione per-
ſiſtens invigilet, ut ad dilatandam Chriſtianam
fidem inceſſabiliter non deſiſtat operam com-
modare.

Cumque de glorioſo conjuge veſtro paterna Suadet ut ſedulo attendat converſionem mariti ſui.
caritas ſolicite perquiſiſſet, cognovimus, quod
eatenus abominandis idolis ſerviens ad ſuſci-
piendam vocem prædicatorum ſuam diſtulerit
obe-

obedientiam exhibere. Quæ ex re non modica A nobis amaritudo congeſta eſt, ab eo quod pars corporis veſtri ab agnitione ſummæ & indivi- duæ Trinitatis remanſit extranea. Unde pater- nis officiis veſtræ glorioſæ Chriſtianitatis no- ſtram commonitionem non diſtulimus confer- re, adhortantes quatenus divinæ inſpirationis imbuta ſubſidiis importune & opportune agen- dum non differas, ut & ipſe ſalvatoris noſtri domini Jeſu Chriſti cooperante potentia Chri- ſtianorum numero copuletur, ut perinde inte- merato ſocietatis fœdere jura teneas maritalis conſortii. Scriptum namque eſt: *Erunt duo in carne una*. Quomodo namque unitas vobis con- B junctionis ineſſe dici poterit, ſi a veſtræ fidei ſplendore interpoſitis deteſtabilis erroris tenebris remanſerit ille alienus? Unde orationi continuo inſiſtens, a longanimitate cæleſtis clementiæ il- luminationis illius beneficia impetrare non deſi- nas. Ut videlicet quos copulatio carnalis affe- ctus unum quodammodo corpus exhibuiſſe mon- ſtratur, hos quoque unitas fidei, etiam poſt hu- jus vitæ tranſitum, in perpetua ſocietate con- ſervet. Inſiſte ergo, glorioſa filia, & ſummis conatibus duritiam cordis ipſius religioſa divi- norum præceptorum inſinuatione mollire ſum- mopere dematura, infundens ſenſibus ejus, quantum ſit præclarum quod credendo ſuſcepiſti myſterium, quantumve ſit admirabile quod re- nata præmium conſequi meruiſti. Frigiditatem cordis ipſius ſancti Spiritus annuntiatione ſuc- cende, quatenus amoto torpore pernicioſiſſimi cultus, divinæ fidei calore jus intelligentiam tuarum exhortationum frequentatione ſuccendat; ut * perfecto ſacræ ſcripturæ teſtimonium per te expletum indubitanter præclareat: *Salvabitur vir infidelis per mulierem fidelem*. Ad hoc enim miſericordiam dominicæ pietatis conſecuta es, ut fructum fidei creditorumque tibi beneficio- rum redemptori tuo multiplicem reſignares. Quod equidem ſuffragante præſidio benignitatis ipſius, ut explere valeas, aſſiduis non deſiſti- mus precibus poſtulare. His ergo præmiſſis pa- ternæ vobis dilectionis exhibentes officia horta- mur, ut nos (reperta portitoris occaſione) de his quæ per vos ſuperna potentia mirabiliter in converſione conjugis veſtri ſubmiſſæque vobis gentis dignatus fuerit operari, proſperis quan- tocius nuntiis reveletis; quatenus ſolicitudo no- ſtra, quæ de veſtri veſtrorumque omnium ani- mæ ſalute optabilia deſideranter expectat, vobis nuntiantibus relevetur, illuſtrationemque divi- næ propitiationis in vobis diffuſam opulentius agnoſcentes, hilari confeſſione largitori omnium bonorum Deo & beato Petro apoſtolorum prin- cipi uberes merito gratias exolvamus.

Matth. 19.

Ut uni ſint in fide qui uni ſunt in corpore.

* protecto, ſic.

Præterea benedictionem protectoris veſtri beati Petri apoſtolorum principis vobis direximus, id eſt, ſpeculum argenteum, & pectinem eburneum C inauratum, quod petimus ut eo benignitatis animo gloria veſtra ſuſcipiat, quo a nobis no- ſcitur deſtinatum.

## ☞ AD EPISTOLAS BONIFACII V.

## APPENDIX.

### AD JUSTUM ARCHIEPISCOPUM CANTUARIENSEM

*Dilectiſſimo fratri Juſto, Bonifacius episcopus ſervus ſervorum Dei.*

Manſi Suppl. tom. I. pag. 470. Ex VVilkins tom. I. pag. 31.

SUſceptis veſtræ dilectionis apicibus, in quibus reperimus, inter alia, plurimos ex gentili- tate ibidem degentium, Deo omnipotenti & Domino noſtro Jeſu Chriſto auxiliante conver- ſos, maxime autem in partibus Cantii ad veri Dei noſtri fidem veſtris laboribus eſſe perdu- ctos, valde gratulati ſumus. Eadbaldi quoque regis animum ad veræ agnitionis viam eſſe cor- rectum, Dominum omnipotentem in id lauda- vimus, qui ſui nominis ſacramentum veſtrique laboris fructum non deſeruit, ſicut ipſe prædi- catoribus evangelii veraciter repromiſit: *ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſum- mationem ſæculi*. Multa eſt clementia apud Deum, quæ multa eſt in nobis demonſtrata, E cum aperiantur corda barbararum gentium ad ſuſcipiendum prædicationis veſtræ ſingulare my- ſterium. Ut enim proficerent veſtris meritis, eorum eſt ſalvatio propinata, Domino dicente: *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*; & alibi: *conſummati operis vobis merces a re- tributore omnium bonorum Domino tribuetur*. Co- gnovi ſiquidem in veſtris ſyllabis, ut ſanctæ re- cordationis prædeceſſor noſter Gregorius conſti- tuit Auguſtino & omnibus ſucceſſoribus ſuis, in poſterum metropolitanam & primitivam ſe- dem in civitate Dorobernia, ubi caput totius gentis Anglorum a diebus Paganorum habetur. At vero nunc per revelationem Jeſu Chriſti, qui eſt origo & caput totius Chriſtianitatis, ea- D dem civitas exaltatur, & orthodoxa fides, quæ eſt radix nobiliſſima, ibidem collocatur, ut ex illa ſegete uberrimum fructum boni operis ad pabulum cæleſtis patriæ omnem inſulam metiri queant. O quam felix illa civitas, quæ meruit in ſe Chriſtum habitatorem habere, expulſis antiqui hoſtis inſidiis! Felix illa civitas, felix & tota gens, cum illa ſuperna miſericordia vi- ſitare non dedignata ſit, quos ante mundi crea- tionem prædeſtinaverat ſibi ſociare. Quare ab- ſit ab omni Chriſtiano, ut ex illa civitate Do- robernia aliquid minuatur aut in aliud mute- tur nunc, vel in futuris temporibus, quæ a præ- deceſſore noſtro domino papa Gregorio ſtatuta ſunt, quoquo modo res humanæ quaſſentur. Sed magis ex auctoritate beati Petri apoſtolo- rum principis id ipſum præcipientes firmamus, E ut in Dorobernia civitate ſemper in poſterum metropolitanus totius Britanniæ locus habeatur, omneſque provinciæ regni Anglorum præfati loci metropolitanæ eccleſiæ ſubjiciantur, immu- tilata perpetuaque ſtabilitate decernimus. Hanc autem eccleſiam, utpote ſpecialiter conſiſten- tem ſub poteſtate & tuitione ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſi quis conatus fuerit imminuere, ei- que de conceſſæ poteſtatis jure quicquam abſtu- lerit, auferat eum Deus de libro vitæ, ſciat- que ſe ſub anathematis vinculis eſſe notatum. Deus te incolumem cuſtodiat reverendiſſime frater.

[illegible]

# CONCILIUM CANTIANUM,

## TEMPORE EADBALDI REGIS CANTII

### Habitum a Laurentio archiepiſcopo Cantuariæ, Mellito epiſcopo Londoniæ, Juſto Roffenſi epiſcopo, &c.

*In quo decretum eſt, ut propter Saxonum barbarorum ſævitiam & apoſtaſiam, omnes hi epiſcopi Britanniam abdicarent.*

Beda lib. [illegible] Cap. [illegible] anti- quitatem Britann. Oceano con- [illegible] Quod Ead- baldus [illegible] Cantii no- vercam [illegible] & [illegible] apoſtata [illegible] Cap. [illegible]

POſt mortem Edelberti cum filius ejus Eadbaldus regni gubernacula ſuſcepiſſet, magno tenellis adhuc ibi eccleſiæ crementis detrimento fuit. Si quidem non ſolum Chriſti fidem recipere noluerat, ſed & fornicatione pollutus eſt tali, *qualem nec inter gentes auditam*, apoſtolus teſtatur, *ita ut uxorem patris haberet*. Quo utroque ſcelere occaſionem dedit ad priorem vomitum revertendi iis qui ſub imperio ſui parentis, vel favore vel timore regio fidei & caſtimoniæ jura ſuſceperant. Nec ſupernæ flagella diſtrictionis perfido regi caſtigando vel corrigendo defuere. Nam crebra mentis veſania & ſpiritus immundi invaſione premebatur.

[illegible] regis orientalium Saxonum [illegible] episcopum [illegible]

Auxit autem procellam hujuſmodi perturbationis etiam mors Sabarethi regis orientalium Saxonum, qui ubi regna perennia petens, tres filios ſuos, qui pagani perduraverant, regni temporalis hæredes reliquit; cœperunt illi mox idololatriæ, quam vivente eo aliquantulum intermiſiſſe videbantur, palam ſervire, ſubjectiſque populis idola colendi liberam dare licentiam. Cumque viderent pontificem celebratis in eccleſia miſſarum ſolenniis euchariſtiam populo dare, dicebant (ut vulgo fertur) ad eum barbara inflati ſtultitia: Quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & patri noſtro Saba (ſic namque eum appellare conſueverant) dabas, & populo adhuc in eccleſia dare non deſiſtis? Quibus ille reſpondebat: Si vultis ablui fonte illo ſalutari, quo pater veſter ablutus eſt, poteſtis etiam panis ſancti, cui ille participabat, eſſe participes. Sin autem lavacrum vitæ contemnitis, nullatenus valetis panem vitæ percipere. At illi, nolumus, inquiunt, fontem illum intrare, qui nec illo opus nos habere novimus, ſed tamen pane illo refici volumus. Cumque diligenter ac ſæpe ab illo eſſent admoniti, nequaquam fieri poſſe, ut abſque purgatione ſacroſancta quis oblationi ſacroſanctæ communicet, ad ultimum furore commoti ajebant: Si non vis aſſentire nobis in tam facili cauſſa quam petimus, non poteris jam in provincia noſtra demorari. Et expulerunt eum, ac de ſuo regno cum ſuis abire juſſerunt.

Qui expulſus inde venit Cantium, tractaturus cum Laurentio & Juſto coepiſcopis, quid in his eſſet agendum. Decretumque eſt communi conſilio, quia ſatius eſſet ut omnes patriam redeuntes libera ibi mente domino deſervirent, quam inter rebelles fidei barbaros ſine fructu reſiderent. Diſceſſere itaque primo Mellitus ac Juſtus, atque ad partes Galliæ ſeceſſere, ibi rerum finem expectare diſponentes. Sed non multo tempore reges, qui præconem a ſe veritatis expulerant, dæmonicis cultibus impune ſerviebant. Nam egreſſi contra gentem Geviſſorum in prælium, omnes pariter cum ſua militia corruerunt, nec ſic (licet auctoribus perditis) excitatum ad ſcelera vulgus potuit corrigi, atque ad ſimplicitatem fidei & caritatis quæ eſt in Chriſto revocari.

In concilio ſtatuunt linquendam Britanniam.

ANNO CHRISTI 619.

# CONCILIUM (1) HISPALENSE II.

## SUB DIE IDUUM NOVEMBRIUM ÆRA DCLVII.

### Tempore * a Siſebuti regis, ſub Bonifacio papa V. eſt provinciale.

* [illegible] Hispalensi [illegible]

I. *De Theodulfi Malacitanæ eccleſiæ epiſcopi querimoniis adverſus reliquos epiſcopos, pro quibuſdam parochiis.*

II. *De querimoniis Fulgentii, & Honorii epiſcopi, pro quibuſdam parochiis.*

III. *De deſertoribus clericis, ut epiſcopis ſuis reſtituantur.*

IV. *De bigamis ad presbyterium vel ad diaconatum non promovendis.*

V. *Ne presbyter diaconum aut presbyterum ordinare præſumat.*

VI. *De presbyteris vel diaconibus ab uno epiſcopo non deponendis.*

VII. *De his quæ prohibentur presbyteris in eccleſiaſticis ſacramentis.*

VIII. *De ſuperbis eccleſiæ libertis, ut ad ſervitium revocentur.*

IX. *De œconomis, ne ex laicis conſtituantur.*

X. *De monaſteriis non convellendis.*

XI. *De monaſteriis virginum, ut a monachis tueantur.*

XII. *De quodam Acephalorum epiſcopo.*

XIII. *De duabus in Chriſto naturis, & una perſona.*

PRÆ-

(1) In antiqua collectione Canonum MS. Collegii Pariſ. Soc. Jeſu abſque numero *Concilium Spalenſe* dicitur, *cui interfuit Iſidorus*. Hard.

## PRÆFATIO.

IN nomine domini & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Iſidorus, Biſinus, Ruſinus, Fulgentius, Cambra, Fidentius, Theodulfus, & Honorius epiſcopi, qui pariter [b] in urbe Hiſpalenſi pro aliquibus eccleſiaſticis negotiis coadunati ſumus; conſedentibus nobis in ſecretario ſacroſanctæ Jeruſalem Hiſpalenſis eccleſiæ, cum illuſtribus viris Siſiſclo rectore rerum publicarum, atque Suanilane * auctore rerum fiſcalium, adſtante religioſiſſimo clericorum cœtu:

* rectore

### I.

Prima actione Theodulfi Malacitanæ antiſtitis eccleſiæ ad nos oblata precatio eſt, aſſerentis antiquam ejuſdem urbis parochiam militaris quondam hoſtilitatis diſcrimine fuiſſe diciſam, & ex parte aliqua ab eccleſiis Aſtigitanæ, Illiberitanæ, atque Agabrenſis urbium eſſe retentam. Pro qua re placuit, ut omnis parochia, quæ ab antiqua ditione ante militarem hoſtilitatem retinuiſſe eccleſiam ſuam comprobaret, ejus privilegio reſtitueretur. Sicut enim per legem mundialem, his quos barbarica feritas captiva neceſſitate tranſvexit, poſtliminio revertentibus redditur antiqua poſſeſſio, non aliter eſt eccleſia receptura parochiam, quam ante retinuit cum rebus ſuis, ſive ab aliis eccleſiis * poſſideantur, ſive in cujuslibet poſſeſſionem * transfuſa ſunt. Non enim erit objicienda præſcriptio temporis, ubi neceſſitas intereſt hoſtilitatis.

C. de capt. & poſtlim. [illegible] ubi dicitur: Quo barbarica feritas, &c.

* poſſideantur,
* transfuſa ſint.

### II.

Secundo examine inter memoratos fratres noſtros, Fulgentium Aſtigitanum, & Honorium Cordubenſem, epiſcopos, diſcuſſio agitata eſt; propter parochiam * baſilicæ, quam horum alter (a) Cœleſtienſem, alter Reginenſem aſſeruit. Et quia inter utraſque partes hactenus limitis actio (b) vindicata eſt; (cujus, quamvis vetuſta, (c) retentio nullum juris præjudicium afferret) ideoque, ne in dubium ultra inter eos noſtra advocaretur ſententia, prolatis Canonibus ſynodalia decreta perlecta ſunt; quorum auctoritas præmonet ita oportere inhiberi cupiditatem, ut ne quis terminos alienos uſurpet. Ob hoc placuit inter alternas partes inſpectionis viros mittendos: ita ut ſit in diœceſi poſſidentis (ſi tamen baſilicam veteribus ſignis limes præfixus monſtraverit) eccleſiæ, cujus eſt (d) juſta retentio, æternum dominium. Quod ſi & limes legitimus eamdem baſilicam non concludet, & tamen longi temporis probatur objecta præſcriptio, appellatio * (e) repetentis epiſcopi non valebit; quia illi tricennalis objectio ſilentium ponit: hoc enim & ſæcularium principum edicta præcipiunt, & præſulum Romanorum decrevit auctoritas. Sin vero intra metas tricennalis temporis, extra alienos terminos baſilicæ injuſta retentio reperitur, repetentis epiſcopi juri ſine mora reſtituetur.

Burch. l. 4. cap. 8.

* baſilicæ cujuſdam, quod horum alter Celticenſem, alter Ceſtacenſem, al. Celcitenſem.

Vide conc. Carthag. II. [illegible] & Carthaginenſe III. cap. 20. [illegible] inſpectores. De tricennali poſſeſſione & præſcriptione [illegible] Toleт. IV. [illegible] Legum Wiſigot. [illegible]

* petentis

### III.

Tertia definitione ad nos oblata precatio eſt a reverendiſſimo fratre noſtro Cambrane, Italicenſi epiſcopo, pro quodam clerico Ipaſſando, * qui deſerens eccleſiæ cultum ſuæ, in qua dicatus ab exordiis infantiæ fuerat, ad eccleſiam Cordubenſem ſe contulit. Quem elegimus, ut ſi nihil proponeretur de eo, citra dilationis objecta proprio reformaretur epiſcopo. Scribitur enim in lege mundiali, de colonis agrorum, ut ubi eſſe jam quiſque cœpit, ibi perduret. Non aliter & de clericis, qui in agro eccleſiæ operantur, canonum decreto præcipitur; niſi ut ibi permaneant, ubi cœperunt. Ideoque placuit, ut ſi quis clericus miniſteriis eccleſiæ propriæ deſtitutis, ad aliam tranſitum fecerit, compellente ad quem * fuerit ſacerdote, ad eccleſiam quam prius incoluerat remittatur. Qui vero eum ſuſceperit, nec ſtatim ſine ullo niſu exceptionis ad propriam eccleſiam remittendam elegerit, quamdiu eum reſtituat, communione ſe privatum agnoſcat. Deſertorem autem clericum * cingulo honoris atque ordinis ſui exutum, aliquo tempore monaſterio deligari convenit; ſicque poſtea in miniſterio eccleſiaſtici ordinis revocari. Nam non poterit in talibus pervagationibus aboleri licentia, niſi fuerit in * eis propter correptionem diſciplinæ ſubſecuta cenſura.

* [illegible]
* ſuperit
* [illegible]

### IV.

Quarta actione nuntiatum eſt nobis apud Aſtigitanam eccleſiam quaſdam nuper ordinationes illicitas extitiſſe, ita ut quidam viduarum mariti Levitarum miniſterio ſacrarentur: quos quidem convenit a gradu ſuſcepto in irritum devocari, nec ultra provehi ad diaconii miniſterium, qui [d] contra divina atque eccleſiaſtica jura inſtituti reperiuntur.

### V.

Quinto judicio ad cognitionem * noſtram * Aniani Egabrenſis diaconi relatu deductum eſt, de quibuſdam ipſius eccleſiæ clericis, quorum, dum unus ad presbyterium, duo ad Levitarum miniſterium ſacrarentur, epiſcopus eorum oculorum dolore detentus, fertur manum ſuam ſuper eos tantum poſuiſſe, & presbyter quidam illis, contra eccleſiaſticum ordinem benedictionem dediſſe. Qui licet, propter tantam præſumptionis audaciam, poterat accuſatus judicio præſenti damnari, ſi adhuc in corpore poſitus, non fuiſſet mortis vacatione præventus; ſed quia jam ille examini divino relictus, humano judicio accuſari non poteſt, hi qui ſuperſunt, & ab eo non conſecrationis titulum, ſed ignominiæ potius * eulogium perceperunt: ne ſibi licentiam talis ultra uſurpatio faciat, decrevimus ut a gradu ſacerdotalis, vel Levitici ordinis quem perverſe adepti ſunt, * depoſiti æquo judicio * abutantur. Tales enim merito judicati ſunt removendi, quia prave inventi ſunt conſtituti.

* noſtram [illegible] Agabrenſis [illegible] Toler. & Hiſpalenſi [illegible] apud Burch. [illegible] Bracarenſi.

* eloquium
* [illegible]

### VI.

Sexta actione comperimus Fragitanum Cordubenſis eccleſiæ presbyterum a pontifice ſuo injuſte olim dejectum, & innocentem exilio condemnatum. Quem rurſus (f) ordinis ſuo * reſtituentes, id denuo adverſus præſumptionem * noſtram decrevimus, ut * juxta priſcorum patrum ſynodalem ſententiam, nullus * (g) noſtrum ſine concilii examine dejiciendum * quemlibet presbyterum, vel diaconum * audeat. Nam

* [illegible] comperimus,
* noſtram,
* vel noſtram,
* a noſtram
* noſtrum,
* pari.

(a) in MS. cod. Burchardi apud me eſt *Celiacenſem* [illegible] (b) ita & cod. Luc. ſed ab altera manu eque [illegible] emendatur *ventilata* (c) *retentio* (d) [illegible] (e) [illegible]
(f) Abbo Floriacenſis in ſua collectione hic verba [illegible]
(g) [illegible] Mans.

Nam multi ſunt, qui indiſcuſſos poteſtate tyrannica, non auctoritate canonica damnant: & ſicut nonnullos gratiæ favore ſublimant, ita quoſdam odio invidiaque permoti humiliant, & * ad levem opinionis auram condemnant, quorum crimen non approbant. Epiſcopus enim ſacerdotibus ac miniſtris ſolus honorem dare poteſt, auferre (a) ſolus non poteſt. Si enim hi qui in ſæculo a dominis ſuis honorem libertatis adepti ſunt, in ſervitutis * nexum non revolvuntur, niſi publice apud prætores ac præſides tribunali foro fuerint accuſati, quanto magis hi, qui divinis altaribus conſecrati, honore eccleſiaſtico decorantur? Qui profecto nec ab uno damnari, nec uno judicante poterunt honoris ſui privilegiis exui: ſed præſentati ſynodali judicio quod canon de illis præceperit definiri.

## VII.

Septimo examine relatum eſt nobis, venerandiſſimum quondam Agapium, Cordubenſis urbis epiſcopum, frequenter * presbyteros deſtinaſſe, * qui abſente pontifice altaria erigerent, baſilicas conſecrarent. Quod quidem non eſt mirum id præcepiſſe virum eccleſiaſticis diſciplinis ignarum, & ſtatim a ſæculari militia in ſacerdotale miniſterium delegatum. Ergo ne ultra talis a nobis licentia uſurpetur, communi ſententia ſtatuendum oportuit; ſcientes quia ſicut a * presbytero illicita conſecratio eſt altaris, ita & conſtitutio. In divinis enim literis, præcipiente domino, ſolus Moyſes in tabernaculo Dei erexit altare, ſolus ipſe unxit; utique quia ſummus ſacerdos Dei erat, ſicut ſcriptum eſt: *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus*. Ideoque id quod tantum facere principibus ſacerdotum juſſum eſt, quorum typum Moyſes & Aaron tenuerunt, presbyteri, qui filiorum Aaron geſtant figuram, arripere non præſumant. Nam quamvis cum epiſcopis plurima illis * miniſteriorum communis ſit diſpenſatio, * quædam novellis & eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint: ſicut presbyterorum, & diaconorum, ac virginum conſecratio; ſicut conſtitutio altaris, benedictio vel unctio: ſiquidem nec licere eis eccleſiam, vel altarium conſecrare, nec per impoſitionem manus fidelibus * baptizatis, vel converſis ex hæreſi paracletum Spiritum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare, ſed nec publice quidem in miſſa quemquam pœnitentium reconciliare, nec [b] formatas cuilibet epiſtolas mittere. Hæc enim omnia illicita eſſe * presbyteris, quia pontificatus apicem non habent, * quem ſolis deberi epiſcopis auctoritate canonum præcipitur: ut per hoc & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium ſummi pontificis demonſtretur: ſed neque coram epiſcopo licere presbyteris in baptiſterium introire, nec præſente antiſtite infantem tingere aut ſignare, nec pœnitentes ſine præcepto epiſcopi ſui reconciliare, * nec eo præſente ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti conficere, nec eo coram poſito populum docere, * vel benedicere, aut ſalutare, nec plebem utique exhortari.

## VIII.

Octava diſcuſſio agitata eſt de quodam Eliſeo ex familia * Agabrenſis eccleſiæ, qui ab epiſcopo ſuo traditus libertati, de libertate confeſtim ad contumaciæ morbum tranſiliit; ſicque per ſuperbiam non ſolum ejuſdem epiſcopi * veneficis artibus ſalutem lædere voluit, ſed etiam patronam eccleſiam, libertatis immemor, prædamnavit. Adverſus quem ingrati actio canonum ac legum auctoritate juſte dirigitur; ſcilicet, ut immeritæ libertatis damno multatus, ad ſervitii nexum, quo natus eſt, revocetur. Talium enim ſtatus, qui contra epiſcopum ſuum, vel patronam eccleſiam nituntur, decidi potius quam conſervari convenit: ut quorum libertas pernicioſa eſt, ſit ſalutifera virtus; & qui ſuperbire noverunt adepta libertate * prædici diſcant obedire ſubjecti.

## IX.

Nona actione didicimus, quoſdam ex * noſtro collegio, contra mores eccleſiaſticos, laicos habere in rebus divinis conſtitutos œconomos. Proinde pariter tractantes elegimus, ut unuſquiſque * noſtrum ſecundum Chalcedonenſium patrum decreta, ex proprio clero œconomum ſibi conſtituat. Indecorum eſt enim laicum vicarium eſſe epiſcopi, & * ſæculares in eccleſia judicare: in uno enim eodemque officio non decet diſpar profeſſio. Quod etiam in lege divina prohibetur, dicente Moyſe: *Non arabis in bove, & aſino ſimul;* id eſt, homines diverſæ profeſſionis in officio uno non ſociabis. (Deut. 22.) Unde oportet nos, & divinis libris, & ſanctorum patrum obedire præceptis, conſtituentes ut hi qui in adminiſtrationibus eccleſiæ pontificibus ſociantur, diſcrepare non debeant, nec profeſſione, nec habitu. Nam cohærere & conjungi non poſſunt, quibus & ſtudia & vota diverſa ſunt. Si quis autem epiſcopus poſthac eccleſiaſticam rem aut * laicali procuratione adminiſtrandam elegerit, aut * ſine teſtimonio œconomi gubernandam * crediderit, vere ut contemtor canonum, & fraudator eccleſiaſticarum rerum, non ſolum a Chriſto de rebus pauperum * judicatur reus, ſed etiam & concilio manebit obnoxius.

## X.

Decima actione poſcentibus monaſteriorum patribus, pari ſententia ſtatuimus, ut cœnobia nuper condita [1] in provincia Bætica, ſicut & illa quæ ſunt antiqua, immobili & inconcuſſa ſtabilitate permaneant ſolidata. Si quis autem (quod abſit) noſtrum, vel nobis ſuccedentium ſacerdotum, quodlibet monaſterium, aut vi cupiditatis ſpoliandum, aut ſimulatione aliqua fraudis convellendum, vel * diſſolvendum, anathema effectus, maneat a regno Dei extraneus; nec proficiat illi bonum fidei vel operis ad ſalutem, qui tantæ & tam ſalutaris vitæ deſtruxerit tramitem. Super hoc etiam univerſi Bæticæ provinciæ epiſcopi congregati, eumdem ſacri cœtus everſorem a communione ſuſpendant; convulſum monaſterium cum rebus ſuis reſtaurent, & quod impie unus ſubverterit, omnes pie reforment.

## XI.

Undecima actione conſenſu communi decrevimus, ut monaſteria virginum in provincia * Bætica condita monachorum adminiſtratione ac præſidio gubernentur: tunc enim ſalubria Chriſto dicatis virginibus providemus, quando eis patres * epiſcopi tales elegimus, quorum non ſolum gubernaculis tueri, ſed etiam doctrinis ædificari poſſint: ea tamen circa monachos diſciplinæ cautela ſervata, ut remoti ab

earum

(a) deeſt ſolus. Mant.

earum * peculiaritate, nec uſque ad veſtibulum A habeant accedendi familiare permiſſum; * ſed nec abbati, vel ei qui præficitur, extra eam quæ præeſt, loqui virginibus Chriſti aliquid, quod ad inſtitutionem * morum pertinet, licebit: nec cum ſola quæ præeſt frequenter eis loqui oportet, ſed ſub teſtimonio duarum aut trium ſororum; ita ut rara ſit acceſſio, & brevis omnino locutio. Abſit enim ut monachos (quod etiam dictu nefas eſt) Chriſti virginibus familiares eſſe velimus: ſed, juxta quod juſſa regularum vel canonum admonent, longe diſcretos atque ſejunctos, eorum tantum eaſdem gubernaculis deputamus, conſtituentes, ut unus monachorum probatiſſimus eligatur, cujus curæ ſit, * prædia earum ruſtica, vel urbana intendere, fabricas extruere, vel ſi quid ad neceſſitatem monaſterii providere: ut Chriſti famulæ, pro animæ ſuæ tantum utilitate ſolicitæ, ſolis divinis cultibus vivant, operibuſque ſuis inſerviant. Sane is qui ab abbate præponitur, judicio ſui epiſcopi comprobetur. Veſtes autem illæ * iiſdem cœnobiis faciant, a quibus tuitionem expectant; ab eiſdem denuo (ut prædictum eſt) laborum fructus & procurationis ſuffragium recepturæ. * Si autem monaſteriorum hanc ordinationem aut contempſerint, aut qualibet inertiæ diſſolutione neglexerint, ſciant, quod eorum * tepor atque ſuperbia excommunicationis ſit plectenda cenſura.

* familiaritate · * morum · * prædia earum ruſticis vel urbanis · * iiſdem faciant · * Si qui autem monachorum · * temeritas

## XII.

Duodecima actione ingreſſus eſt ad nos quidam * ex hæreſi Acephalorum, natione Syrus, (ut aſſerit ipſe) epiſcopus, duarum in Chriſto naturarum proprietatem abnegans, & deitatem paſſibilem aſſerens: cujus dum noſtris ſenſibus tanti erroris confuſio patuiſſet, prolatis illi de incarnatione domini noſtri Jeſu Chriſti teſtimoniis, ſanctorumque patrum ſententiis recitatis, * omni eumdem exhortatione ad veræ fidei rectitudinem ſacerdotali modeſtia invitavimus: qui ſalutaribus monitis * pertinaciter per multos diuturnoſque communionis conflictus renitens, tandem gratia divina edoctus, cunctis coram adſtantibus hæreſim propriam abdicavit, duaſque naturas & unam perſonam in uno eodemque domino noſtro Jeſu Chriſto confeſſus eſt; credens impaſſibilem naturam deitatis, atque in ſola humanitate ſuſcepiſſe infirmitates * paſſionum & crucis. Converſus itaque, atque receptus, ſuſceptæ fidei conceſſionem, * cum ſtipulatione jurejurando protulit, atque ab omnibus purgatus apparuit: taliqueque pro merito gaudentes, Chriſto gratias egimus, quod eumdem, poſt pravitatem hæreſis, ad rectitudinem fidei divina gratia promoviſſet. Quem optamus, ut permanens in fide Chriſti pure ac devotiſſime conſervetur.

* omnium de ... cum omni deinde · * pertinacibus · * paſſionis · * cum adſtipulatione protulit, atque omnibus ſuis erroribus purgatus

## XIII.

Tertiadecima, id eſt ultima proſecutione, E breviter narrandum putavimus, ad refutationem eorumdem hæreticorum qui duas naturas Chriſti poſt unionem delirantes confundunt & paſſibilem in eo divinitatis ſubſtantiam aſſerunt. Contra quorum blaſphemias oportet nos in * unam perſonam Chriſti geminæ naturæ proprietatem oſtendere, paſſionemque ejus in ſola humanitatis ſuſceptione manifeſtare; ut ſi forte aliqui ſtultorum hujus * inſcientiæ errore decepti ſunt, dum iſta legerint, reſipiſcant, recteque fidei veritatem firmiter teneant. Nam procul dubio multi ſunt ſtultorum qui ſecundum apoſtoli vocem *prurientes auribus, a veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur*. Ergo (ſicut immaculata fides, & ſancta Dei eccleſia docet) confitemur dominum noſtrum Jeſum Chriſtum intemporaliter ex Patre Deo natum, temporaliter ex utero gloriosæ virginis Mariæ hominem editum, & ob hoc in una ſubſiſtente perſona duas naturas habentem: deitatis, qua ante ſæcula genitus eſt; humanitatis, in qua diebus ultimis editus eſt: in illa ſecundum formam Dei, in iſta ſecundum formam ſervi conſiſtens: in illa patri manens æqualis, in iſta ſine peccato ſimilis noſtræ conditionis: in illa inviſibilis, in iſta viſibilis: in illa inviolabilis, in iſta paſſibilis: B in illa ex qua mori non potuit, in iſta in qua mortem ſuſcepit. Cujus geminæ naturæ diſtinctio primum ex litteris legis, deinde ex propheticis, & evangelicis, atque apoſtolicis depromenda eſt paginis, ut ea quæ aſſerimus non argumentis ſed exemplis ſcripturarum firmemus. Lex in una eademque Salvatoris noſtri perſona ſic demonſtrat utramque naturam. Divinam, loquente domino ad Moyſen: *Ecce mitto angelum meum qui præcedat te, & cuſtodiat te in via, & introducat ad locum quem præparavi, obſerva eum, & audi vocem ejus, quia eſt nomen meum in illo*. Humanam, loquente eodem domino ad Abraham: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, id eſt, in carne Chriſti, quæ de * C Abrahæ ſtirpe deſcendit. Propheta in pſalmis ſub una eademque Chriſti perſona ſic oſtendit utramque naturam, divinam ſecundum illud: *Ex utero ante Luciferum genui te*: humanam, ſecundum hoc: *Et homo factus eſt in ea, & ipſe fundavit eam altiſſimus*: divinam, ſecundum illud: *Eructavit cor meum verbum bonum*: humanam, ſecundum hoc: *Speciosus forma præ filiis hominum*. Propheta in proverbiis in una eademque Chriſti perſona ſic declarat utramque naturam: divinam, ſecundum illud: *Ante colles genuit me*: humanam, ſecundum hoc: *Dominus creavit me in initio viarum ſuarum*: divinam ſecundum illud: *Necdum erant abyſſi, & ego jam * concepta eram*: humanam, ſecun-D dum hoc: *Sapientia ædificavit ſibi domum*, corporis utique ſui templum, in quo filius Dei inhabitaret, dum *verbum caro factum eſt*. Prophetia in Iſaia ſub una eademque Chriſti perſona ſic demonſtrat utramque * naturam: deitatis, ſecundum illud: *Numquid qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit dominus?* * humanitatis, ſecundum hoc: *Ecce virgo in utero concipiet, & pariet filium*; * divinitatis, ſecundum illud. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum*: * humanitatis, ſecundum hoc: *Aperiatur terra, & germinet ſalvatorem, & juſtitia orietur ſimul*. Item alibi humanitatis, ſecundum hoc: *Parvulus natus eſt nobis*: divinitatis, ſecundum illud: *Filius datus eſt nobis*. Parvulus E enim * Chriſtus ad ſuſceptæ humanitatis naturam pertinet, quia homo eſt factus: Filius autem datus, ad * divinitatis, quia Dei filius. Et ut oſtenderet in utraque natura unam eſſe perſonam * parvuli nati & filii dati, adjecit: *Vocabitur nomen ejus magni conſilii angelus, Deus fortis, pater futuri ſæculi*. In evangelio quoque, in uno eodemque Chriſto divinæ naturæ * ſignificatio, *Ego & pater unum ſumus*: humanæ naturæ inſinuatio, *Pater major me eſt*: divinæ naturæ ſignificatio, *Ego ſum via, veritas, & vita*. humanæ naturæ inſinuatio *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*: divinæ naturæ ſignifica-

* una perſona · * ſententiæ · * Timoth. 4. · Exod. 23 · Pſal. 86 · Pſal. 44 · Prov. 8 · ibidem · * concepta eram · Prov. 9 · Joan. 1 · * naturam di... · Iſa. 66 · * humanam · Iſa. 7 · * divinam · Iſa. 45 · ibidem · * natus · * divinitatis · * per parvulum natum & filium datum · * ſignificatio · Joan. 10 · Joan. 14 · ibidem · Matth. 26

ficatio. *Omnia per ipſum facta ſunt* : humanæ A
Joann. 1. Joann. 6. et 6. * me patris. naturæ inſinuatio, *Non veni facere voluntatem*
*meam, ſed voluntatem ejus qui miſit* * *me*. Pau-
lus quoque apoſtolus in uno eodemque Chriſto
Coloſſ. 1. naturam divinitatis exprimit, dum dicit : *Pri-*
*mogenitus omnis creaturæ, ipſe eſt ante omnes,*
*& omnia in illo conſtant*. Naturam humanita-
tis declarat, dum dicit : *Ipſe eſt caput corporis*
Ibidem. *eccleſiæ*. Et alibi : *Qui cum in forma Dei eſſet,*
Philipp. 2. *non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo,*
*ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*.
Per hoc enim quod dixit : *Qui cum in forma*
*Dei eſſet*, naturam in eo divinæ majeſtatis oſten- B
dit : per hoc autem quod adjecit : *Formam ſer-*
* accepit. *vi* * *accipiens*, naturam in eo humanæ humili-
naturam humanitatis ſignif. tatis ſignificavit. Et iterum inquit : *Cum eſſet*
*dives, pauper factus eſt*, ut illius inopia nos di-
2. Cor. 8. vites eſſemus. Ubi enim dixit : *Cum eſſet dives*,
divinæ naturæ gloria panditur : & ubi adjecit :
*Pauper factus eſt*, humanæ infirmitatis * ſuſce-
* ſubjectio ptio demonſtratur : Item in ipſo initio apoſto-
* geminæ naturæ lici ſymboli * geminæ ſic oſtenditur * in uno
* in uno eodemque Chriſti perſona diſtinctio. eodemque Chriſto naturæ diſtinctio ; deitatis ex
patre, dum dicit : Credo in Deum patrem
omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum filium
ejus unicum dominum noſtrum ; humanitatis ex
matre, dum dicit : Natum de Spiritu ſancto,
ex utero Mariæ virginis. Ecce ex utroque te-
ſtamento duæ naturæ in Chriſto ; divinitatis C
una, altera humanitatis : quæ quidem gemina
unam fecit perſonam, quia unus idemque me-
diator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus.
Jam vero de paſſione ejuſdem ſalvatoris noſtri
& domini Jeſu Chriſti, quam in ſola humani-
tate, non in deitate ſuſtinuit, (ſicut ſuperius)
legis & prophetarum auctoritas, evangeliorum
quoque, & apoſtolorum prædicatio adhibenda
eſt. Lex de paſſione corporis Chriſti ſic dicit :
Gen. 49. *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ*
*pallium ſuum*. Quid hic pallium, quid ſtola,
niſi caro Chriſti paſſionis ſanguine decorata?
hæc enim ſola contumelias crucis ſuſtinuit ; di-
vinæ vero naturæ majeſtas nihil injuriæ ſenſit.
* Propheta * Prophetia quoque in pſalmis paſſionem Chri- D
Rom. 21. ſti in carne ſola ſic aſſerit : *Foderunt manus*
*meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa*
*mea*. Ubi non deitatis, ſed tantum crucifixi
corporis injuria intelligitur. Ubi enim in mem-
brorum ſignificatione ſola caro clavis ſuſpenſa
in ligno atque ſuffixa pronuntiatur : ſicut &
Jer. 11. * panem. apud Jeremiam legitur : *Venite, mittamus lignum*
*in* * *pane ejus*, id eſt, crucem in corpore ejus.
Neque enim divinitas ligno ſuſpendi potuit,
ſed ſola utique humanitas cruce ſuffixa pepen-
dit. Cujus etiam caro tolerantiam mortis paſ-
ſa ſic oſtenditur alibi, dum dicit : *Caro mea*
Pſalm. 15. *requieſcet in ſpe*, utique quia ſola in Chriſto car- E
nis materia, mortis fragilitate defuncta, ſpem
reſurrectionis ſuæ expectabat, etiam ſine corru-
ptione receptura, dum dicit : *Nec dabis ſanctum*
Ibidem. *tuum videre corruptionem*. Salomon autem in
canticis canticorum paſſionem carnis Chriſti præ-
dicat, dicens : *Manus meæ*, (inquit) *diſtillave-*
Cant. 5. *runt myrrham, digiti mei guttam*. Ubi ſpeciali-
ter oſtenditur in manibus ac digitis ſolam car-
nem Chriſti ſuffixam ſtipite, ſicut in pſalm. 118.
legitur : *Confige clavis timoris tui carnes meas*.
Iſaias autem Chriſtum in ſola humanitate, quæ
apparuit, paſſionis injuriam ſuſcepiſſe ita præ-
dixit : *Homo*, (inquit) * *in plaga, & ſciens fer-*
* in plaga conſtitutus. Iſai. 53. *re infirmitates ; Vere languores noſtros ipſe tulit,*
*& dolores noſtros portavit*. Quis ipſe, niſi uti-
que homo ? nam pati & deficere in illo natu-

A ra Dei non potuit : ſed homo portavit in eo
paſſionem & mortem, in quo & ipſa mors ha-
bet conditionem. Nam & cum de eo idem pro-
pheta dixiſſet : *Quis iſte, qui venit de Edom*, Iſai. 63.
*tinctis veſtibus de Boſra?* & adjecit : *Quare ru-*
*brum eſt veſtimentum tuum, tamquam calcantium*
*in torculari* ? quid hic per indumentum & ve-
ſtimentum rubrum voluit oſtendere, niſi ſolam
carnis Chriſti paſſionem, crucis infectam cruo-
re ? Unde & in ipſa paſſione chlamyde cocci- Matth. 27.
nea Chriſtus induitur, ut imago ſanguinis in
carne tantum demonſtraretur. Iſaias quoque cor-
pus ſolum obtuliſſe Chriſtum paſſioni ſic loqui-
B tur : *Non ſum* (inquit) *contumax, neque contra-* Iſa. 50.
*dico, corpus meum dedi percutientibus*. Non di-
xit divinitatem, quæ paſſionem neſcit perferre.
Et iterum : *Poſui ſcapulas meas ad flagella, &* Ibidem.
*maxillas ad palmas*, quod & ipſum ad carnis Matth. 11. cujus quidem fidei veritas
patientiam non ad deitatis refertur injuriam. eſt tam efficax, ut eam
Et Zacharias ; *Videbunt* (inquit) *in quem con-* nec tyranni
*fixerunt* : quem alium, niſi indubitanter homi- ſua potuerint
nem, quem Judæi crucifixerunt, & in carne ju- crudelitate confundere,
dicantem videbunt? Ecce prænuntiata eſt paſſio nec hæreticorum ſub-
corporis Chriſti ex lege & prophetis, * tranſea- dola circum-
mus inde ad evangelia : ibi quæramus Chriſtum ventio peſ
filium Dei in ſola carne portaſſe valetudines ſundare, nec hypocritarum
paſſionis, & injuriam crucis ; loquente ipſo di- dimi-
ſcipulis : *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & con-* nuere fallax
C *ſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per prophetas* ſimulatio.
*de filio hominis, tradetur enim gentibus, & illu-* Tranſeamus
*detur, & flagellabitur, & conſpuetur : & poſtquam* Matth. 20.
*flagellaverint, occident eum, & die tertia reſurget*. Luc. 18.
Quod totum in Chriſto, ſecundum hominem di-
ctum, non ad ſubſtantiam deitatis, ſed ad na-
turam pertinet carnis, quod etiam in ſequenti-
bus docetur, Judæis dicentibus Chriſto : *Quod* Joann. 2.
*ſignum oſtendis nobis quia hæc facis? Et dixit Je-*
*ſus : Solvite hoc templum, & poſt triduum ſuſci-*
*tabo illud : hoc autem dixit de templo corporis*
*ſui* : nam & in paſſione ſua dum corripiens pro- Luc. 22.
ditorem diceret : *Juda oſculo Filium hominis tra-*
*dis?* Quem * interrogat tradere proditorem, niſi
hominem? Et comprehenderunt non deitatem,
D quam cæcati perfidia nec agnoſcere potuerunt.
Beatus autem apoſtolus Paulus Chriſtum in ho-
mine ſolo pertuliſſe crucem ſic aſſerit ; *Ut ho-* Philipp. 2.
*mo* (inquit) *humiliavit ſemetipſum, factus obe-*
*diens uſque ad mortem ; mortem autem crucis* ;
qui proinde dixit, *ut homo*, ut nuncupatione
hominis diſtinctio naturæ inſinuaretur paſſibilis :
quod confirmans alias * ait : *An experimentum* 2. Cor. 13. loquitur Chriſtus?
*quæritis ejus, qui in me loquitur ? Chriſtus non* qui in vos
*infirmatur, ſed potens* * *eſt in nobis : nam etſi* * non infirmatur,
*crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, ſed vivit ex*
*virtute Dei*. Paſſus ergo Chriſtus, & mortuus ; * eſt Verbum ejus in vos.
ſed ex noſtra infirmitate : vivit autem impaſſi-
E bilis, & immortalis, ſed ex ſua virtute ; quæ
tanta eſt, ut in ſe nec paſſionem recipiat, nec
mortem admittat. Petrus quoque apoſtolorum
princeps crucis Chriſti ſupplicium ſic prædicat 1. Pet. 2.
in ſolo corpore conſummatum : *Qui peccata* (in-
quit) *noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum,*
*ut peccatis mortui juſtitiæ* * *viveremus : cujus li-* * vivamus ;
*vore ſanati ſumus*. Et paulo poſt : *Chriſto igitur* 1. Pet. 4.
*paſſo in carne*. Ergo ſi Chriſtus in carne eſt
paſſus, non eſt ſecundum Deum, ſed ſecundum
hominem crucifixus. Ecce perpatuit de Filio
Dei, quod paſſus eſt, quod mortuus eſt, cor-
poris hoc tantum fuiſſe, non deitatis. Aliena
ſunt iſta a Deo, teſtante propheta de illo : *Deus* Iſai. 40.
*ſempiternus, dominus creans fines terræ, non la-*
*borabit, neque deficiet*. Et pſalmus : *Tu autem* Pſalm. 101.
*idem ipſe es ; & anni tui non deficient*. Omnes
enim

enim in Chriſto infirmitates humanitas ſola A portavit: caro enim habuit vagitus infantiæ, non divinitas: caro eſt pannis involuta, non deitas: caro habuit alimenta, caro portavit ætatum commercia: nam & quod fatigatus eſt, quod eſurit, quod dormivit, quod flevit, quod paſſioni proximus triſtis fuit, quod poſtremo ipſam paſſionem & mortis conditionem ſuſtinuit totum hoc ad infirmitatem pertinet humanitatis, non ad incomprehenſibilem ſubſtantiam deitatis. Unus eſt enim Chriſtus, Deus & homo, caro & Verbum: ſed unde Deus, unde habet immortalitatem: unde homo, unde pertulit paſſionem: & unde caro, inde mortuus: & unde Verbum, inde æternus. Nec enim poteſt eſſe deitate paſſibilis, qui eſt virtute paternæ gloriæ naturæ æqualis. Unde & Patri derogatur, dum natura deitatis in Filio paſſibilis creditur. Nam ſi una Patris & Filii ſubſtantia eſt, utique, ſicut Pater, ita & Filius immortalis eſt. Et ſi *ego & Pater unum ſumus*, ſicut in Patre non eſt mors, ita nec in Dei Filio mors. Et ſi verum eſt: *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt*: ergo immortalitas Patris cum Filio communis eſt. Nam quod ait apoſtolus de infidelium ignorantia: *Si enim cognoviſſent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent*: non quaſi dominus gloriæ ſit crucifixus, ut natura deitatis videatur eſſe paſſibilis: ſed, quia unus in utraque natura eſt Chriſtus ſecundum aſſumpti hominis formam, dominus gloriæ dicitur paſſus. Sicut e contrario eſt illud: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis*; dum de cælo non deſcendiſſet, niſi tantum Dei Filius nondum idem factus filius hominis. Propter perſonæ ergo unitatem, & ad hominem referuntur in Chriſto, quæ Dei propria ſunt; & divinitati adſcribuntur, quæ hominis ſunt. Et ideo dum pati ac mori dicitur, non eſt deitatis, ſed carnis proprium: ſic tamen propter unitatem perſonæ, ipſe Deus, & natus ex virgine, & paſſus, & mortuus prædicatur: ſed infirmitate carnis noſtræ, non virtute divinitatis ſuæ. Quod vero idem apoſtolus ait: *Si enim, cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus*; ſic hic dicitur Dei Filius mortuus, ſicut dicitur de martyribus paſſis ac mortuis, quorum tamen non ſunt animæ occiſæ in corporis paſſione; ore veritatis teſtante: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*. Ubi agnoſci oportet, ſi animæ martyrum corpore perempto ſuppliciis extingui non poſſunt, Deus qui conditor eſt animarum, quomodo per crucem carnis pati potuit exitium mortis? Quod etiam alibi apertius declaratur, eodem Filio Dei loquente: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem iterum ſumendi eam*. Quod ſi ipſa deitas mortua extitit, quæro, quis animam ipſius reſumpſit? Stultum eſt ergo crucis paſſionem divinæ applicare naturæ; ſed tantum creabili & humanæ. Sola enim caro crucis exitium ſenſit, ſola caro lanceam pertulit, ſola caro ſanguine & aqua manavit, ipſa ſola mortua, ipſa ſola in ſepulchro poſita, ipſa ſola tertia die reſuſcitata; quæ etiam glorificata cælos adiit, in qua & venturus eſt judicare in gloria Patris, judicaturus de vivis ac mortuis. Prolatis ergo novi ac veteris teſtamenti teſtimoniis, in quibus duæ naturæ Chriſti patefactæ ſunt, in una ſubſiſtentes perſona, in quibus & paſſio ejus apparuit in homine ſolo expleta, deinde oportuit ſententia

Luc. 2. Joan. 4. Matth. 4. Matth. 8. Luc. 19. Matth. 26. Marc. 14. — Joan. 10. — Joan. 17. — 1 Cor. 2. — Joan. 6. — Rom. 5. — Matth. 10. — Joan. 10.



ſubſidii ſanctorum patrum, qui in ſacris literis ingenii gloria refulſerant: ut etiam eorum traditione perponat, quia dominus noſter Jeſus Chriſtus ex duabus naturis & una perſona ſubſiſtit, & quia mortem & paſſionem in ſola carne ſuſcepit. Sanctus ergo Hilarius in explicatione epiſtolæ ad Timotheum ſic loquitur: Nam & cum dicit ſcriptura: *Homo Chriſtus*; & cum dicit: *Chriſtus mortuus eſt*; & cum dicit: *Verbum caro factum eſt*, non eſt ſpoliandus per fraudulentiam legentis expoſitionibus ſuis ſermo. Nam ubi homo Chriſtus eſt, præcedit mediator Dei atque hominum; ut ex utroque, Deo & homine, unus ſubſiſtat, ſitque inter hominem & Deum medius, B confeſſione in ſe utriuſque naturæ. Ubi vero Chriſtus mortuus eſt, ſubjicitur: *Qui reſurrexit, qui eſt dextera Dei*. In morte ejus carnis noſtræ infirmitas eſt, in reſurrectione virtus ejus, in confeſſa Dei dignitas. Sanctus quoque Ambroſius in expoſitione evangelii ſecundum Lucam ſic aſſerit: Non enim ſuam, ſed noſtram * carnem, Chriſtus aſcendit: nec mors illa divinitatis, ſed quaſi hominis fuit. Et paulo poſt: Etenim Chriſtus omnia, & in Chriſto omnia: licet in ſingulis Chriſtus operetur, caro tamen moritur, ut reſurgat. Item idem in eodem libro exponens inter alia dicit: *Triſtis eſt anima mea: turbata eſt valde*. Non ergo ſuſcipiens, ſed C ſuſcepta turbatur: anima enim obnoxia paſſionibus, divinitas libera. * Etenim *ſpiritus promptus, caro autem infirma*. Triſtis autem non ipſe eſt, ſed anima. Non eſt triſtis ſapientia non divina ſubſtantia, ſed * anima. Suſcepit corpus meum: non me fefellit, ut aliud eſſet, & aliud videretur. Sanctus Athanaſius in tractatu quem ſcripſit de Chriſti nativitate ſic dicit: In hoc ſit ergo, fratres cariſſimi, fides noſtra, in hoc tota ſalus & vita conſiſtat, ut credamus Deum Dei filium primum ante omnia ſæcula a Deo patre * inviſibiliter genitum, deinde a Maria Virgine ſecundum hominem natum, & ſecundum hunc hominem paſſum, mortuum, ſepultum, reſurrexiſſe ab inferis, aſcendiſſe in cælum. Item idem in expoſitione fidei: Verbum D (inquit) naſcitur de Maria Virgine, accipiens corpus animale: ſed neque ſermo comprehenſus eſt carne, ſed in carne, & ſupra carnem. & ſicut Deus dicitur, ita Dei virtus, Dei veritas: paſſus autem humana carne, ſed ſermo Dei impaſſibilis eſt. In paſſione quidem moritur homo, ut vivificaret protoplaſtum, qui ceciderat per inobedientiam. Sanctus Gregorius ſcribens ad Cledonium, dicit: Naturæ enim duæ in Chriſto, Deus & homo, non autem duo filii, nec dii duo. Item idem in ſermone de Filio: Uno autem (inquit) capitulo [illegible], ut altiora quidem adſcribas divinitati, & illi naturæ quæ paſſionibus & corpore probatur eſſe ſuperior; humiliora autem naturæ humanæ E attribuas, quæ ex parte infirmitatis noſtræ aſſumpta eſt. Item ipſe in quarto libro contra Eunomium: Et ne aliquis incorruptibili naturæ deitatis crucem paſſionis applicet, per alia manifeſtius talem emendat errorem, mediatorem ipſum Dei & hominum, & Deum ipſum nominans; ut cum duo de una dicantur, congruum intelligatur circa utrumque; circa deitatem quidem impaſſibilitas, circa humanitatem autem diſpenſatio paſſionis. Sanctus quoque Baſilius in quarto libro contra Eunomium ita ſcribit: Quid eſt *dominus creavit me, & ante omnes colles genuit me*? Ubi intelligendum eſt hoc

Rom. 8. — Ambr. lib. 10. cap. 22. ſup. Luc. — Idem in eodem lib. — Matth. 26. — * Denique Marc. — * anima, quam ſuſcepit. In Athanaſio. — * inviſibiliter & impaſſibiliter. — Greg. Naz. ep. — Baſilius.

quod dicit, *Genuit*, de Dei Filio: hoc autem quod dicit *Creavit*, de ea parte qua in forma ſervi eſt; ut utramque naturam in una perſona oſtenderet. Sanctus Cyrillus in prima ad Succeſſum epiſtola dicit: Ergo quantum quidem ad intellectum pertinet, & ad * videndum tantumdem oculis animæ, quemadmodum incarnatus eſt unigenitus, duas naturas eſſe dicimus, unum autem Filium, & Chriſtum, & dominum, Deum Verbum incarnatum, & hominem factum confitemur. Item in ſecunda ad eumdem Succeſſum epiſtola ſic ait: Cum unus (inquit) ſit, & ſolus Filius Chriſtus, idem ipſe Deus & homo, ſicut in deitate perfectus, ita & in humanitate perfectus. Non autem ipſum unigenitum Filium Dei, ſecundum quod intelligitur & eſt Filius Dei, paſſum eſſe in ſua natura dicemus. * Oportet enim neceſſario utraque ſervare uni & vero Filio, & non pati ſecundum deitatem, & dici paſſum eſſe eumdem ſecundum humanitatem; ipſius enim paſſa eſt caro. Idem in expoſitione Levitici inter alia: Totum in his iterum circumſpice ſalvatoris noſtri myſterium, & emundationem, quæ per ſanctum baptiſma fit. Duas enim aviculas ſumi jubetur, vivas & mundas, ut intelligas per volatilia cæleſtem hominem, ſimul & Deum in duabus naturis, quantum pertinet ad rationem, dividendum, unicuique convenientem. Item ſanctus Auguſtinus: Nec enim illa ſuſceptione alterum eorum in alterum converſum atque mutatum eſt. Nec divinitas quippe in creaturam mutata eſt, ut deſiſteret eſſe divinitas: nec creatura in divinitatem, ut deſiſteret eſſe creatura. Nam ſi ſubſtantia hominis (quod abſit credere) in divinitatem converſa eſt, augmentavit aliquid deitatis. Sed abſit ut augmentum recipiat ineffabilis & incomprehenſibilis plenitudo. Manet ergo utraque Filii Dei natura, & una perſona. Rurſus ipſe adverſus Maximum: Si ergo attendas diſtinctiones naturarum, Filius Dei de cælo deſcendit, & filius hominis crucifixus eſt in terra. Idem in ſequentibus: *Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis die tertia.* Ubi reſurgit, niſi in eo quod potuit cadere? Ubi reſurrexit, niſi in eo ubi mortuus? Quære mortem in Verbo; nunquam eſſe potuit: quære mortem in anima; numquam ibi fuit; quære mortem in carne; plane ibi fuit: & ideo ibi fuit, quia mors vera fuit. Et paulo poſt: Quid miraris? Certe vita eſt Chriſtus: quare mortua eſt vita, nec anima mortua eſt, nec Verbum mortuum eſt? Caro tantum mortua eſt. Quare? Ut in ea mors moreretur. Idem in expoſitione Joannis evangeliſtæ: Quis ergo eſt, per quem factus eſt mundus? Chriſtus Jeſus: ſed in forma Dei. Quis eſt ſub Pontio Pilato crucifixus? Idem ipſe Jeſus Chriſtus; ſed in forma ſervi. Beatus quoque Leo apoſtolicæ ſedis antiſtes in ſua epiſtola quam ſcripſit ad Flavianum Conſtantinopolitanum epiſcopum ſic ait: Salva ergo proprietate utriuſque naturæ, & in unam coeunte perſonam, ſuſcepta eſt a majeſtate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas. Et ad reſolvendum conditionis noſtræ debitum, inviolabilis natura eſt unita naturæ paſſibili, ut quod noſtris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, & mori poſſet ex uno, & mori non poſſet ex altero. In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus eſt Deus, totus in ſuis, totus in noſtris. Et paulo poſt: Qui manens in forma Dei fecit hominem, idem in forma ſervi factus eſt homo. Tenet enim ſine defectu proprietatem ſuam utraque natura. Et ſicut forma ſervi Dei formam non ademit, ita forma Dei formam ſervi non minuit. Item paulo poſt: Agit enim utraque forma, cum alterius communione, quod proprium eſt; Verbo ſcilicet operante quod Verbi eſt, & carne exequente quod carnis eſt. Unum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit injuriis. Et ſicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non receſſit, ita caro naturam noſtri generis non reliquit. Sanctus quoque Fulgentius in libro quem de incarnatione domini Jeſu Chriſti ſcripſit, inter alia ſic intulit: Dico itaque vobis juxta ſanctorum patrum traditionem, dominnm noſtrum Jeſum Chriſtum in duabus naturis inconfuſis, id eſt, divinitatis & humanitatis, unam perſonam ſive ſubſtantiam confiteri. Idem poſt alia: Si quis ergo in domino noſtro Jeſu Chriſto aut duas naturas, aut unam noluerit ſive dubitaverit credere aut prædicare perſonam, vel ſi quis noluerit confiteri Deum atque hominem, id eſt, Verbum incarnatum de Maria virgine, pro noſtra ſalute veraciter natum, tantum a catholica fide deprehenditur ac demonſtratur extraneus, ut ſacramento redemptionis humanæ reſiſtat ingratus. Et paulo poſt: Verbum caro factum unus & plenus eſt Chriſtus, unus ex utraque & in utraque, id eſt, in humana divinaque natura: in quo ſic utriuſque naturæ prorſus unitio glorioſa perſiſtit, ut ſive divinitati Chriſti humanitatem quis demat, ſive humanitati divinitatem detrahat, Chriſtum ſacrilega infidelitate & blaſphema prædicatione diſſolvat. Item paulo poſt: Chriſtus pro nobis carne eſt paſſus, qui de Deo Patre natus ſolus eſt impaſſibilis Deus. Ipſum itaque Chriſtum Filium Dei pro nobis mortem carne guſtaſſe, ſalva immortalitate divinitatis ejus, veraciter credimus. Iterum poſt hoc: Quia non eſt alter Deus, alter homo, ſed idem unus eſt Chriſtus Deus & homo, profecto idem Deus Chriſtus eſt, qui & mortem * ſua carne ſuſcepit: & idem homo Chriſtus eſt, qui mortem * ſua divinitate deſtruxit. Idem quippe Chriſtus Dei filius, qui divinitate mori non potuit, carne mortuus eſt, * quia mortalem Deus immortalis accepit, & * idem Chriſtum Dei Filius carne mortuus reſurrexit, quia immortalitatem ſuæ divinitatis carne mortuus non amiſit. Hinc eſt quod etiam poſt reſurrectionem ſuam, ſicut in cicatricibus veris, & in vera comeſtione piſcis & mellis, ſoliditatem in ſe veræ carnis edocuit: ita clauſis foribus ingrediens, veram in ſe virtutem ſempiternæ divinitatis oſtendit, ut agnoſceretur & naturalis fuiſſe Chriſti morientis infirmitas, & eidem reſurgenti naturalis ineſſe majeſtas. Hæc quidem, quæ tam divinæ ſcripturæ, quam etiam ſanctorum patrum eloquia docuerunt, decretis noſtris breviter inſerta protulimus, demonſtrantes geminam carnis & deitatis naturam in una domini & ſalvatoris noſtri perſona: paſſum quoque eumdem in ea natura quæ corporis eſt, non paſſum in ea natura quæ deitatis eſt. His ergo concordi ſententia in tribus ſecretariis definitis, pro confirmatione ſui, * proprias ſubſcriptiones ſubjecimus.

Cyrillus.
* videndum
* ſed paſſum eſſe [illegible] natura
* Auguſtinus in excerptis.
Luc. 24.
Aug. ſuper Joannem
S. Leo ep. 10.
Fulgentius.
* ſuam
* ſuam
* quam
* ideo
* propriam ſubſcriptionem.

lebrare, ipſe honori ſuo contrarius exiſtit. Agenda vero A dicitur miſſæ celebratio, eo quod in agendo conſiſtat; eſt enim agere; verboque formæ ſacramenti ſunt corporis & ſanguinis domini effectiva & operativa.

k *Vel benedicere*) Concilio Agathenſi can. 44. *Benedictionem ſuper plebem in eccleſia benedicere presbytero penitus non licebit.*

Cap. 10. l *In provincia Bætica.*) Fuerunt multa virorum & mulierum monaſteria conſtructa in provincia Bætica; quod facile perſpiciet quiſquis librum divi Eulogii de martyribus legerit.

Cap. 11. Virginibus conſortia virorum fugienda.

m *Familiares eſſe volumus.*) Divus Leander in libello de inſtitutione virginum, cap. 2. quem manuſcriptum apud me habeo, ſic inquit; *Jam quali fuga virum fugias, ſoror in pudica, ſi tam ſolicite feminas ſaculi devitabis? Quiſquam vir, ſi ſanctus eſt, nullam tecum gerat familiaritatem; ne vicini jugitate aut infamentur utriuſque ſanctitas, aut pereat, aut decidat a caritate promiſſa. Quæ etſi malum non agit, opinionis tamen peſſimæ B nomi. Diſpar enim ſexus in unum locatus, et famam nutrit. Et naturalis motus titillatur inſtinctu, quo naſcitur. Quis colliganis flamma, ſi quod incendi poſſit attingitur. Quis ſuppo ignem in ſinu ſuo, & non comburetur? Ignis & ſtuppa ſibi utraque contraria, in unum redacta, flammas conjuriunt. Viri ſexus & feminæ, diverſa: quæ ſi conjunguntur, ad quod lex natura provocat commoventur.* Hæc Leander.

Cap. 12. Acephali qui & quales?

n *Ex hæreſi Acephalorum.*) De Acephalis multa tradit Nicephorus lib. 18. eccleſiaſt. hiſtor. cap. 34. *Eodem tempore & Acephali, quorum dux Severus Antiochenus fuit, unam Verbi & carnis naturam male prædicantes.* Et mox: *Acephali autem ob eam cauſſam dicti ſunt, quod ſub epiſcopis & ſacerdotibus apud eos defunctis, neque baptiſmus juxta ſolemnem & receptum eccleſiæ morem apud eos adminiſtratus, neque oblatio, aut res aliqua divina facta, miniſteriumve eccleſiaſticum, ſicuti mos eſt celebratum eſt. Communionem vero illi a plurimo tempore aſſervatam habemus, ſortes paſſibilibus in minutiſſimas incisam partem convenientibus ad ſe hominibus dederunt; quo tempore, quam quiſque voluiſſet, placitam ſibi ſumebat poteſtatem. Et propterea quod quilibet quod ſibi viſum eſſet fidei inſertum volebat, quamplurima defectorum, & hæreticorum turba exorta eſt,* &c. Lege Iſidorum lib. etymolog. 8. cap. 5.

*Biſanus.*) In epiſtola Gundemari ſubſcribit Piſanus Eliberitanus, non Biſanus. Fidentius ſucceſſit Agapio viro ſancto, epiſcopo ex monacho. De Iſidoro & Fulgentio epiſcopis ſanctiſſimis ſupra, ut potuimus, diximus.

Ex ſubſcriptionibus conſtat ſub Hiſpali eſſe:

Eliberim. Tucci.
Aſidonam. Malacam.
Aſtigi. Cordubam.
Italicam.

Ex diviſione antiqua deeſt Elipla, & Egabro.

### Adnotatio Pagi.

#### Ad An. Ch. 619. n. 2.

Ex P. Pagi ad an. Ch. 622. n. 2. & Cavei hiſtor. liter.

Epocha Concilii Hiſpalenſis II., tempore Siſebuti Hiſpaniarum regis celebrati, magnis tenebris circumſepta, B quia nullus in eo temporis character exprimitur, & qui de eo locuti ſunt, inter ſe non conveniunt. In exemplari, quo uſus eſt Baronius, dicitur habitum *ſub die Iduum Novembrium, anno nono, regnante glorioſiſſimo Principe Siſebuto æra* 657. At titulus ille ab aliquo imperito poſitus: Nam annus 657. æra Hiſpanicæ in præſentem Chriſti annum competit; annus vero IX. Siſebuti regis anno tantum ſequenti, & quidem poſt idus Februarii, inchoatus eſt, ut anno 614. oſtendimus. Quare in editione Conciliorum Labbeana dies Idus Novembris, & annus æra Hiſpanicæ retenti ſunt, annus vero Siſebuti omiſſus. Iſidorus Pacenſis epiſcopus in ſuo Chronico tradit S. Iſidorum Hiſpalen. epiſcopum illud celebraſſe *anno ſeptimo Principis Siſebuti*; Rodericus Toletanus lib. 2. cap. 17. & Vaſæus in Chron. eumdem Siſebuti regis annum exhibent, additque Vaſæus, congregatum eſſe menſe Decembri, ideoque anno Chriſti 618. juxta dicta anno 614. ubi oſtendi Siſeburum circa finem menſis Februarii anni 612. regnum iniiſſe. Horum trium Hiſtoricorum C ſententia præferenda, & hæc ſynodus ad an. 618. retrahenda, ſi tamen menſe Novembri, aut Decembri celebrata ſit, qua de re non ſatis liquet. Garſias annum nonum Siſebuti regis elegit, ſed nullo ad id probandum argumento in medium allato.

# CONCILIUM CHARNENSE

## SEU THEODOSIOPOLITANUM

### Armenorum Generale I. ſub Jeſero eorum Patriarcha.

Concilium Charnenſe, apud Charnum, alias Theodoſiopolim, majoris Armeniæ urbem anno 622. celebratum. Laborabat hoc tempore eccleſia Armena Acephalorum hæreſi, quam una cum ritibus quibuſdam minus catholicis Synodus Thevinenſis ſub initium ſuperioris ſæculi induxerat. Ægre id ferebat Jeſer Necainus Armeniæ Patriarcha, homo fide catholicus, ac proinde obnixe obteſtatus eſt Heraclium imperatorem (qui tunc his in partibus verſabatur, D bellum Chofroæ Perſarum regi feliciter illaturus) ut huic malo remedium ferret. Annuente imperatore indicta eſt ſynodus, quo convenerunt frequenti ſatis numero Armeniæ Epiſcopi, & Magnatum plurimi, Græcorum etiam & Syrorum nonnulli juſſu Regis convocati. Per integrum menſem res tranſacta eſt, mutuiſque collationibus quæſtiones utrinque ventilatæ & diſcuſſæ. Tandem Armenis manus dantibus, unanimi conſenſu ſancitum eſt, Concilium Thevinenſe eſſe abrogandum, ſynodi Chalcedonenſis decreta recipienda, additamentum, *Qui crucifixus es pro nobis*, a Triſagio removendum; Dominicæ Nativitatis, & Baptiſmi feſtivitates non amplius eodem die, ſed, ut antea, ſeparatim eſſe celebrandas. Atque ita pax & concordia Græcos inter & Armenos reſtituta eſt. Refert hæc Anonymus Auctor Hiſtoriæ Patriarch. Armen. cap. 13. quam latine edidit, & annotationibus illuſtravit Clem. Galanus in Concil. Eccleſ. Arm. par. 1. p. 185. Meminit & Photius Epiſt. ad Zachariam Armeniæ Patriarcham, quæ MS. apud Armenos hodie aſſervatur, teſte eodem Galano part. 2. tom. 1. p. 28. In hoc Concilio habitus fuit primus Pauli Monoculi Severi ſectatoris cum Heraclio Imperatore congreſſus, de quo Sergius Patriarcha CP. in epiſtola ad Honorium Papam.

ANNO CHRISTI 626.

# VITA EPISTOLÆ, ET DECRETA HONORII PAPÆ I.

ANNO CHRISTI 626.

Deſunt variantes ex Cod. Luc. 494.

* 5. minus 5. diebus. Dona Honorii.

* cimilium, al. cimelium, vel ſupellectilem,

ᵃ HOnorius, natione Campanus, ex patre Petronio conſule, ᵇ ſedit annos 12. menſes * 11. dies 17. Hic temporibus ſuis multa bona fecit. Hic erudivit clerum. Temporibus ſuis renovavit omnem * (a) familiam beati Petri apoſtoli, & inveſtivit confeſſionem beati Petri ex argento puro, quod penſat libras centum octuaginta & ſeptem. Inveſtivit (b) regias januas in ingreſſu eccleſiæ majore, quæ appellantur mediana ex argento, quæ penſant libras nongentas ſeptuaginta quinque: fecit & * ceroſtatas majores (c) ex argento paria duo, quæ ſunt ante corpus beati Petri apoſtoli penſantes ſingulas libras (d) 272. Fecit & ad beatum Andream apoſtolum, ubi ſupra, ante confeſſionem (e) tabulas ex argento, quæ penſant libras ſeptuaginta tres. Hujus temporibus levatæ ſunt trabes in eccleſia beati Petri apoſtoli numero ſexdecim. Hic cooperuit eccleſiam (f) omnem ex * tabulis æreis, quas levavit de templo, quod appellatur * Romæ, ex conſenſu piiſſimi Heraclii Imperatoris. Eodem tempore fecit eccleſiam beatæ Agnetis martyris milliario ab urbe Roma tertio, via Numentana, a ſolo, ubi requieſcit, quam undique ornavit (g), & exquiſivit ubi poſuit multa dona. Ornavit autem ſepulcrum ejus ex argento, quod penſat libras 252. Poſuit & deſuper * ciburium æreum deauratum miræ magnitudinis. Fecit & * Gabathos aureos (h) quatuor, penſantes ſingulos libras ſingulas. Fecit abſidam ejuſdem baſilicæ ex * muſibo, ubi etiam multa (i) bona obtulit. Item fecit baſilicam B. Apollinaris martyris in urbe Roma, in porticu beati Petri apoſtoli, quæ appellatur * ad palmata, a ſolo, ubi dona multa largitus eſt.

* ceroſtata majora

* tegulis

* Romuli.

* ciborium

* Gabatas 3.

* muſivo,

* dona

* palmaria

Hic fecit conſtitutum in eccleſia, & decrevit, ut per omnem hebdomadam ſabbato die exeat litania (l) ad beatum Apollinarem, & ad beatum Petrum apoſtolum cum hymnis & canticis populus omnis occurrere debeat. Fecit & eccleſiam beato Cyriaco martyri a ſolo, via Oſtienſi, milliario ſeptimo, ubi & donum obtulit. Eodem tempore fecit eccleſiam beatorum martyrum quatuor coronatorum, quam & dedicavit, & donum obtulit. Fecit eccleſiam beato Severino a ſolo juxta civitatem Tiburtinam milliario ab urbe Romana vigeſimo, quam ipſe dedicavit, & dona multa obtulit. Renovavit & cœmeterium beatorum martyrum Marcellini & Petri, via Lavicana. Eodem tempore fecit baſilicam beato Pancratio martyri, via Aurelia milliario ſecundo (m) a ſolo, & ornavit ſepulcrum ejus ex argento, quod penſat libras centum viginti. (Et ibi conſtituit mola in murum in loco Trajani juxta murum civitatis, & formam, quæ deducit aquam in lacum Sabatinum, & ſub ſe formam, quæ conducit aquam Tiberis.) Fecit & ciborium ſuper altare ex argento quod penſat libras * (n) 287. & arcus argenteos quinque, qui penſant ſinguli libras quindecim. Fecit & candelabra aurea tria, quæ penſant ſingula libras ſingulas: ubi multa (o) dona ſimul obtulit. Fecit eccleſiam beatæ Luciæ in urbe Roma juxta ſanctum Silveſtrum, quam & dedicavit, & dona multa obtulit. Fecit eccleſiam beato * Hadriano (p) martyri in tribus * fatis, quam & dedicavit, & dona multa obtulit. Sed & * multas alias fecit, quas enumerare longum eſt. Fecit autem ordinationes tres (q) per menſem Decembrem, presbyteros (r) 31. diaconos * 12. epiſcopos per diverſa loca numero unum & octuaginta. Qui etiam ſepultus eſt (s) in baſilica beati Petri apoſtoli ſub die quarto Idus Octobris. Et * ceſſavit epiſcopatus annum unum, menſes ſeptem, (t) dies 17.

Abſidis incluſa deſunt in Cod. Luc.

* 187.

* Æmiano forte,

* multa alia bona fecit,

* 11.

## NOTA SEVERINI BINII.

Honorius quando ſedere cœperit.

(*Honorius.*) Anno redemptoris noſtri 626. decimatertia die menſis Maii, Honorius Campanus creatus eſt pontifex Romanus. Jonas abbas hujus temporis hiſtoricus, poſtquam recenſuiſſet quomodo Bertulfus abbas Arioaldum regem Longobardorum Arianum, in iis quæ mores concernunt, ad meliorem frugem revocaſſet, ejuſque tutela, præſidio ac ſubſidio ad Honorium papam perductus fuiſſet, de eodem Honorio hæc ſubjungit: *Erat venerabilis præſul Honorius, ſagax animo, vigens conſilio, doctrina clarus, dulcedine & humilitate pollens. Lætabatur e gentibus factum reperiſſe, cum quo dulcia promeret effamina; nec prorſus delectabatur eo citius ab ejus conſortio ſegregaretur; ſed cum videret eum quietandi longum prohibere ſpatium, probatis optatum monens ſanctus papa patri memorato Bertulfo, privilegio fultum ſedis apoſtolicæ, quatenus nullus epiſcoporum in præfato cœnobio qualibet jure dominari conaretur.* Hujus temporibus Coſrhoem regem Perſarum, (cujus juſſu paulo ante Anaſtaſius Perſa & monachus, poſt atrociſſima tormenta, capite truncatus fuerat, quemque Heraclius imperator aliquoties glorioſe fugarat ac devicerat) jam ante turpiter deluſum, occidi juſſit filius ejus major Syroes; qui facta cum Romanis pace, Zachariam Hieroſolymorum pontificem aliosve captivos a vinculis relaxavit, ipſumque ſanctæ Crucis lignum cum ereptis provinciis plane intactum reſtituit. Magno cum triumpho Conſtantinopolim allatum, Heraclius Hieroſolymam tranſtulit; ſimulque tunc ea contigerunt, quæ de feſto exaltationis ſanctæ Crucis, deque miranda Crucis in urbem introductione in eccleſiaſticis ritualibus deſcribuntur. Eamdem Crucem ſanctam ſub hoc eodem pontifice Hieroſolyma iterum Conſtantinopolim tranſtulit Heraclius, quando totam Palæſtinam a Perſis occupandam providit, regnum Perſarum, regibus eorum aliis poſt alios occiſis, ad

Honorii encomium.

Coſrhoes rex Perſarum a filio occiditur.

Crux ſancta reſtituitur & exaltatur.

(a) Cimelium. (b) regias ingreſſus eccleſiæ ejus quas vocant mediana &c. (c) ex argento, deeſt. (d) LXII. (e) tabulam argenteam, quæ penſat &c. (f) ejus ex tegulis æreis. (g) & exquiſivit, deeſt. (h) tres. (i) dona. (l) a B. Apollinare ad B. Petrum &c. (m) addit: ab Urbe Roma. (n) CLXXXVII. (o) bona. (p) Martini, deeſt. (q) per menſem Decembrem deeſt. (r) XIII. (s) ubi ſupra ſub die III. (t) Dies XVIII.

ad Arabes delatum eſt juſta Dei ſententia quando Coſihoes ( regnum auctore Deo, & precibus Sergii martyris impetrans, ) contra religionem Chriſtianam & crucem dominicam inſanire cœpit. Eduinus rex Nordhumbrorum in Anglia cum omnibus gentis ſuæ nobilibus & magna plebe a Paulino Eboracenſi epiſcopo baptizatus, fidem Chriſti ſuſcepit.

Eduinus rex baptizatur.

Hæreſis Monothelitarum unam voluntatem, unamque operationem in Chriſto aſſerentium, Cypro Alexandrino, & Sergio Conſtantinopolitanæ urbis epiſcopis auctoribus, orta & propagata fuit: quam cum Heraclius, fraude Anaſtaſii Jacobitarum patriarchæ deceptus, animo defendendi Chalcedonenſis concilii ſuſcepiſſet, eamque paulo poſt hæc tempora ecthesi quadam, ut infra dicemus, defendiſſet, ſe totumque Romanum imperium in ſummum periculum induxit. Nam dum ille præter munus & officium quæſtionibus fidei ſuo judicio defendendis perſuaſu diaboli totus eſſet occupatus accidit ut Mahometis ſucceſſores Saraceni & Arabes viribus auctis univerſam Syriam, Ægyptum & Palæſtinam imperio Romano ademerint, Hieroſolymam poſt anni unius obſidionem expugnaverint, eamque ab hoc tempore annis 463. donec a Francis viciſſim eriperetur, ſuo dominio adjecerint. Has Syriæ & Palæſtinæ devaſtationes Heraclius imperator paulo ante prævidens, lignum ſanctæ Crucis Conſtantinopolim reduxit, ne dicta locis illis, quibus Saracenos dominaturos quaſi prævidit, debito cultu & honore deſtitueretur.

An Honorius Monothelita fuerit.

Fueritne Honorius Monothelita hæreticus, gravis eſt quæſtio, diu multumque hactenus ventilata. Ipſi olim Monothelitæ, aliorum pontificum nominibus e ſacris diptychis expunctis, hujus ſolius nomen ſibi retinuerunt, aſſerentes & publice evulgantes Honorium unam in Chriſto voluntatem & operationem agnoviſſe, ideoque epiſtola ſua ad Sergium Conſtantinopolitanum reddita de duabus operationibus ſilentium indixiſſe. Nilus in libro de primatu Romani pontificis, & centuriatores Magdeburgenſes in vita Honorii idem ſenſerunt: tum quod duabus epiſtolis ad Sergium Conſtantinopolitanum ſcriptis Monothelitarum hæreſim approbat, atque de duabus operationibus Chriſti ſilere jubet: tum etiam quod in actis ſynodalibus ſexti & ſeptimi concilii œcumenici ipſi Honorio anathema dicatur, ejuſque epiſtolæ velut hæreticæ comburantur. His rationibus non bene conſideratis, accidit patribus ſeptimæ & octavæ ſynodi, Melchiori Cano, aliiſve noſtri temporis ſcriptoribus orthodoxis, quod eamdem Monothelitarum & Magdeburgenſium hæreticorum ſententiam alibi propugnaverint. Pro hac ſententia afferri poſſet, quod cum edixiſſet Conſtans imperator promulgata lege, quam typum nominabat, de una aut duabus voluntatibus & operationibus in Chriſto ſilendum eſſe, Theodorus papa concilio congregato eumdem typum damnaverit, exiſtimans ſine periculo hæreſeos hac in re imperatori obtemperari non poſſe. Cum itaque Honorius epiſtolis ſuis ad Sergium ſcriptis id præſtiterit quod Conſtans imperator edicto ſuo fieri volebat, quodque Theodorus papa ſynodali decreto fieri inhibebat, nulla injuria affici videtur, ſi de Monothelitarum hæreſi accuſetur.

Honorius ab hæreſi expurgatur.

His præmiſſis, verior eſt ſententia omnium fere orthodoxorum noſtri temporis illa, quæ Honorius ab omni labe & ſuſpicione hæreſeos expurgatur: ideo maxime, quod adverſariorum argumenta, ſi bene examinentur, nihil hæreſeos vel criminis alterius Honorio impingere valeant.

Prima objectio diluitur.

Priore enim epiſtola ad Sergium ſcripta, quam primo loco objiciunt, de una aut duabus operationibus, ad evitandum ſcandalum, & contentionis materiam auferendam, tacendum eſſe exiſtimavit. Nam cum Cyrus iſto tempore unam in Chriſto operationem noviter prædicare cœpiſſet, Sophronius vero Hieroſolymitanus, prædicando duas in Chriſto operationes, ſe Cyro Alexandrino oppoſuiſſet, relata eſt controverſia per Sergium ad pontificem Romanum Honorium. Qui cum metueret ( quod poſtea evenit, ſæpiuſque præcedentibus ſæculis de voce Homoouſion aliiſve pluribus accidiſſe noverat ) ne iſta contentio in grave aliquod ſchiſma excreſceret, ſimulque videret ſine his vocibus fidem ſalvam eſſe poſſe, voluit conciliare utramque opinionem, & ſimul de medio tollere ſcandali & contentionis materiam. Scribens itaque ad Sergium, conſulit abſtinendum eſſe a vocabulo unius operationis, ne videamur cum Eutychianis unam naturam ponere in Chriſto; rurſum a duarum operationum vocabulo, ne videamur cum Neſtorio duas perſonas ponere. Idem ſenſit cum Honorio Sophronius Hieroſolymitanus epiſcopus, ut conſtat ex epiſtola Sergii ad Honorium. Sicut itaque Sophronius nullius hominis judicio de Monothelitarum hæreſi accuſatus fuit, ( quod ob prædictas cauſſas de controverſia periculoſa tacendum eſſe putavit ) ita nulla ratione Honorius Monothelitarum hæreſim ſuſtinuiſſe dici poteſt, propterea quod de controverſia nova, necdum ab eccleſia definita, ſcandali & erroris periculo expoſita, ſilentium indixerit. Neque enim neceſſarium eſt, ut omnes curioſorum hominum quæſtiones pontifex, ſtatim quam fuerint exortæ, ex officio definiat: poteſt eas pro ſua prudentia quandoque ſupprimere, quandoque doctiorum judicio ac diſputationi diſcutiendas relinquere, neque tamen ideo hæreticus dici vel haberi poteſt.

2. ratio contra Honorium objecta diluitur.

Quod alibi in iiſdem epiſtolis ſcribit: *Unde & unam voluntatem fatemur domini noſtri Jeſu Chriſti*, intelligendum eſt de una voluntate humana, ut exponit is, qui hanc epiſtolam ſcripſerat, ſecretarius Honorii in diſputatione illa celebri inter Maximum & Pyrrhum habita. *Cum enim Sergius ſcripſiſſet prædicare quoſdam eſſe duas Chriſti voluntates contrarias*, inquit ſecretarius ibidem, *nos reſcripſimus Chriſtum duas voluntates contrarias, unam ſpiritus, alteram carnis, non habere*: ſed unam tantum voluntatem ſpiritus, quia caro in Chriſto nihil abſolute contra rationem potuit. Eamdem expoſitionem confirmant verba Honorii ſequentia hæc: *quia profecto a divinitate aſſumpta eſt noſtri natura non culpa, &c.* Quæ ratio nulla eſt, ſi afferatur ad probandum in Chriſto Deo & homine unam tantum eſſe voluntatem: eſt autem efficaciſſima, ſi inde probetur non fuiſſe in Chriſto homine duas contrarias voluntates, carnis & ſpiritus. Nam contrarietas iſta ex peccato nata eſt: Chriſtus autem habet humanam naturam ſine peccato.

3. ratio contra Honorium objecta refellitur.

Quod tertio objiciunt, Honorium in actis ſynodalibus VI. & VII. concilii velut hæreticum anathematizari, & cum Monothelitis ibidem recenſeri, multum huic noſtræ communi orthodoxorum ſententiæ præjudicaret, ſi non evidenter conſtaret acta ſexta ſynodi impoſtura Theodori Conſtantinopolitani & Monothelitæ epiſcopi corrupta eſſe. Anaſtaſius bibliothecarius in compendio actionum ſynodalium ſexta ſynodi diſertis verbis affirmat Theodorum Conſtantinopolitanum epiſcopum, qui Vitalianum e ſacris diptychis eraſerat, inter hæreticos nominatum fuiſſe: verum ſi acta ejuſdem ſynodi illa quæ nunc extant diligentiſſime omni ex parte luſtres, nuſquam Theodori, ubique fere Honorii nomen inter damnatos Monothelitas reperies. Quis credat illud ſine fraude impoſtoris epiſcopi accidiſſe? Accedit, quod ſi concilium ſextum œcumenicum condemnaſſet Honorium tamquam hæreticum, cum epiſtola ſancti Agathonis, quam actione 8. & 18. velut oraculum S. Petri approbaverat, manifeſte pugnaret.

Acta ſextæ ſynodi corrupta eſſe probatur.

Nam Agatho papa in epiſtola prima ad imperatorem, quæ lecta eſt in ipſo concilio ſeſſione 4. ait: Omnes ſuos prædeceſſores, quorum unus eſt Honorius, hæreſibus ſemper reſtitiſſe, ſuoſque fratres in vera fide confirmaſſe. Quod ſi verum eſt: non potuit ſexta ſynodus Honorium jam multis ante temporibus defunctum velut hæreticum condemnaſſe, quodque ad imperatorem ſcripſerat Agatho pontifex, velut oraculum ſancti Petri, approbaſſe. Præterea ſi concilium œcumenicum Honorium, prout aſſeritur, velut hæreticum condemnavit, neceſſum eſt affirmare, illud intolerabili errore & * impudentia laboraſſe; utpote quod nullo hæreſeos indicio comperto pontificem catholicum & orthodoxum condemnaverit. Nam illæ Honorii epiſtolæ, quas adverſarii prætendunt Monothelitarum doctrinæ faventes, catholicæ ſunt, duaſque in Chriſto voluntates & operationes eſſe profitentur, niſi quod a nominibus illis, *unius* vel *duarum*, ad ſcandalum tollendum & contentionem ſedandam, abſtineri velint. Quare cum nemo pro hæretico damnari poſſit, qui rem ipſam confitetur, licet nomen juſta de cauſſa tacendum eſſe arbitretur, præſertim ante definitionem eccleſiæ, graviſſime ſane erraſſet concilium, ſi hac de cauſſa pontificem condemnaſſet. Quod cum nullo unquam tempore ne ipſi quidem hæretici affirmaverint, dicendum eſt, quod impoſtura Græcorum hæc de condemnato Honorio actis ſynodalibus ſexti concilii œcumenici per fraudem & dolum ſurrepititie addita fuerint.

* Imprudentia

Et quidem maxime propterea quod in Lateranenſi ſub Martino & Romano ſub Agathone celebratis conciliis nulla reperietur mentio Honorii, quando nominatim omnes Monothelitæ ſynodali judicio condemnati ibidem recenſentur.

Concilium potuit in facti quæſtione erraſſe.

Quæ rationes ſi necdum aliquam corruptelam & depravationem actorum ſynodalium ſexti concilii præſuadeant, addo, concilium œcumenicum ( quod fieri poſſe ſentiunt omnes catholici ) in quæſtione facti aberraſſe, adeo ut eadem acta, quæ vel corrupte vel erronee Honorium damnatum fuiſſe referunt, cauſſam dederint patribus ſeptimi concilii œcumenici, ſtatuendi ac decernendi de Honorio illud quod in actis concilii ſexti vel corruptis vel erroneis deciſum fuiſſe legerant.

Epiſt. Leonis II. nihil Honorii cauſſæ obſtat.

Epiſtolam Leonis quam objiciunt, Bellarminus corruptam, Baronius commentitiam eſſe ſcribunt: ita ut nihil plane ſuperſit quod Honorium in ſuſpicionem hæreſeos pertrahere poſſit. Sunt qui illum accuſent, neque deſunt ſcriptores ejuſdem ſæculi qui eumdem defendant, & ab omni macula hæreſeos expurgent. Monothelitæ ſuum fuiſſe ajebant. Maximus contra Pyrrhum, Joannes IV. Martinus I. Agatho, aliiſve plures pontifices Romani Honorium ſibi vendicabant. Et ne quis Theodorum papam typum Conſtantis condemnantem aliter ſenſiſſe putet, legat quæ notavi infra ſub eodem Theodoro in notis allegati typi. Unde patebit quod juſtam

Cur Honorius non Theodorus de una aut duabus voluntatibus Chriſti taceri voluerit?

ob

ob cauſam Honorius ſilentium indixerit de iſta controverſia, quam Theodorus papa, aliter quam ab imperatore mandatum fuerat, ſynodica ſententia condemnavit. Vide quæ notavi in vitam ſancti Joannis IV. in diſputationem Maximi, & in typum Conſtantis imperatoris ſub Theodoro; item in concilium Conſtantinopolitanum œcumenicum ſextum infra; item Bellarminum libro quarto de Roman. pontif. capite undecimo, Baronium anno 633. & 681.

Tempus ſedis.

b *Sedit annos 12. menſes 11. dies 17.*) Ex actis concilii Romani infra ſub Martino conſtat, Honorium quarto Idus Octobris anno domini 638. qui eſt Heraclii 29. ex hac vita migraſſe, adeoque non niſi duodecim annis & quinque menſibus minus tribus diebus pontificem egiſſe.

c *Ceſſavit epiſcopatus ejus annum unum, menſes ſeptem, dies 17.*) Hoc tanto tempore ſedes apoſtolica vacaſſe dicitur pontifice, non ſimpliciter, ſed tali quem auctoritas imperatoria (prout tunc tyrannice fieri moris erat) confirmaſſet Severinum ſucceſſorem Honorii, jam hoc tempore electum fuiſſe, manifeſtis verbis aſſerit Anaſtaſius in vita ejuſdem Severini. Vide Baronium anno 638.

# EPISTOLA I. HONORII PAPÆ I.

## AD ISACIUM RAVENNATEM EXARCHUM.

Adalvaldum Longobardorum regem catholicum regno reſtitui, & ſubrogatum illi Ariovaldum hominem Arianum & perfidum inde ejici: Ciſalpinos epiſcopos, quorum opera ſcelus patrarat, ad pœnam ſuſcipiendam ad ſe mitti petit.

*Honorius Iſacio exarcho.*

DElatum eſt ad nos epiſcopos Tranſpadanos Petro Pauli filio ſuadere conatos eſſe, ut a Adalvaldum regem deſereret, Ariovaldoque tyranno ſe applicaret. Quam ob rem quia Petrus pravis eorum conſiliis ſuis reſpuit obedire, & ſacramenta regni Agoni (*Agilulpho videlicet*) Adalvaldi patri præſtita ſancte cupit ſervare: & quia hoc Deo & hominibus eſt ingratum, ut qui tale facinus vindicare deberent, eorum ipſi ſuaſores exiſtant; rogamus vos, ut poſtquam Adalvaldum divino in regnum (ut ſperamus) auxilio reduxeritis, prædictos epiſcopos Romam mittere velitis, ne ſcelus hujuſmodi impunitum relinquamus.

### NOTA SEVERINI BINII

Paulus diaconus carpitur.

a *Adalvaldum.*) De Adalvaldo rege Longobardorum hæc Paulus diaconus lib. 4. c. 5. *Sed cum Adalvaldus everſa mente inſaniret, poſtquam cum matre decem regnaverat annis, de regno ejectus eſt, & a Longobardis in ejus locum Ariovaldus ſubſtitutus eſt.* Quæ ſi vera eſſent, minime putandum eſt pro inſano & plane demente in regnum reſtituendo Honorium tantopere laboraſſe.

# II. AD EPISCOPOS VENETIÆ ET ISTRIÆ.

De fortunato Gradenſi patriarcha dejecto, & Primogenio in locum ejus ſubrogato.

*Honorius epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectiſſimis fratribus univerſis epiſcopis per Venetiam & Iſtriam conſtitutis.*

SUademus, & decretales apices fraternitati veſtræ dirigimus, per quos expetimus, ut loco Judæ alius vitæ probabilis ad regendum gregem dominicum promoveatur. Et non immerito is qui dejectus eſt, & Judæ actibus comparatur & moribus. Nam quod ille in capite, hoc iſte videtur exercuiſſe in corpore. Primogenium itaque ſubdiaconum & regionarium noſtræ ſedis Gradenſi eccleſiæ epiſcopali ordine cum pallii benedictione direximus conſecrandum. Oportebit ergo fraternitatem veſtram juxta legem eccleſiaſticam cuncta diſponere, capitique veſtro ſinceram obedientiam exhibere. Nos enim dirigentes homines noſtros ad excellentiſſimum Longobardorum regem, injunximus, ut eumdem Fortunatum, ut relicta ab eo republica, ad genteſque prolapſum, & abnegata concordiæ unitate Deo rebellem & perfidum, necnon res quaſcumque ſecum aufugiens abſtuliſſe monſtratur, expetat, & repetere non moretur: ut & hi a quibus repetuntur, a patribus a Chriſtianiſſimæ reipublicæ partem juſtitiam conſequantur.

### NOTA SEVERINI BINII.

a *Chriſtianiſſimæ reipublicæ.*) Hoc titulo Venetam rempublicam merito exornat: quia ipſa relictis ſchiſmaticis Romanæ eccleſiæ adhærebat, & a Romana eccleſia epiſcopum petere ſolebat, ne ſchiſmaticorum laqueis implicaretur.

# a EPISTOLA SERGII

## CONSTANTINOPOLITANI EPISCOPI AD HONORIUM PAPAM.

Illi originem contentionis de una aut duabus voluntatibus aperit, veram fidem in natura Chriſti ſecundum epiſtolam Leonis & Calchedonenſe concilium profitetur. Sophronium Hieroſolymitanum epiſcopum, qui Cyro Alexandrino contradixerat, ſuo hortatu conſenſiſſe, ut de nova & periculoſa contentione abſtineatur, & ſilentium fiat.

INtantum vobis ſanctiſſimis, &c. *Extat actione 12. ſextæ ſynodi.*

### NOTA SEVERINI BINII.

Argumentum epiſtolæ Sergii ad Honorium.

a *Epiſtola Sergii.*) Cum Sophronius ad Sergium dediſſet litteras, quibus petebat deleri caput illud ſynodi Alexandrinæ, quo aſſerebatur una voluntas in Chriſto, contenderetque duas omnino voluntates & operationes concedendas eſſe, tandem ubi inter utrumque de re & veritate orthodoxæ fidei conveniſſet, uterque duas naturas, voluntates & operationes in Chriſto ſecundum epiſtolam Leonis & Chalcedonenſis concilii decreta agnoviſſet, conſilio Sergii utrique placuit, ut ad evitandum ſcandalum, & hæreſeos periculum, quod ex novitate vocabulorum emergere ſolet, a vocabulis unius aut duarum voluntatum abſtineretur. Rem geſtam per haſce litteras Conſtantinopolitanus epiſcopus Honorio pontifici Romano indicat: qui dum epiſtolam hanc, quæ nihil contrarium orthodoxæ fidei aut Chalcedonenſi concilio continetur, & Leonis epiſtola defenditur, quaque duæ naturæ in Chriſto aſſeruntur, accepiſſet, non potuit aliter, quin illi velut præſuli catholico reſponderet: maxime ideo quod in fine epiſtolæ ſe ſuaque omnia conſultum eccleſiæ & ſedis apoſtolicæ ſubjicit. Unde manifeſtiſſime conſtat (quod & maximopere eſt attendendum, & ſæpius inculcandum) Sergium ipſum, etſi poſtea fuerit detectus hæreticus & condemnatus, præſenti tamen tempore, quo hanc epiſtolam ad Honorium ſcripſit, anno nimirum Chriſti 633. pontificatus Honorii octavo, non tantum orthodoxum creditum fuiſſe ab orientalibus & occidentalibus, ſed etiam magnæ exiſtimationis epiſcopum habitum eſſe, ut conſtat ex epiſtola Sophronii ad Sergium.

## III. AD SERGIUM

CONSTANTINOPOLITANUM EPISCOPUM.

Poſt veram orthodoxæ fidei doctrinam, de duabus voluntatibus Chriſti aſſertam, cauſſam indicat quare Sergio de novi vocabulis ſilentium indicenti conſentiendum eſſe judicet.

*Honorius Sergio epiſcopo Conſtantinopolitano.*

SCripta fraternitatis veſtræ, *&c. Extat actione 12. ſextæ ſynodi generalis.* [a]

Ex hac epiſtola Honorium hæreticum Monothelitam fuiſſe male probatur.

### NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Epiſtola, &c.*) Hæc epiſtola Honorii eſt lapis offenſionis & petra ſcandali antiquioribus & novatoribus hæreticis; ex qua pontifici, auctoritate Bedæ, ſanctiſſimo, ipſique ſedi apoſtolicæ graviſſimum crimen hæreſeos impingere conantur. Et quidem ſine omni juſta cauſſa. Nam reſcripſiſſe Sergio, non potuit ipſi vitio verti, utpote qui hoc tempore ab omnibus adhuc catholicus habebatur, nihilque hæreticum adhuc dixerat aut ſcripſerat, ſuaque omnia cenſuræ eccleſiæ ſubjecerat, ut ſupra patet. Et ſi hæc crimini vertas Honorio, quidnam, quæſo, afferes ad excuſationem Sophronii, qui jam ante Honorium illi per literas non tantum communicavit, verum etiam de una aut duabus voluntatibus ob cauſſas ſupradictas ſilentium indicenti plane conſenſit? Cui ſi nullum crimen hæreſeos impingendum eſſe ſentias, non video quare aliter quam per calumniam Honorium Monothelitarum numero adſcribendum eſſe judices. De novitate vocum initio contentionis ſilentium indicere, ſuſpectum eſſe non poteſt; cum de novis vocabulis habitæ contentiones graviſſimas aliquando hæreſes excitarint, ut ſupra vidimus. Rem & veram fidem de Chriſto confitetur hac epiſtola Honorius; De vocabulis ob pericula ſcandali, & majorem contentionem abſtinendum eſſe prudenter admonet. Quod ſane nemo niſi imprudens ſanctiſſimo viro vitio aut crimini dare poterit. Quomodo intelligendum ſit quod dicit; *Unde & unam voluntatem fatemur domini noſtri Jeſu Chriſti; quia profecto a divinitate aſſumpta eſt noſtra natura non culpa*; juſſu S. Joannis papæ IV. ſecretarius Honorii in diſputatione Maximi cum Pyrrho explicat iſtis verbis, & ſupra in notis ad vitam Honorii; item infra in allegata diſputatione aſſignavi. Vide plura apud Baronium anno 633. num. 1. & ſequenti.

Exemplo Sophronii ſtrenuiſſime defenditur Honorius.

Explicatur epiſtola locus.

## IV. AD EUMDEM.

Ejuſdem argumenti.

SCripta dilectiſſimi filii noſtri, *&c. Extat ejus fragmentum actione 13. ſextæ ſynodi in fine.*

## V. AD EDUINUM REGEM ANGLIÆ.

Hortatur ut in fide perſeveret, ejuſque precibus Paulino, & Honorio metropolitanis duo cuique pallia mittit, ut altero mortuo, ſuperſtes in locum defuncti alium poſſit ordinare.

*Domino excellentiſſimo atque præcellentiſſimo filio Eduino regi Anglorum Honorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei ſalutem.*

Ex Beda lib. 2. hiſt. Angl. c. 17. Laudat fidem ejus in omni mundo annuntiatam.

ITA Chriſtianitatis veſtræ integritas circa conditoris ſui cultum fidei eſt ardore ſuccenſa, ut longe lateque reſplendeat, & in omni mundo annuntiata, veſtri operis multipliciter referat fructum. Sic enim vos reges eſſe cognoſcitis, dum regem & creatorem veſtrum, orthodoxa prædicatione edocti, Deum venerando A creditis, eique, quod humana valet conditio, mentis veſtræ ſinceram devotionem exolvitis. Quid Deo noſtro aliud offerre valebimus, niſi ut in bonis actibus perſiſtentes, ipſumque auctorem humani generis confitentes, eum colere, eique vota noſtra reddere feſtinemus. Et ideo, excellentiſſime fili, paterna vos caritate, qua convenit, exhortamur, ut hoc quod vos divina miſericordia ad ſuam gratiam vocare dignata eſt, ſolicita intentione, & aſſiduis orationibus ſervare omnimodo feſtinetis: ut qui vos in præſenti ſæculo ex omni errore abſolutos ad agnitionem ſui nominis eſt dignatus perducere, cæleſtis patriæ vobis præparet manſionem. Prædicatoris igitur veſtri domini mei apo- B ſtolicæ memoriæ Gregorii lectione frequenter occupari, præ oculis affectum doctrinæ ipſius, quem pro veſtris animabus libenter exercuit, habetote, quatenus ejus oratio & regnum veſtrum populumque augeat, & vos omnipotenti Deo irreprehenſibiles repræſentet.

Suadet progredi, & Gregorium legere.

Ea vero quæ a nobis pro veſtris ſacerdotibus ordinanda ſperaſtis, hæc pro fidei veſtræ ſinceritate, quæ nobis multimoda relatione per præſentium portitores laudabiliter inſinuata eſt, gratuito animo attribuere illis ſine ulla dilatione prævidemus. Et duo pallia utrorumque metropolitanorum, id eſt, Honorio & Paulino direximus, ut dum quis eorum de hoc ſæculo ad auctorem ſuum fuerit acceſſitus, in loco C ipſius alterum epiſcopum ex hac noſtra auctoritate debeat ſubrogare, quod quidem tam pro veſtræ caritatis affectu, quam pro tantarum provinciarum ſpatio, quæ inter nos & vos eſſe noſcuntur, ſumus invitati concedere, ut in omnibus devotioni veſtræ noſtrum concurſum, & juxta veſtra deſideria præberemus. Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

Honorio & Paulino epiſcopis Cant. & Ebor. duo pallia mittit, ut decedente altero alter ſucceſſorem ſtatuat.

## VI. AD HONORIUM DOROVERNENSEM EPISCOPUM.

D Monet ut in evangelii prædicatione perſiſtat, & pallium, cujus fecit mentionem in ſuperiori epiſtola mittit.

*Dilectiſſimo fratri Honorio Honorius.*

Ex Beda lib. 2. c. 18. Laudat & excitat ſolertiam ejus in prædicando.

INter plurima quæ redemptoris noſtri miſericordia ſuis famulis dignatur bonorum munera prærogare, illud etiam clementer collata ſuæ pietatis munificentia tribuit, quotiens per fraternos affatus unanimem dilectionem quadam contemplatione alternis aſpectibus repræſentat, pro quibus majeſtati ejus gratia indeſinenter exſolvimus. Eumque votis ſupplicibus exoramus, ut veſtram dilectionem in prædicatione evangelii elaborantem & fructificantem, E ſectantemque magiſtri veſtri & capitis ſui S. Gregorii regulam perpeti ſtabilitate confirmet. Et ad augmentum eccleſiæ ſuæ potiora per vos ſuſcitet incrementa, ut fide & opere in timore Dei & caritate veſtra acquiſitio deceſſorumque veſtrorum, quæ per domini Gregorii exordium pullulat, convaleſcendo amplius extendatur, ut ipſa vos dominici eloquii promiſſa in futuro reſpiciant. Voſque vox iſta ad æternam feſtivitatem evocet: *Venite ad me omnes qui laboratis & one-* Matth. 11.

---

a Hanc & ſequentem epiſtolas datas anno 634. probat Pagius ad an. Ch. 633. n. 10. & ſeqq.

*& oneratis eſtis, & ego reficiam vos*. Et iterum: *Euge bone ſerve & fidelis, qui ſuper pauca fuiſti fidelis: ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui*. Et nos equidem, fratres cariſſimi, hæc vobis pro æterna caritate exhortationis verba præmittentes, quæ rurſus pro eccleſiarum veſtrarum privilegiis congruere poſſe conſpicimus, non deſiſtimus impartire.

Matth. 25.

Poteſtatem cedit epiſcopis Cant. & Ebor. ut defuncto altero alter ſucceſſorem ordinet, ideo que duo mittit pallia.

Et jam juxta veſtram petitionem, quam filiorum noſtrorum regum vobis præſenti noſtra præceptione, vice beati Petri apoſtolorum principis, auctoritatem tribuimus, ut quando unum ex vobis divina ad ſe juſſerit gratia vocari, is qui ſuperſtes fuerit alterum in loco defuncti debeat epiſcopum ordinare. Pro qua etiam re ſingula veſtræ dilectioni pallia pro eadem ordi- B natione celebranda direximus, ut per noſtræ præceptionis auctoritatem poſſitis Deo placitam ordinationem efficere: quia ut hæc vobis concederemus, longa terrarum mariſque intervalla, quæ inter nos ac vos obſiſtunt, ad hæc nos condeſcendere coegerunt; ut nulla poſſit eccleſiarum veſtrarum jactura per cujuslibet occaſionis obtentum quoquo modo pervenire, ſed potius commiſſi vobis populi devotionem plenius propagare. Deus te incolumem cuſtodiat, dilectiſſime frater.

Data die tertia Idus Junias, imperantibus dominis noſtris piiſſimis Auguſtis Heraclio, anno viceſimo quarto [a] proconſulatus ejuſdem C anno viceſimo tertio, & conſulatus ejus anno tertio: ſed & Heraclio feliciſſimo Cæſar, id eſt, filio ejus, anno tertio, indictione ſeptima, id eſt, anno dominicæ incarnationis ſexcenteſimo triceſimo tertio.

## EPISTOLÆ VII. VIII. HONORII PAPÆ I.

### Ex collectione canonum cardinalis Deuſdedit.

*Honorius Joanni, Andreæ, Stephano & Donato epiſcopis per Epirum conſtitutis.*

L. 3. c. 188.

PRæſentium latores juxta eccleſiaſticam diſciplinam pallium nos Hypatio Nicopolitanæ eccleſiæ diacono, quem in ſacris ordinibus epiſcopum ordinaſtis, petierunt votis ſupplicibus dirigendum. Et quia ejus perſona pendula nos dubietate ſollicitat, ne fortaſſis in nece Soterici præfatæ civitatis antiſtitis videatur eſſe commixta, præſentium portitoribus quantum opinamur viſi ſumus reddidiſſe reſponſum; ut aſſumpto faſtigio, cum præſertim tempora pacis patiantur, in has Romanas partes venire deproperet; ut jusjurandum in confeſſione beati Petri apoſtoli præbeat, quod nullo dolo vel machinatione a ſe conſtructa, aut alus hæc machinantibus præbuit in his quoquo modo conſenſum: ut ab omni vitio dubietatis exempto poſſimus ſecundum eccleſiaſticum ordinem tribuere quod rogamur. Nam dum prædictus Sotericus de quibuſdam capitulis fuiſſet ſuſpectus, in hanc urbem deveniens ad beatum Petrum apoſtolorum principem de conſcientiæ ſuæ puritate præbuit nihilominus jusjurandum. Data Idus Decembres, Indictione XIV.

*Honorius Sergio ſubdiacono.*

Ib. c. 189.

POſt parvi temporis ſpatium quædam nobis ſunt capita adverſus Caralitanæ civitatis archiepiſcopum vel ejus clericos nuntiata; pro quibus exequendis, atque canonica diſcretione in hac Romana civitate ventilandis non ſolum præfatæ civitatis epiſcopum emiſſa præceptione, ſed etiam ejus clericos, de quibus referebatur aliqua commiſiſſe, præcepimus evocare. Et quia antefatus quidem epiſcopus, ſecundum quod ei juſſum fuerat, in hanc civitatem venire curavit; ejus vero clerici proprio reatu convicti venire timentes, viſi ſunt a ſacra communione privari, & anathematis vinculo innodari. Et poſt hæc miſſo Barbaro defenſore regionario ſanctæ noſtræ eccleſiæ ad eamdem civitatem Caralitanam, ut prædictos clericos debuiſſet deducere, actum eſt ut Theodorus quidam perverſus præſes ejuſdem Sardiniæ diabolica intentione arreptus venire eos jam navi impoſitos prohibuit, & violenter ablatos in Africanam provinciam deſtinavit. Scripſimus itaque filio noſtro Gregorio præfecto tale tantumque facinus Theodoro ejuſdem inſulæ præſidi jubere, corrigere, & ipſas perſonas noſtræ juriſdictionis ſuppoſitas nobis in hanc civitatem Romanam dirigere. Propterea experientia tua eidem eminentiſſimo præfecto imminendum deproperet, ut tanti viri tacitus ulciſcendum ſtudeat, & eas nobis perſonas dirigere non amittat: ſciens quia non ſolum hi qui crimine tenentur obnoxii a ſacra ſunt communione privatim, anathematis pœna mulctati, ſed etiam hi qui cum eis videntur conjuncti. Exemplar vero ſacræ Theodoſii & Valentiniani tuæ experientiæ curavimus deſtinandum, & eidem eminentiſſimo præfecto per tuam experientiam dirigendum: cujus ſeD ries non ſolum ejus eminentiam, verum etiam omnes omnino qui a ſedis apoſtolicæ ditione exorbitare contendunt, nihilominus informare poſſit. Quemadmodum ſereniſſimi principes hactenus omnes innovaverunt cuncta privilegia ſedis apoſtolicæ, & quæ olim eidem ſunt conceſſa ipſa lectione poterunt approbari. Nam de domini Dei noſtri miſericordia confidimus, quod jura vel privilegia beati Petri curabimus expetere, atque immutilata intentione quæſita atque impertita defendere. Tua ergo experientia ejuſdem ſacræ tenore attentius relegendo ſuffulta, non ſolum eminentiſſimo præfecto, ſed etiam aliis hæc eadem inſinuare non differat. Nobis autem de his omnibus, ſicut diviE nus favor impunxerit, cura erit ac ſollicitudo juxta tramitem æquitatis ſine dubio deliberare, atque utilius fine canonico terminare. Data IV. Idus Junias, Indictione XV.

AD

[a] Lege, *Poſt conjurationem*, & infra; *anno Domin. incarn.* 630. Vide Pagium loco mox citato n. 21.

# AD EPISTOLAS HONORII I. PAPÆ APPENDIX.

## AD HONORIUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM. A

Concedit primatum in univerſas Britannicas eccleſias.

*Dilectiſſimo fratri Honorio, Honorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei.*

Ex Wilkins Conc. Angliæ ac to. I. pag. 11. Et Suppl. Mansi pag. 471.

SUſceptis veſtræ dilectionis literis, in eis re-
perimus veſtri laboris ſollicitudinem circa
nobis commiſſum gregem multa fatigatione oc-
cupatam, multo labore & anguſtia crebreſcen-
tibus malis & mundanis uſibus mentis veſtræ
difficultatis ſæpius ſuſtinere gravitatem. Nos B
vero hortamur veſtram dilectionem, ut opus
evangelii, quod cœpiſtis, teneatis; quia in eo
tibi laborandum atque perſeverandum magis,
quam omittendum, neceſſe eſt. Memento evan-
gelici præcepti quomodo dicitur „ ego pro te
„ rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, &
„ tu aliquando converſus confirma fratres tuos. “
Et iterum in Apoſtolo: „ fratres ſtabiles eſtote
„ & immobiles, abundantes in opere Domini
„ ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt
„ inanis in Domino. “ Ideo ſuppliciter veſtram
dilectionem admonemus, ut fide & opere in ti-
more Dei & charitate, veſtra acquiſitio deceſ-
ſorumque veſtrorum, quæ per domini Gregorii
exordia pullulat, convaleſcendo amplius exten- C
datur, ut ipſa promiſſa dominici eloquii vos ad
æternam feſtivitatem evocet, quæ dicit: „ ve-
„ nite ad me omnes qui laboratis & onerati
„ eſtis, & ego reficiam vos. “ Et iterum:
„ Euge ſerve bone & fidelis quia ſuper pauca
„ fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, in-
„ tra in gaudium Domini tui. “ Interea tuæ
ſedis auctoritatem noſtræ auctoritatis privilegio
firmari poſtulaſti. Nos vero abſque ulla dilatio-
ne gratuito animo annuentes, quia rectum eſt,
ut quæ ſemel ſtatuta atque diſpoſita a præde-
ceſſoribus noſtris cognovimus, hoc ipſum & nos
confirmemus. Eorum itaque veſtigia aſſequen-
tes, juxta ritum priſcæ conſuetudinis, quæ a
temporibus ſanctæ recordationis Auguſtini præ- D
deceſſoris veſtri nuncuſque tua eccleſia detinuit,
ex auctoritate beati Petri apoſtolorum princi-
pis, primatum omnium eccleſiarum Britanniæ
tibi, Honori, tuiſque ſucceſſoribus in perpe-
tuum obtinere concedimus. Tuæ ergo juriſdi-
ctioni ſubjici præcepimus omnes eccleſias An-
gliæ & regiones; & in civitate Dorovernia me-
tropolitanus locus & honor archiepiſcopatus, &
caput omnium eccleſiarum Anglorum populo-
rum ſemper in poſterum ſervetur, & a nulla
perſona per aliquam malam ſuaſionem in alium
locum mutetur. Aliter autem ſi quis fecerit,
typho ſuperbiæ inſtinctus, & noſtræ præceptio-
ni inobediens, & prænominatæ eccleſiæ conceſ-
ſis ſuæ dignitatis rationibus contenderit reniti, E
ſciat ſeparatum a participatione corporis & ſan-
guinis Domini & redemptoris noſtri Jeſu Chri-
ſti. Deus te incolumem cuſtodiat, dilectiſſime
frater.

## A EX DECRETIS HONORII PAPÆ.

*Burch. lib. XI. cap. 49. Gratian. XI. q. 3. cap. Cura ſit.*

CUræ ſit omnibus epiſcopis excommunicato-
rum omnino nomina tam vicinis epiſcopis
quam ſuis parochianis pariter indicare, eaque
in celebri loco poſita præ foribus eccleſiæ cun-
ctis convenientibus inculcare, quatenus in utra-
que diligentia excommunicatis ubique eccleſia-
ſticus auditus excludatur, excommunicationis
cauſa omnibus auferatur.

## B DUÆ EPISTOLÆ HONORII I.

*Ex ejus regeſto deſcripta ex collectione Deuſdedit Honorius Gratioſo ſubdiacono.*

NE cuiquam labor & diligentia, quam in
rebus eccleſiæ adhibet, poſſit eſſe damno-
ſa, ita diſponendum eſt, ut illi ſuus labor ſit
utilis, & detrimentum eccleſiaſticæ res non
agnoſcant. Proinde domum cum horto ſuo
poſitam in hac urbe Roma juxta thermas Dio-
cletianas regione & cum omnibus ad ea perti-
nentibus tibi in XXIX. annorum ſpacia ad
unum auri ſolidum perſolvendum ſingulis qui-
C buſque annis rationibus eccleſiaſticis, penſionis
nomine, poſſidendum concedimus; nec te exin-
de ejici, vel augmentum penſionis illic conſti-
tuimus, imponendum; ita ſane ut reparatio
ejuſdem domus in cunctis utilitatibus ſtudere,
ſicut diligens pater familias, debeas. Poſt vi-
ginti vero novem annorum curricula eadem
domus cum horto ſuo ad jus S. Romanæ ec-
cleſiæ, cujus eſt proprietas, ſine dubio rever-
tatur; nec aliquid ex his, quæ in ejus melio-
rationem expenſa fuerint, vel a te, vel tuis
heredibus ſit repetendi licentia: quia rationis
ordo non ſinit, ut in rei meliorationem expen-
ſas repetat, qui in eadem penſione augmentum
non recepit. Dat. id. Decemb. indict. XIV.

Vulgarunt Ballerini in to. III. Operum S. Leonis M. pag. CCCVI.

D *Honorius Servodei notario.*

QUotiens a nobis illud petitur, quod ratio-
ni noſcitur convenire, animo nos decet li-
benti concedere. Ideoque quia petiſti a nobis,
ut caſale, quod appellatur Aurelianum, in in-
tegro una cum vineis ſuis poſitum via Portuen-
ſi, juxta ſanctos Abdon & Sennen, præſtan-
tem auri ſolidos duos & ſemis, juris S. Ro-
manæ, cui Deo auctore deſervimus, eccleſiæ,
tibi ad certum tempus debeamus concedere;
ea propter hujus præcepti ſeries emiſſa, ſuper-
ſcriptum caſale cum omnibus ad ſe pertinenti-
bus tibi a præſenti hac XIV. indictione diebus
E vitæ tuæ concedimus: ita ſane ut a te annis
ſingulis penſionis nomine rationibus eccleſiaſti-
cis duo auri ſolidi, & tremiſſis un. V. ſine mo-
ra aliqua perſolvantur; quatenus & tu aliquod
exinde poſſis habere remedium, & eccleſiæ no-
ſtræ utilitas non decreſcat. Poſt tuum vero
obi-

obitum prædictum caſale ad jus S. Eccleſiæ noſtræ, cujus eſt proprietas revertatur ſine dubio. Dat. IV. id. Maj. indict. XIV.

## EPISTOLA HONORII PAPÆ.

*Ex Ivone par. 7. cap. 132.*

PRæſentium lator interclusa voce, & ſuſpiriis, atque gemitibus, lachrymiſque indeficientibus ſupplicatione ſua nobis exorſus eſt, eo quod quidam illic alumnus filiam ſupplicantis in ſacris veſtibus conſtitutam, aſſiduitate ſua decepit, quoadusque in ſtuprum corporis, adulterio perpetrato, deciderit: ita ut poſt compertum flagitium in opprobrio totius generalitatis B illic commorantis, ipſe perditiſſimus converſetur, atque omiſſa inſecutione hac uſque, quorumdam ſolitan patrocinio, eundem ipſum impunitum ſervari. Unde dilectio tua divino zelo ſuccenſa, juriſdictioni competenti imminere non deſines, quouſque perpetrator ſceleris quæſtioni communis, & ſeveriſſimo præſentatus examini, ultimi ſupplicii pœnam ſuſcipiat, ne retardata in eum animadverſione, divini judicii in plurimas propagetur ſententia.

*Honorius Petro Epiſcopo Syracuſano.*

Ivo par. 8. cap. 309.

QUorumdam relatione didicimus quod in cauſis criminalibus tua fraternitas miſcetur, C & quod ſacris canonibus interdictum, non tantum lectionibus, quantum etiam ipſis quotidianis uſibus ſcire proculdubio coarctatur. Nam & hoc pari modo ab te incautius geſtum fuiſſe audivimus, quia cum CCC. & amplius proſtitutis hora jam pene prandii elapſa ad Eminentiſſimum Pilium noſtrum præfectum in balneo conſtitutum, ſit profecta & caterva peſtiferis præfatarum male viventium vocibus imminebat, ut his qui ſuper eos curator pridem fuerat conſtitutus, ab eis modis omnibus tolleretur, & alter in ejus loco nihilominus ſubrogaretur. Et ſi ita eſt, deflere potius libuit, quam iſta corrigere. Sed ne tale, tantumque flagitium diu videretur permanere inultum, quia & D actum eſt, ſacerdotali contrarium, ſimul & viſtæ habitui inimicum, quid de hoc fieri debeat veritate patefacta, filio noſtro Cyriaco diacono injunximus, quatenus ea quæ illicita, & contra pudoris reverentiam perpetrantur, eſſe canonico juxta eccleſiaſticam diſciplinam radicitus amputentur.

*Ex decretis Honorii Papæ Cap. 111.*

Ivo part. 5. cap. 315.

QUicumque Metropolitanorum per plateas, vel in litaniis uti pallio præſumpſerit, & E non tantum in præcipuis feſtivitatibus, & ab Apoſtolica Sede indictis temporibus ad Miſſarum ſolummodo ſolemnia, careat illo honore,

A & ut Beatus Papa Gregorius ad Joannem Panormi Epiſcopum ait, quia grave jugum, atque vinculum cervicis, non pro Eccleſiaſtica, ſed pro quadam ſeculari dignitate defendat, permiſſa quæ abutitur careat dignitate, quia jure privilegium meretur amittere, qui indebite uſurpat illicita.

*Honorius Anatholio Magiſtro militum.*

LAtor præſentium prece nobis flebili ſupplicavit, aſſerens a quodam milite caſtri Salernitani germanum ſuum fuiſſe peremptum, inſuper & rebus propriis poſt ejus interitum ſpoliatum: propterea quam impiam quamque B contra legum ſtatuta ſit nimium ipſis rerum documentis in propatulo omnibus tenetur expertum, ut ſanguis innocenter effuſus a committente nullatenus ulciſcatur. Qui hæc vindicare poſſunt, & pro conniventia ulciſci negligunt, ſint profecto ſcituri, quia ſi defendere inſontem ſanguinem neglexerint, in futuro, tremendoque examine de eis uti hujus facinoris participibus tale commiſſum ſcelus exigetur. Propterea gloria veſtra ad vindicandum, ulciſcendumque funeſto homicidii crimine irretitum, ab agmine militari disjungat, & judici provinciæ tradendum, ac puniendum juſtitiæ impulſu feſtinet. Res vero ab eo vi latrocinali ablatas ſupradicto precatori ſi germanus ejus C extiterit, indubitanter reſtituat quatenus nobis imminente diſciplina is qui ſcelus commiſit ſemper expectet, & incunctanter excipiat, & militaris integritas unius ob noxam homicidali contagio nequaquam ſubiaceat.

Ivo part. 10. cap. 180.

## HONORIUS PAPA.

*Iſaacio Patricio & Exarcho Italiæ.*

Ivo p. 111. cap. 11.

QUorumdam ſcriptis didicimus quoſdam Epiſcopos in tranſpadanis partibus quædam verba epiſcopali actui inimica Petro Pauli filio edixiſſe, atque monito impiæ ſuaſionis innuere; aſſerentes in ſe perjurii reatum ſuſcipere ut D non Adulubaldo Regi, ſed potius Ariopalto tiranno conſentires. Et quoniam præfatus glorioſus Petrus pravis eorum (ſi fas eſt dicere) Sacerdotum reſpuit ſuaſionibus inclinari; ſed magis Sacramenta, quæ Cono Regi patri prædicti Adulubaldi præſtiterat firmiter cuſtodire. Et quia tantum facinus Deo & piis mentibus eſt inimicum, ut hi qui hoc ab aliis prohibere debuerant, ne fuiſſet commiſſum, ipſi potius, ut fieret hortati ſunt, cum nutu ſupernæ virtutis vobis laborantibus præfatus Adulubaldus in ſuum Regnum fuerit reſtitutus præfatos Epiſcopos in has Romanas partes adjuvante vos Deo deſti- E nare dignemini; quia hujuſmodi ſcelus nulla patiemur ratione inultum.

## PSEUDO-SYNODUS CONSTANTINOPOLITANA MONOTHELITARUM.

Ex P. Pagi ad an. Chr. 626. n. 11. & ſeqq.

HAbita anno 626. Pſeudo-Synodus Conſtantinopolitana a Sergio regiæ urbis Epiſcopo, ut docet libellus Synodicus infra a Labbeo allatus poſt Synodum Alexandrinam anni 633. In eo legitur: *Heraclius bello contra Perſas divinitus ſuſcepto* (anno nempe 622.) *Phaſidem* *ſtrviorum in poteſtatem redegit* (anno ſc. 626.) *ubi quemdam Acephalorum* (Paulus nempe Monoculus, qui ideo Heraclium Auguſtum iterum convenit;) *quæſtionem de voluntatibus & operationibus ei ſuggeſſit. Quam quidem quæſtionem magis cum Cyro Phaſidis* (civitatis ſitæ ad oſtia Phaſidis

dis fluvii) *Epiſcopo communicaſſet; & uterque dubitaret, Sergio Conſtantinopolitano iſthæc renunciarunt. Ille vero hæretico inſtituto Synedrio, & Acta Menæ particulatim conſiderans, unam voluntatem in Chriſto Deo, & ſervatore noſtro eſſe, Imperatori Heraclio reſcripſit*. Quæ revera Cyrum inter & Sergium acta eſſe tradit ipſemet Sergius in epiſt. ad Honorium Papam, in qua poſtquam Sergius narravit Paulum Severianum ſeu Monoculum congreſſum eſſe cum Heraclio Auguſt. cum is ad partes Armeniæ veniſſet, anno ſc. 622. ſubjungit: *Poſt aliquod vero tempus idem a Deo confirmatus Imperator in Provinciam Lazorum adveniens*, anno ſc. 626. *recordatus eſt diſputationis, quam, ſicut diximus, fecerat ad Paulum illum hæreticum, in præſentia Cyri ſanctiſſimi tunc quidem ejuſdem Chriſto amabilis Lazorum Provinciæ metropolitanam ſedem tenentis*, (Phaſidem nempe urbem) *nunc autem magnam Alexandriam regentis. Prædictus igitur ſanctiſſimus vir his auditis, ejus Serenitati reſpondit, neſcire ſubtiliter, utrum unam, an duas operationes Chriſti veri Dei noſtri adſtruere neceſſe ſit. Ergo per juſſionem ejus pietatis per literas proprias interrogavit nos prædictus ſanctiſſimus vir, utrum unam operationem, an duas in Salvatore noſtro neceſſe ſit dicere: & ſi quoſdam noſcamus ſanctorum & beatiſſimorum Patrum unam dicentes Operationem. Unde nos, quæ noſtra erant ſententia, per noſtra reſcripta ei ſignificavimus; dirigentes etiam ſermonem acclamatorium Menæ ſanctiſſimi quondam Patriarchæ hujus a Deo conſervandæ regiæ urbis, porrectum ab eo hoc præſenti Vigilio ſanctæ memoriæ prædeceſſori ſanctitatis veſtræ, habentem & diverſa teſtimonia de una operatione, & una voluntate Salvatoris noſtri Chriſti veri Dei noſtri*. Libellum tamen Menæ, qui Vigilio Papæ porrectus fingitur, eidem Menæ falſo adſcriptum notavit Baronius ann. 680. 2. 46.

Hæc autem anno 626. acta eſſe, non tantum diſcimus ex Theophane, qui Heraclium anno V. belli Perſici in Laſica fuiſſe teſtatur; ſed etiam ex Actione XIII. ſextæ Synodi generalis. In ea Georgius Eccleſiæ CP. Diaconus & Chartophylax dixit ad præſentem Synodum: *Inveni in Chartophylacio venerabilis Patriarchii epiſtolam Cyri Epiſcopi, qui tunc Phaſidis fuerat, miſſam ad Sergium quondam Patriarcham hujus regiæ urbis ante quinquaginta ſex annos per quartamdecimam indictionem præteriti circuli, interrogantis per eamdem Epiſtolam prædictum Sergium de quæſtione operationum*. Habita illa Actio anno 681. in quo ſi per annos 56. retrocedas, ad annum 626. Indictione XIV. notatum pervenies. Quare Pſeudo Synodus CP. anno Chriſti 626. vel ſequenti celebrata.

ANNO CHRISTI 617.

# [a] CONCILIUM MATISCONENSE,

## IN QUO REGULA BEATI COLUMBANI

ANNO CHRISTI 617.

Ex P. Sirmondo

### Ab Agreſtini calumniis per Euſtaſium abbatem defenſio, atque approbata eſt anno Chriſti * DCXXVI. (1) Honorii papæ II. Clotarii junioris regis XLIII.

* DCCXVI et ſenſe Baron. a quidem mi... et pluribus do cebimus in notis.

*SYnodi occaſio fuit Agreſtinus, ex Theodorici quondam regis notario monachus Luxovienſis. qui poſt alia, quibus innotuerat, pravi & arrogantis ingenii argumenta adverſus ſancti Columbani regulam, velut inanem ac ſuperſtitioſam, obtrectare cœpit: donec in Synodo Clotarii regis juſſu Matiſcone congregata, per Euſtaſium abbatem repreſſus cum ſuis atque retuſus eſt. Quæ fuſius a Jona monacho narrantur in vita Euſtaſii eiuſdem abbatis Luxovienſis*. Tandem, *inquit*, adverſus regulam beati Columbani livido dente garrire cœpit Agreſtinus, ac velut cænosa ſus grunniens per quoſcumque potuit parilitatis ſuæ ſimiles abominabile murmur excitavit, annuente ſibi Appellino Genavenſis urbis epiſcopo, qui ei conſanguinitate proximus erat. Hic denique Appellinus vicinos epiſcopos ſingulatim ſibi jungere in auxilium Agreſtini, niſus eſt omni ſtudio, ita ut regem Clotarium tentaret, ſi ſuæ partis aſſentator fieri voluiſſet. At ille ſciens, & experimento cognitam habens beati Columbani ſanctitatem, & diſcipulorum ejus doctrinam, poſtquam diu redarguere tentavit grunnientis hæretici ſectam, nec prævalere potuit adverſus eam, ſtatuit in ſynodali examinatione probaretur, non ambigens de auctoritate venerabilis viri Euſtaſii, qui omnes adverſantes ſanctæ regulæ ſua prudentia ſuperaret. Tunc emanante regali auctoritate multi jam Burgundiæ epiſcopi in ſuburbio Matiſconenſis urbis conveniunt: inter quos maximus hæreticorum Uvarnacharius * quidam, dum & ipſe fieri vellet aſſentator Agreſtianæ partis, ipſo die quando adverſus Euſtaſium altercatio futura erat, morte præventus interiit. Sed nec eo terrore turbati ceteri conſautores adverſæ partis, qui convenerant deductum in medium Agreſtinum depromere cogunt, quid contra regulam Columbani vel Euſtaſii objiciendum haberet. Tum ille trementibus labiis aſſiſtens, & nihil auctoritatis vel elucubrati eloquii habens, ait ſuperflua quædam, & canonicæ inſtitutioni contraria in eorum ſtudiis teneri. Cochleam videlicet, quam lamberent, crucis ſigno crebro ſignari, & in ingreſſu cujuſlibet domus intra cœnobium, tam introeuntem, quam egredientem benedictionem poſtulare. Columbanum etiam a ceterorum eccleſiaſticorum more deſciſcere, & ſacra miſſarum ſolennia multiplicatione orationum vel collectarum celebrare. Auditis hujuſmodi objectionibus, beatus Euſtaſius converſus ad ſuæ partis epiſcopos dixit: Vos, o decus ſacerdotii, probare debetis, qui in eccleſiis veritatis ac juſtitiæ ſeminarium diſtribuant, & qui veritati ac reli-

* Fredegarius c. 54 & vita S. Auſtregiſili initio libri ſecundi.

1 Sirmondus Synodum hanc uſque ad ann. 627. diſtulit, quod Fredegarius cap. 54. ſcribet anno 43 regni Clotarii mortuum eſſe Vvarnacharium majorem domus. Verum perperam Sirmondus Vvarnacharium illum cum Vvarnachario hæretico confundit. Hujus itaque Concilii Epocha incerta, licet veroſimile ſit aliquot poſt ann. 617. annos celebratum eſſe. *Pagius ad ann. Ch. 617. n. 5.* Hanc Synodum refert Mabillonius ad ann. 624. ſæc. II. Bened. pag. 119. Cointius in Annal. Eccleſ. Franc. Tom. 2. pag. 729. ad ann. 623. *Harduinus*.

# CONCILIUM CLIPPIACENSE,

## ANNO CHRISTI DCXXVIII.

Ex Labbei App. tom. V.

AImonius lib. 5. *hiſtoriæ Francorum cap.* 15. Clotarius, *inquit*, anno 44. regni, filio- E rum ſeu procerum, præſulum quoque Galliæ, Clippiaci concilium congregat, ut quæcumque pacifica regno, vel utilitati Eccleſiæ congruerent, ſtatuerentur.

# AD CLIPPIACENSE CONCILIUM

## Anni 633. ſeu potius 627.

### ADNOTATIO CRITICA.

Ex Supplem. Manſi pag. 611.

COncilium hoc Clippiacenſe deductum ex di- A ploma̧te Dagoberti regis, in quo de fugitivis & de aſilo monaſterii Dionyſii, plane commentitium eſt, expreſſumque cenſeo ex conventu Clippiacenſi anno regni Clodovei II. XVI. Chriſti 653. Notat enim Sirmondus in vetuſtis Dagoberti regis geſtis, quæ in antiquis codicibus leguntur, orationem illam, quam in conventu Clippiacenſi a Clodoveo II. habitam recitat Aimonius lib. IV. cap. XLI. Dagoberto regi affingi, qua pariter fraude præceptum Clodovei II. in eodem conventu Clippiacenſi datum, tribui potuit Dagoberto, ut antiquius vi- B deretur. Id vero ut affirmem ſuadent multa. Primo enim ſynodus Clippiacenſis ſub Dagoberto ſignatur anno V. ejuſdem Dagoberti. Verum rex ille ſex prioribus regni ſui annis, vivo adhuc patre Clotario II. Metenſem regem egit, nec ſane potuit Clippiacenſi conventui, quem locum Clodoveus in ſua poteſtate retinebat, anno regni ſui quinto præſediſſe. Nec poſt patris obitum novam regni epocham exorſus eſt, ſed antiquam retinuit, ut Cointius in Annalibus Francorum notat. Quare anno regni ſui quinto in conventu Clippiacenſi præceptum aliquod dare nequaquam potuit. Inſuper C omnes ferme epiſcopi qui ſynodo Clippiacenſi, ſub Dagoberto anno 633. vel 627. adfuiſſe leguntur, fere omnes ſubſcribunt diplomati Clodovei II. in conventu Clippiacenſi anni 653. ac privilegio Landerici epiſcopi Pariſienſis ſuperiori anno 652. dato, utrimque enim ſeſe offert *Landericus*, (epiſcopus Pariſienſis) *Annemundus* qui male in præcepto Dagoberti *Rannemundus* ſcribitur (Lugdunenſis) *Landemerus epiſcopus*, *Etherius*, male in eodem præcepto *Aſterius*, (Ebredunenſis) *Eligius*, (Noviomagenſis) *Palladius*, (Autiſſiodorenſis) *Audobertus*, qui in præcepto Dagoberti ſicut & apud alios quoſdam *Dadus* appellatur (Rotomagenſis:) Utrinque pariter ſeſe offert *Ermericus vir illuſtris*. Quis porro credat tot epiſcopos, illuſtreſque viros, duplici conventui Clippiacenſi in integris viginti annis inter ſe disjunctis adeſſe potuiſſe? Denique ſynodo Clippiacenſi ſub Dagoberto ſubſcriptus legitur, *Landericus epiſcopus*, quem ipſum eſſe ejus nominis epiſcopum Pariſienſem facile omnes conceſſerint. Landericum vero hunc non prius anno 653. Pariſienſem cathedram aſcendiſſe notat Pagius in Crit. ad Annum 662. IV. Quæ ergo ſit fides ſynodi Clippiacenſis ſub Dagoberto anni 627. quam Landericus epiſcopus obſignat? Argumentum hoc maxime urget ordinatio epiſcopalis SS. Audonei ſeu Dodonis Rotomagenſis, & S. Eligii Noviomenſis, qui ambo ſupremo ſacerdotio initiati ſunt anno tertio Clodovei II. qui Dagoberto patri anno 628. januario menſe ſucceſſit. Dodo vero *Rotomagenſis epiſcopus* & *Eligius* utique Noviomenſis ſynodo huic Clippiacenſi anno V. Dagoberti habito ſubſcriptus legitur. Abjicienda eſt igitur ſynodus iſta, vel potius cum Clippiacenſi anni 654. confundenda.

ANNO CHRISTI 630. *625.

# CONCILIUM RHEMENSE

## SONNATII RHEMENSIS EPISCOPI

Temporibus celebratum, ' circa annum Chriſti DCXXX. (1) * id eſt Honorii papæ V. Dagoberti regis II.

* Anno ... DCXXV. ... ut ... notis.

### TITULI CANONUM.

I. *De rebus eccleſiæ quæ per precariam impetrantur.*

II. *De clericis contra epiſcopum conſpirantibus.*

III. *Ut canones ſynodi Pariſiaca obſerventur.*

IV. *Ut hæretici, ſi qui ſint, inquirantur, & ad fidem revocentur.*

V. Ut

1 Epocha hujus concilii incerta. Sub Dagoberto rege, qui Clotario patri ann. Ch. 628. ſucceſſerat, habitum arguit Sonnatius ex Ruſtico ep. Cadurcenſi, qui ex clerico palatino Dagoberti creatus epiſcopus deceſſit anno 7. ejuſdem Dagoberti, cum antea huic concilio ſubſcripſiſſet. Verum eos Dagoberti annos a tempore, quo Dagobertus ante patris obitum in Auſtraſia regnabat, enumerandos eſſe, ut ſuſpicatur etiam Sirmondus, præter ea quæ adnotavit Pagius

v. *Ut temere nullus excommunicetur, & qui ſe injuſte damnatos putant, ad ſynodum recurrant.*

vi. *Ut clerici a judice publico non diſtringantur, & qui publico cenſu tenentur, religioſi, ſeu clerici non fiant ſine permiſſu.*

vii. *De iis qui ad eccleſias confugiunt defenſandis: ſic tamen ut libertatem niſi premiſſa pœnitentia non accipiant.*

viii. *De inceſtis conjunctionibus, & pœnis eorum qui his ſe conjungunt.*

ix. *De eo qui homicidium ſponte commiſit.*

x. *De iis qui ſuas vel parentum oblationes eccleſiæ ſubtrahunt.*

xi. *Ut Chriſtiana mancipia, niſi Chriſtianis, non vendantur, & de Judæis.*

xii. *Ut clericus peregrinus, ſine epiſcopi ſui literis non recipiatur.* B

xiii. *Ut epiſcopus mancipia, aut res eccleſiæ non alienet.*

xiv. *De iis qui auguria & paganorum ritus imitantur.*

xv. *Quales ad accuſandum admitti non debeant.*

xvi. *Ut defuncto epiſcopo res eccleſiæ, ante reſerationem teſtamenti, vel audientiam nemo contingat.*

xvii. *Ne quis ingenuum vel liberum ad ſervitutem inclinet.*

xviii. *Ut clerici abſque epiſcopi permiſſu pro ſuis vel eccleſiæ cauſſis forum non adeant.*

xix. *Ut archipresbyteri in parochiis laici non ſint, ſed clerici ordinentur.* C

xx. *Ut quæ ab extraneis epiſcopo donantur, inter eccleſiæ facultates computentur.*

xxi. *Ut epiſcopi aliarum eccleſiarum res ſine audientia uſurpare non præſumant.*

xxii. *Ut epiſcopus vaſa eccleſiæ, niſi ad redimendos captivos, non frangat.*

xxiii. *Ut viduas, & puellas conſecratas, nullus quacumque auctoritate rapere audeat.*

xxiv. *De obſervando edicto dominico, quod Pariſiis factum eſt.*

xxv. *De epiſcoporum electionibus communi omnium ſuffragio peragendis: & ut indigenæ loci eligantur.* D

## NOMINA EPISCOPORUM QUI CONCILIO INTERFUERUNT.

*Ex Flodoardo l. 2. hiſtoriar. eccleſiæ Rhemenſis c. 5.*

Romulfum in epiſcopatu Rhemenſi ſecutus eſt Sonnatius, qui ſynodum celebraſſe reperitur cum aliis quadraginta, vel eo amplius Galliarum epiſcopis: ubi etiam ſanctus Arnulfus Metenſium præſul invenitur interfuiſſe, cum Theodorico Lugdunenſi, Sindulfo Viennenſi, Sulpitio * Bituricenſi, Modegiſilo Turonenſi, Senoco * Eloſanenſi, Leontio Santonenſi, Modoaldo Treverenſi, Cuneberto Colonienſi, Ricerio Senonenſi, Donato Veſontionenſi, Auſpicio Auguſtodunenſi, item Modoaldo Lingonenſi, Regneberto Baiocenſi, Childoaldo Abrincatenſi, Bertegiſilo Carnotenſi, Palladio Autiſſiodorenſi, Godoaldo Meldenſi, Leudeberto Pariſienſi, Chainoaldo Lauduni clavati, Godone Virdunenſi, Anſerico Sueſſionenſi, Claudio Roienſi, Bertoaldo Cameracenſi, Agomaro Silvanectenſi, Cæſario Arvernenſi, Vero Rutenenſi, Agricola Gabalenſi, Lupoaldo Moguntiacenſi, Vvillegiſelo Toloſano, Conſtantio Albienſi, Nametio Ecoleſmenſi, Ruſtico Caturcenſi, Auderico Auſcenſi, * Emmone Areſatenſi, Felice Catalaunenſi, Hadoindo Cenomannenſi, Magnebodo Andegavenſi, Joanne Pictavenſi, Leobardo Namnetico. In qua ſynodo multa leguntur utilia conſtituta.

* S. Auſtregiſilo die 20. Maii an. 624. defuncto ſucceſſit.

* de quo Frodoar. cap. 54

## CANONES

Seu canonum excerpta, ut a Flodoardo commemorantur.

### I.

De rebus eccleſiæ, qualiter tractandæ ſint: & de his quæ per precatoriam impetrantur ab eccleſia, ne diuturnitate temporis ab aliquibus in jus proprium uſurpentur, & eccleſiæ defraudentur.

### II.

De clericis, ſi qui rebellionis cauſſa ſacramentis ſe, aut ſcripturæ conjuratione conſtrinxerit, atque inſidias epiſcopo ſuo callida allegatione confecerint; ut ſi admoniti emendare contempſerint, gradu proprio omnino priventur.

### III.

Ut capitula canonum Pariſiis acta in generali ſynodo, in baſilica ſancti Petri Clotarii regis ſtudio congregata, omni firmitate cuſtodiantur.

### IV.

Ut ſi qui hæretici adhuc eſſe ſuſpicantur in Galliis, a paſtoribus eccleſiarum perquirantur, & ſi veraciter fuerint inventi, ad fidem catholicam revocentur.

### V.

Ut temere nullus excommunicetur. & ſi excommunicatus exiſtimat ſe injuſte damnatum, in proxima ſynodo habeat licentiam reclamandi. & ſi injuſte damnatus fuerit, abſolvatur, ſin autem juſte, impoſitum pœnitentiæ tempus exolvat. E

### VI.

Ut ſi quis judex cujuslibet ordinis clericum publicis actionibus inclinare præſumpſerit, aut pro quibuslibet cauſſis abſque conſcientia & permiſſu epiſcopi diſtrin- Capitular. lib. 6. ...

Pagius ad ann. Ch. 628. num. 9. & ſeqq. alia argumenta nos docent, quibus Clotario adhuc regnante habitum fuiſſe hoc concilium evincitur. Siquidem Joanni Pictavienſi epiſcopo, qui huic ſynodo interfuit, ſucceſſit Dido, vivente adhuc Clotario, ut teſtatur Urſinus auctor coævus in vita S. Leodegarii. *Leodegarius*, inquit iſte, *a Clotarii regis palatium adductus eſt, nec diu poſt ab eodem rege Didoni Pictavienſis urbis præſuli, avunculo ſcilicet ſuo, litterarum ſtudiis imbuendus traditus eſt.* S. Arnulphus præterea, qui Metenſium præſul creatus fuit a Theodeberto anno 613. interfectis, cum annos tantum quindecim ſediſſet, ante ann. Chriſti 628. ac proinde Clotario adhuc inter vivos degente, huic concilio interfuerit oportet. Denique cum Senocius Eloſanenſis epiſcopus, teſte Fredegario cap. 54. anno Clotarii regis 43. Chriſti ſc. 626. in exilium pulſus fuerit, S. Arnulphus ann. 625. abdicato epiſcopatu in Urſagum ſeceſſerit; ac Sulpitius Bituricenſis epiſc. S. Auſtregiſilo die 20. Martii anni 624. defuncto ſucceſſerit, patet hujus Rhemenſis concilii Epocham non ante annum Chriſti 624. nec poſt 625. ſtatuendam, regnante Clotario

ſtringere, aut contumeliis vel injuriis afficere præſumpſerit, communione privetur. Epiſcopus tamen de reputatis conditionibus clericorum negligentias emendare non tardet. Hi vero quos publicus cenſus ſpectat, ſine permiſſu principis vel judicis ſe ad religionem ſociare non audeant.

VII.

Si quis fugitivum ab eccleſia, abſque ſacramento, quo ei jurandum eſt, ut de vita, tormento, & truncatione ſecurus exeat, qualicumque occaſione abſtraxerit, communione privetur. Similiter, ſi quis jus ſacramenti præſtitum violaverit, communione privetur. Ille vero qui ſanctæ eccleſiæ beneficio liberatur a morte, non prius egrediendi accipiat libertatem, quam pœnitentiam ſe pro ſcelere eſſe facturum promittat, & quod ipſi canonice imponetur impleturum.

VIII.

* Ibi capit. [illegible]

De inceſtis conjunctionibus: ſi quis infra præſcriptum canonibus gradum inceſtuoſo ordine cum his perſonis, quibus a divinis regulis prohibetur, ſe conjunxerit, niſi pœnitentiam ſequeſtratione teſtentur, communione priventur; & neque in palatio militiam, neque agendarum cauſſarum licentiam habeant. Et quando prædicti ſe inceſtuoſi conjunxerint, epiſcopi ſeu presbyteri, in quorum diœceſi vel pago actum fuerit, regi vel judicibus ſcelus perpetratum annuntient: ut cum ipſis denuntiatum fuerit, ſe ab eorum communione, aut cohabitatione ſequeſtrent, & res eorum ad proprios parentes perveniant, ſub ea conditione, ut antequam ſequeſtrentur, per nullum ingenium, neque per parentes, neque per emptionem, neque per auctoritatem regiam, ad proprias perveniant facultates, niſi præfati ſceleris ſeparatione pœnitentiam fateantur.

IX.

Si quis homicidium ſponte commiſerit, & non violentiæ reſiſtens, ſed vim faciens impetu hoc fecerit, cum iſto penitus non communicandum: ſic tamen ut ſi pœnitentiam egerit, in exitu ei communionis viaticum non negetur.

X.

Conc. Agathenſe c. 4

Clerici etiam vel ſæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut teſtamento relictas retinere præſumpſerint, aut id quod ipſi donaverint eccleſiis, aut monaſteriis crediderint auferendum, ſicut ante ſynodus ſancta conſtituit, velut necatores pauperum, quouſque reddant, ab eccleſiis excludantur.

XI.

Ut Chriſtiani Judæis, vel gentilibus non vendantur: & ſi quis Chriſtianorum neceſſitate cogente mancipia ſua Chriſtiana elegerit venumdanda, non aliis niſi tantum Chriſtianis expendat. Nam ſi paganis aut Judæis vendiderit, communione privetur, & emptio careat firmitate. Judæi vero ſi Chriſtiana mancipia ad Judaiſmum vocare præſumpſerint, aut gravibus tormentis afflixerint, ipſa mancipia fiſci ditionibus revocentur. Qui tamen Judæi ad nullas actiones publicas admittantur. Judæorum vero convicia in Chriſtianos penitus refutanda ſunt.

XII.

Si clericus proficiſcens de civitate ad alias civitates voluerit aut provincias pergere, pontificis ſui epiſtolis commendetur. Quod ſi ſine epiſtolis profectus fuerit manifeſtis, nullo modo recipiatur.

XIII.

Ut epiſcopus mancipia, vel res ad jus eccleſiæ pertinentes, neque vendere, neque per quoſcumque contractus unde pauperes vivunt poſt mortem alienare præſumat.

XIV.

De his qui auguria, vel paganorum ritus inveniuntur imitari, vel cum paganis ſuperſtitioſos comedunt cibos: quos benigna placuit admonitione ſuaderi, ut ab erroribus priſtinis revocentur. Quod ſi neglexerint, & idololatris vel immolantibus ſe immiſcuerint, pœnitentiæ dignum tempus exolvant.

XV.

Ut ſerviles perſonæ ad accuſationem non admittantur: & qui perſonam ſuſceperit accuſantis, cum unum crimen non probatur ad alia accuſandum non admittatur.

XVI.

Si quis in quolibet gradu vel cingulo conſtitutus, aut poteſtate ſuffultus, decedente epiſcopo res cujuslibet conditionis, in domibus vel agris eccleſiæ poſitas, ante reſerationem teſtamenti, vel audientiam, auſus fuerit occupare, vel eccleſiæ repagula effringere, & ſupellectilem infra domum eccleſiæ poſitam contingere, vel ſcrutari præſumpſerit, a communione Chriſtianorum penitus abdicetur.

XVII.

Si quis ingenuum aut liberum ad ſervitium inclinare voluerit, aut fortaſſe jam fecit, & commonitus ab epiſcopo ſe de inquietudine ejus revocare neglexerit, aut emendare noluerit, tamquam calumniæ reum placuit ſequeſtrari.

Ut

XVIII.

Ut clerici cujuſlibet ordinis neque pro propriis, neque pro eccleſiaſticis cauſſis, aliter adire debeant forum, nec cauſſas dicere audeant, niſi quas cum permiſſu & conſilio epiſcopi agere eis fuerint omnino permiſſum.

XIX.

Ut in parochiis nullus laicorum archipresbyter præponatur: ſed qui ſenior in ipſis eſſe debet, clericus ordinetur.

XX.

* Agath. can. 6.

Pontifices, quibus in ſummo ſacerdotio conſtitutis ab extraneis dumtaxat aliquid, aut cum eccleſia, aut ſequeſtratum, aut dimittitur, aut donatur, (quia ille qui donat, pro remedio animæ ſuæ, non pro commodo ſacerdotis comprobatur offerre) non quaſi ſuum proprium, ſed quaſi dimiſſum eccleſiæ, inter facultates eccleſiæ computabunt: quia juſtum eſt, ut ſicut ſacerdos habet quod eccleſiæ dimiſſum eſt, ita & eccleſia habeat quod relinquitur ſacerdoti. Sane quidquid per fideicommiſſum, aut ſacerdotis nomini, aut eccleſiæ fortaſſe dimittitur cuicumque alii poſtmodum profuturum, id inter facultates ſuas eccleſia computatum retinere non poterit.

XXI.

Si quis epiſcopus res, quæ ab alia eccleſia præſentaliter poſſidentur, quocumque ingenio, aut callida cupiditate pervaſerit, aut ſine audientia præſumpſerit uſurpare, ac ſuis vel eccleſiæ ſuæ ditionibus revocare, dum communione privari non poteſt, ut necator pauperum ab officio deponatur.

XXII.

Si quis epiſcopus, excepto ſi evenerit ardua neceſſitas pro redemptione captivorum, miniſteria ſancta frangere pro qualicumque conditione præſumpſerit, ab officio ceſſabit eccleſiæ.

XXIII.

Viduas quæ ſe domino conſecrari petierunt, vel puellas domino conſecratas, nullus neque per auctoritatem regiam, neque qualicumque poteſtate ſuffultus, aut propria temeritate rapere, aut trahere audeat. Quod ſi utrique conſenſerint, communione priventur.

XXIV.

Judices qui ſuper auctoritate, & edicto dominico, canonum ſtatuta contemnunt, vel edictum illud dominicum quod Pariſiis factum eſt violaverint, aut contempſeriat, placuit eos communione privari.

XXV.

Ut decedente epiſcopo in locum ejus non alius ſubrogetur, niſi loci illius indigena, quem univerſale & totius populi elegerit votum, ac provincialium voluntas aſſenſerit. Aliter qui præſumpſerit, abjiciatur e ſede, quam invaſit potius, quam accepit: ordinatores autem triennio ab officio adminiſtrationis ſuæ ſedis ceſſare decernimus.

NOTÆ JACOBI SIRMONDI S. J.

1. *Circa annum 630.*) De anno enim concilii non liquet. Ceterum ſub Dagoberto rege, qui Clotario patri anno Chriſti 628. ſucceſſerat, habitum fuiſſe arguit, in antiquo epiſcoporum qui adfuerunt catalogo, Ruſticus epiſcopus Cadurcenſis: qui ex clerico palatino Dagoberti creatus epiſcopus, ſeptem tantum annis præfuit, ſucceſſoremque habuit Deſiderium anno 7. ejuſdem Dagoberti, hoc eſt anno Chriſti 635. Quod ſi de annis Dagoberti ſermo ſit, quibus ante patris obitum in Auſtraſia regnabat, citerior aliquanto Chriſti annus huic ſynodo conveniet.

2. *Emmone Arſitenſ.*) Apud Ariſtenſem vicum, in finibus pagi Ruthenenſis, primus omnium, ut docet Gregorius Turonenſis lib. 5. c. 5. epiſcopus a Sigiberto rege conſtitutus eſt Modericus, habuitque ſub ſe dioeceſes plus minus quindecim, quas Dalmatius Ruthenenſis epiſcopus obtinebat. Ariſtum porro vicum, ut ex codice Metenſi veteris genealogiæ didicimus, condiderat Deotarius Moderici ejuſdem patruus, utpote frater Anſberti ſenatoris, qui filiam duxit Clotarii I. regis, auctorque fuit Karlovingicæ familiæ principum noſtrorum. Videntur ergo exinde Ariſtenſes epiſcopi nulli alii ſucceſſiſſe uſque ad Emmonem hunc, qui ſynodo interfuit.

* STATUTA SYNODALIA ECCLESIÆ RHEMENSIS PER DOMINUM * SONNATIUM.

* Anno Chriſti 630. circa 631. ut qq volunt, videntur eum ſupra annum poſuerunt.

CAPUT I.

*Hebr. 11.*

Sine fide (teſte apoſtolo) *impoſſibile eſt Deo placere*, ideoque mandamus omnibus, ut exacte doctrinam fidei, juxta verbum Dei & ſanctæ eccleſiæ Romanæ traditionem teneant, ſequanturque. Et quicumque paſtores ſunt, quæ ad inſtruendum populum & gregem pertinent diſcant & ſciant, & ſuos ad officia virtutum excitent.

II.

Fidelibus pie ſacramenta miniſtrent, ſemperque afferant quod ad explicandam utilitatem ſacramenti, & inſtitutionem pertinet.

III.

Mercedem non accipiant, ſed in Deo confidant, *qui dat eſcam pullis corvorum invocantibus eum*. *Pſal. 146.*

IV.

Baptizaturus ſit ſobrius, idque honeſte expleat, verba attente proferat, & debite de parentibus informet.

V.

Confirmationis ſacramentum habet donum roborantis Spiritus ſancti, & uberiorem gratiam profert, ideoque non negligatur.

VI.

Remiſſio peccatorum & expiatio ſanguine domini noſtri Jeſu Chriſti nititur præcipue, & ab eo pendet.

VII.

Curet paſtor ovem ſuam, & non negligat: ei injungat intereſſe miſſæ ſacrificio diebus ſolennibus & dominicis, agnoſcat ejus faciem: & ſi bis abſit in anno prohibeatur eidem eccleſiæ ingreſſus, & careat paſtorali ſepultura & conſolatione.

VIII.

Nemo tempore quadrageſimæ pœnitentium confeſſiones audiat præter paſtorem. Hujus enim intereſt ovem recognoſcere, pro qua ſuam animam fœnerat domino.

IX.

Sacroſanctam euchariſtiam ſacerdos celebraturus ſe præparet, & probet: & ut minimum bis in menſe id faciat.

X.

Feratur ægrotis vaſe honeſto, & lumine antecedente & præeunte. Et quicumque peregrinari volunt, illam ad viaticum ſuſcipiant.

XI.

Et cur ad mortem condemnatis renuitur? cum iis maxime conducat ad ſpem & ſecuramen certi deceſſus, & præſentis agonis.

XII.

Qui ad ordines promoveri volunt, habeant beneficium ad alimoniam ſufficiens, idque ad examinationem virorum proborum & juratorum.

XIII.

Nulli tonſura detur, niſi idoneo, & ad ſacros ordines poſtea probabiliter aſcenſuro. Quid opus enim mittere panem filiorum canibus, & ſpiritalia mundi amatoribus?

XIV.

In matrimonio imago extat ſacroſancti conjugii inter Chriſtum & eccleſiam enati: ideoque vinculum eſt divinitus firmatum, quod multum confert ad felicitatem rei familiaris, ad pacem inter partes, & ad proles ſuſcipiendas.

XV.

Extrema unctio deferatur laboranti & petenti, eumque paſtor in propria ſæpius inviſat, & pie viſitet, eum ad futuram gloriam animando, & debite præparando.

XVI.

De clericis, luceant ſicut ſtellæ & perpetuæ claritates in firmamento eccleſiæ. Non ſint ebrii, nugaces, & ſæcularibus immixti.

XVII.

Nec mulieres alloquantur, aut domi retineant: vivant in communi, & ædes pauperi patentes inhabitent.

XVIII.

Suffragia defunctorum omnium ſervari præcipimus, & ne miſſarum ſolennia, præter fundatorum mentem, alio modo convertantur.

XIX.

Sint epiſcopi fideles & aſſidui verbi Dei diſpenſatores. In hoc enim eorum caritas dignoſcitur, ſi gregem paſcant exemplo & verbo.

XX.

Feſta abſque omni opere forenſi excolenda, & cum debita veneratione celebranda hæc ſunt: nativitas domini, circumciſio, epiphania, annuntiatio beatæ Mariæ; reſurrectio domini cum die ſequenti, aſcenſio domini, dies pentecoſtes, nativitas beati Joannis Baptiſtæ, apoſtolorum Petri & Pauli, aſſumptio beatæ Mariæ, ejuſdem nativitas, Andreæ apoſtoli & dies omnes dominicales.

XXI.

Eccleſiæ debite dotentur ad alimoniam paſtoris & cleri, ut ſecurius invigilent ſuper gregem, & de ejus ſalute ſint anxii & ſoliciti.

NOTA SEVERINI BINII

*a Statuta.*) Hæc ſtatuta accepta ex majori monaſterio (Gallice *Marmouſtier*) a ſancto Martino ædificato in ſuburbiis civitatis Turonenſis, cum ſerius ad manus noſtras perveniſſent, viſum eſt appendicis loco adjicere.

Etſi enim ſint in his quædam quæ non videntur redolere tantam antiquitatem, ut quod titulum paſtoris tribuat parochis, qui ætate Sonnatii & multo poſt presbyteri tantum aut ſacerdotes ſoleant appellari; quod item feſtum nativitatis beatæ Mariæ inter feſta celebranda reponat, quod in his partibus non videtur tam antiquum fuiſſe, quandoquidem Fulbertus Carnotenſis, qui vixit anno 1017. id primum in Gallia celebraſſe dicatur, ſi Democharì credimus: verum facile potuit fieri, ut loco presbyteri a recentiori aliquo poſitum ſit nomen paſtoris, & feſtum illud ab aliquo forte adjectum. Scribit tamen ſanctus Ildefonſus (qui eadem ætate vixit cum Sonnatio) in libro de virginitate & parturitione beatæ Mariæ nativitatem ejus ex auctoritate totius eccleſiæ celebrari & venerari.

Sunt his ſtatutis ſimilia quæ ſcribit Jeſſe Ambianenſis epiſcopus in epiſtola ad ſacerdotes ſuæ diœceſis, & conſtitutio Riculfi Sueſſionum epiſcopi, quæ cum Hincmari opuſculis edidit Joannes Cordeſius, *Hæc Colvenerius in notis ad Flodoardum*.

## ☞ CANONES ADDITI EX BURCHARDO, IVONE, ET GRATIANO

I.

*Ex Concilio Rhemenſi*. Cap. IV

Ut nullus presbyter abſque amictu, alba, & ſtola, & fanone, & caſula nullatenus præſumat Miſſam celebrare; & hæc Sacra veſtimenta munduſſima ſint, & in nitido loco infra Eccleſiam collocentur. Nec unquam presbyter his indutus extra Eccleſiam exeat, quia hoc divina lex prohibet. Burch. lib. 3 cap. 10

II.

*Ex Concilio Rhemenſi*. Cap. VIII.

Ut omnis presbyter omnibus Parochianis ſuis ſymbolum, & Orationem Dominicam aut ipſe inſinuet, aut aliis inſinuandum injungat, & cum ad Confeſſionem tempore quadrageſimali veniunt, hunc ab unoquoque memoriter ſibi decantari faciat. Nec ante Sacram Communionem alicui tradat, niſi hæc ex corde pronuntiare noverit. Siquidem ſine eorum ſcientia nullus ſalvus eſſe poterit. In uno enim Fides & credulitas Chriſtiana continetur; in alio quid orare & petere a Deo debeamus, exprimitur. Idem lib. 11. cap. 61. Ivo part. 6. cap. 198.

Quod vero ſine fide nemo poſſit eſſe ſalvus Dominus oſtendit cum dicit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit*. Nullus autem credere poteſt, qui neſcit, nec audivit. Ait enim Paulus: *quomodo credent ei, quem non audierunt?* Nec ſola ſufficit fides in corde, niſi etiam verbis enuntietur, ut idem Apoſtolus teſtis eſt: *corde enim*, inquit, *creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem*.

Nullus autem de ſtoliditate ſenſus, vel tenuitate ingenii cauſetur, quia hæc tam parva ſunt, ut nemo tam hebes & barbarus ſit, qui hæc diſcere, & verbis communibus pronuntiare non poſſit, tam magna, ut qui horum ſcientiam pleniter capere poterit ſufficere ſibi credatur ad ſalutem perpetuam. Illud etiam obſervandum eſt, ut nullus ſuſcipiat infantem in baptiſmo a ſacro fonte antequam idem Symbolum & Orationem Dominicam coram presbytero decantet. Et tunc presbiter omnibus patrinis annuntiet, quod debitores ſint ſuis filiolis, cum ad intelligibilem ætatem venerint hæc eadem inſinuare.

III.

*Ex Concilio Rhemenſi*. Cap. IV.

Ancillas vel libertas a cellario, vel a ſecreto miniſterio, & ab eadem manſione, in qua clericus manet, placuit removeri. Ibid lib. 11. cap. 111. Ivo Part. 6. cap. 190.

IV.

IV.

*Ex Concilio Rhemenſi*. Cap. X.

Ibid. lib. 1. Cap. 183. Inquirendum eſt ſi aliquis presbyterorum de redditibus Eccleſiæ, vel oblationibus ac votis fidelium alio nomine res comparaverit, & ibi ſtructuras fecerit, vel quæ ad Eccleſiam pertinent ibidem collocaverit, & mulierum frequentationem inibi fieri permiſerit, vel, quod turpius eſt, tales mulieres ibidem habuerit, quæ lanificium ſuum exerceant, & curam domus habeant, & in eamdem presbyter frequenter veniens manſerit, & contra decreta Canonum hoc malum agat, quia ſicut nec ſuo, ita nec alieno nomine presbyter fœnus exercere debet

V.

*Ex Concilio Rhemenſi*. Cap. III.

Burch. lib. 3. cap. 111. Ut presbyteri per plebes ſuas fœminis prædicent & (*forte* ut) linteamina in Altari præparent.

VI.

*Ex Concilio Rhemenſi*. Cap. IV

Ibid. lib. 3. cap. 118. Ivo part. 3. cap. 94. Inveſtigandum eſt, ſi nihil patrimonii habens presbyter quando provectus eſt ad Ordinem eccleſiaſticum poſtea emerit prædia, cujus juris ſint: quoniam Eccleſiæ, ad quam de nihil habente promotus eſt, eſſe debent juxta Canonicam auctoritatem.

VII.

*Ex Concilio Rhemenſi*. Cap. X.

Ibid. lib. 4. cap. 48. Ivo part. 1. cap. 161. Epiſcopo licet in campo, ſi neceſſe fuerit, confirmare.

VIII.

*Ex Concilio Rhemenſi*. Cap. II.

Idem lib. 5. cap. 10. Ivo part. 2. cap. 19. De Conſecr. diſt. 2. cap. Pervenit. Pervenit ad notitiam noſtram quod quidam presbyteri in tantum parvipendunt Divina Myſteria ut Laico aut fœminæ Sacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis, & quibus prohibetur ne Sacrarium ingrediantur, nec ad Altare appropinquent, illis Sancta Sanctorum committuntur. Quod quam ſit horribile, quam deteſtabile omnium Religioſorum animadvertit prudentia. Igitur interdicit per omnia Synodus ne talis temeraria præſumptio ulterius fiat, ſed omnimodis presbyter per ſemetipſum infirmum communicet. Quod ſi aliter fecerit gradus ſui periculo ſubjacebit.

IX.

*Ex Concilio Rhemenſi*. Cap. V

*præſente Ludovico Imperatore*

Idem lib. 8. cap. 84. Ivo part. 7. cap. 102. Fœmina non det pœnitentiam, nec corporalem cum oblatione, nec Calicem ſuper Altare ponat, nec inter Ordinatos ſtet in Eccleſia, nec ſedeat inter Sacerdotes in convivio

X.

*Ex Concilio Rhemenſi* Cap. V.

Ivo part. 2. cap. 132. Obſervandum eſt ut menſa Chriſti ideſt Altare, ubi Corpus Dominicum conſecratur, ubi Sanguis ejus hauritur, ubi Sanctorum Reliquiæ reconduntur, ubi preces & vota populi in conſpectu Dei a Sacerdotibus offeruntur, cum omni veneratione honoretur, & mundiſſimis linteis, & palliis diligentiſſime cooperiatur, nihilque ſuper eo ponatur niſi capſæ, cum Sanctorum Reliquiis & quatuor Evangelia. Expleta Miſſa calix cum patena & Sacramentorum liber cum veſtibus Sacerdotalibus in mundo loco ſub ſera recondantur.

XI.

*Ex eodem*. Cap. III.

Idem cap. 133. Corporale, ſuper quod ſacra oblatio immolatur, ex mundiſſimo linteo ſit; nec in eo alterius generis materia pretioſior aut vilior miſceatur, & nunquam ſuper Altare maneat niſi in tempore Miſſæ, ſed aut in ſacrario cum libro ponatur, aut cum Calice aut patena in mundiſſimo loco recondatur, vel quando abluitur a Sacerdote, Diacono, vel Subdiacono primo in Eccleſia in loco & vaſe ad hoc præparato abluatur, eo quod ex Dominico Corpore & Sanguine infectum ſit. Poſt hæc a lavandario in mundo loco ponatur.

XII.

*Ex Concilio Rhemenſi*. Cap. XI.

Ut nullus presbyter præſumat calicem, vel patenam, vel pallium Altaris vel veſtimentum Sacerdotale aut librum Eccleſiaſticum tabernario, vel negotiatori, aut cuilibet Laico, vel fœminæ in vadimonio dare niſi juſtiſſima neceſſitate urgente, quia tanta eſt ſanctitas ſacri miniſterii ut ſalva altioris myſterii intelligentia etiam Dominus per Prophetam prohibuerit ne cum ſanctis veſtimentis Sacerdos procedat ad populum, ſed illa inter ſancta dimittat a colloquio divino rediens. Et cui in tabernas ad bibendum a ſacris Canonibus ingredi prohibetur ſanctificata ſacro myſterio nec ad contingendum immundis quantominus in vadimonium exhibere debet? Sicut Stephanus Sanctus Papa & Martyr S. Hilarium in ſuis decretis docuit. Idem part. 3. cap. 139.

XIII.

*Ex Concilio Rhemenſi*. Cap. II.

Ut Eccleſia, domuſque Dei a populis juxta dignitatem honoretur, canibus autem pervia non ſit, ſæcularia judicia, negotia, vel vaniloquia in ea non exerceantur, quia domus Dei domus orationis eſſe debet, non Spelunca Latronum, vel placita mulierum; nec inde exeant donec compleatur benedictio. Idem part. 3. cap. 1.

XIV.

*Ex Concilio Rhemenſi*. Cap. III.

Unuſquiſque presbyter Eccleſia una, ad quam ordinatus eſt, contentus ſit, & nullus in duabus Eccleſiis miniſtrare præſumat. Idem part. 3. cap. 48.

XV.

*Ex eodem Concilio*. Cap. X.

Statutum eſt ut unaquæque Eccleſia ſuum presbyterum habeat, ubi id fieri facultas, providente Epiſcopo permiſerit. Idem part. 3. cap. 50.

XVI.

*Ex Concilio Rhemenſi*. Cap. XIX.

Ut Epiſcopi & Judices diſcernant judicia quia ſunt quædam judicanda modo, quædam Dei judicio reſervanda. Scriptum eſt: *Nolite ante tempus judicare quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo*. Et illius memores ſint: *in quo judicio judicaveritis, judicabimini & vos*. Idem part. 3. cap. 170.

XVII.

*Ex Concilio Rhemenſi*. Cap. XLIII.

Sunt in quibuſdam locis Scoti, & alii erronei, qui ſe dicunt Epiſcopos eſſe, & multos negligentes abſque licentia dominorum ſuorum ſive magiſtrorum ſuorum presbyteros & Diaconos ordinant. Quorum ordinationem quia plerumque incidit hæreſim, & multis erroribus ſubjacet, modis omnibus irritam fieri debere omnes uno conſenſu decrevimus. Idem part. 3. cap. 119.

XVIII.

*Ex Concilio Rhemenſi*. Cap. I.

Auctoritas Eccleſiaſtica patenter admonet, inſuper & majeſtas Regia canonicæ Religioni aſſenſum præbet, ut quicumque ad Sacros ordines ex familia propria promovere Eccleſia quæque delegerit in præſentia Sacerdotum canonicorum ſimul & nobilium Laicorum ejus, cui ſubje- Idem part. 6. cap. 119.

ſubjectus eſt, ſubſcriptione, vel manumiſſione, A ſub libertatis teſtamento ſolemniter roboretur.

XIX.

*Ex Concilio Rhemenſi.* Cap. IX.

Idem part. 3 cap. 40. Can. [illegible] 21. q. 4. Sicut in unaquaque Eccleſia unus presbyter debet eſſe, ita ipſa, quæ ſponſa vel uxor ejus dicitur non poteſt dividi inter plures presbyteros, ſed unum tantummodo habebit Sacerdotem, qui eam caſte, & ſincere regat. Unde interdicimus ut nullus præſumat Eccleſiam inter duos, vel plures dividere, quia Eccleſia Chriſti uxor & ſponſa eſſe debet, non ſcortum ſicut Calixtus Papa teſtatur.

XX.

*In Rhemenſi Concilio.*

Can. Nullus 22. q. 1. Nullus ex Eccleſiaſtico ordine cuiquam laico ſuper ſacroſanta Evangelia jurare præſumat, ſed ſimpliciter cum veritate & puritate dicat; eſt, eſt; non, non. Sed ſi eſt quod ſibi objiciatur ad Epiſcopum, in cujus territorio eſt, deferatur; & juxta id, quod illi, qui ejuſdem ordinis ſunt, dijudicaverint, aut corrigatur, aut expurgetur.

XXI.

*Ex Concilio Rhemenſi.*

Can. [illegible] 27. q. 1. Qui uxorem ſuam velare permiſerit, aliam non accipiat, ſed ſimiliter convertatur.

XXII.

*Ex Concilio Rhemenſi*, Cap. VI.

Ut Calix Domini cum patena ſi non ex auro, omnino ex argento fiat, *& infra*. Si quis autem tam pauper eſt ſaltem vel ſtamneum calicem habeat. De ære aut Orichalco non fiat Calix; quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, aut vitreo Calice præſumat Miſſam cantare.

*Eumdem Canonem ex Conc. Rhemenſ. Tit. VIII. ita effert Regino de Eccleſ. Diſcipl.* Lib. 1. Cap. 67.

Ut Calix Domini cum patena ſi non ex auro, omnimodis ex argento fiat. Neque cauſentur presbyteri, avaritia ſuadente, de paupertate, vel impoſſibilitate, cum una pars ex omnibus, quæ ad Eccleſiam pertinent, in fabricis ipſius Eccleſiæ ſint impendenda. Admonendus eſt etiam populus ut aliquid in donariis Domini offerat ſicut ipſe antiquus populus ſub Moyſe in Tabernaculo Domini feciſſe legitur. Si-quis autem tam pauperrimus eſt ſaltem vel ſtamneum calicem habeat. De ære autem aut ex Aurichalco non fiat Calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo Calice præſumat cantare.

JOANNIS DOMINICI MANSI

*In hos Canones Notæ.*

CAn. I. Deſumptus eſt ex homilia Leonis IV. quæ cum in omnibus ſynodis legeretur forte id etiam in aliquo Rhemenſi ſervatum eſt.

Can. II. Non dubito quin ex aliquo ſub Incmaro Concilio deſumptus ſit, cum veſtigia ejus in Capitularibus ejuſdem appareant. Idem pariter cenſeo de Can. III.

B Can. IV. Eſt totidem verbis cap. XIX. Capitularis 2. ab Incmaro dati.

Can. V. Legitur totidem verbis in capitulari Caroli Magni lib. 1. Cap. 152.

Can. VI. Eſt totidem verbis in eodem Capitulari Incmari Cap. 18.

Can. VII. Nullibi mihi occurrit.

Can. VIII. Eſt re, non verbis Can. XLV. Conc. Pariſienſ. An. 829.

Can. IX. Congruit cum exceptionibus Iſhaci Engoliſmenſis cap. 83. Tit. X.

Can. X. Acceptus eſt ex homilia Leonis IV., de qua ſupradixi.

Can. XI. Eſt caput XI. inter Capitula ab Incmaro C data presbyteris An. 852.

Can. XII. Acceptus eſt ex eadem homilia Leonis.

Can. XIII. Nullibi mihi totidem verbis occurrit quamquam res ipſa ſæpius in Conciliis Sæc. IX. repetitur.

Can. XIV. Congruit cum homilia Leonis IV.

Can. XV. Congruit cum diſciplina Eccleſiæ ejuſdem ætatis ſicut etiam Canon. XVI.

Can. XVIII. Eſt totidem verbis Can. XLIII. Conc. Cabilonenſ. II. Ann. 813. habiti.

Can. XVIII. Nullibi totidem verbis mihi occurrit.

Can. XIX. Contineri forte in Capitularibus Cl. Berardus ſuſpicatur; ſed in ſinceris Capitularis nequaquam legi mihi certum eſt, cum in illo Decretale Calixti indicetur. Conſtat autem Decretalia hæc Iſidoriana in ſinceris Capitularis non reperiri, monentibus Ballerinis in Append. Ad Opp. S. Leon. Magn. Tom. III. pag. CCXXIII.

D Can. XX. Eſt partim in Excerptis Egberti Cap. XIX.

Can. XXI. Habet quid ſimile cum Can. XXI. Conc. Vermarienſ. Anni 752. ut Pithœus admonet.

Can. XXII. Ab ipſo Reginone ad inſtructionem Diœceſis Trevirenſis formatum, habito tamen reſpectu ad Tit. VIII. Capitularis Incmari Berardus opinatur. In eo enim titulo inquirendum a Viſitatore Incmarus edicit quo metallo ſit Calix & patena. Sed quid vetat credamus poni hic verba cujuſdam Concilii ignoti ſub Incmaro habiti poſt viſitationem ejus juſſu peractum?

# a SYNODUS ALEXANDRINA, A CYRO MONOTHELITA COACTA

## Sub Honorio, anno domini DCXXXIII.

DOmino Chriſto vero Deo noſtro, *&c. Extant in ſexta ſynodo actione* 13.

NOTA SEVERINI BINII.

a *Synodus.*) Hanc ſynodum menſe Maio anno domini 633. collegit Cyrus Alexandrinus epiſcopus: qua ſub nomine pacis, Monothelitarum hæreſi viam aperuit; eo ſimulato prætextu, quo hæreticos omnes in Ægypto poſitos eccleſiæ catholicæ jungere poſſet, ſi duarum voluntatum & operationum voces ſilentio ſuppreſſeret: ſatis eſſe dicens, ſi in Chriſto tantum Dei virilis voluntas & operatio diceretur, et quæ duarum naturarum in Chriſto exacta profeſſio ederetur, eo quod, etſi non voces, res ipſæ tamen expreſſæ haberentur. Hac itaque de cauſſa edidit ſynodale decretum, quod Satiſfactio inſcribitur, in quo novem ſunt capita, quibus non quidem aperte, ſed tantum callide & latenter Monothelitarum hæreſis confirmabatur. Acta concilii una cum ſynodali epiſtola, quæ ſimul extant actione 13. ſextæ ſynodi, ad Sergium Conſtantinopolitanum epiſcopum tranſmiſerunt. Sophronius Hieroſolymorum epiſcopus de his conſtitutionibus certior factus, ad eumdem Sergium Conſtantinopolitanum epiſcopum non tantum ſcripſit, ut illud de unica operatione capitulum hujus ſynodi deleretur, verum etiam ipſe (ut teſtatur Sergius in epiſtola ad Honorium papam) hac de cauſſa ad eumdem Sergium Conſtantinopolim profectus fuit: metuebat enim id quod exitus poſtea declaravit, ne hæc ad deſtructionem catholicæ veritatis hæretici molirentur. E Verum dum fraudulento relatu Sergii, hæreſim ſuam hoc tempore adhuc occultantis, Sophronius præſul Hieroſolymitanæ urbis ſanctiſſimus ſu-divit rem bona fide & intentione pacis ineunda agi, duaſque naturas in Chriſto inconfuſe & indiviſe unitas eſſe-ri, ſuſpicione fraudis ſepoſita, Sergio de una aut duabus naturis ad tempus ſilendum eſſe ſuadenti (ut fatetur ipſe in epiſtola ad Honorium) conſenſit. Vide Baronium anno 633. item quæ notavi ſupra ad epiſtolam Sergii ad Honorium, & Honorii ad Sergium.

# AD CONCILIUM ALEXANDRINUM

## ADNOTATIO CHRONOLOGICA.

In Suppl. Manſi tom. 1. pag. 476.

QUamvis levioris eſt momenti, juvat tamen mendum quoddam corrigere, quod in hiſtoriam hujus concilii apud ſcriptores irrepſit. Hujus epocham ita ſignant: *Menſis Maji quarta die indictione ſexta*. Indictionis quidem notam admitto; dies vero in Græco actorum ſynodi VI. œcumenicæ action. XII. nullus adnotatur; recte quidem, nam in Græco menſis eſt A *Pauni*, hic vero Alexandrinus menſis a die XXVI. Maji exordiebatur. Quomodo ergo dies IV Maii cum menſe Pauni componatur? In veteri alia concilii ſexti verſione, quam primus vulgavit Harduinus ex MS. codice bibliothecæ collegii Claramontani S. J. pro Majo menſe Martius exprimitur; ſed nec ita cum Pauni cohæret.

### Observatio Philippi Labbe, S. J.

Occaſione hujus ſynodi Alexandrinæ jucundum erit lectoribus ſpectare, uno velut intuitu diverſas tam ab orthodoxis quam ab heterodoxis celebratas ſynodos in cauſſa Monothelitarum uſque ad Romanam ſub Agathone papa & quod proxime conſecutum eſt, œcumenicum VI. concilium, quo hæreſis illa diu graſſata penitus profligata eſt. Eas exhibet libellus ſynodicus hoc ordine.

### CONSTANTINOPOLITANA, (1) SERGII.

POſt Juſtiniani vero mortem Juſtinus pius imperavit: qui Joanne ſcholaſtico vita functo beatum Eutychium ab exilio revocavit, reſtituto ei ſolio. Cum autem is quoque ad dominum migraſſet, Joannem Neſteuten ſummo Byzantii in Chriſto Jeſu ſacerdotio fungi juſſit. Juſtini autem imperium Tiberius excepit & hujus Mauricius. B Mauricii vero Phocas ille hominum oſor. Joannis autem Neſteutæ ſolio Cyriacus potitus eſt: & hujus, Thomas, iterumque hujus, Sergius Monotheletes. De repente autem Heraclius ab occidente profectus, Phoca occiſo, Imperium arripuit: & bello contra Perſas divinitus ſuſcepto, Phaſidem fluvium in poteſtatem redegit. Ubi quidam Acephalorum quæſtionem de voluntatibus & operationibus ei ſuggeſſit. Quam quidem quæſtionem cum is cum Cyro Phaſidis epiſcopo communicaſſet, & uterque dubitaret: Sergio Conſtantinopolitano iſthæc renuntiarunt. Ille vero hæretico inſtituto ſynedrio, & acta C Menæ particulatim conſiderans, unam voluntatem & operationem in Chriſto Deo & ſervatore noſtro eſſe, imperatori Heraclio reſcripſit.

Μετὰ γοῦν τὴν Ἰουστινιανοῦ ἀποβίωσιν, Ἰουστῖνος ὁ εὐσεβὴς ἐβασίλευσε. καὶ Ἰωάννου τοῦ σχολαστικοῦ τὸν βίον τελέσαντος, Εὐτύχιον τὸν μακάριον τῆς ἐξορίας ἀνεκαλέσατο, τὸν θρόνον αὐτῷ ἀποδοὺς αὐτοῦ. Καὶ πρὸς κύριον ἐκδημήσαντος, Ἰωάννην τὸν Νηστευτὴν, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἀρχιερατεῦσαι τῷ Βυζαντίῳ ἐθέσπισε. Ἰουστίνου δὲ τὴν βασιλείαν Τιβέριος διεδέξατο. καὶ Μαυρίκιος, τοῦτον. καὶ Μαυρίκιον Φωκᾶς ὁ μισάνθρωπος. Καὶ Ἰωάννου τοῦ Νηστευτοῦ τὸν θρόνον Κυριακὸς διεδέξατο. καὶ Θωμᾶς, ἐκεῖνον. καὶ τοῦτον, Μονοθελήτης ὁ Σέργιος. Ἐξαίφνης δὲ Ἡράκλειος ἀναβὰς ἐκ τῆς δύσεως, Φωκᾶν ἀνελὼν, τὴν βασιλείαν περιλαμβάνει καὶ τὸν κατὰ Περσῶν θεόθεν ἀράμενος πόλεμον, ποταμὸν τὸν Φᾶσιν κατέλαβεν. ἐν ᾧ τὸ τῶν Ἀκεφάλων περὶ θελημάτων καὶ ἐνεργειῶν τις αὐτῷ ζήτημα προσήγαγεν. Ὅπερ ἀνακοινωσάμενος Κύρῳ τῷ Φάσιδος ἐπισκόπῳ ἀνακοινωσάμενος, ἄμφω ἐξαπορήσαντες, τῷ Κωνσταντινουπόλεως Σεργίῳ τὸ περὶ τούτου ἐγνώρισαν. Ὅστις αἱρετικὸν ποιήσας συνέδριον, καὶ τὰ συνοδικὰ Μηνᾶ μονομερῶς ἐπισκεψάμενος, μίαν θέλησιν καὶ ἐνέργειαν ἐπὶ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν εἶναι, τῷ βασιλεῖ Ἡρακλείῳ ἀντέγραψε.

### CONSTANTINOPOLITANA ALIA, (2) EJUSDEM.

HEraclio vero Conſtantinopolim reverſo Sergius hæretica inſtituta ſynodo, unam voluntatem & operationem in Chriſto Jeſu Deo noſtro impie docuit.

Ἡρακλείου δὲ τὴν βασιλίδα καταλαβόντος Κωνσταντινούπολιν, Σέργιος αἱρετικὴν συγκροτησάμενος σύνοδον. μίαν θέλησιν καὶ ἐνέργειαν ἐπὶ Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν δυσσεβῶς ἐδογμάτισε.

### ALEXANDRINA, (3) CYRI.

VErum & Cyrus Alexandriæ ſolium adeptus ex Phaſide, nefanda inſtituta ſy-

Ἀλλὰ μὴν καὶ Κῦρος τὸν θρόνον Ἀλεξανδρείας παραλαβὼν ἐκ Φάσιδος, μιαρὰν συν-

(1) Habita anno 630. de qua ſupra diximus.
(2) Habita an. 638. in qua confirmata fuit Heraclii Ectheſis. Vide Labbeum infra ad an. 639.
(3) Habita an. 633. de qua Labbeus ſupra.

ποιησάμενος σύνοδον, ἐννέα κεφάλαια τῷ Σεργίῳ ἀπέστειλε. μίαν θέλησιν καὶ ἐνέργειαν ἐπὶ Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἐκθέμενος.

A nodo novem capitula Sergio misit, quibus una voluntas & operatio in Chriſto Jeſu Deo noſtro exponebatur.

## HIEROSOLYMITANA (1) SOPHRONII: ORTHODOXORUM.

ΣΩφρόνιος δὲ ὁ μελίγλωσσος τῆς ἀληθείας πρόμαχος, ἀρχιερεὺς Ἱεροσολύμων γενόμενος, θείαν καὶ ἱερὰν σύνοδον ποιησάμενος· δύο θελήσεις καὶ ἐνεργείας ξανύσας, ἀπέστειλεν Ὀνωρίῳ τῷ πάπᾳ Ῥώμης, καὶ Σεργίῳ Κωνσταντινουπόλεως τὰ συνοδικὰ αὐτοῦ.

SOphronius autem, mellitus veritatis propugnator qui cum Hieroſolymorum ſummus eſſet ſacerdos, divina & ſancta convocata ſynodo, duas voluntates & operationes declaravit: actaque ſua ſynodica Honorio papæ Romano, & Sergio Conſtantinopolitano miſit.

## CONSTANTINOPOLITANA, (2) PYRRI; HÆRET.

ΤΕλευτήσαντος οὖν Σεργίου, Πύῤῥος ὁ τῆς κιβδήλου δόξης, τὸν θρόνον παρέλαβε. καὶ σύνοδον αἱρετικὴν συστησάμενος, τὰ δογματισθέντα ὑπὸ Σεργίου, καὶ τοῦ Φάσιδος Κύρου ἐκράτυνεν.

B SErgio vero mortuo, Pyrrhus, qui & ipſe falſæ illi opinioni erat addictus, ſolio potitus eſt: & ſynodo hæretica inſtituta, ea quæ a Sergio & Cyro Phaſiano decreta fuerant corroboravit.

## BYZACENA * (3) STEPHANI; * ORTHOD.

* imo potius Byzacena
* ego Stephani.
* Χριστοῦ
* Β[illegible]

ΑΛλὰ Κολυβὸς * ὁ τοῦ Βυζαντίου * θεόπνους ἐπίσκοπος, ἀθροίσας πνευματοκίνητον σύνοδον, τὰ δογματισθέντα Σεργίῳ καὶ Πύῤῥῳ, καὶ Κύρῳ, τῷ πρέποντι καθυπέβαλεν ἀναθέματι, καὶ δύο θελήσεις καὶ ἐνεργείας τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ ἀνεκήρυξεν.

SEd Colybus * a Deo inſpiratus Byzantii * epiſcopus, * collecta a ſpiritu mota ſynodo, ea quæ Sergius & Pyrrhus & Cyrus decreverant, decenti ſubjecit anathemati: & duas voluntates operationeſque ſervatoris Chri- C ſti prædicavit.

* Stephanus Byzacii.

## NUMIDICA, STEPHANI: ORTHOD.

* K[illegible]

ΟΜοίως δὲ καὶ ὁ Νουμιδίας τῆς Ἀφρικῆς ὁσιώτατος ἐπίσκοπος Στέφανος, * ἁγίαν συγκαλεσάμενος σύνοδον, Σέργιον, Πύῤῥον, καὶ Κῦρον ἀνεθεμάτισε. καὶ δύο θελήσεις καὶ ἐνεργείας τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἐδογμάτισεν.

SImiliter autem & * Stephanus, Numidiæ Africæ ſanctiſſimus epiſcopus, ſacra convocata ſynodo, Sergium, Pyrrhum & Cyrum anathemate notavit: & duas voluntates ac operationes ſervatoris noſtri & Dei Jeſu Chriſti docuit.

* Columbus ſeu Colymbus, aut Colybus, ut conſtat ex Actis Lateranenſis concilii ſub Martino I

## MAURITANICA, REPARATI: ORTHOD.

ΩΣαύτως Ῥεπάρατος Μαυριτανίας ἐπίσκοπος ὁσιώτατος, σύνοδον θείαν καὶ ἱερὰν ποιησάμενος, Σέργιον, Κῦρον, καὶ Πύῤῥον ἀνεθεμάτισεν. καὶ δύο θελήσεις, καὶ ἐνεργείας τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ καὶ Θεοῦ ἀνεκήρυξεν.

D EOdem modo & Reparatus ſanctiſſimus Mauritaniæ epiſcopus, divina & ſancta inſtituta ſynodo, Sergium, Cyrum & Pyrrhum anathemate notavit: & duas voluntates ac operationes ſervatoris noſtri & Dei Jeſu Chriſti prædicavit.

## CARTHAGINENSIS, VICTORIS ORTHOD

ΒΙκτωρ δὲ ὁ Καρθαγένης ἐπίσκοπος ἀξιάγαστος, ἐξ ἴσου ἁγίαν συγκαλεσάμενος σύνοδον, Σέργιον, Κῦρον, καὶ Πύῤῥον ἀνεθεμάτισεν. καὶ δύο θελήσεις καὶ ἐνεργείας ἐπὶ Χριστοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν διεξάνοισεν.

VIctor vero Chartaginis admiratione dignus epiſcopus, pariter ſacra convocata ſyno- E do, Sergium, Cyrum, & Pyrrhum anathemate notavit: duaſque voluntates & operationes in Chriſto ſervatore noſtro declaravit

## ROMANA, (4) JOANNIS. ORTHOD.

ΠΡὸς τούτοις καὶ Ἰωάννης ὁ πάπας Ῥώμης, διαδεξάμενος γὰρ ἦν τὸν Μονοθελήτην Ὀνώριον ὁ τρισμακάριος. θείαν καὶ ἱερὰν σύνοδον ποιησάμενος, Σέργιον, Κῦρον, καὶ Πύῤῥον ἀνεθεμάτισε. καὶ δύο θελήσεις καὶ ἐνεργείας τοῦ δεσπό-

PRæterea & Joannes papa Romanus ter beatus, qui Honorio Monotheletæ ſucceſſerat, divina & ſancta inſtituta ſynodo, Sergium, Cyrum & Pyrrhum anathemate notavit. duaſque voluntates & operationes domini & Dei noſtri Jeſu Chriſti prædicavit:

(1) Habita an. 634 de qua dicemus infra.
(2) Habita anno 639 de qua infra dicemus.
(3) Hæc, & tres ſequentes habitæ anno 646. de quibus infra Labbeus
(4) Habita an. 641. de qua infra

vit: & ad Davidem atque Heraclium, Heraclii filios, typum piæ doctrinæ postea transmisit.

τοῦ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἀνεκήρυξε, καὶ πρὸς Δαβὶδ καὶ Ἡράκλειον, υἱοὺς Ἡρακλείου, τύπον εὐσεβείας ἀπέστειλεν ὕστερον.

## ROMANA (1) THEODORI. ORTHOD.

Cum autem Heraclius morti vicinus jam eſſet, Pyrrho qui heterodoxus erat, ſerio mandavit, ut Martinam uxorem ſuam, & filios a primogenito Conſtantio affligi ne pateretur: data ei & gratia ipſorum & pecunia ſane multa in recompenſationem. Quam ob cauſſam Byzantini mota adverſus Pyrrhum ſeditione, ſolio eum exturbarunt, & in Africam exulatum abire compulerunt: ac Petrum monotheleten in Pyrrhi ſolium evexerunt: cui Paulus ejuſdem ſectæ ſucceſſit. Pyrrho autem in Africam delato contra eum inſurrexerunt, Maximus, qui inter monachos venerabilis erat, quique illic erant ſacri antiſtites divina præditi ſapientia. Ipſe vero Romam profectus, tanquam presbyter, libellum orthodoxæ confeſſionis obtulit: ſed Ravennæ poſtea, inſtar canis, ad proprium reverſus eſt vomitum. Quod cum beatus Theodorus, qui ſancto Joanni ſucceſſerat, intellexiſſet: univerſa eccleſia convocata, & ſepulcro apoſtolorum principis Petri occupato, divino etiam calice poſtulato, ex tremendo & vivifico ſanguine Chriſti, atramento affundens, propria manu depoſitionem ejus, & eorum, qui cum ipſo communicarent, exaravit. Pyrrho autem Byzantium reverſo, cum Paulus blaſphema lingua, vitam cum morte commutaſſet, generoſuli & audaculi heterodoxi, Pyrrhum denuo in ſolium per vim intrudunt.

Μέλλων τοίνυν τελευτᾷν ὁ Ἡράκλειος, κατένευσε ὅρκοις Πύῤῥον τὸν ἑτερόδοξον, ὡς ἂν τὴν αὐτοῦ γαμετὴν Μαρτίναν καὶ τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ ὑπὸ Κωνσταντίνου τοῦ πρωτοτόκου υἱοῦ αὐτοῦ κακωθῆναι μὴ συγχωρήσειε. δοὺς αὐτῷ χάριν αὐτῶν καὶ χρήματα πάμπολλα, ὡς ἀντίσηκον αὐτῶν. δι᾽ ἣν αἰτίαν οἱ τῆς πόλεως Βυζάντιοι κατὰ Πύῤῥου στασιάσαντες, τοῦ θρόνου ἐξέωσαν, καὶ πρὸς τὴν Ἀφρικὴν φυγαδευθῆναι κατηνάγκασαν. καὶ Πέτρον, ὡς μονοθελητὴν, τῷ Πύῤῥου θρόνῳ ἀντικατέστησαν· καὶ τοῦτον Παῦλος, τῆς αὐτῆς θρησκείας ὤν, διεδέξατο. τὴν Ἀφρικὴν δὲ Πύῤῥος καταλαβὼν, καθ᾽ οὗ ἐξανέστη Μάξιμος ὁ ἐν μοναχοῖς αἰδέσιμος, καὶ οἱ ἐκεῖσε ὄντες ἱεράρχαι θεόσοφοι. Αὐτὸς δὲ τὴν Ῥώμην καταλαβὼν, ὡς πρεσβύτερος, λίβελλον ὀρθοδοξίας ἐπέδωκε· ὃς ἐν Ῥαβέννῃ γενόμενος, ἐπὶ τὸν ἴδιον, ὡς κύων, ἐπανέστρεψεν ἔμετον· ὅπερ μαθὼν πάπας ὁ μακαρίτης Θεόδωρος, τὸν ὅσιον Ἰωάννην διαδεξάμενος· τὸ πλήρωμα τῆς ἐκκλησίας προσκαλεσάμενος, καὶ τὸν τύμβον τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων Χριστοῦ Πέτρου καταλαβὼν, αἰτήσας τὸ θεῖον ποτήριον, ἐκ τοῦ φρικτοῦ καὶ ζωοδότου αἵματος Χριστοῦ ἐπιστάξας τῷ μέλανι, οἰκείᾳ χειρὶ τὴν καθαίρεσιν αὐτοῦ, καὶ τῶν αὐτῷ κοινωνούντων ἐποίησε. Πύῤῥου δὲ τὸ Βυζάντιον καταλαβόντος καὶ Παύλου τῇ βλασφήμῳ γλώσσῃ τὸν βίον τελευτήσαντος, οἱ γενναῖοι καὶ τολμηροὶ ἑτερόδοξοι, Πύῤῥον πάλιν τῷ θρόνῳ ἀναβιβάζουσι.

## ROMANA, (2) MARTINI. ORTHOD.

Sed & Martinus ſanctiſſimus papa Romanus, qui Theodoro ſucceſſerat, eodem, quo divinus Maximus, zelo ſuccenſus, divinam & ſanctam convocavit ſynodum, in qua Sergium, Cyrum, Petrum, & Paulum, & Pyrrhum anathemate notavit: ſummaria definitione expoſita, in qua & duas voluntates ac operationes Chriſti Dei & ſervatoris noſtri corroboravit. Quapropter * Conſtantinus imperator Heraclii F. qui Pogonati cognomen habuit multis cum injuriis Byzantium abſtractum, Cherſone juſſit exulare. Quin & generoſum illum Maximum poſtea comprehenſum, exſecta ei lingua, Caucaſiis ipſum montibus incluſit.

* Errat, filium pro patre Conſtante ſubſtituens.

Ἀλλὰ καὶ Μαρτῖνος ὁ ἁγιώτατος πάπας Ῥώμης διαδεξάμενος Θεόδωρον, τῷ διούμῳ τοῦ θεοφόρου τῷ ζήλῳ Μαξίμου ἀναφλεγόμενος, θείαν καὶ ἱερὰν συγκαλεσάμενος σύνοδον. Σέργιον, Κῦρον, Πέτρον καὶ Παῦλον, καὶ Πύῤῥον ἀνεθεμάτισε. ὅρον κεφαλαιώδη ἐκθέμενος, ἐν ᾧ καὶ τὰς δύο θελήσεις καὶ ἐνεργείας τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν ἐβεβαίωσε. Διὸ Κωνσταντῖνος αὐτὸν βασιλεὺς, ὁ υἱὸς Ἡρακλείου, ὁ ἐπιλεγόμενος Πωγωνάτος, ἁρπάσας πρὸς τὸ Βυζάντιον μετὰ πολλὰς τιμωρίας, ἐν Χερσῶνι ἐξώρισε. Ἐπεὶ μὴν καὶ τὸν γενναῖον ὕστερον συλλαβόμενος Μάξιμον, γλωσσοτομήσας τοῖς Καυκασίοις περιώρισεν ὄρεσι.

SY-

(1) Pertinet ad an. 648. de quo infra.
(2) Habita anno 649. de qua infra.

# SYNODUS LENIENSIS

## In qua de Paſchatis celebrandi tempore diſceptatum.

Ex Pagio ad an. Ch. 631. n. 16. 17.

HErmannus Contractus in Chronico ad an. 630. habet : *His temporibus hæreſis de Paſcha, & Pelagiana Britanniam turbat*. Beda vero lib. de ſex ætatibus, narrata Eduini regis pietate, & imperio: *Eo tempore*, inquit, *exortum apud Scotos de obſervatione Paſcha errorem Quartodecimanorum Honorius Papa per Epiſtolam redarguit : ſed & Joannes &c.* Quæ controverſia tunc exorta cauſſam dedit ſcriptioni Epiſtolæ anno 634. ab Honorio Papa ad Scotos miſſæ, ut narrat idem Beda lib. 2. c. 19. Hunc errorem Beda Quartodecimanum appellat, non quod Scoti, aut Hiberni Judæorum more ſemper Paſcha celebraverint, ſed quod Dominica aliquando in XIV. lunam cadente, non expectaverint ſequentem, uti Nicæni Patres ſanciverant. Dicitur hic error anno 630. exortus, licet Columba, aut certe diſcipuli ejus jampridem ita Paſcha celebraverint, quia Scoti de errore & perverſa conſuetudine moniti, collegerunt eo anno Synodum, ibique alienum ritum ſtabiliviſſe putantur. Agunt de ea Synodo Uſſerius in Antiq. Britan. Eccleſ. p. 482. & ſeqq. & Alfordus in Annal. Eccleſiæ Anglo Saxonicæ an. 630. nu. 3. & ſeqq. narrantque ex vita S. Fintani, *Munnu* etiam dicti, convocandæ Synodi cauſſam fuiſſe Laſreanum Abbatem, qui novum ordinem defendebat, & nuper Roma venerat, ac Romanum ritum ſanctiorem probaverat. Inde enim in ipſa Hibernia diſputari cœptum, quid ſequendum eſſet. Synodi locus in campo Leniæ, unde Lenienſis Synodus appellata. Ex hac Synodo *conſentientes omnes juxta ſententiam viri ſancti, ad propria tum gaudia reverſi ſunt*, inquit Auctor Vitæ S. Fintani. Veroſimile eſt, conſenſum illum in veterem ordinem fuiſſe juxta ſententiam S. Fintani. Nam anno 631. Hiberni, Scotique in Britannia Paſcha celebrarunt a Romano more differenter, ut bene obſervavit Uſſerius ibidem; Scoti ſcilicet an. 631. die 21. Aprilis; Romani vero die 24. Martii.

ANNO CHRISTI 633.

# CONCILIUM CLIPPIACENSE,

## In quo de fugitivis & aſylo S. Dionyſii actum eſt præſente Dagoberto rege, & aliis Francorum proceribus, anno Domini DCXXXIII.

Ex Labb. Append. V.

H*Ujus concilii ſupereſt memoria in Dagoberti charta, ex qua hæc a Sirmondo excerpta, inter ipſius ſchedas reperimus* : Nos in Dei nomine palatio noſtro Clipiaco in ſynodo generali reſidentes pertractavimus, una cum venerabilibus epiſcopis, abbatibus, comitibus, ac cæteris fidelibus noſtris, de fugitivis & aſylo S. Dionyſii.

Landericus obtulit.
Dagobertus rex ſubſcripſit.
Laudemerus epiſcopus conſenſit & ſubſcripſit.
Crodobertus epiſcopus conſ. & ſubſcripſit.
Aſterius epiſcopus peccator ſubſcripſit.
In Chr. nomine Landericus ac ſi peccator epiſcopus ſubſcripſit.
In Chriſti nomine Eligius epiſcopus ſubſc.
Rannemundus epiſcopus ſubſcripſit.
In Chriſti nomine Silvinus epiſcopus.
Dado epiſcopus Rotomagenſis eccleſiæ conſenſit & ſubſcripſit.
Palladius peccator epiſcopus.
Lorado epiſcopus conſenſit.
Mauricius epiſcopus conſenſit.
Æginaius ſubſcripſit.
Clarus in Dei nomine ſubſcripſit.
Ermenricus vir illuſter ſubſcripſit.
Hurbertus conſentiens ſubſcripſit.
Dado peccator conſenſit.
Data ſub die VII. Kal. Junias, anno V. regni domni Dagoberti regis. Clepaco.

# CONCILIUM TOLETANUM IV.

## SEXAGINTA DUORUM EPISCOPORUM,

### b Æra DCLXXI. ſub Honorio, anno domini DCXXXIII. celebratum.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De evidenti catholicæ fidei veritate.*
II. *De ordine in miniſteriis, vel officiis in cunctis eccleſiis celebrando.*
III. *De qualitate conciliorum, vel quare aut quando fiant.*
IV. *Formula qualiter concilium fiat.*
V. *De annuntiatione paſchæ ante epiphaniam inter epiſcopos exquirenda.*
VI. *De trina & ſimpla in baptiſmo merſione.*
VII. *De celebrando officio in ſexta feria paſchæ.*
VIII. *De non ſolvendo jejunio in ſexta feria paſchæ, exceptis languidis, ſenibus, & parvulis.*
IX. *De benedicendo cereo, & lucerna in vigiliis paſchæ.*
X. *De dominica oratione quotidie patenter pronuntianda.*
XI. *De non decantando in quadrageſima alleluja.*
XII. *Quod laudes non poſt apoſtolum, ſed poſt evangelium ſint dicenda*
XIII. *De non renuendo pronuntiare hymnos.*
XIV. *De hymno trium puerorum in cunctis miſſarum ſolennitatibus decantando.*

XV.

XV. *Quod in fine pſalmorum Gloria, & honor Deo ſit dicendum.* A

XVI. *De diſcretione Gloria in fine reſponſoriorum.*

XVII. *De Apocalypſis libro in omnibus recipiendo.*

XVIII. *Quod poſt benedictionem populo datam, ſic communicare debeat ſacerdotes.*

XIX. *De ordinatione epiſcoporum.*

XX. *De numero annorum, quo ſacerdotes & Levita ordinentur.*

XXI. *De caſtitate ſacerdotum.*

XXII. *Ut epiſcopus in conclavi ſuo idoneum teſtimonium habeat.*

XXIII. *Ut presbyter, vel diaconus ſimiliter vita ſua habeant teſtes.*

XXIV. *De converſatione clericorum; ut in uno conclavi ſint.*

XXV. *Ut ſacerdotes ſcripturarum ſacrarum, & canonum cognitionem habeant.*

XXVI. *Quod parochianis presbyteris, cum ordinantur, officialis libellus debeat dari; & ideo presbyteri in litaniis ſint de officio quærendi.*

XXVII. *De profeſſione presbyterorum, vel diaconorum epiſcopo facienda, cum in parochiis ordinantur.*

XXIX. *De ſacerdotibus, Levitis, vel clericis magos aut aruſpices conſulentibus.*

XXX. *De ſacerdotibus ad gentem extraneam nuntios mittentibus.*

XXXI. *De diſcretione cauſſarum, in quibus ſacerdotes judices fieri poſſunt.*

XXXII. *De cura populorum, & pauperum, quam epiſcopi ſibi impoſitam noverint.*

XXXIII. *Ne ex facultatibus eccleſiarum diœceſis, excepta tertia oblationum, tributorum, aut frugum, epiſcopus aliquid auferat.*

XXXIV. *De tricennii tempore, & propter provincias cauſſarum diſcretione.*

XXXV. *De conventu territorii, & baſilicis noviter conſtructis ad quem epiſcopum pertineant.*

XXXVI. *De requiſitione epiſcoporum per ſingulos annos in parochiis peragenda.*

XXXVII. *De promiſſo pro ſuffragio præſtito ex rebus eccleſiæ perſolvendo.*

XXXVIII. *De ſuffragio fundatoribus eccleſiarum, vel filiis eorum, ex rebus ab ipſis collatis impertiendo.*

XXXIX. *De diſcretione presbyterorum, vel diaconorum; ut in utroque choro conſiſtant.* D

XL. *De uno orario diaconibus utendo, nec ornato, ſed puro.*

XLI. *De qualitate tonſuræ a cunctis clericis, vel lectoribus communiter habenda.*

XLII. *De remotione mulierum a conſortio clericorum.*

XLIII. *De venditione mulierum quæ clericis conjunctæ noſcuntur.*

XLIV. *De perſonis mulierum, quas non convenit clericis copulari: & ſi neſciente epiſcopo clericus ducat uxorem.*

XLV. *De clericis qui arma ſumpſerint, vel ſumpſerunt.* E

XLVI. *De clericis ſepulcra demolientibus.*

XLVII. *De abſolutione a laboribus, vel indictionibus clericorum ingenuorum.*

XLVIII. *De inſtitutione œconomorum, id eſt, qui res eccleſiaſticas tractant.*

XLIX. *De profeſſione monachorum, & devotione parentum eorum.*

L. *De clericis qui monachorum propoſitum appetunt; ut licitum habeant.*

LI. *De diſcretione poteſtatis epiſcoporum, quam in monaſteriis habere potuerunt.*

LII. *De monachis vagis, & a monaſteriis egreſſis.*

LIII. *De religioſis vagis, qui nec inter clericos, nec inter monachos habentur.*

LIV. *De diſcretione pœnitentium, & qui poſſunt ad honores eccleſiaſticos provehi, vel qui non poſſunt.*

LV. *De pœnitentibus viris, ac viduis, ſive virginibus, qui devertentes laici ſiunt, aut veſtem mutant, vel conjugiis copulantur.*

LVI. *De diſcretione ſæcularium & ſanctimonialium viduarum.*

LVII. *De diſcretione Judæorum; qui non, vel qui credere vi cogantur.*

LVIII. *De his qui contra fidem Chriſti Judæis munus, vel favorem præſtant.*

LIX. *De Judæis dudum Chriſtianis, & poſtea in priori ritu diverſis, ac ſervos vel filios eorum circumciſis.*

B

LX. *De filiis Judæorum, ut a parentibus ſeparati Chriſtianis debeant deputari.*

LXI. *De filiis fidelibus Judæorum; ne prævaricatis parentibus & damnatis, a rebus parentum exules fiant.*

LXII. *De Judæis baptizatis, qui ſe ſociant infidelibus Judæis: ut Chriſtianis illis donentur, & iſti cædibus deputentur.*

LXIII. *De Chriſtianorum Judæorumque conjugiis communibus & filiis eorum.*

LXIV. *De Judæis converſis, & poſt prævaricantibus, ut ad teſtimonium non admittantur.*

LXV. *Ne Judæi, vel ſi qui ex Judæis ſunt, officia publica agant.*

C LXVI. *Ne Judæi quodcumque mancipium Chriſtianum quocumque titulo habeant.*

LXVII. *De libertis ex familia eccleſiæ factis, ſi nihil ex proprio conferant ſacerdotes, qui eos faciunt.*

LXVIII. *De diſcretione ex familia eccleſiæ manumiſſorum; qualiter manumittantur, & ne adverſa teſtificent, vel accuſent.*

LXIX. *Quod libertis ex familia eccleſiæ, pro compenſatione acquiſitæ res, a ſacerdotibus poſſint fieri.*

LXX. *De profeſſione libertorum eccleſiæ, & poſteritatis eorum ſacerdotibus facienda; ne longinquitas temporis eos obliteſcere faciat ſplendorem libertatis.*

LXXI. *De libertis eccleſiæ ejuſdem patrocinium relinquentibus.*

LXXII. *De libertis patrocinio eccleſiæ commendatis.*

LXXIII. *De diſcretione libertorum; qui ad eccleſiaſticos honores pervenire poſſunt, vel qui provehi prohibentur.*

LXXIV. *De libertis familiarum eccleſiæ, qui, vel qualiter ad ſacerdotium promoveantur, & de rebus eorum quid fiat, ac ne obviam teſtificent vel accuſent.*

LXXV. *De commonitione plebis, ne in principes delinquatur, & de tranſgreſſione fidei, quæ principibus promittitur, ac de monitione principum inqualiter judicent, & de ultione principum inquiter judicantium, atque de exſecratione Suintilanis, & conjugis, ac prolis ejus, ſimiliter & de Geilana germano ejus, ac rebus eorum.* E

## PRÆFATIO.

*Geſta ſynodalia in Toletana urbe in concilio LXII. epiſcoporum Hiſpaniæ & Galliæ provinciarum edita, anno III. regnante glorioſiſſimo domino noſtro principe Siſenando, die IX. Decembris æra DCLXXI.* * ano c a

DUm ſtudio amoris Chriſti, ac diligentia religioſiſſimi Siſenandi regis, Hiſpaniæ atque * Galliæ ſacerdotes apud Toletanam urbem in * Gallæciæ

in nomine domini conveniſſemus, ut ejus impe-
riis atque juſſis communis a nobis agnaretur de
quibuſdam eccleſiæ diſciplinis tractatus, primum
gratias * ſalutari noſtro Deo omnipotenti egi- * Salvatori
mus poſt hæc antefato miniſtro ejus excellen-
tiſſimo & glorioſiſſimo regi, cujus tanta erga
Deum devotio extat, ut non ſolum in rebus
humanis, verum etiam in cauſſis divinis ſolicitus
maneat. Hic quippe, dum in baſilica beatiſſimæ
& ſanctæ * confeſſoris Leocadiæ omnium no- * martyris
ſtrorum pariter jam cœtus adeſſet, tali pro me-
rito, fidei ſuæ, cum magnificentiſſimis (a) viris in-
greſſus, primum coram ſacerdotibus Dei humo
proſtratus, tum lacrymis & gemitibus pro ſe in-
terveniendum domino poſtulavit: deinde religio-
ſa proſecutione ſynodum exhortatus eſt, ut pa-
ternorum decretorum memores ad * conſervanda * confirmando
in nobis jura eccleſiaſtica ſtudium præberemus,
& illa corrigere, quæ dum per negligentiam in
uſum venerunt contra eccleſiaſticos mores licen-
tiam ſibi de uſurpatione fecerunt. Talibus igi-
tur ejus monitis congaudentes, neceſſarium ex-
titit juxta ejus noſtrumque votum tractare quæ
competunt ſive in ſacramentis divinis, quæ di-
verſo atque illicito modo in Hiſpaniarum eccle-
ſiis celebrantur, ſeu quæ in moribus prave uſur-
pata noſcuntur. Et quoniam generale concilium
agimus, oportet primum noſtræ vocis ſermonem
de Deo eſſe, ut poſt profeſſionem fidei, ſequen-
tia * operis noſtri vota quaſi ſuper fundamen- * Dei
tum firmiſſimum diſponantur.

## CAPITULA.

### I.

SEcundum divinas ſcripturas, doctri-
nam quam a ſanctis patribus acce-
pimus, Patrem, & Filium, & Spiritum
ſanctum unius deitatis atque ſubſtantiæ
confitemur: in perſonarum diverſitate
Trinitatem credentes, in divinitate uni-
tatem prædicantes, nec perſonas con-
fundimus, nec ſubſtantiam (b) ſepara-
mus. Patrem a nullo factum, vel ge-
nitum dicimus: Filium a Patre non
factum, ſed genitum aſſerimus; Spiri-
tum vero ſanctum, nec creatum, nec
genitum, ſed procedentem ex Patre &
Filio profitemur. Ipſum autem domi-
num noſtrum Jeſum Chriſtum Dei Fi-
lium, & creatorem omnium, ex ſub-
ſtantia Patris ante ſæcula genitum, de-
ſcendiſſe ultimo tempore pro redemptio-
ne mundi a Patre, qui nunquam deſiit
eſſe cum Patre. Incarnatus eſt enim
ex Spiritu ſancto & ſancta glorioſa Dei
genitrice virgine Maria, & natus ex
ipſa, ſolus (c) autem dominus Jeſus
Chriſtus; unus de ſancta Trinitate, a-
nima & carne perfectum, ſine peccato,
ſuſcipiens hominem, manens quod e-
rat, aſſumens quod non erat; æqualis
Patri ſecundum divinitatem, minor Pa-
tre ſecundum humanitatem; habens in
una perſona duarum naturarum proprie-
tatem: naturæ enim in illo duæ, Deus
& homo, non autem duo Filii, & Dei
duo, ſed idem una perſona in utraque
natura, perferens paſſionem & mortem
pro noſtra ſalute: non in virtute divi-
nitatis, ſed (d) infirmitate humanita-
tis. Deſcendit ad inferos, ut ſanctos
qui ibidem tenebantur erueret; devicto-
que mortis imperio reſurrexit: aſſum-
ptus deinde in cœlum, venturus eſt in
futurum ad judicium vivorum & mor-
tuorum: cujus nos morte & ſanguine
mundati, remiſſionem peccatorum con-
ſecuti ſumus; reſuſcitandi ab eo in
die noviſſima, in ea qua nunc vivimus
carne; & in ea qua reſurrexit idem
dominus forma, percepturi ab ipſo, alii
pro juſtitiæ meritis vitam æternam, alii
pro peccatis ſupplicii æterni ſententiam.
Hæc eſt catholicæ eccleſiæ fides: hanc
confeſſionem conſervamus atque tenemus:
quam quiſquis firmiſſime cuſtodierit,
perpetuam ſalutem habebit.

### II.

Poſt rectæ fidei confeſſionem, quæ in
ſancta Dei eccleſia prædicatur, placuit
ut omnes ſacerdotes, qui catholicæ fi-
dei unitate complectimur, nihil ultra
diverſum, aut diſſonum in eccleſiaſticis
ſacramentis agamus, ne quælibet no-
ſtra diverſitas apud ignotos ſeu carna-
les * ſchiſmatis errorem videatur oſten- * ſchiſmaticis
dere, & multis exiſtat in ſcandalum
varietas eccleſiarum. Unus igitur ordo
orandi atque pſallendi nobis per omnem
Hiſpaniam atque * Galliam conſerve- * Galliciam
tur, unus modus in miſſarum ſolenni-
tatibus, unus in veſpertinis matutiniſ-
que officiis, nec diverſa ſit ultra in no-
bis eccleſiaſtica conſuetudo; * qui in * quia
una fide continemur & regno: hoc enim
& antiqui canones decreverunt, ut
unaquæque provincia & pſallendi & mi-
niſtrandi parem conſuetudinem * conti- * teneat
neat.

### III.

Nulla pene res diſciplinæ mores ab
eccleſia Chriſti * depulit quam ſacer- * magis depulit
dotum negligentia, qui contemptis ca-
nonibus ad corrigendos eccleſiaſticos mo-
res ſynodum facere negligunt. Ob hoc
a nobis univerſaliter definitum eſt, ut
quia juxta antiqua patrum decreta bis
in anno difficultas temporis fieri conci-
lium non ſinit, ſaltem vel ſemel a no-
bis celebretur. Ita tamen ut ſi cauſſa
fidei eſt, aut quælibet alia eccleſiæ com-
munis generalis totius Hiſpaniæ & * Gal- * Galliciæ
liæ

(a) Luc. addit: & nobiliſſimis. (b) ſeparantes. (c) idem. (d) in infirmitate.

liæ ſynodus convocetur: ſi vero nec de A fide, nec de communi eccleſiæ utilitate tractabitur, ſpeciale erit concilium * uniuſcujuſque provinciæ, ubi metropolitanus elegerit peragendum. Omnes autem qui cauſſas adverſus epiſcopos, aut judices aut potentes, aut contra quoslibet alios habere noſcuntur, ad idem concilium concurrant, & quæcumque examine ſynodali a quibuslibet prave uſurpata inveniuntur, regii executoris inſtancia juſtiſſime his, quibus jura ſunt, reformentur: ita ut pro compellendis judicibus vel ſæcularibus viris B ad ſynodum, metropolitani ſtudio * idem executor a principe poſtuletur. Quinto decimo autem Kalendarum Juniarum congreganda eſt in unaquaque provincia ſynodus, propter vernale tempus, quando herbis terra veſtitur, & pabula germinum inveniuntur.

*[margin: * prout uniuſcujuſque provinciæ metropolitanus.]*

*[margin: * quidem]*

## I V.

*[margin: Formula habendæ ſynodi. * mane ante * cuncti]*

(a) Hora itaque prima diei * ante ſolis ortum eiiciantur omnes ab eccleſia, obſervatiſque foribus * cuncti ad unam januam, per quam ſacerdotes ingredi oportet, oſtiarii ſtent: & convenientes omnes epiſcopi pariter introeant, & ſecundum ordinationis ſuæ tempora reſideant. Poſt ingreſſum omnium epiſcoporum, atque conſeſſum, vocentur deinde [b] presbyteri quos cauſſa probaverit introire. Nullus ſe inter eos ingerat diaconorum. Poſt hos ingrediantur diaconi probabiles, quos ordo poposcerit intereſſe: & corona facta de ſedibus epiſcoporum, presbyteri a tergo eorum reſideant. Diacones in conſpectu epiſcoporum ſtent. Deinde ingrediantur laici, qui * electioni concilii D intereſſe meruerunt. Ingrediantur quoque & notarii, quos ad recitandum vel excipiendum ordo requirit, & obſerentur januæ. * Sedenteſque in diuturno ſilentio * ſacerdotes, & cor * totum ad Deum * habentes, dicat [i] archidiaconus: *Orate*. Statimque omnes in terra * proſtrabuntur, & * orantes diutius tacite cum fletibus atque gemitibus unus ex epiſcopis ſenioribus ſurgens orationem E palam fundat ad dominum, cunctis adhuc in terra jacentibus. Finita autem oratione & reſponſo ab omnibus, *Amen*, rurſus dicat archidiaconus: *Erigite vos*. Et confeſtim omnes ſurgant, & cum omni timore Dei, & diſciplina, tam epiſcopi quam presbyteri ſedeant. Sicque omnibus in ſuis locis in ſilentio conſidentibus, diaconus alba indutus

*[margin: * electione]*

*[margin: * Sedentibus * ſacerdotibus * tantum * habentibus * proſternantur * orantibus]*

A codicem canonum in medio proferens, capitula de conciliis agendis pronuntiet. Finitiſque titulis, metropolitanus epiſcopus concilium alloquatur, dicens: Ecce, ſanctiſſimi ſacerdotes, recitatæ ſunt ex canonibus * ſanctorum patrum ſententiæ de concilio celebrando. Si qua igitur quempiam veſtrum actio commovet, coram ſuis fratribus proponat. Tunc ſi aliquis quamcumque querelam, quæ contra canonem agit, in audientia ſacerdotali protulerit, non prius ad aliud tranſeatur capitulum, niB ſi primum quæ propoſita eſt actio terminetur. Nam & ſi presbyter aliquis, aut diaconus, clericus, ſive laicus de his qui foris ſteterint, concilium pro qualibet re crediderit appellandum, eccleſiæ metropolitanæ archidiacono cauſſam ſuam intimet, & ille concilio denuntiet. Tunc illi, & introeundi, & (b) proponendi licentia concedatur. Nullus autem epiſcoporum a cœtu communi ſecedat, antequam hora generalis ſeceſſionis adveniat. Concilium quoque nullus ſolvere audeat, niſi fuerint C cuncta determinata: ita ut quæcumque deliberatione communi finiuntur, epiſcoporum ſingulorum manibus ſubſcribantur. Tunc enim Deus ſuorum ſacerdotum concilio intereſſe credendus eſt, ſi tumultu omni abjecto, ſolicite atque tranquille eccleſiaſtica negotia terminentur.

*[margin: * priſcorum]*

## V.

Solet in Hiſpaniis de ſolennitate paſchali varietas exiſtere prædicationis: diverſa enim obſervantia laterculorum D paſchalis feſtivitatis interdum errorem parturit. Proinde placuit, ut ante tres menſes epiphaniorum metropolitani ſacerdotes literis invicem ſe inquirant: ut communi ſcientia edocti diem reſurrectionis Chriſti, & comprovincialibus ſuis inſinuent, & uno tempore celebrandum annuntient.

*[margin: Iſidor. de laterculo, lib. 6. etym. cap. 17. de cyclo paſchali.]*

## V I.

De baptiſmi autem ſacramento, propter quod in Hiſpaniis quidam ſacerdotes [a] trinam, quidam ſimplam merE ſionem faciunt, a nonnullis ſchiſma eſſe conſpicitur, & unitas fidei ſcindi videtur: (nam dum * patres diverſo, & quaſi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos eſſe contendunt) proinde quid a nobis in hac ſacramenti diverſitate * finiendum ſit, apoſtolicæ ſedis informemur præceptis, non noſtram, ſed paternam inſtitutionem ſequentes. Bea-

*[margin: * partes diverſo in baptizando aliquo contrario modo agunt, ab aliis non baptizatos eſſe contendunt. * ſtatuendum]*

(a) Caput iſtud ſic incipit in Cod. Luc. *Formula ſecundum quam debeat S. Synodus in Dei nomine fieri. Hora &c.*
(b) *promovendi*.

Beatæ igitur memoriæ Gregorius Romanæ eccleſiæ pontifex, qui non ſolum partes Italiæ illuſtravit, ſed & longe exiſtentes eccleſias ſua doctrina perdocuit, efflagitante ſanctiſſimo Leandro epiſcopo, de hac Hiſpaniæ diverſitate, quid potius eſſet ſequendum, inter cetera reſcribens ei, ſic ait: *De trina vero merſione baptiſmatis nihil reſponderi verius poteſt, quam ipſi ſenſiſtis: quia in una fide nihil officit ſancta eccleſia conſuetudo diverſa. Nos autem quod tertio mergimus, triduana ſepolturæ ſacramenta ſignamus; ut dum tertio ab aquis infans educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quod ſi quis forte etiam pro ſumma Trinitatis veneratione exiſtimet fieri, neque ad hoc aliquid obſiſtit, baptizandum ſemel in aquis mergere quia dum in tribus ſubſiſtentiis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt infantem in baptiſmate vel ter, vel ſemel mergere; quando & in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in una poteſt divinitatis ſingularitas deſignari. Sed ſi nunc uſque ab hæreticis infans in baptiſmate tertio mergebatur, fiendum apud vos eſſe non cenſeo, ne, dum merſiones numerant, divinitatem dividant; dumque quod faciebant faciunt, morem veſtrum ſe viciſſe glorientur.* Quapropter, quia de utroque ſacramento quod fit in ſancto baptiſmo a tanto viro reddita eſt ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehenſibile in ſancta Dei eccleſia habeatur, propter vitandum autem ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis uſum, ſimplam teneamus baptiſmi merſionem; ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, hæreticorum probare aſſertionem, dum ſequuntur & morem. Et ne forte cuiquam ſit dubium hujus ſimpli myſterium ſacramenti, videat in eo mortem & reſurrectionem Chriſti ſignificari: nam in aquis merſio, quaſi in infernum deſcenſio eſt, & rurſus ab aquis emerſio, reſurrectio eſt. Item videat in eo unitatem divinitatis, & Trinitatem perſonarum oſtendi: unitatem dum ſemel immergimus; Trinitatem, dum * nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti baptizamus. Panditur hujus ſingularis baptiſmatis myſterium etiam ſacrarum ſcripturarum exemplis, Paulo apoſtolo atteſtante: *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moſe baptizati ſunt, in nube & in mari.* Mare quippe rubrum ſignificat baptiſmum Chriſti ſanguine conſecratum, per quem populus Dei ſemel tranſiit: ubi tamen tota erat Trinitas, præcedente populum columna ignis, & nubis. In igne quippe ſignificatur Pater, in columna Filius, in nube Spiritus ſanctus. Jordanis quoque fluenta cum arca populus Dei ſemel tranſiit per quod ſignificatur ſimpla merſio baptiſmatis, cujus ſacramento eccleſia abluitur, & de ſæculi hujus laboribus per baptiſmum, quaſi per Jordanem, ad terram cœleſtis repromiſſionis ingreditur.

Lib. 1. regiſtri ep. 41. De conſecr. d. 4. cap. de trina merſione.

De conſecr. d. 4. ...

* nomine

1. Cor. 10. ...

Joſue 3.

## VII.

Comperimus, quod per nonnullas eccleſias in die ſextæ feriæ paſſionis domini, clauſis baſilicarum foribus, nec celebratur officium, nec paſſio domini populis prædicatur; dum idem ſalvator noſter apoſtolis ſuis præceperit, dicens: *Paſſionem & mortem & reſurrectionem meam omnibus prædicate.* Ideo oportet eodem die myſterium crucis quod ipſe dominus cunctis nuntiandum voluit, prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum poſtulare: ut pœnitentiæ compunctione mundati, [1] venerabilem diem dominicæ reſurrectionis, remiſſis iniquitatibus ſuſcipere mereamur; corporiſque ejus, & ſanguinis ſacramentum mundi a peccatis ſumamus.

Marc. 16.

## VIII.

Quidam in die ejuſdem dominicæ paſſionis * ad horam nonam jejunium ſolvunt, conviviis abutuntur, & dum ſol ipſe eodem die tenebris palliatus lumen ſubduxerit, ipſaque elementa turbata mœſtitiam totius mundi oſtenderint, illi jejunium tanti diei polluunt, epuliſque inſerviunt. Et quia totum eumdem diem univerſalis eccleſia propter paſſionem domini in mœrore & abſtinentia peragit; quicumque in eo jejunium, præter parvulos, ſenes, & languidos, ante peractas indulgentiæ preces, reſolverit, a paſchali gaudio repellatur, nec in eo ſacramentum corporis & ſanguinis domini percipiat, qui diem paſſionis ipſius per abſtinentiam non honorat.

* ab hora no...

## IX.

Lucerna & cereus in prævigiliis paſchæ apud quaſquam eccleſias non benedicuntur, & cur a nobis benedicantur inquirunt. Propter glorioſum enim noctis ipſius ſacramentum ſolenniter hæc benedicimus, ut ſacræ reſurrectionis Chriſti myſterium, quod tempore hujus votivæ noctis advenit, in benedictione ſanctificati luminis ſuſcipiamus. Et quia hæc obſervatio per multarum loca terrarum, regioneſque Hiſpaniæ, in eccleſiis commendatur, dignum eſt, ut propter unitatem pacis, in * Gallicanis eccleſiis conſervetur. Nulli autem impune

* Galliciæ

pune erit, qui hæc ſtatuta contempſerit, ſed patrum regulis ſubjacebit.

X.

Nonnulli ſacerdotum per Hiſpanias reperiuntur, qui dominicam orationem, quam ſalvator noſter docuit & præcepit, non quotidie, ſed tantum die dominica dicunt. Et quia ut ſine intermiſſione oremus, apoſtolus docuit, qualiter autem oremus Chriſtus præcipit, dicens: *Cum oratis, dicite: Pater noſter, qui es in cælis;* quomodo ergo quotidie non dicitur, quod ſine intermiſſione dici jubetur? Nam in tantum quotidie hæc oratio dicenda eſt, quantum & ipſo titulo utitur, dum vocatur oratio quotidiana; ſic enim ſancti patres nuncupaverunt. Quod etiam apud doctores, * quorum doctrina illuſtris eſt, invenitur: ſanctus quippe Cyprianus dicit: Itaque in oratione dominica panem noſtrum, id eſt Chriſtum, dari nobis quotidie petimus; ut qui in Chriſto manemus, & vivimus, a ſanctificatione & corpore ejus non recedamus. Sanctus Hilarius dicit: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Quid enim tam vult Deus, quam ut quotidie Chriſtus habitet in nobis, qui eſt panis vitæ, & panis e cœlo, & quia quotidiana oratio eſt, quotidie quoque ut detur oratur. Sanctus Auguſtinus dicit: De quotidianis autem brevibus peccatis, ſine quibus vita hæc non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfacit: eorum eſt enim dicere: Pater noſter, qui es in cœlis, qui jam Patri tali regenerati ſunt ex aqua & Spiritu. Delet igitur hæc quotidiana oratio minima quotidiana peccata; delet & illa a quibus vita fidelium etiam ſcelerate geſta pœnitendo in melius redacta diſcedit. Ergo ſicut Chriſtus præcepit, ſicut apoſtolus admonuit, & quemadmodum doctores eccleſiaſtici inſtituerunt, quia quotidie, vel cogitatione, vel verbo, vel opere delinquimus, quotidie hanc orationem effundere in conſpectu Dei debemus. Quiſquis ergo ſacerdotum, vel ſubjacentium clericorum, hanc orationem dominicam quotidie, aut in pubblico, aut in privato officio præterierit, propter ſuperbiam judicatus, ordinis ſui honore * multetur.

1 Theſſ. 5. Matth. 6.

* quorum in ſacris doctrina eum. In ſerm. de oratione dominica.

In enchiridio ad Laurentium.

In enchir. cap. 71. col. 1.

* privetur

X I.

Item cognovimus quoſdam Hiſpaniæ ſacerdotes, * qui in quadrageſimæ diebus * Alleluja decantant, præter in ultima hebdomada paſchæ, quod deinceps interdicimus fieri, ſtatuentes, ut in omnibus prædictis quadrageſimæ diebus, quia tempus eſt, non gaudii, ſed mœroris, Alleluja * non decantetur: tunc enim opus eſt fletibus, ac jejuniis inſiſtere, corpus cilicio & cinere induere, animum mœroribus dejicere, gaudium in triſtitiam vertere, quouſque veniat tempus reſurrectionis Chriſti, quando oportet Alleluja in lætitia canere: & mœrorem in gaudium commutare; hoc enim eccleſiæ univerſalis conſenſio in cunctis terrarum partibus roboravit, quod & a nobis omnibus ut conſervetur per Hiſpanias Galliaſque provincias oportebit. (*a*) In temporibus quoque reliquis, id eſt, Kalendis Januariis, quæ propter errorem gentilitatis aguntur, omnino Alleluja non decantetur. In quibus etiam præter piſcem & olus, ſicuti in aliis quadraginta diebus a ceteris carnibus abſtinetur, & a quibuſdam nec vinum bibitur. Si quis igitur epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quilibet ex ordine clericorum fuerit repertus, qui arbitrium ſuum huic conſtitutioni extimet præferendum, (*b*) ordinis ſui officio carere cogatur, & a communione ejuſdem paſchæ privetur.

* quod

* Ideo non

X II.

In quibuſdam quoque Hiſpaniarum eccleſiis * Laudes poſt apoſtolum decantantur, priuſquam evangelium prædicetur; dum canones præcipiunt poſt apoſtolum non Laudes, ſed evangelium annuntiari. Præſumptio eſt enim, ut antea ponantur ea quæ ſequi debent. Nam Laudes ideo evangelium ſequuntur propter gloriam Chriſti, quæ per idem evangelium prædicatur. Circa omnes igitur ſacerdotes hic ordo deinceps retineatur; excommunicationis pœnam ſuſcepturi, qui hunc ordinem perturbaverint.

XIII.

De hymnis etiam canendis & ſalvatoris & apoſtolorum habemus exemplum: nam & ipſe dominus hymnum dixiſſe perhibetur, Matthæo evangeliſta teſtante: *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.* Et Paulus apoſtolus ad Epheſios ſcripſit, dicens: *Implemini Spiritu, loquentes vos in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritalibus.* Et quia nonnulli hymni humano ſtudio in laudem Dei atque apoſtolorum & martyrum triumphos compoſiti eſſe noſcuntur, ſicut hi quos * beatiſſimi doctores Hilarius atque Ambroſius ediderunt, quos tamen quidam ſpecialiter reprobant, pro eo quod de ſcripturis ſanctorum canonum, vel apoſtolica traditione non exiſtunt; re-

De conſecrat. diſt. 1. De hymnis.

Matth. 26.

Ephes. 5.

(*a*) Sequentia omnia uſque ad *Si quis igitur* in Lucenſi codice deſunt.
(*b*) Deſunt ſequentia uſque ad *communione*.

reſpuant ergo & illum hymnum ab ho- A minibus compoſitum, quem quotidie publico privatoque officio in fine omnium pſalmorum dicimus: Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen. Nam & ille hymnus, quem nato in carne Chriſto angeli cecinerunt: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; reliqua quæ ibi ſequuntur eccleſiaſtici doctores compoſuerunt. Ergo * nec idem in eccleſiis canendus eſt, quia in ſcripturarum ſanctarum libris non * invenitur. Componuntur ergo B hymni, ſicut componuntur miſſæ, ſive preces, vel orationes, ſive commendationes, ſeu manus impoſitiones: ex quibus ſi nulla * dicantur in eccleſia, vacant officia omnia eccleſiaſtica. Admonet hæc fieri, atque hortatur Timotheum apoſtolus dicens: *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & pro omnibus, qui in ſublimitate ſunt*. Sicut igitur orationes, ita & hymnos in laudem Dei compoſitos, nullus (a) veſtrum ulterius improbet, ſed C pari modo * Gallia, Hiſpaniaque celebret: excommunicatione plectendi, qui hymnos rejicere fuerint auſi.

Luc. 2.

* nec ipſi in eccleſiis canendi ſunt

* invenitur

* [illegible]

1. Tim. 2.

### X I V.

Hymnum quoque trium puerorum, in quo univerſa cœli terræque creatura dominum collaudat, & quem eccleſia catholica per totum orbem diffuſa celebrat, quidam ſacerdotes in miſſa dominicorum dierum, & in ſolemnitatibus martyrum canere negligunt: proinde hoc ſanctum concilium inſtituit, ut per omnes eccleſias Hiſpaniæ, vel * Galliæ D in omnium miſſarum ſolennitate idem in *¹ pulpito decantetur: communionem amiſſuri, qui & antiquam hujus hymni conſuetudinem, noſtramque diffinitionem exceſſerint.

* Gallia

* pulpito

### X V.

¹ In fine pſalmorum non ſicut a quibuſdam hucuſque, Gloria Patri, ſed Gloria & honor Patri dicatur, David propheta dicente: *Afferte domino gloriam & honorem*: & Joanne evangeliſta in Apocalypſi: *Audivi vocem cæleſtis exercitus dicentem: Honor & gloria Deo noſtro ſedenti* E *in throno*. ac per hoc hæc duo ſic oportet in terris dici, ſicut in cœlis reſonant. Univerſis igitur eccleſiaſticis hanc obſervantiam damus, quam quiſquis præterierit communionis jacturam habebit.

Pſal. 28.

Apoc. 5.

### X V I.

Sunt quidam qui in fine reſponſoriorum Gloria non dicunt: propter quod interdum inconvenienter * conſonat. Sed hæc eſt diſcretio, ut in lætis ſequatur gloria, in triſtioribus repetatur principium.

* reſonat

### X V I I.

Apocalypſim librum multorum conciliorum auctoritas & ſynodica ſanctorum præſulum Romanorum decreta Joannis evangeliſtæ eſſe perſcribunt, & inter divinos libros recipiendum, * (b) atque in eccleſia Dei prædicare contemnunt. Si quis eum deinceps aut non receperit, aut a paſcha uſque ad pentecoſten miſſarum tempore in eccleſia non prædicaverit, excommunicationis ſententiam habebit.

* Hic aliquid omnino deeſt

### X V I I I.

Nonnulli ſacerdotes poſt dictam orationem dominicam ſtatim communicant, & poſtea benedictionem in populo dant: quod deinceps interdicimus: ſed poſt orationem dominicam, & conjunctionem panis & calicis, benedictio in populum ſequatur, & tunc demum corporis & ſanguinis domini ſacramentum ſumatur; eo videlicet ordine, ut ſacerdos & levita ante altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus.

### X I X.

Pernicioſa conſuetudo nequaquam eſt * reticenda, quæ majorum ſtatuta præteriens, omnem eccleſiæ ordinem perturbavit; dum alii per ambitum ſacerdotium appetunt, alii oblatis muneribus pontificatum aſſumunt, nonnulli etiam ſceleribus implicati, vel * ſæculari militiæ dediti, indigni ad honorem ſummum, ac ſacri ordinis pervenerunt. De quorum ſcilicet * caſu atque remotione oportuerat quidem ſtatuendum; ſed ne perturbatio quam plurima eccleſiæ oriretur, præteritis omiſſis, deinceps qui non promoveantur ad ſacerdotium ex regulis canonum neceſſario credimus inſerendum, id eſt, qui in aliquo crimine * detecti ſunt, (c) qui ſcelera aliqua per publicam pœnitentiam admiſiſſe confeſſi ſunt, qui in hæreſim lapſi ſunt, qui in hæreſi baptizati aut rebaptizati eſſe noſcuntur, qui ſemetipſos abſciderunt, aut naturali defectu membrorum, aut * deciſione aliquid minus habere noſcuntur, qui ſecundæ uxoris conjunctionem ſortiti ſunt, (d) aut numeroſa conjugia frequentaverunt, qui viduam vel ma-

* recipienda

* ſæcularibus dediti,

* cauſa

* detecti Diſt. 51. Qui in aliquo

* defectione

1 Berno Abbas Augiæ cap. 1. legit *in pulpito*, ut & VValafr. cap. 22. *Harduinus*.

(a) n[illegible] (b) Sequentia ſic habet Cod. Luc. *conſtituerunt, & quamplurimi ſunt qui ejus auctoritatem non* [illegible] (c) Luc. his infert: *qui infamiæ nota aſperſi ſunt, qui ſcelera &c.* (d) Deeſt in Luc. *qui numeroſa conjugia frequentaverunt*

marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt, qui concubinas * ad † fornicationes habuerunt, qui ſervili conditioni obnoxii ſunt, qui ignoti ſunt, qui neophyti ſunt, vel laici ſunt, qui ſæculari militiæ dediti ſunt, qui curiæ nexibus obligati ſunt, qui inſcii literarum ſunt, qui nondum ad triginta annos pervenerunt, qui per gradus eccleſiaſticos non * acceſſerunt, qui ambitu honorem quærunt, qui muneribus honorem obtinere moliuntur, qui a deceſſoribus in ſacerdotium * eliguntur. Sed nec ille deinceps ſacerdos erit, quem nec clerus, nec populus propriæ civitatis elegerit, vel auctoritas metropolitani, vel * comprovincialium ſacerdotum * aſſenſio exquiſivit. Quicumque igitur deinceps ad ordinem ſacerdotii poſtulatus, & in his quæ prædicta ſunt exquiſitus, in nullo horum deprehenſus fuerit, atque examinatus, probabilis vitæ atque doctrinæ extiterit, tunc ſecundum ſynodalia vel decretalia conſtituta, cum omni clericorum vel civium voluntate, ab univerſis (a) comprovincialibus epiſcopis, aut certe a tribus in ſacerdotium die dominica conſecrabitur, convenientibus ceteris qui abſentes fuerint literis ſuis, & magis auctoritate vel præſentia ejus * qui eſt in metropoli conſtitutus. Epiſcopus autem comprovincialis ibi conſecrandus eſt, ubi metropolitanus elegerit: metropolitanus autem non niſi in civitate metropoli, comprovincialibus ibidem convenientibus. Si quis autem deinceps contra prædicta vetita canonum ad gradum ſacerdotii indignus aſpirare contenderit, cum ordinatoribus ſuis adepti honoris periculo ſubjacebit.

[Margin: * aut fornicarias. † Videtur intelligendum de concubinis ad tempus adhibitis, de quibus diſt. 34. Is qui. — * aſcenderunt, — * eliguntur, in epiſcopos non ordinentur. Sed — * provincialium — * aſſenſu non exquiſivit. — * qui vere metropolitanus eſt conſtitutus.]

## XX.

In veteri lege, ab anno vigeſimo quinto Levitæ tabernaculo ſervire * mandantur: cujus auctoritatem in canonibus & ſancti patres ſecuti ſunt. Nos & divinæ legis, & * conciliorum præcepti immemores, infantes & pueros Levitas fecimus ante legitimam ætatem, ante experientiam vitæ; ideoque ne ulterius fiat a nobis & divinæ legis, & canonicis admonemur ſententiis: ſed a viginti & quinque annis ætatis Levitæ conſecrentur, & a triginta annis presbyteri ordinentur: ita ut, ſecundum apoſtolicum præceptum, *probentur primum, & ſic miniſtrent nullum crimen habentes*.

[Margin: Num. 8. Diſt. 77. veteri lege. Ivo part. 6. cap. 32. Burch. lib. 2. cap. 12. * præcipiuntur: * præceptorum canonum immemores. — 1. Tim. 3.]

## XXI.

Quicumque in ſacerdotio Dei poſiti ſunt, irreprehenſibiles eſſe debent, Paulo apoſtolo atteſtante: *Oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*. Inoffenſos igitur & immaculatos decet Dei exiſtere ſacerdotes, nec ullo eos fornicationis contagio pollui: ſed caſte viventes, mundos ſemetipſos celebrandis exhibeant ſacramentis. Abſtineamus ergo nos ab omni opere malo, & ab omni inquinamento carnis liberi maneamus: ut mundi corpore, purgati mente, poſſimus ad ſacrificium Chriſti digni accedere, & Deum pro delictis omnium deprecari.

[Margin: Ibidem.]

## XXII.

Quamvis conſcientiam puram apud Deum nos habere oporteat, tamen apud homines famam optimam cuſtodire convenit: ut juxta præceptum apoſtolicum, non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus, vitæ ſanctæ teſtimonium habeamus. Quidam enim hucuſque ſacerdotum non modicum ſcandalum creaverunt, * dum in converſatione vitæ non bonæ famæ exiſtunt. Ut igitur excludatur deinceps omnis nefanda ſuſpicio aut caſus, & ne detur ultra ſæcularibus obtrectandi locus, oportet epiſcopos teſtimonium probabilium perſonarum † * in conclavi ſuo habere; ut & Deo placeant per conſcientiam puram, & eccleſiæ * per optimam famam.

[Margin: Rom. 12. — * dum in accuſatione luxuriæ, in converſatione. — * converſationis & vitæ in conclave. — * per converſationem bonam.]

## XXIII.

Non aliter placuit, ut quemadmodum antiſtites, ita presbyteri atque levitæ, quos forte infirmitas, aut ætatis gravitas in conclavi epiſcopi manere non ſinit, ut iidem in cellulis ſuis teſtes vitæ habeant, vitamque ſuam ſicut nomine, ita & meritis teneant.

## XXIV.

*Prona eſt omnis ætas ab adoleſcentia in malum*: nihil enim incertius quam vita adoleſcentium. Ob hoc * conſtituendum oportuit, ut ſi qui in clero * puberes aut adoleſcentes exiſtunt, † omnes in uno conclavi atrii commorentur: ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, ſed in diſciplinis eccleſiaſticis agant, deputati probatiſſimo ſeniori, quem magiſtrum doctrinæ, & teſtem vitæ habeant. Quod ſi aliqui ex his pupilli exiſtunt, a ſacerdotali tutela foveantur, ut & vita eorum a criminibus intacta ſit, & * res ab injuria improborum. Qui autem his præceptis reſultaverint, monaſteriis deputentur, ut vagantes animi & ſuperbi ſeveriori regula diſtringantur.

[Margin: Prov. 30. 12. q. 1 Omnis ætas. Anſ. l. 7. cap. 1. Idem concil. Tolet. 2. c. 1. * conſtituere * impuberes — * res eorum ab injuria impiorum.]

## XXV.

Ignorantia, mater cunctorum errorum, maxime in ſacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in populis ſuſceperunt. Sacerdotes enim legere ſanctas ſcriptu-

[Margin: Diſt. 38. Ignorantia mater. Burch. lib. 1. cap. 100. Anſ. lib. 7. c. 114.]

(a) *comprovincialibus presbyteris, aut certe a tribus &c.*

ſcripturas admonentur, Paulo apoſtolo dicente ad Timotheum: *Intende lectioni, exhortationi, doctrinæ, ſemper permane in his.* Sciant igitur ſacerdotes ſcripturas ſanctas, & * canones, ut omne opus eorum in * prædicatione & doctrina conſiſtat, atque ædificent cunctos tam fidei ſcientia, quam operum diſciplina.

* canones meditentur. * prædicatione divina conſiſtat.

XXVI.

Quando presbyteri in parochiis ordinantur, * libellum officialem a ſacerdote ſuo accipiant, ut ad eccleſias ſibi deputatas inſtructi * ſuccedant, ne per ignorantiam etiam divinis ſacramentis offendant; ita ut quando ad litanias, vel ad concilium venerint, rationem epiſcopo ſuo reddant, qualiter ſuſceptum officium celebrant, vel baptizant.

Diſt. 38 Quando presbyteri. Ivo part. 3. c. 239. Burch. lib 2. c. 157. Anſel lib. 7. c. 113. * accedant.

XXVII.

Quando presbyteri vel diaconi per parochias conſtituuntur, oportet eos * profeſſionem epiſcopo ſuo facere, ut caſte & pure vivant ſub Dei timore: ut dum eos * talis profeſſio religat, vitæ ſanctæ diſciplinam retineant.

Diſt. 28 Quando presbyteri. Ivo part. 3 c. 130 & part. 6 cap. 218. Burch. lib. 2 c. 157. Anſel lib. 7 c. 113. Pan. lib. 4 c. 119. * primum profeſſionem * tali profeſſione obligati, ſanctam diſciplinam teneant.

XXVIII.

Epiſcopus, presbyter, aut diaconus, ſi a gradu ſuo injuſte dejectus in * ſecunda ſynodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat (a) coram altario, de manu * epiſcopi, * orarium, annulum & baculum: ſi presbyter, orarium & † * planetam: ſi diaconus, orarium & albam: ſi ſubdiaconus, patenam & calicem: ſic & reliqui gradus ea in reparationem ſui recipiant, quæ cum ordinarentur perceperunt.

Qu. Epiſcopus, presbyter. Ivo part. 1 cap. 197. * ſancta * Epiſcoporum. Si epiſcopus eſt, orarium, annulum & baculum. † Planeta eſt, quem nunc caſulam vocamus. * patenam

XXIX.

Si epiſcopus, aut presbyter, ſive diaconus, aut quilibet ex ordine clericorum, magos, * aut aruſpices, aut ariolos, aut certe augures, vel ſortilegos, vel eos qui profitentur artem * aliquam, aut aliquos eorum ſimilia exercentes conſulere fuerit deprehenſus, ab honore dignitatis ſuæ * depoſitus * monaſterii * pœnam excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus ſcelus admiſſum ſacrilegii luat.

26 Qu. 5 Si quis epiſcop. Burch. lib. 10 c. 48. Ivo part. 11 c. & 14. Concil. Bra. II. cit. 72. * aut incantatores, aut ariolos, * magicam, * ſuſpenſus * monaſterium ingreſſus ibique

XXX.

[1] Confinitimi hoſtium ſacerdotes, præter eos qui a regia poteſtate licentiam acceperunt * quodlibet mandatum * a gente extranea occulte accipere vel dirigere non præſumant: qui autem deprehenditur, atque convincitur, denuntiatus principi, apud concilium condigna animadverſione multabitur.

* curam & cenſuram * aut quodlibet * ad gentem extraneam

XXXI.

Sæpe principes contra quoslibet (b) majeſtatis obnoxios, ſacerdotibus negotia ſua committunt. * Et quia ſacerdotes a Chriſto ad miniſterium ſalutis electi ſunt, ibi * conſentient regibus fieri judices, ubi jurejurando ſupplicii indulgentia promittatur, non ubi diſcriminis ſententia præparetur. Si quis ergo ſacerdotum contra hoc commune conſultum diſcuſſor in alienis periculis extiterit, ſit reus effuſi ſanguinis apud Chriſtum, & apud eccleſiam perdat proprium gradum.

23 qu. 5. Sæpe princ. Burch. lib. 2. c. 190. Ivo part. 6. cap. 322. * Sed * conſentiant

XXXII.

Epiſcopi in protegendis populis ac defendendis impoſitam a Deo ſibi curam non ambigant: ideoque dum conſpiciunt judices, & * poteſtates, pauperum oppreſſores exiſtere, prius eos ſacerdotali admonitione redarguant, & ſi contempſerint * emendare, eorum inſolentiam regis auribus intiment: ut quos ſacerdotalis admonitio non flectit ad juſtitiam, regalis poteſtas ab improbitate coerceat. Si quis autem epiſcoporum neglexerit, concilio reus erit.

Ivo part. 16. cap. 2. Burch. lib. 15. c. 1. * potentes, * emendare, anathematizentur.

XXXIII.

*Avaritia radix cunctorum malorum*: cujus ſitis etiam ſacerdotum mentes obtinet. Multi enim fidelium in * amore Chriſti & martyrum, in parochiis epiſcoporum baſilicas conſtruunt, * oblationes conſcribunt, ſacerdotes hæc auferunt, atque in uſus ſuos convertunt. Inde eſt, quod cultores ſacrorum deficiunt, dum ſtipendia ſua perdunt. Inde labentium baſilicarum ruinæ non reparantur, quia avaritia ſacerdotali omnia auferuntur. Pro qua re conſtitutum eſt a præſenti concilio, epiſcopos ita diœceſes ſuas regere, ut nihil jure præſumant auferre, ſed juxta priorum auctoritatem conciliorum, tam de oblationibus, quam * de tributis ac frugibus tertiam conſequantur. Quod ſi amplius quippiam ab eis præſumptum extiterit, per concilium reſtauretur; appellantibus aut ipſis conditoribus, aut certe propinquis eorum, ſi jam illi a ſæculo deceſſerunt. Noverint autem conditores baſilicarum in rebus, quas eiſdem eccleſiis conferunt, nullam poteſtatem habere; ſed juxta canonum inſtituta, ſicut eccleſiam, ita & dotem ejus ad ordinationem epiſcopi pertinere.

1 Tim. 6. Ivo part. 3. c. 233. Burch. lib. 3 c. 203. * honore * oblationes ſanctas tribuunt. 16 q. 1. Conſtitutum eſt. Burch. lib. 3. c. 103. Ivo part. 3. c. 236. * de decimis tributis 10 q. 1 Noverint. Burch. lib. c. 101. Ivo part. cap. 155

XXXIV.

Quicumque epiſcopus alterius epiſcopi diœceſim per triginta annos ſine aliqua interpellatione * poſſederit, quia ſecundum jus legis, ejus jam videtur eſſe diœceſis, * admittenda non eſt contra eum actio re-

po-

Diſt. 16. q. 3 Quicumque. Ivo part. 3. c. 232. Burch. lib. 3. c. 67. * poſſederit, eam teneat, quamvis ſec * & admittenda

1 Citatur hic Canon ab Attone Vercel. tom. 8. Spicil. pag. 106. *Hard.*

(a) Sequentia ſic legit Lucenſis: *ut ſi epiſcopus fuit, recipiat coram altari de manu epiſcoporum orarium, annulum, & baculum. Si presbyter &c.* (b) *magiſtratis*

* parochiam; 16 qu. 2. Poſſeſſio: & 16.

poſcendi : ſed hoc intra unam * provinciam ; extra vero nullo modo : ne, dum diœceſis defenditur, provinciarum termini confundantur.

## XXXV.

qu. 3 Sicut diœceſim. Ivo par. 3 c. 222. Burch lib. 3. c. 147. * admittit, al. amittit.

Sicut diœceſim alienam tricennalis poſſeſſio tollit, ita territorii conventum non * adimit. Ideoque baſilicæ, quæ novæ conditæ fuerint, ad eum procul dubio epiſcopum pertinebunt, cujus conventus eſſe conſtiterit.

## XXXVI.

10. qu. 1. cap. Epiſcopum. Ivo part. 3 c. 103 Burch. lib. 1. c. 85. * reparationum * probabilis vitæ

Epiſcopum per cunctas diœceſes parochiaſque ſuas per ſingulos annos ire oportet, ut exquirat quo unaquæque baſilica in * reparatione ſui indigeat. Quod ſi ipſe aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus id explere nequierit, a presbyteros * probabiles, aut diaconos mittat, qui & reditus baſilicarum, & reparationes, & miniſtrantium vitam inquirant.

## XXXVII.

12. q. 2. Quicumque ſuffragio. * utilitatis * commodum

Quicumque epiſcopi ſuffragio cujuslibet aliquid eccleſiaſticæ * utilitati providerint, & pro eo quodcumque * modicum in remunerationem promiſerint; promiſſi ſolutionem eos exſolvere oportebit : ita ut id ad concilium comprovinciale deductum, eorum conniventia confirmetur : quia, ſicut Paulus apoſtolus ait, *dignus eſt operarius * mercede ſua*.

1. Tim. 5. * mercedem ſuam accipere

## XXXVIII.

16 qu. 7 Quicumque fidel.

Tribuendum eſt a ſacerdotibus vitæ ſolatium indigentibus ; & maxime his quibus reſtituenda viciſſitudo eſt. Quicumque ergo fidelium de facultatibus ſuis eccleſiæ aliquid devotione propria contulerunt ; ſi forte ipſi aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem eccleſia ſuffragium vitæ pro temporis uſu percipiant. Si enim clericis, vel monachis, ſeu peregrinis, aut quamlibet neceſſitatem ſuſtinentibus, pro ſolo religionis intuitu, in uſum res eccleſiaſticæ largiuntur, quanto magis his conſulendum eſt, quibus * retributione juſta debetur.

* retributio

## XXXIX.

Diſt. 93. Nonnulli. Ivo part. 6. c. 197. Burch lib. 1. cap. 222. † In vulgatis Gratiani in utroque ordine Verum in omnibus manuſcriptis codicibus eccleſiæ Toletanæ, & bibliothecæ regiæ D. Laur. legitur, in utroque choro.

Nonnulli diacones in tantam erumpunt ſuperbiam, ut ſe presbyteris anteponant, atque [b] in primo choro ipſi priores ſtare præſumant, presbyteris in ſecundo choro conſtitutis. Ergo ut ſublimiores ſibi preſbyteros agnoſcant, tam hi, quam illi † in utroque choro conſiſtant.

## XL.

* Orariis duobus, nec epiſcopo quidem licet, nec presbytero uti, quanto magis diacono, qui miniſter eorum eſt. Unum igitur orarium oportet Levitam geſtare in ſiniſtro humero, propter quod orat, id eſt, prædicat : dextram autem partem oportet habere liberam, ut expeditus ad miniſterium ſacerdotale diſcurrat. Caveat igitur amodo Levita gemino uti orario, ſed uno tantum, & puro, nec ullis coloribus, aut auro ornato.

in præterquam in uno Lucenſi codice, ubi habetur : in utroque conſiſtant : quam lectionem optime ſecutum eſt deci. Gregorian. Diſt 25. Unum orarium. * Si oraria duo nec epiſcopo induere quidem licet, nec presbytero, utique multo minus diacono, qui

## XLI.

[c] Omnes clerici, vel lectores, ſicut levitæ, & ſacerdotes detonſo ſuperius toto capite, inferius ſolam [d] circuli coronam relinquant : non ſicut hucuſque in Gallieciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis, in ſolo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpania hucuſque hæreticorum fuit. Unde oportet, ut pro amputando eccleſiæ ſcandalo, hoc ſignum dedecoris auferatur, & una ſit tonſura, vel habitus, ſicut totius Hiſpaniæ eſt uſus. Qui autem hoc non cuſtodierit, fidei catholicæ reus erit.

## XLII.

Cum clericis extraneæ feminæ nullatenus habitent ; niſi tantum mater, & ſoror, filia vel amita ; in quibus perſonis nihil ſceleris extimari fœdus naturæ permittit : id enim & * conſtitutio antiquorum patrum decrevit.

## XLIII.

Diſt. 81. Quidam clerici

Quidam clerici legitimum non habentes conjugium, extranearum mulierum, vel ancillarum ſuarum interdicta ſibi contortia appetunt : ideoque * quæcumque clericis taliter adjunctæ ſunt, ab epiſcopo auferantur, & venumdentur, illis pro tempore * religatis ad pœnitentiam, quos ſua libidine infecerunt.

* quæ conjunctæ taliter cum clericis ſunt. * relegatis

## XLIV.

33. quæſt. 8. Clerici. Ivo par. 8. c. 286.

Clerici qui ſine conſultu epiſcopi ſui (a) aut viduam, vel repudiatam, vel meretricem in conjugio acceperint, ſeparari eos a proprio epiſcopo oportebit.

## XLV.

23. quæſt. 8. Clerici qui Anſ lib. 7. cap. 187. * ſeditione * perenniter

Clerici qui in quacumque * ſeditione arma volentes ſumpſerint, vel ſumpſerunt, reperti, amiſſo ordinis ſui gradu, in monaſterium * pœnitentiæ contradantur.

## XLVI.

Ivo part 13. c. 49. Burch lib. 11 c. 6..

Si quis clericus in demoliendis ſepulcris fuerit deprehenſus, quia facinus hoc [f] pro ſacrilegio legibus publicis ſanguine vendicatur, oportet canonibus in tali ſcelere proditum clericatus ordine ſubmoveri, & pœnitentiæ triennio deputari.

XLVII.

(a) Luc. inſerit uxores duxerint, aut viduam &c.

XLVII.

Præcipiente domino, atque excellentiſſimo Siſenando rege id conſtituit ſanctum concilium, ut omnes ingenui clerici pro officio religionis ab omni publica indictione atque labore habeantur immunes; ut liberi Deo ſerviant, nullaque præpediti neceſſitate ab eccleſiaſticis officiis retrahantur.

XLVIII.

(a) Eos, quos œconomos Græci appellant, hoc eſt, qui vice epiſcoporum res eccleſiaſticas tractant, ſicut ſancta ſynodus Chalcedonenſis inſtituit, omnes epiſcopos de proprio clero ad regendas eccleſias habere oportet: qui autem deinceps contempſerit, obnoxius ejuſdem magni concilii erit.

Chalcedon. concilium can. 26.

XLIX.

Monachum aut paterna devotio, aut propria * profeſſio facit: quidquid horum fuerit, * alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reverti intercludimus aditum, & omnem ad ſeculum interdicimus regreſſum.

20. quæſt. 1. Monachum. Ivo part 7. c 4. Burch. lib. 8. cap. 6 Anſ. lib 7. c. 186. & lib. 8. cap 6.

a) MS. confeſſio Hard.

* alligatum

L.

Clerici qui monachorum propoſitum appetunt; quia meliorem vitam ſequi cupiunt, liberos eis ab epiſcopo in monaſteriis largiri oportet ingreſſus, nec interdici propoſitum eorum, qui ad contemplationis deſiderium tranſire nituntur.

19. quæſt 1. Clerici qui. Burch lib 8 cap 21. Ivo par 6 c 371

LI.

Nuntiatum eſt præſenti concilio, quod monachi, epiſcopali imperio, ſervili operi mancipentur, & jura monaſteriorum contra * conſtituta canonum illicita præſumptione uſurpentur; ita ut pene ex cœnobio poſſeſſio fiat, atque illuſtris portio Chriſti ad ignominiam ſervitutemque perveniat. Quapropter monemus eos qui eccleſiis præſunt, ut ultra talia non præſumant: ſed hoc tantum ſibi in monaſteriis vindicent ſacerdotes, * quod præcipiunt canones, id eſt, monachos ad converſationem ſanctam * præmonere, abbates, aliaque officia inſtituere, atque extra regulam facta corrigere. Quod ſi aliquid in * monachis canonibus interdictum præſumpſerint, aut uſurpare quidpiam de monaſterii rebus tentaverint, non deerit ab illis ſententia excommunicationis, qui ſe deinceps nequaquam ſuſtulerint ab illicitis.

* inſtituta

18 q. 2. Hoc tantum ſibi. Vide Aurel. I. can. 21 & Arelat. III. apud Grat. 18 q. 2 cap. Monaſteria, & II. Hiſp c. 11 Epiſcopis hoc jus ademit. I. Lateranenſe. Vide concil Trid ſeſſ. 21 c. 8. & ſeſſ. 24 c. 3.

* quos

* promovere,

* monachos

LII.

Nonnulli monachorum, egredientes a monaſterio, non ſolum ad ſæculum revertuntur, ſed etiam uxores accipiunt. Hi A igitur revocati, in eodem monaſterio a quo exierunt pœnitentiæ deputentur, ibique defleant crimina ſua unde deceſſerunt.

Vide concil. Turonenſe can 11 ex quo decretum eſt

LIII.

Religioſi propriæ regionis, qui nec inter clericos, nec inter monachos habentur, ſive hi qui per diverſa loca vagi fuerint, ab epiſcopis, in quorum conventu commanere noſcuntur, licentia eorum coerceatur; in clero, aut in monaſteriis deputati, præter illos qui ab epiſcopo ſuo aut propter ætatem, aut propter languorem, fuerint abſoluti.

B LIV.

Hi qui in diſcrimine conſtituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifeſta ſcelera confitentes, ſed tantum peccatores ſe prædicantes; hujuſmodi, ſi revaluerint, poſſunt etiam, pro morum probitate, ad gradus eccleſiaſticos pervenire. Qui vero ita pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum perpetraſſe publice fateantur, ad clerum, vel ad honores eccleſiaſticos pervenire nullatenus poterunt, C quia ſe confeſſione propria notaverunt.

Concil. Tolet. XIII. c. 10.

LV.

Quicumque ex ſæcularibus accipientes pœnitentiam totonderunt ſe, & rurſus prævaricantes laici effecti ſunt; comprehenſi ab epiſcopo ſuo ad pœnitentiam, ex qua receſſerunt, * revocentur. Quod ſi aliqui per * pœnitentiam irrevocabiles ſunt, nec admoniti revertentur, vere ut apoſtatæ coram eccleſia anathematis ſententia condemnentur. Non aliter & hi qui * detonſi a parentibus fuerint, aut ſponte ſua; amiſſis parentibus, ſeipſos religioni devo- D verunt, & poſtea habitum ſæcularem ſumpſerunt, & iidem a ſacerdote comprehenſi ad cultum religionis, acta prius pœnitentia, * revocentur. Quod ſi reverti non * poſſunt vere ut apoſtatæ anathematis ſententiæ ſubjiciantur. Quæ forma ſervabitur etiam in viduis virginibuſque ſacris, ac pœnitentibus feminis, quæ ſanctimonialem habitum induerunt, & poſtea aut veſtem mutaverunt, aut ad nuptias tranſierunt.

Ivo part. 7. c. 47. Burchar. lib. 8. c. 27.

* renoventur,

* potentiam

* tonſi collaudantibus parentibus fuerint ſeipſos religioni.

* renoventur, & reverti nolunt.

LVI.

Duo ſunt genera viduarum, ſæculares E & ſanctimoniales: ſæculares viduæ ſunt, quæ adhuc diſponentes (b), laicalem habitum non depoſuerunt: ſanctimoniales ſunt, quæ jam mutato habitu ſæculari, ſub religioſo cultu in conſpectu ſacerdotis vel eccleſiæ apparuerint. Hæ ſi ad nuptias tranſierunt, juxta apoſtolum, non ſine damnatione erunt: quia ſe primum Deo

1. Tim. 5.

(a) In margine contra hunc Canonem hæc lego in Cod. Luc. *De œconomis S. Hieronymus in Homil. ſua ita ait: Villicus propria villæ gubernator eſt; unde & a villa Villicus nomen accepit. Oeconomus autem tam pecuniæ, quam frugum, & omnium quæ Dominus poſſidet diſpenſator eſt. Unde & Oeconomicus Xenophontis pulcherrimus liber eſt, quod non gubernationem villæ, ſed diſpenſationem univerſam domus Tullio interpretante ſignificat.*

(b) Luc. inſerit *nubere*.

Deo voventes, poſtea caſtitatis propoſitum abjecerunt.

## LVII.

Diſt. 45. de Judæis. Ivo par. 1. c. 276. & part. 13. c. 94. & Pan. lib. 1. c. 72. Burch. lib. 4. cap. 82. Rom. 9. * propria * vocantur ſe * ſolvatur. * liberi * voluntate & facultate, * ſalvandi

De Judæis autem hoc præcepit ſancta ſynodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre; *cui enim vult Deus miſeretur, & quem vult indurat*. Non enim tales inviti ſalvandi ſunt, ſed volentes; ut integra ſit forma juſtitiæ: ſicut enim homo * proprii arbitrii voluntate ſerpenti obediens periit, ſic * vocante gratia Dei, propriæ mentis converſione homo quiſque credendo * ſalvatur. Ergo non vi, ſed * libera arbitrii * facultate, ut convertantur * ſuadendi ſunt, non potius impellendi. Qui autem jampridem ad Chriſtianitatem venire coacti ſunt, ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi principis † Siſebuti; quia jam conſtat eos eſſe ſacramentis divinis aſſociatos, & baptiſmi gratiam percepiſſe, & chriſmate unctos eſſe, & corporis domini & ſanguinis extitiſſe participes, oportet ut fidem etiam, quam vi vel neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur, ne nomen divinum blaſphemetur, & fides quam ſuſceperunt vilis ac contemptibilis habeatur.

† Sic legendum ex chronico Iſidori æra 640. ubi dicit eum æmulationem Dei habuiſſe, ſed non ſecundum ſcientiam. Vide legem Siſebuti in annotatione ad c. 59. hujus conc. Male Siſenandi. Ivo & Burch. Idem habes in leg. Wiſegoth. l. 12. l. 10. tit. 3.

## LVIII.

1. Tim. 6.

Tanta eſt quorumdam cupiditas, ut *quidam eam appetentes*, juxta quod ait apoſtolus, *etiam a fide erraverunt*: multi quippe hucuſque ex ſacerdotibus atque laicis accipientes a Judæis munera, perfidiam eorum patrocinio ſuo * fovebant; qui non immerito ex corpore antichriſti eſſe noſcuntnr, * qui contra Chriſtum faciunt. Quicumque igitu r deinceps epiſcopus, ſive clericus, ſive ſæcularis illis contra fidem Chriſtianam * ſuffragium vel munere, vel favore præſtiterit, vere ut profanus & ſacrilegus anathema effectus, ab eccleſia catholica & regno Dei * efficiatur extraneus: quia dignum eſt, ut a corpore Chriſti ſeparetur, qui inimicis patronus efficitur.

* foveat; * quæ Ivo part. 13. cap. 95. * auxilium * habetur,

## LIX.

De conſ. diſt. 4. Plerique. Burch lib. 4. cap. 85. Ivo part. 1. c. 279. * noſcuntur: * correcti,

[b] Plerique qui ex Judæis dudum ad Chriſtianam fidem promoti ſunt, nunc blaſphemantes in Chriſtum, non ſolum Judaicos ritos perpetraſſe noſcuntur, ſed etiam abominandas circumciſiones exercere * præſumpſerunt; de quibus conſultu piiſſimi ac religioſiſſimi principis domini noſtri Siſenandi regis, hoc ſacrum decrevit concilium, ut hujuſmodi tranſgreſſores pontificali auctoritate * correpti, ad cultum Chriſti dogmatis revocentur: ut quos voluntas propria non emendat, animadverſio ſacerdotalis coerceat: eos autem quos circumciderunt; ſi filii eorum ſunt, a parentum conſortio ſeparentur: ſi ſervi, pro injuria corporis ſui, libertati tradantur.

## LX.

18. q. 1. Judæorum fil. Burc. lib. 4. cap 83. Ivo par. 1. c. 277. concil. Tol. XVII. * filias baptizatos; * eorum cura & converſ.

Judæorum filios vel * filias, ne parentum ultro involvantur erroribus, ab eorum conſortio ſeparari decernimus; deputatos aut monaſteriis, aut chriſtianis viris, ac mulieribus Deum timentibus: ut ſub * eorum converſatione cultum fidei diſcant, atque in melius inſtituti, tam in moribus, quam in fide proficiant.

## LXI.

1. qu. 4. Judæi baptiz. Ezech. 18. * patris & pater non portabit iniquitatem filii.

Judæi baptizati, ſi poſtea prævaricantes in Chriſtum, qualibet pœna damnati extiterunt, a rebus eorum fideles filios excludi non oportebit: quia ſcriptum eſt: *Filius non portabit iniquitatem * patris*.

## LXII.

29. q. 1. Sæpe malorum. Burch. lib 4. cap. 48. Ivo par. 1. c. 298. a) MS. *participio*. Hard.

Sæpe malorum conſortia etiam bonos corrumpunt, quanto magis eos, qui ad vitia proni ſunt. Nulla igitur ultra communio ſit Hebræis ad fidem Chriſtianam tranſlatis cum his qui adhuc in vetere ritu conſiſtunt; ne forte eorum [a] participatione ſubvertantur. Quicumque igitur amodo ex his qui baptizati ſunt infidelium conſortia non vitaverint, & hi Chriſtianis donentur, & illi publicis cædibus deputentur.

## LXIII.

28. q. 1. Judæi qui Chriſtianis. Legum VViſegoth. lib. 12. tit. 2. * conjunctione,

Judæi qui Chriſtianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab epiſcopo civitatis ipſius, ut ſi cum eis permanere cupiunt, Chriſtiani efficiantur. Quod ſi admoniti noluerint, ſeparentur: quia non poteſt infidelis in ejus permanere * conjugio, quæ jam in Chriſtianam tranſlata eſt fidem. Fili autem qui ex talibus nati exiſtunt, fidem atque conditionem matris ſequantur. Similiter & hi qui procreati ſunt de infidelibus mulieribus & (a) infidelibus viris, Chriſtianam ſequantur religionem, non Judaicam ſuperſtitionem.

## LXIV.

2. qu. 7. Non poteſt. Idem legib. VViſegoth. l. 12 tit. 2. l. 9 & 10. Ivo part. 1. cap. 96. * abjecerunt.

Non poteſt erga homines eſſe fidelis, qui Deo extiterit infidelis. Judæi ergo qui dudum Chriſtiani effecti ſunt, & nunc in Chriſti fidem prævaricati ſunt, ad teſtimonium dicendum admitti non debent; quamvis eſſe ſe Chriſtianos annuntient. Quia, ſicut in fide Chriſti ſuſpecti ſunt, ita & in teſtimonio humano dubii habentur. Infirmari ergo oportet eorum teſtimonium qui in fide falſi docentur, nec eis eſſe credendum qui veritatis a ſe fidem * abjiciunt.

LXV.

(a) Luc. habet: *fidelibus*.

## LXV.

17. q. 4. Conſtituit ſanct. Idem eſt in Viſigoth. lib. 12. tit. 3. lib. 19. Ivo p. 13. c. 99.

Præcipiente domino atque excellentiſſimo Siſenando rege, id conſtituit ſanctum concilium, ut Judæi, aut hi qui ex Judæis, officia publica nullatenus appetant: quia ſub hac occaſione Chriſtianis injuriam faciunt. Ideoque judices provinciarum cum ſacerdotibus eorum ſubreptiones fraudulenter * elicitas ſuſpendant, & officia publica eos agere non permittant. Si quis autem judicum hoc permiſerit, velut in ſacrilegum excommunicatio proferatur, & is qui ſubrepeſerit publicis cædibus deputetur.

* ſubditas

## LXVI.

Ivo p. 13. cap. 99.

Ex decreto glorioſiſſimi principis hoc ſanctum elegit concilium, ut Judæis non liceat Chriſtianos ſervos habere, nec Chriſtiana mancipia emere, nec cujuſquam conſequi * largitate: nefas eſt enim ut membra Chriſti ſerviant antichriſti * miniſtris. Quod ſi deinceps ſervos Chriſtianos, vel ancillas Judæi habere præſumpſerint, ſublati ab eorum dominatu libertatem a principe conſequantur.

* largitatem
* membris

## LXVII.

12. q. 1. Eſti illi qui. Burch. li. 8. c. 189. Ivo p. 3. c. 249.

(†) Et ſi hi qui nulla ex rebus ſuis pauperibus Chriſti diſtribuunt, æterni judicis voce in futurum condemnabuntur, quanto magis hi qui auferunt pauperibus quod non dederunt? Quapropter epiſcopi, qui nihil ex proprio ſuo * eccleſiæ Chriſti compenſaverunt, hanc divinam ſententiam metuant, & liberos ex * familiis eccleſiæ ad condemnationem ſuam facere non præſumant. Impium eſt enim, ut qui res ſuas eccleſiæ Chriſti non contulit, damnum inferat, & jus eccleſiæ alienare * intendat. Tales igitur * (†) libertos ſucceſſor epiſcopus (†) aliqua oppoſitione ad jus eccleſiæ revocabit: quia eos non æquitas, ſed improbitas abſolvit.

* eccleſiis
* MS. famulis. Hard.
* MS. contendat Hard.
* liberos

## LXVIII.

12. q. 2. Epiſcopus qui. Burch. li. 8. c. 176. Ivo p. 3. c. 137. & p. 16. c. 65.

Epiſcopus qui mancipium juris eccleſiæ, non retento eccleſiaſtico patrimonio, manumitti deſiderat, dum meriti ejuſdem & peculii coram concilio eccleſiæ, cui præminet, per commutationem, ſubſcribentibus ſacerdotibus offerat: ut rata & juſta inveniatur definitio * commutantis. Tunc enim liberam manumiſſionem ſine patrocinio eccleſiæ concedere poterit: * quia cum quem libertati tradere diſponit, jam * (†) jure proprio acquiſivit. Hujuſmodi autem liberto adverſus eccleſiam cujus juris extitit, accuſandi vel teſtificandi denegetur licentia. Quod ſi præſumpſerit, placet ut ſtante commutatione, in ſervitutem * propriæ eccleſiæ revocetur, cui nocere conatur.

* commutationis.
* qui
* juri

Legibus etiam Imperatoriis accuſandi patronos libertis poteſtas adimitur, lib. 44. digeſt. tit. 2. lib. 8.

* propriam

## LXIX.

* aliquid eccl.

Decret. l. 3. tit. 13. c. 3. Burch. lib. 3. cap. 175. Ivo part. 3. cap. 136

Conſenſus totius concilii definivit, ut ſacerdotes qui aut * res ſuas eccleſiæ relinquunt, aut nihil habentes aliqua tamen prædia, aut familias eccleſiis ſuis conquirunt, licebit illis aliquos de familiis ejuſdem eccleſiæ manumittere, juxta rei collatæ modum, quem antiqui canones decreverunt; ita ut cum peculio & poſteritate ſua ingenui ſub patrocinio eccleſiæ maneant, utilitates injunctas ſibi, juxta quod potuerint, proſequentes.

## LXX.

12. qu. 2. Liberti eccleſ. Burch. lib. 8. c. 185. Ivo p. 3. c. 245

Liberti eccleſiæ (quia nunquam moritur eorum patrona) a patrocinio ejuſdem nunquam diſcedant; nec poſteritates quidem eorum, ſicut priores canones decreverunt. Ac ne forte libertas eorum in futura prole non pateat, ipſaque poſteritas naturali ingenuitate obnitens, ſeſe ab eccleſiæ patrocinio * ſubtrahat, neceſſe eſt ut tam iidem liberti, quam ab eis progeniti, profeſſionem epiſcopo ſuo faciant, per quam ſe ex familia eccleſiæ * liberos effectos eſſe fateantur; ejuſque patrocinium non relinquant: ſed juxta virtutem ſuam obſequium ei vel obedientiam præbeant.

* non ſubtrahat.
* libertos

## LXXI.

12. qu. 2. Liberti eccleſ. Burch. lib. 8. c. 184. Ivo p. 3. c. 244.

Liberti eccleſiæ, qui a patrocinio ejus diſcedentes, quibuslibet perſonis adhæſerunt, ſi admoniti redire contempſerint, manumiſſio eorum irrita ſit: quia per inobedientiæ contemptum actione ingrati tenentur.

## LXXII.

Diſt. 87. Liberti qui Burch. lib. 8. c. 186. Ivo part. 3 c. 246. & p. 16. c. 52.

Liberti qui a quibuſcumque manumiſſi ſunt, atque eccleſiæ patrocinio commendati exiſtunt, ſicut regulæ antiquorum patrum conſtituerunt, ſacerdotali defenſione a cujuslibet inſolentia protegantur, ſive in ſtatu libertatis eorum, ſeu in peculio quod habere noſcuntur.

## LXXIII.

Diſt. 54. Quicumque lib. Ivo p. 6. cap. 136. Burch. lib 2 cap. 25.

Quicumque libertatem a dominis ſuis percipiunt, ut nullum ſibimet obſequium patronus retentet, iſti, ſi ſine * crimine ſunt, ad clericatus ordinem * libere ſuſcipiantur; quia directa manumiſſione abſoluti noſcuntur: qui vero retento obſequio manumiſſi ſunt; pro eo quod adhuc a * patrono ſervitute tenentur obnoxii,

* crimine capitali
* liberi
* patroni.

---

(†) Sex capita ſequentia reperi in vetuſtiſſimo Lucenſi Codice 490. ante annos circiter mille ſcripto de quo in Præfatione ad hanc editionem dixi. Ex eo vero dandas hic variantes cenſeo quas ut ſecernerem a variantibus ex alio vetuſto Codice hic a me datas hoc ſigno (†) diſtinguo. Numerum capitum eundem qui eſt in editis ſervat, ed capita æras appellat, ſic *Ex Conc.* Toletan. æra LXVII. *Manſi*.

(†) Liberos. (†) abſque aliqua.

(†) Juris extitit accuſandi vel teſtificandi denegetur licentia. Quod ſi &c.

noxii, nullatenus ſunt ad eccleſiaſticum ordinem promovendi; ne quando voluerint eórum domini, fiant ex clericis ſervi.

LXXIV.

[Bernardus Præpoſitus Papienſis lib. 1. tit. 23. c. 4.] De familiis eccleſiæ conſtituere presbyteros & diacones per parochias liceat; quos tamen vitæ rectitudo & probitas morum commendat: ea tamen ratione, ut antea manumiſſi libertatem ſtatus ſui percipiant, & denuo ad eccleſiaſticos honores ſuccedant: irreligioſum eſt enim obligatos exiſtere ſervituti, qui ſacri ordinis ſuſcipiunt dignitatem. Quidquid autem talibus, aut per libertatem conceſſum; aut ſucceſſione extiterit * [* datum] debitum, aut a quolibet quoquo modo collatum, non licebit eis quippiam inde in extraneas perſonas tranſmittere; ſed omnia ad jus eccleſiæ, a qua manumiſſi ſunt, oportet poſt eorum obitum pertinere. His quoque, ſicut & ceteris eccleſiæ libertis, accuſandi vel teſtificandi adverſus eccleſiam aditus intercluditur: (a) ad quos ſi aſpiraverint, non ſolum libertatis beneficio careant, ſed etiam honoris gradu, quem non dignitate naturæ, ſed temporis neceſſitate promeruerunt.

LXXV.

[Concilio Tolet. V. c. 7. decernitur, ut hoc decretum in omnibus ſynodis peractis publica voce pronuntietur.] Poſt inſtituta quædam eccleſiaſtici ordinis, vel decreta, quæ ad quorumdam pertinent diſciplinam, poſtrema nobis cunctis ſacerdotibus ſententia eſt, pro robore noſtrorum regum, & ſtabilitate gentis Gothorum, pontificale ultimum ſub Deo judice ferre decretum. Multarum quippe gentium (ut fama eſt) tanta exrat perfidia animorum, ut fidem [1] ſacramento promiſſam regibus ſuis ſervare contemnant, & ore ſimulent juramenti profeſſionem, dum retineant mente perfidiæ impietatem. Jurant enim regibus ſuis, & fidem quam pollicentur prævaricant, nec metuunt volumen illud judicii Dei, per quod inducitur maledictio multaque pœnarum comminatio ſuper eos qui jurant in nomine Dei mendaciter. [Jer. 7. & 17.] Quæ igitur ſpes talibus populis contra hoſtes laborantibus erit? quæ fides ultra cum aliis gentibus in pace credenda? quod fœdus non violandum? quæ in hoſtibus jurata ſponſio * [* ſtabilis perm.] permanebit, quando nec ipſis propriis regibus juratam fidem conſervant? Quis enim adeo furioſus eſt, qui caput ſuum manu propria deſecet. (b) Illud notum eſt, immemores ſalutis ſuæ propria manu ſeipſos interimunt, in ſemetipſos ſuoſque reges proprias convertendo vires, & dum Dominus * [* dicit. Pſal. 104.] dicit: *Nolite tangere Chriſtos meos*: & David: *Quis*, inquit, *extendet manum* [1. Reg. 26.] *ſuam in Chriſtum domini, & innocens erit?* Illis nec vitare metus eſt perjurium, nec regibus ſuis inferre exitium. Hoſtibus quippe fides pacti datur, nec violatur. Quod ſi in bello fides valet, quanto magis in * [* ceteris] ſuis ſervanda eſt. Sacrilegium quippe eſt, ſi violetur a gentibus regum ſuorum promiſſa fides; quia non ſolum in eos fit pacti tranſgreſſio, ſed & in Deum quidem, in cujus nomine pollicetur ipſa promiſſio. Inde eſt quod multa regna terrarum cœleſtis iracundia ita permutavit, ut per impietatem fidei, & morum, alterum ab altero ſolveretur. Unde & nos cavere oportet caſum hujuſmodi gentium; ne ſimiliter plaga feriamur præcipiti, & pœna puniamur crudeli (c) Sic enim Deus angelis in ſe prævaricantibus non pepercit, qui per inobedientiam cæleſte habitaculum perdiderunt. Unde & per Iſaiam dicitur: *Inebriatus eſt gladius* [Iſa. 34.] *meus in Cælo*, quanto magis nos noſtræ ſalutis interitum timere debemus, ne per infidelitatem eodem ſævientis Dei gladio pereamus. Quod ſi divinam iracundiam vitare volumus, & ſeveritatem ejus ad clemenriam (d) provocare cupimus, (e) ſervemus erga Deum religionis cultum * [* atque timorem, & uſque ad mortem cuſtod.] cum timore; cuſtodiamus erga principes noſtros pollicitam fidem, atque ſponſionem; non ſit in nobis, ſicut in quibuſdam gentibus, infidelitatis ſubtilitas impia, non ſubdola mentis perfidia, non perjurii nefas, nec conjurationum nefanda molimina. Nullus apud nos præſumptione regnum arripiat; nullus excitet mutuas ſeditiones civium; nemo meditetur interitus regum: ſed & defuncto in pace principe, primates totius gentis cum ſacerdotibus ſucceſſorem regni concilio communi conſtituant: ut dum unitatis concordia a nobis retinetur, nullum patriæ gentis diſſidium per vim atque ambitum * [* moliatur] oriatur. Quod ſi hæc admonitio mentes noſtras non corrigit, & ad ſalutem communem cor noſtrum nequaquam perducit, audite ſententiam noſtram. Quicumque igitur a nobis, vel totius Hiſpaniæ populis, qualibet conjuratione vel ſtudio ſacramentum fidei ſuæ, quod pro patriæ gentiſque Gothorum ſtatu, vel * [* obſervatione] conſervatione regiæ ſalutis pollicitus eſt, * [* tentaverit.] temeraverit, aut regem nece attrectaverit, aut poteſtate regni exuerit,

1 Atto Vercell. tom. 8 Spicil. pag. 105. *juramento*. Hard.

(a) *Quod*. (b) *Illi, ut notum*. (c) *Si enim*. (d) *Revocare*.

(e) Sequentia omittit Lucenſis Codex, & hiſce continuat verba illa: *etiam fautores tanti criminis una cum eis qui (in) eadem conjuratione tanti criminis manere noſcuntur pari pœna perditionis conſtringantur, quos in perniciem &c.* ut in editis inferius

rit, aut præſumptione tyrannica regni A faſtigium uſurpaverit, anathema ſit in conſpectu Dei Patris & angelorum, atque ab eccleſia catholica, quam profanaverit perjurio, efficiatur extran-us, & ab omni cœtu Chriſtianorum alienus, cum omnibus impietatis ſuæ ſociis: quia oportet ut una pœna teneat obnoxios, quos ſimilis error invenerit implicatos. Quod iterum ſecundo replicamus dicentes: Quicumque amodo ex nobis vel cunctis Hiſpaniæ populis quolibet tractatu vel ſtudio ſacramentum fidei ſuæ, quod pro patriæ gentiſque Gothorum ſtatu, vel B conſervatione regiæ ſalutis pollicitus eſt, violaverit, aut regem nece attrectaverit, aut poteſtate regni exuerit, aut præſumptione tyranica regni faſtigium uſurpaverit, anathema ſit in conſpectu Chriſti, & * apoſtolorum ejus, atque ab eccleſia catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus; & ab omni. conſortio Chriſtianorum alienus, & damnatus in futuro Dei judicio habeatur, cum comparticipibus ſuis. Quia dignum eſt, qui talibus ſociantur, ipſi etiam damnationis eorum participatione obnoxii te- C neantur. Hoc etiam tertio acclamamus, dicentes: Quicumque amodo ex nobis vel cunctis Hiſpaniæ populis qualibet meditatione vel ſtudio ſacramentum fidei ſuæ, quod pro patriæ ſalute, gentiſque Gothorum ſtatu, vel incolumitate regiæ poteſtatis pollicitus eſt, violaverit, aut regem nece attrectaverit, aut poteſtate regni exuerit, aut præſumptione tyrannica regni faſtigium uſurpaverit, anathema ſit in conſpectu Spiritus ſancti, & martyrum Chriſti, atque ab eccleſia catholica, quam perjurio profanaverit, ef- D ſiniatur extraneus, & ab omni communione Chriſtianorum alienus; neque partem juſtorum habeat, ſed cum diabolo, & angelis ejus, æternis ſuppliciis condemnetur, una cum eis qui eadem conjuratione nituntur: * ut par pœna perditionis conſtringat, quos in perniciem prava ſocietas copulat. Et ideo, ſi placet omnibus qui adeſtis, * hæc tertio reiterata ſententia veſtræ vocis caiu conſenſu firmate. Ab univerſo clero, vel populo dictum eſt: Qui contra hanc * E veſtram definitionem præſumpſerit, anathema, maranatha (hoc eſt) perditio in * adventum domini ſit, & cum Judâ Iſchariot partem habeat, & ipſi & ſocii eorum: Amen.

*angelorum*

** &*

** hoc tertio reiteratam ſententiam veſtræ*

** noſtram*

** adventu*

Quapropter nos ipſi * ſacerdotes omnem eccleſiam Chriſti ac populum admonemus, ut tremenda hæc & toties iterata ſententia nullum ex nobis præſenti atque æterno condemnet judicio: ſed ſidem promiſſam erga glorioſiſſimum do- A minum noſtrum Silenandum regem cuſtodientes, ac ſincera illi devotione famulantes, non ſolum divinæ pietatis clementiam in nobis provocemus, ſed etiam gratiam anteſati principis percipere mereamur: Amen.

** & ſacerdotes omnes ſanctam eccleſiam*

Te quoque præſentem regem, futuroſque ſequentium ætatum principes humilitate qua debemus depoſcimus, ut moderati & mites erga ſubjectos exiſtentes, cum juſtitia & pietate populos a Deo vobis creditos regatis, bonamque viciſſitudinem qui vos conſtituit largito- B ri Chriſto * reſpondeatis; regnantes cum humilitate cordis, cum ſtudio bonæ actionis. Ne quiſquam veſtrum ſolus in * cauſſis capitum, aut rerum ſententiam ferat: ſed conſenſu publico, cum rectoribus ex judicio manifeſto delinquentium culpa pateſcat; ſervata vobis in offenſis manſuetudine, ut non ſeveritate magis in illis quam indulgentia polleatis: ut dum omnia hæc, auctore Deo, pio a vobis moderamine conſervantur, & reges in populis, & populi in regibus, & Deus in utriſque lætetur. Sane de fu- C turis regibus hanc ſententiam promulgamus, ut ſi quis ex eis contra reverentiam legum ſuperba dominatione, & faſtu regio in flagitiis & facinore, ſive cupiditate crudeliſſimam poteſtatem in populis exercuerit, anathematis ſententia a Chriſto domino condemnetur, & habeat a Deo ſeparationem atque judicium, propter quod præſumpſerit prava agere, & in perniciem regnum * convertere. De Suintilane vero, qui ſcelera propria metuens, ſeipſum regno privavit, & poteſtatis faſcibus exuit, id cum gentis con- D ſultu decrevimus, ut neque eundem vel uxorem ejus, propter mala quæ commiſerunt, neque filios eorum unitati noſtræ unquam conſociemus, nec eos ad honores, a quibus ob iniquitatem dejecti ſunt, aliquando * promoveamus; quique etiam, ſicut a faſtigio regni habentur extranei, ita & a poſſeſſione rerum, quas de miſerorum ſumptibus * hauſerunt, maneant alieni; præter id quod pietate piiſſimi principis noſtri fuerint conſecuti. Non aliter & * Gelanem memorati * Suintilani & ſanguine & ſcelere fratrem, qui neque E in germanitatis * fœdere ſtabilis extitit, nec fidem glorioſiſſimo domino noſtro pollicitam conſervavit, hunc igitur cum conjuge ſua, ſicut & * antefatos, a ſocietate gentis, atque conſortio noſtro placuit ſeparari, nec in amiſſis facultatibus, in quibus per iniquitatem creverant, reduces fieri; * præter id quod conſecuti tuerint pietate clementiſſimi principis noſtri: cujus gratia & bonos donorum præmiis ditat, & malos a beneficentia ſua * non

*Hæc omnia de formando optimo principe fere deſumpta ſunt ex Auguſtino lib. 5 de civit. Dei, cap. 24. Sed felices eos dicimus (inquit) ſi juſte imperant; ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium, non extolluntur, &c. per totum caput, in quo verum regum felicitatem deſcribit.*

** rependatis: * cauſſa capitum aut rerum ſententia feriat.*

** deducere.*

** provehamus.*

** auxerunt,*

** Geilanem * Suintilanis*

** fide*

** ante ſanctum eſt,*

** præter id*

** congru non ſeparat*

non ſeparat. Gloria autem & honor omnipotenti Deo noſtro, in cujus nomine congregati ſumus. Poſt hæc ſalus, & pax, & diuturnitas piiſſimo & amatori Chriſti domino Siſenando regi; cujus devotio nos ad hoc decretum ſalutiferum convocavit. Corroboret Chriſti gloria regnum illius, * gentiſque Gothorum in fide catholica: annis & meritis protegat illum uſque ad ultimam ſenectutem ſumma Dei gratia: & poſt præſentis regni gloriam, ad æternum regnum tranſeat; * ut ſine fine regnet, qui * intra ſæculum feliciter imperat; ipſo præſtante qui eſt Rex regum & dominus dominantium, cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

* gentesque
* &
* in ſæculo

Definitis itaque iis quæ ſuperius comprehenſa ſunt, annuente religioſiſſimo principe, placuit deinde, nulla re impediente, a quolibet noſtrum ea quæ conſtituta ſunt temerari; ſed cuncta ſalubri conſilio * conſervare: quæ quia profectibus eccleſiæ, & animæ noſtræ conveniunt, etiam propria ſubſcriptione, ut permaneant, roboramus. *

* conſervari
* & ſubſcripſerunt omnes.

## [1] SUBSCRIPTIONES.

* Ego Iſidorus in Chriſti nomine eccleſiæ Hiſpalenſis epiſcopus metropolitanus * hæc ſtatuta ſubſcripſi.

* hæc conſtituens

(a) * Selva Narbonenſis metropolitanus epiſcopus ſubſcripſi.

* Ego Iſclua

* Stephanus eccleſiæ Emeritenſis metropolitanus epiſcopus ſubſcripſi.

Julianus eccleſiæ Bracarenſis metropolitanus epiſcopus ſubſcripſi.

(b) * Juſtus eccleſiæ Toletanæ metropolitanus epiſcopus ſubſcripſi.

Audax eccleſiæ Tarraconenſis metropolitanus epiſcopus ſubſcripſi.

Stephanus * Auſenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. * Auſonenſis

Petrus * (c) Veterenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. * Beterrenſis

P. Acutulus * Elenenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. * Elenſis

(d) * Nonnitus Gerundenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. * Venitus

(e) * Conantius * Palentinæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. * Apalentinæ

Clarentius Accitanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Bigitinus Bigaſtrenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

(f) Siſaldus Emporitanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Bonifacius Caurienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Hilarius Complutenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Euſebius Baſtitanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Gabinius Calagurritanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Joannes * Illeplenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. * Ilipenſis

(g) Siſiclus Elborenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Marcellus Urcitanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Deodatus Egabrienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Joannes Dertoſanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Euſebius Valerienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

(h) * Leudeficus Cordubenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. * Leodefredus

Jacobus Menteſanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Germanus monaſterii Dumienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Samuel Irienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Profuturus Lamicenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Servuldei * Calabrienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. * Iacobrigenſis

(i) Monteſis Egitanienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

(k) * Remaſſarius * Memanenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. * Nemetarius * Nomalenſis

(l) Concordius Aſturienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ranarius Urgelitanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Eugenius * Egarenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. * Egabrenſis

Florentius Setabitanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

(m) Theodoigius Abilenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

(n) Abentius Aſtigitanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Pimenius Aſidonenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Etherius Eliberitanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Anatolius * Luthuenſis eccleſiæ epiſcopus * ſubſcripſi. * Luthenſis * Lutuvenſis

Fructuoſus Ilerdenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Perſeverantius Caſtellonenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Muſitacius Valentinæ eccleſiæ epiſc. ſubſcripſi.

* Viaricus (o) Olyſipponenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. * Ubaricus

Antonius (p) Segobrienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Anſiulfus Portugalenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Serpennius Illicitanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Suanila Oretanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

(q) Methepius * Britanienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. * Britannenſis

Anaſtaſius Tudenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ilpi-

(a) Luc. ſic Legit: *Ego Selva in Chriſti nomine eccleſiæ &c.* (b) Hæc ſubſcriptio deeſt in Luc. (c) *Beterrenſis.* (d) *Nummitus.* (e) Deeſt hæc ſubſcr. (f) *Seſuldus.* (g) *Siſiſclus.* (h) *Leudefridus.* (i) *Montenſis.* (k) *Remerarius &c. Nemauſenſis.* (l) Deeſt hic. (m) *Trudoſus.* (n) Deeſt hic. (o) *Heliponenſis.* (p) *Egeſrenſis.* (q) *Metopius.*

Ilpidius Tyraſſonæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

(a) Ordulphius Oſcenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

* Braulio Cæſarauguſtanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Anſericus Segobienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

(b) Iſdiſclus Segontienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

* Porro, Eparchius, Haid.

* Epartius Italicenſis epiſcopus eccleſiæ ſubſcripſi.

* Veſenſis

Lauſus * (c) Vaſenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

* Moderarius

* Modarius Pacenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Hiccila Salmanticenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Baſconius Lucenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Egila Oxomenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Contaurus eccleſiæ Tuccitanæ presbyter, agens vicem domini mei Fidentii

(d) * Contaurus presbyter vicarius Fidentii Tuccitani epiſcopi ſubſcripſi.

* Conimbricenſis

Renatus presbyter vicarius Ermulfii epiſcopi * Coimbrienſis ſubſcripſi.

Marcus presbyter vicarius David Aurienſis epiſcopi ſubſcripſi.

Joannes presbyter vicarius Severi Barcinonenſis epiſcopi ſubſcripſi.

Domarius archidiaconus vicarius Carterii Arcavicenſis epiſcopi ſubſcripſi.

Sthephanus archidiaconus vicarius Geneſii Magalonenſis epiſcopi ſubſcripſi.

* Arcaſcenus

Donellus archidiaconus vicarius Solemnii * Carcaſonenſis epiſcopi ſubſcripſi.

## Notæ Garsiæ Loaisæ.

Sub quo primate Toletano.

a *Concilium Toletanum IV.* ) Quartum concilium Toletanum Rodericus lib. 2. capite 19. affirmat ſub Juſto regiæ urbis primate fuiſſe celebratum, Joannes Magnus libro 16. capite 17. perperam ſub Eugenio. Eſt concilium nationale: nam Cinthilæ regi, qui primus ex omnibus regibus Gothis, pulſis Romanis, totum Hiſpaniæ regimen obtinuit, ſucceſſit Siſenandus: qua de cauſſa, ut imperium obfirmaret, convocat totius gentis & omnium provinciarum ſynodum.

Quo tempore.

b *Æra* DCLXXI. ) Rodericus aliter: nam affirmat Siſenandum regnare cœpiſſe æra 673. & regnaſſe annos quinque, menſes undecim. Lucas Tudenſis ſic habet: *Æra 671. anno imperii Heraclii 18. poſt Cinthilanum regem, Siſenandus regnat annis tribus: iſte ſynodos epiſcoporum egit, patiens fuit regulis catholicis, orthodoxus extitit, Toleto vitam finivit, æra* DCLXXIV. Verum ſequor fidem codicum manuſcriptorum, qui omnes & conſtantiſſime legunt; tertio anno Siſenandi editum, æra DCLXXI. quam computationem amplectitur Joannes Vaſæus.

Martyris & confeſſoris nomina quot modis ſumantur.

c *Confeſſoris.* ) Martyr & confeſſor, ſi nominis vim perpendas, & veteris eccleſiæ uſum, & hodie eccleſiaſtica officia, diverſimode accipiuntur, tamen aliquando in eadem ſignificatione uſurpatas voces reperies. Martyr dicitur, qui pro Chriſti fide conſtans in agone occubuit. Hæc communior acceptio eos quoque amplectitur, qui extrema paſſi, miraculo ſervati, vitam diutius protraxerunt; & eos, qui non tantum ferro, igne, & aliis diris ſuppliciis necati, ſpectaculum mundo facti, ſed fame, ſqualore, inedia, fœtore, carceribus clauſi, ultimum ſpiritum læti Deo reddiderunt ut Cyprianus eſt auctor libro de duplici martyrio; ſi ejus eſt. Confeſſor dicitur, qui pro Chriſti fide captus, coram fidei hoſtibus, publice & palam fidem profeſſus, tormentis non potuit adigi ut fidem abnegaret. Hac ſignificatione ſtrictiori a patribus hæc vox eſt uſurpata, ut auctor eſt idem Cyprianus epiſtola 6. & 7. libri ſecundi, & Hieronymus epiſtola 84. Fueruntque hi viri in Dei eccleſia magno honore ſemper habiti ut ex epiſtolis Cypriani patet, & conciliis, & literis confeſſoriis, quibus ab epiſcopis in peregrinatione magnopere commendabantur. Si vero aliquid tormentorum eſſet expertus, non tamen in martyrio occubuiſſet, tunc martyr & confeſſor dicebatur; quamvis a Tertulliano libro ad martyres hi non ſimpliciter martyres, ſed deſignati martyres appellantur. De diverſa harum vocum acceptione conſule epiſtolas Cypriani. Tamen uſus poſtea obtinuit, ut omnes qui ſancte & pie vitam traduxiſſent, & ſancto probato fine in domino quieviſſent, confeſſorum titulo colerentur. Hic vero Leocadia vocatur confeſſor, quia non ferro, ſed carceris ſqualore, & fœtore, & inedia extremum diem clauſit. Codex Alveldenſis addit, & martyris: ſimiliter excuſi, & in peculiari feſto, ei in eccleſia Toletana dicato, virgo & martyr dicitur.

Leocadia quæ & qualis.

d *Leocadia.* ) Diva Leocadia fuit Toletana civis, ex nobiliſſimis parentibus orta: virgo pro fide Chriſti a Daciano nominis Chriſtiani immaniſſimo hoſte capta, in carcerem truſa; ubi pie & ſancte orando vitam ſqualore & fame finivit. Extant in regia urbe tres eccleſiæ ei dicatæ; duæ collegiatæ fere collapſæ, tertia parochialis. In illa vero quæ eſt in ſuburbio Tago impoſita, corpus ejus ſepulturæ honorifice fuit traditum: cujus rei cauſſa, parva & exilis illa baſilica magnorum fuit conciliorum altrix ac mater: altera, quæ eſt in arce regia, ejus carcer fuit: parochialis, nobilium parentum domus, & ſanctæ educationis domicilium. Ejus venerandum corpus, cum Sarraceni Hiſpaniam invaſiſſent, in Belgas delatum, in monaſterio ſancti Giſſeni apud *Mont en Henault*, honorifice cultum: poſtea a Joanna regina Philippi primi uxore, crux ſanctæ eccleſiæ Toletanæ in nave aurea, gemmis ornata, devotionis cauſſa dicata: tandem Philippo II. rege clementiſſimo, Alexandro Farneſio prorege apud Belgas, ſtudio & diligentia Petri Martines patris ſocietatis Jeſu, corpus ſecreto in Hiſpaniam delatum, honorifice priſtinæ civitati & eccleſiæ ſolenni pompa reſtitutum; aſtantibus Philippo rege, & principe, Maria Auguſta, & Eliſabeth filia natu majore Philippi, qui una cum Philippo principe & Hiſpaniæ proceribus corpus humeris impoſitum in baſilicam majorem pie & humiliter intromiſit, die 26. Aprilis, anno domini 1587. Quibus omnibus interfui.

Cap. 1. Quomodo dicatur Verbum Dei hominem ſuſcepiſſe.

e *Suſciperet hominem.* ) Phraſis eſt patrum, quam ſcholaſtica theologia merito propter hæreſes non ſuſcipit, quin potius hac utitur: Suſcepit humanitatem. Priorem dicendi formulam uſurpat Auguſtinus libro 83. quæſtionum, quæſtione 9. & de fide & ſymbolo, capite 4. & lib. 9. de civitate Dei cap. 17. Et Ambroſius lib. 5. de fide, cap. 5. Origenes in Matthæum 13. Hieronymus ad Galatas. Gregorius Nyſſen. in ſermone natalis domini. Hilarius lib. 9. de Trinit. & concilium Toletanum VI. cap. 1. & D. Thomas 3. part. quæſt. 4. articulo 3. ad princ. affirmat, hanc locutionem non eſſe tamquam propriam extendendam, ſed pie exponendam; ut dicamus hominem ſuſceptum, quia ejus natura eſt aſſumpta, & quia aſſumptio terminata eſt ad hoc, ut Filius Dei ſit homo. Concilio Toletano VI. cap. 1. dicitur hominem aſſumpſiſſe.

Cap. 2. Ritus pſallendi qui & quales eſſe debeant.

f *Antiqui canones* ) Ut concilium Venetum ſtatuit ſub Leone I. cap. 15. & Bracarenſe I. anno tertio Ariamiri regis cap. 1. & Epaonenſe ſub Gelaſio I. cap. 4. & concilium Gerundenſe ſub * Hormida cap. 1. Atque hæc quidem ſunt antiqua patrum decreta, quibus præſcribitur, ut unus pſallendi & orandi ordo ſervetur in miſſarum ſolennibus, & veſpertinis, & matutinis officiis. Idem etiam poſtea ſtatutum eſt in concilio Toletano XI. cap. 3. ut is ordo ubique ſervetur, qui in metropolitana eccleſia noſcitur inſtitutus. Demum in Tridentino concilio catechiſmum, miſſale & breviarium fieri decretum eſt; quibus univerſalis eccleſia uteretur. Quod a ſancto pontifice Pio V. confectum magna Chriſtiani populi unitate obſervatur. Sunt qui affirment curam in hoc concilio ſancto Iſidoro Hiſpalenſi hujus rei traditam (utpote qui primas partes in hoc concilio tenuit) ut miſſale & breviarium reformatum ex more Gothico omnibus eccleſiis utendum conficeret, quod nunc dicitur Mozarabe; eo quod hanc ſacrorum formam poſtea Chriſtiani inter Arabes in captivitate miſerabili preſſi religioſe ſervaverint: ipſi Mixtarabi; officium eccleſiaſticum Mixtarabum appellatum.

* Hormiſda

Iſidorus auctor miſſalis & breviarii quod dicitur Mozarabe.

Cap. 3. Quoties concilia celebranda in anno?

g *Bis in anno.* ) Antiquum apoſtolorum decretum fuit, ut bis in anno concilia haberentur, can. 38. Idem concilium Nicænum ſancit, & Hormiſda papa epiſtola ad epiſcopos Hiſpaniæ cap. 3. & Zacharias epiſtola 4. & Aurelianenſe concilium III. can. 1. & IV. can. 36. Poſtea decretum fuit, ut ſemel in anno congregarentur, ut in concilio Toletano III. cap. 18. Idem Gregorius magnus ad epiſcopos Siciliæ. Poſtea iterum idipſum temperatum, ut tertio quoque anno cogerentur concilia provincialia. Sic in concilio Matiſconenſi II. can. 20. & Lateranenſi III. ſeſſ. 10. & concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 8. Tempus vero congregationi aptum decernitur autumnale;

(a) Huſdulfus. (b) Nidiſclus. (c) Benſenſis.
(d) Sequentes omnes epiſcopi deſunt in Luc.

nale; ut liquet ex III. concilio Toletano, cap. 18. vernale, ut hic: vel poſt octavam paſchæ reſurrectionis domini noſtri Jeſu Chriſti, ſeu alio denique commodiore tempore fieri id conceditur, pro more cujuſque provinciæ.

Cap. 4. Votum deciſivum in concilio habent ſoli epiſcopi.

h *Presbyteri a tergo eorum reſideant.*) Nullus presbyterorum vocem deciſivam in conciliis habebat: quidquid Michael Thomaſius commentetur, neque laici, licet imperiali dignitate præfulgeant: ſolis enim epiſcopis cauſſa fidei eſt conceſſa, ut veris judicibus. De qua re vide Oſium lib. 2. adverſus Breatium, de legitimis eccleſiæ judicibus. Baſilius etiam imperator in VIII. ſynodo id atteſtatur. Et ſi regum, & imperatorum ſubſcriptiones in conciliis reperiuntur, perpende eas diverſas eſſe a verbis ſubſcriptionum epiſcoporum, neque reperiri, niſi in cauſſa communi fidei, ut eorum auctoritate & imperio decreta patrum aptius cuſtodiantur. Unde Theodoricus rex catholicus dicebat, nec aliquid ad ſe pertinere de eccleſiaſticis negotiis, propter reverentiam: capite Concilia ſacerdotum, diſtinctio. 17.

Archidiaconi munus & officium.

i *Archidiaconum.*) Pro officii mei honore & dignitate, non gravabor apponere aliquid de ejus functionis cura. Non inſtituitur archidiaconus, niſi fuerit diaconus: ut Urbanus papa decrevit in concilio Arvernæ celebrato, & Calliſtus, & Innocentius II. Debet enim is eſſe, qui prudentia & merito vitæ clareſcat. Eſtque coadjutor epiſcopi in ordinatione clericorum. De hoc Iſidorus Hiſpalenſis ad Laudefredum ſic inquit: *Archidiaconus imperat ſubdiaconis & Levitis: ad quem iſta pertinent miniſteria; ordinatio veſtiendi altaris a Levitis, cura incenſi, & ſacrificii neceſſaria ſollicitudo, quis Levitarum ad populum evangelium legat, quis preces dicat, ſeu reſponſoria in dominicis diebus, aut ſolemnitatibus decantet. Sollicitudo quoque parochiarum, & ordinatio, & jurgia ad ejus pertinent curam; pro reparandis diœceſanis baſilicis ſe ſuggerit ſacerdoti; ipſe inquirit parochias cum juſſione epiſcopi*, &c. quæ habentur diſtinctione 25. & adducuntur ab Innocentio III. de officio archidiaconi cap. 7. Officium etiam archidiaconorum tradidit Iſidorus lib. 2. de eccleſ. officiis cap. 8. Subſcribunt archidiaconi in conciliis voce conſultiva, & deciſiva: ut patet ex ſubſcriptionibus concilii VI. Toletani. *Gudila archidiaconus Toletanus hæc geſta ſynodica a nobis definita ſubſcripſi.* Rege Vvamba æra 713. & Quirico archiepiſcopo Toletano. Similiter in XIII. & XV. ſubſcribit Ubiſandus archidiaconus. Cœperuntque ita ſubſcribere archidiaconi in conciliis Toletanis, a concilio Toletano VIII. & deinceps.

Cap. 6. Una an trina merſio in baptiſmo uſurpanda?

k *Trinam quidam, quidam ſimplam merſionem faciunt.*) Trina merſio cum invocatione Patris & Filii & Spiritus ſancti in principio eccleſiæ celebris, & patribus in uſu poſita, ad fidem ſanctæ & individuæ Trinitatis, unitatem, & diſtinctionem ſtabiliendam, & populos docendam. Inſignis eſt locus Ambroſii lib. 2. de ſacramentis cap. 7. *Interrogatus*, (inquit) *Credis in Deum Patrem omnipotentem? dixiſti: Credo, & merſiſti, hoc eſt, ſepultus es. Iterum interrogatus es; Credis in dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & in crucem ejus? dixiſti; Credo, & merſiſti; ideo & Chriſto es conſepultus. Tertio interrogatus es; Credis in Spiritum ſanctum? Credo, & tertio merſiſti; ut* [illegible]*licem lapſum ſuperioris ætatis ablueret trina confeſſio.* [illegible]c Ambroſius. Idem comprobat canon apoſtolorum 50. Si quis epiſcopus. Tertullianus lib. adverſus Praxeam, cap. 26. Athan. quæſt. 125. Auguſtinus homilia 3. apud Gratianum diſtinctione 4. & Hieronymus adverſus Luciferian. ſanctus Chryſoſtomus homil. 24. in Joannem. Omnes hi patres in ea ſunt ſententia, ut tria merſione conferendum ſit baptiſma. Verum in Hiſpania ſimpla merſione confertur, infundendo aquam ſupra caput baptizati, ex decreto Gregor. mag. lib. 1. regiſt. epiſt. 41. ad Leandrum Hiſpalenſem: & habetur de conſecr. diſtinctione 4. cap. de trina merſione. De hac re vide quid ſtatuat Thomas 3. part. quæſt. 66. art. 8.

Cap. 7. Antiqua eſt conſuetudo, communicare in paſchate.

l *Venerabilem diem.*) Antiquum eccleſiæ morem obſerva celebrandi hebdomadam ſanctam in quadrageſima, & prædicandæ crucis myſterium, & confitendi peccata, eaque abſolvendi, accipiendi denique corpus & ſanguinem Chriſti in die ſancto & venerabili dominicæ reſurrectionis. Quem morem etiam nunc catholica eccleſia ſanctiſſime & religioſiſſime colit. Indeque ſtatutum eſt in concilio Lateranen. cap. 21. ut omnis utriuſque ſexus ſuſcipiat reverenter ad minus in paſcha euchariſtiæ ſacramentum.

Cap. 9. Cerei paſchalis benedictio a quibus uſurpata.

m *Benedicimus.*) In cerei novique luminis benedictione Theodorus papa 73, ſub Petro, & D. Ambroſius, D. etiam Auguſtinus, & Petrus diaconus Caſſinenſis elaborarunt. Eam autem, qua nunc Romana eccleſia utitur, a D. Gregorio magno compoſitam, muſiciſque tonis ornatam ferunt.

Cap. 10. Oratio dominica in miſſa eſt recitanda.

n *Quiſquis ergo ſacerdotum.*) Dominicam orationem in ſacrificio miſſæ vel publico vel privato eſſe dicendam Chriſtus docuit, auctore D. Hieronymo lib. 3. adverſus Pelagianos: *Sic docuit* (inquit) *Chriſtus apoſtolos ſuos, ut quotidie in corporis illius ſacrificio credentes audeant loqui: Pater noſter qui es in cœlis.* Greg. lib. 7. epiſt. 63. *Mos fuit* (inquit) *apoſtolorum ad ipſam orationem dominicam immolationis hoſtiam conſecrare.* Tertullianus idem videtur ſentire, lib. de oratione cap. 9. Deinde eccleſia poſt conſecrationem, & canonem, dominicam orationem dici præcepit, ut teſtatur Ambroſius de ſacramentis cap. 4. Auguſtinus ſermone de verbis domini 28.

Cap. 11. Alleluja quamdiu in eccleſia decantatum fuerit.

o *Alleluja.*) De hujus vocis uſu in eccleſia Romana & ſignificatione conſule D. Hieron. epiſt. 7. & 27. & ad Marcellam, epiſt. 137. & Gregorium in regiſtr. lib. 7. indictione 2. epiſt. 63. Auguſtinus in pſalmum 106. teſtatur, uti in eccleſia alleluja, eſſe antiquam eccleſiæ traditionem: & ad Januarium epiſt. 109. cap. 17. & lætis duntaxat temporibus cani jam ab apoſtolico ſæculo, ut in paſchate; idem in epiſt. ad Caſulanum. Erat alleluja carmen muſicum ruſticorum; & cum operi agreſti incumberent, alleluja cantabant: inde in tonis muſicis eccleſiæ uſurpatum. Iſidor lib. etymol. 6. c. 19. *Alleluja duorum verborum* (inquit) *interpretatio eſt, hoc eſt, laus Dei, & eſt Hebræum. Significat igitur laudare Deum cum jubilo & lætitia & cantu; unde in cœlo auditur, ubi omnia cantica ſunt læta, & perpetuum alleluja.* Apocal. 19. Juſtinus martyr quæſt. 50. ad orthodoxos alleluja collaudare interpretatur. Idem Auguſt. 2. de doctrina Chriſtiana c. 10. & Theodoretus ad pſal. 146. Hinc illi pſalmi, qui ad laudem Dei & lætitiam animæ ordinantur, allelujatici vocantur a divo Auguſtino pſal. 105. Unde aliud

Alleluja quid?

ſignificat alleluja, quam laus tibi domine: nam alleluja eſt laus Dei cum lætitia & cantico: quare certis diebus canitur, & non omni tempore, ut inquit Auguſtinus in pſalm. 106. Quod vero alleluja non cantetur in quadrageſima, Iſidorus eſt auctor lib. 1. de eccleſ. offic. capite 13. ubi inquit. *Verum apud nos, ſecundum antiquam Hiſpaniarum traditionem, præter dies jejuniorum, vel quadrageſimæ, omni tempore cantitur alleluja.* Idem Gregorius lib. 7. epiſt. 63. Auguſtinus in enarrationibus in pſalmum 118. fuſe hoc argumentum proſequitur.

Cap. 12. Canticum trium puerorum poſt miſſam dicendum.

p *Laudes poſt apoſtolum.*) Laudes vocat hymnum trium puerorum, de quo infra, cap. 14. Berno abbas facit Gregorium primum auctorem hymni trium puerorum dicendi in fine miſſæ. Eſtque hymnus vox Græca laudes ſignificans: unde illud, hymno dicto Matth. 26. quo laudes Deo decantatas poſt cibum ſignificat. Hodie dicto evangelio dicitur a ſacerdote, Laus tibi Chriſte: verum laudes more Romano, poſt epiſtolam ſequuntur.

Cap. 13. Hymni antiquitus in eccleſia decantati.

q *Beatiſſimi doctores.*) Hymnos componere, & canere in eccleſia, antiquis Chriſtianis in more fuit poſitum, ut teſtatur Philo Judæus, lib. de ſupplicum virtutibus. Euſebius lib. 2. hiſtor. cap. 16. Dionyſius Areopagita de divinis nominibus cap. 4. Sacratiſſimum corpus beatæ virginis Mariæ cum hymnis delatum ſcribit Nicephorus lib. 2. capite 22. In concilio Antiocheno ante annos mille & trecentos damnatus eſt Paulus Samoſatenus, qui pſalmos & hymnos in honorem Chriſti decantatos exploſit & ejecit. Hoc conſtat apud Euſebium, lib. 7. c. 24. Hilarius librum hymnorum compoſuit, ut auctor eſt Hieronymus in catalogo. Ambroſius hymnos edidit, ut auctor eſt Auguſtinus libro primo retract. capite 21. Et ipſe Ambroſius hymnorum ſuorum meminit in oratione in Auxentium, & ſanctus Bernardus in regula. Extant alii ſanctorum hymnorum auctores, ut Syneſius, Cyrenæus, Theophanes, Coſmas Hieroſolymitanus, & alii. Theodoſius junior princeps religioſiſſimus, cujus regia non diſſimilis erat a monaſterio, primo diluculo hymnos alternis recitabat. Socrates libro 7. capite 22. Nicephorus libro 14. capite 13. Berno abbas de officio miſſæ cap. 3. ſcribit hymnum angelorum, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus, a Teleſphoro primum fuiſſe auctum, & a Symmacho completum, eccleſiæque cantandum traditum. Nicephorus libro 11. capite 16. rationem modumque hymnorum canendorum tradit ex Joſepho. Dionyſius Areopagita libro de divinis nominibus, capite quarto, parte ſecunda librum Hierothei ſanctiſſimi hymnorum divinorum affert.

Cap. 15. Hymnus Gloria Patri & Filio, &c. a quo inſtitutus

r *In fine pſalmorum.*) De verſu illo, Gloria Patri & Filio, &c. ſupra diximus. Verum ſunt qui dicant a Flaviano Antiocheno, adjutore Chryſoſtomo, compoſitum, ut Nicephor. lib. 9. cap. 24. & 18. cap. 51. & aliter a catholicis Græcis in fine pſalmorum decantari, aliter ab Arianis. Sozomenus lib. 3. cap. 20. Theodorus lib. 2. cap. 24. Nicephor. lib. 9. cap. 24. poſtea conſilio Hieronymi in eccleſia Latina additum finibus pſalmorum a Damaſo, ipſe refert in epiſtola ad Damaſ. Et hic mos Romanus prævaluit in eccleſia, & ita non Gloria & honor, ſed Gloria Patri dicitur.

Cap. 20. Levitæ quis

ſ *Levitæ conſecrentur.*) Levitas vocat diaconum & ſubdiaconum. Vid. concil. II. cap. 1. & Carthaginenſe III. cap. 4. & Agathen. can. 16. & 17. Arelatenſe III. can. 1. Wormat. cap. 69. & Siricius papa epiſt. 1. cap. 9. noviſſime concilium Tridentinum de ætate Levitarum ſtatuit.

Cap. 21.

t *In conclavi ſuo.*) Clericos ſelectos, ad ſanctiorem vitam adſpirantes, ab epiſcopo aſſumptos, manere cum eo in clauſura, paupertate, & præpoſitorum obedien-

tia, & ad teſtimonium vitæ epiſcopi conſtat ex concilio Toletano II. cap. 1. & ex Auguſtino in ſermone 22. de communi vita clericorum, & ſermone 36. ad presbyteros. Inde ortum habuit canonicorum ordo & regula in eccleſiis cathedralibus & collegiatis. Poſſidonius in vita divi Auguſtini refert, communi menſa in conclavi cum preſbyteris & clericis uti ſolitum Auguſtinum.

Canonicorum origo quæ?

Cap. 24. Origo ſeminarii clericorum.

u *Omnes in uno conclavi.* ) Inſtitutionem hujus ſeminarii clericorum primum ortam invenio in concil. Tolet. II. deinde in conſtit. Alexand. IV. & in primo Lateran. c. 11. demum in exactam formam redegit concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 1.

Cap. 26. Libellus officialis quis dicatur?

x *Libellum officialem.* ) Sacramentorum manuale nunc appellatur: & in eo etiam decreta patrum de ſacramentorum uſu & ritibus contineri apparet ex concil. Mogunt. cap. 22. ubi de libro officiorum fit mentio: & dum regula ex eo de clericis vagis adducuntur: concilio Toletano octavo vocatur ſupplementum.

Cap. 28. Orarium quid?

y *Orarium & annulum.* ) Orarii meminit S. Ambroſius in oratione de obitu fratris Satyri. Orarium dicitur ſtola oraria apud Burch. libro 6. cap. Presbyter, & in ſiniſtro humero a Levita geſtandum ex decreto Silveſtri papæ, & in concilio Romano ab eodem coacto, cap. 6. & infra in hoc concilio capite 40. dicitur, & quod non debet Levita illud geſtare coloribus aut auro ornatum. Non erat autem una eademque ratio geſtandi orarium diacono & ſubdiacono conceſſa, ut ex Bracarenſi primo patet, cap. 9. *Orarium*, inquit, *habeat ſubdiaconus & diaconus; ſed diaconus infra tunicam abſconſum habeat orarium, ſubdiaconus ſuperpoſito ſcapulæ utatur orario.* De eo vide Waldenſ. libro de ſacramentis, titulo 4. cap. 29. & Hugonem, libro 2. cap. 10. quarta partis de ſacramentis. Formam ordinandi, & conſecrandi epiſcopi, presbyteri, diaconi, & ſubdiaconi tradit concilium Carthaginenſe IV. in principio. Concilio Aurelianenſi I. can. 21. dicitur: *Monacho orarium in monaſterio vel zonas habere non liceat.* Eſt apud Gratianum 27. quæſtione 1. Zonæ vocantur, quæ a Caſſiano rebrachatoria appellantur, libro 1. de habitu monachorum cap. 6. Erat vero orarium ſolummodo his perſonis conceſſum, quibus prædicandi munus eſt delegatum: unde cap. 40. infra dicitur: *Orarium oportet Levitam geſtare in ſiniſtro humero, propter quod orat, id eſt prædicat.* Beda vero in collect. capite de ſeptem ordinibus, orarium dicit ab oratione appellatum. *Bene etiam* (inquit) *orantibus convenit orarium, convenient veſtimentum officio.* De annulo epiſcopi, qui in ejus conſecratione datur epiſcopo in ſignum pontificalis honoris, vel ſignaculum ſecretorum, ut refert Iſidorus libro primo de eccleſiaſt. officiis cap. 5. multa traduntur in ritualibus.

Annulus epiſcopi quid ſignificet.

Cap. 29. Sortilegia prohibentur.

z *Si epiſcopus.* ) Concilium ſecundum Ancyranum can. 23. idem decernit, & eamdem pœnam ſtatuit. Agathenſe can. 24. prohibet ne fiant ſub nomine fictæ religionis, ſanctorum ſortes, aut ſcripturarum inſpectio, ut inde futura promittantur. Fiebant autem ſortes ſanctorum de ligno aut pane, ut conſtat ex Antiſiodor. can. 4. & primo Aurelian. can. 30. in concilio Lateranenſi V. ſub Leone X. hujus pœna eſt temperata, relictaque ordinarii arbitrio.

Cap. 36. Epiſcopi quales eſſe debeant.

a *Presbyteros probabiles.* ) Burch. probabilis vitæ legit. Nam viſitatores epiſcoporum debent eſſe viri graves, morum probitate ornati, qui non ſtipendio & lucro ducantur, ſed potius pro caritate & gloria Chriſti inſudent. Eorum fit mentio concil. Laodic. can. 56. Et concilium Bracarenſe ſecundum formam viſitationis epiſcopi accurate præſcribit cap. 1. & 2. & concil. Mogunt. cap. 20. & concil. Trident. in multis locis, præſertim ſeſſ. 21. cap. 8. & 22. c. 8. & ſeſſ. 24. cap. 3.

Cap. 39. Eccleſia dividitur in ſtationes & choros.

b *In primo choro.* ) Diviſam eſſe eccleſiam in ſtationes & choros, patet ex concil. Turonenſ. II. can. 3. ubi præcipitur, ut laici ſecus altare, quo ſancta myſteria celebrantur, inter clericos, tam ad vigilias, quam ad miſſas ſtare penitus non præſumant, ſed pars illa, quæ a cancellis verſus altare dividitur, choris tantum pſallentium pateat clericorum: ad orandum vero & communicandum, laicis viris & feminis, ſicut mos eſt, ſancta ſanctorum pateant.

Cap. 41. Clerici qui?

c *Omnes clerici.* ) Iſidorus lib. 2. de eccleſiaſticis officiis: *Omnes qui in eccleſiaſticis miniſteriis gradibus ordinati ſunt, generaliter clerici nominantur.*

Origo tonſuræ quæ?

d *Circuli coronam.* ) Primus tonſuræ modum decrevit Anicetus papa in epiſtola decretali ad epiſcopos Galliæ: *Comam*, inquit, *clerici non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphæræ radant.* Habetur diſtinctione 23. cap. prohibet, & concil. Carthag. IV. cap. 44. Iſidorus lib. de eccleſ. offic. 2. cap. 4. tonſuram ortum habuiſſe a Nazaræis, & hujus exempli uſum ab apoſtolis in eccleſiam introductum auctor eſt. Quod etiam concil. Aquiſgran. can. 1. probat. Adverte, in Gallæcia laicos uti ſolitos prolixis comis. D. Hieronymus (habetur 12. quæſtione 1. c. Duo ſunt) ſic inquit: *Coronam* (loquitur de clericis) *habent ab inſtitutione Romanæ eccleſiæ, in ſignum regni, quod in Chriſto expectatur: raſio vero capitis eſt temporalium omnium depoſitio.*

Cap. 42.

e *Conſtituta antiquorum patrum decrevit.* ) Lucius papa apud Gratian. diſtinctione 81. Clericus. Siricius papa

A epiſt. 1. cap. 12. Nicænum concilium can. 3. Eliberit. c. 27. ſecundum Arelatenſe cap. 3. primum Carthag. c. 3. & 4. ſecundum Turon. c. 10. undecimum Toletan. cap. 3. & alia multa decreta patrum.

f *Pro ſacrilegio legibus publicis.* ) Sepulcrum dicitur, ubi corpus oſſave hominis condita ſunt, lib. 2. D. de religioſ. Habeturque locus Romanis legibus religioſus, quatenus ibi corpus humatum eſt. Pomponius in l. locum: De religioſ. & ſumptibus funer. Antiqua pœna diruenti ſepulcrum erat centum aureorum mulcta, libro tertio D. de ſepulcro violato. Ulpianus in hanc libro tertio ait: *Si qui armati more latronum ſepulcra diruunt, pœna capitis plecti; ſi ſine armis, in pœnam metalli ex divi Severi reſcripto damnari.* De his vide leges Hiſpaniæ lib. 8. tit. 18. lib. 4. fori legum, & part. 7. tit. 9. libri 12.

Cap. 46. Sepulcrum quid?

g *Sanctimoniales ſunt.* ) De viduis Iſidorus agit libro 2. officiorum. De velo viduarum ſanctimonialium diverſa tradidere antiqui patres pro temporum varietate. Gelaſius papa in epiſtola ad epiſcopos per Lucaniam cap. 15. docuit, viduas non eſſe velandas: & fuſius cap. 23. B propter periculum incontinentiæ. Idem in Epaonenſi concilio ſub Gelaſio can. 21. ubi viduæ conſecratæ diaconiſſæ vocantur. In ſecunda ſynodo Turonica extat decretum de virginum & viduarum profeſſione, & cælibatu, ex decreto Innocentii papæ ad Victricium epiſcopum Rothomagenſem. Idem ſtatuitur concilio Triburienſi ſub Arnulpho imperatore cap. 25. ubi cavetur: Si vidua ſponte velamen, quamvis non conſecratum ſibi impoſuerit, & in eccleſia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit, nolit, ſanctimoniæ habitum ulterius habere debere. Aliis decretis cavetur ne cito velentur viduæ juvenes, ut in Turonenſi ſynodo ſub Carolo magno cap. 27. & concilio Mogunt. II. cap. 26. & Vvormat. cap. 21. ibi poſt probationem conceditur velum. Ita etiam decretum invenio ex ſententia Nicolai papæ, & habetur diſtinctione 27. c. Quod interrogaſti, & 27. quæſt. 1. cap. Vidua. Inde exiſtimo viduas ſæculares Hiſpaniæ etiam nunc prolixum atque album velum pro capitis tegumento geſtare, quaſi profeſſionis viduitatis antiquæ indicium. Profeſſio autem C illa viduarum ſanctimonialium X. concil. Toletan. cap. 4. in manu ſacerdotis fieri jubetur ſcriptis, ſignoque, ac ſubſcriptione notarii: jubenturque viduæ pallio purpureo vel nigro caput contegere. Idem fere in concilio Arauſicano can. 27.

Cap. 56. Velum viduarum ſanctimonialium.

h *Pleraque qui ex Judæis* ) Legum VViſigothorum lib. 12. tit. 3. lib. 3. de Judæis ita cavetur: *Cum veritas ipſa petere & pulſare nos doceat, præmonens quod regnum cælorum vim patitur, in nullo eſt dubium, quod ille indulta gratia munus abhorreat, qui ad eam procedere ardenti animo non feſtinat. Proinde ſi quis Judæorum, de his ſcilicet qui nondum ſunt baptizati, aut ſe baptizare diſtulerint, aut filios ſuos, vel famulos nullo modo ad ſacerdotem baptizandos remiſerit, vel ſe, ſuoſque de baptiſmo ſubtraxerit, & vel unius anni ſpatium, poſt legem hanc editam, quiſpiam illorum ſine gratia baptiſmi tranſierit, horum omnium tranſgreſſor, quiſquis ille repertus fuerit, & centum flagella decalvatus ſuſcipiat, & debita multetur exilii pœna. Res tamen ejus ad principis poteſtatem pertineant: qualiter ſi incorrigibilem durior eum cuſtodierit vita, perpetuo in ejus, cui eas princeps largiri voluerit, poteſtate permaneant.* D Hac lege primo compulſi Judæi ut baptiſmo obſignarentur, circumciſione rejecta, quam eis exercere reſcripto Antonini Pii permiſſum antea fuerat, ut patet ex libro digeſtorum XLVIII. titulo ad legem Corneliam de ſicariis, lege Circumcidere. Poſtea eos rex Cinthila regno ſuo prorſus ejecit: ut conſtat ex ſexto concilio Toletano capite tertio. Sicut Heraclius imperator Hieroſolymis: ut conſtat ex libro juris orientalis, ab Enemundo Bonefidio digeſto, lib. 1. Quorum exemplum imitati majorum noſtrorum memoria Ferdinandus & Eliſabetha, vere catholici reges, ab hac colluvie Hiſpaniam purgavere. Egica inclementiori lege uſus, eos in regno manere paſſus eſt, ſervitute oppreſſos, rebuſque omnibus exutos, concil. XVII. Tolet. cap. 8. Multa alia edicta adverſus Judæos a regibus Gothicis edita ſunt, verum fruſtra; ſemper enim herba noxia altius radices agit.

Cap. 58. Quas leges in Judæos tulerint Vviſegothi.

i *Velut in ſacrilegum.* ) Leg. 17. VViſegothorum libro duodecimo, titulo tertio ita præcipitur de hac re: Cap. 65.
E *Illi tamen, qui hanc eis poteſtatem ſuper Chriſtianos exercere permiſerint; ſi nobilis qua hoc fecerit perſona extiterit, decem libras auri fiſco coactus exſolvat: minima tamen viliſque perſona, quinque libras auri fiſco perſolvendas amittant. Quod ſi non habuerint unde componant, centenis decalvati flagellis ſubjaceant.*

k *De Suintbilane.* ) Suinthila præceſſit Siſenando, regnavitque annos decem. Chronicon generale Hiſpaniæ, & Rodericus: aliter Iſidorus.

Cap. 75. Suinthila regnavit annis decem.

l *Subſcriptiones.* ) In hoc quarto concilio Toletano ſubſcribunt ſexaginta duo epiſcopi, & ſeptem per procuratores: inter hos omnes vita & doctrina merito inſigniores fuerunt Iſidorus Hiſpalenſis Hiſpaniæ doctor, Juſtus Toletanus, Stephanus Emeritenſis, Nonnitus Gerundenſis, Conantius Palentinus, Braulio Cæſarauguſtanus.

Epiſcoporum numerus.

m *Ego Iſidorus.* ) Vitam Iſidori habes apud Ildefonſum Toletanum in lib. de viris illuſtribus, in his verbis: *Poſt Leandrum Hiſpalenſem ſedis provinciæ Bæticæ cathe-*

Iſidori Hiſpalenſis vita.

*thedram tenuit, vir decore ſimul & ingenio pollens. Illum tanta jucunditatis affluentem copiam in eloquendo promeruit, ut ubertas admiranda dicendi ex eo in ſtuporem verteret audientes. Scripſit opera eximia, & non parva, id eſt, librum de genere officiorum, librum proœmiorum, librum de ortu vel obitu prophetarum, librum lamentationum, quem ipſe ſynonyma vocitavit: libellos duos ad Florentiam ſororem, contra nequitiam Judæorum, librum de natura rerum ad Siſebutum principem, librum differentiarum, librum ſententiarum: collegit etiam de diverſis auctoribus, quem ipſe nominat, ſecretorum expoſitiones ſacramentorum: quibus in unum congeſtis, ipſe liber dicitur quæſtionum. Scripſit quoque ultimo ad petitionem Braulionis Cæſaraugustani episcopi librum etymologiarum: quem cum multis annis conaretur perficere, inexpleto opere diem extremum viſus eſt concluſiſſe. Claruit temporibus Reccaredi, Gundemari, Siſebuti, Suintbillani, & Siſenandi regum annis fere quadraginta tenens pontificatus honorem, inſignem doctrinæ ſanctæ gloriam pariter & decorem: extremum diem clauſit quarto Aprilis, anno domini 635.*

Stephanus Emeritenſis epiſcopus. n *Stephanus eccleſiæ Emeritenſis.*) Maſſonæ ſucceſſit Innocentius, cui Renovatus, cui Stephanus; viri omnes ſanctitate perſpicui, ut ex Paulo diacono eccleſiæ Emeritenſis conſtat.

Juſtus quis. o *Juſtus.*) De hoc Juſto ſic Ildefonſus in viris illuſtribus: *Juſtus poſt Helladium, diſcipulus ejus, illique ſucceſſor eſt: vir habitudine corporis ingeniique meritis decorus atque ſubtilis; ab infantia monachus, ab Helladio ad virtutem monaſticæ inſtitutionis affatim educatus pariter & inſtitutus, in Agalienſi monaſterio tertius poſt illum rector eſt factus. Extitit rector annis tribus: tempore Siſenandi obiit: qui rex poſt hunc die nono decimo defunctus abſceſſit.*

p *Nonnitus Gerundenſis.*) Ildefonſus. *Nonnitus poſt Joannem in Gerundenſi ſede pontifex acceſſit; vir profeſſione monachus, ſimplicitate perſpicuus, actibus ſanctus; non hominum illicita deliberatione, ſed Dei per homines colere diſpoſitione in pontificatum adſcitus; adhærens inſtanter obſequiis ſepulcri ſancti Felicis martyris. Rexit eccleſiam Dei meritorum exemplis amplius quam verborum edictis. Hic & in corpore degens, & in ſepulcro quieſcens, ſalvationis operari virtutes: ſubſtitit temporibus Suintbilani, & Siſenandi regum.* Nonnitus quis.

q *Conantius Palentinæ.*) De eo ita Ildefonſus: *Conantius poſt Murilanem eccleſiæ Palentinæ ſedem adeptus eſt, vir tam pondere mentis, quam habitudine ſpeciei gravis; communi eloquio facundus & gravis; officiorum eccleſiaſticorum ordinibus intentus, & providus: nam melodias ſonis multis noviter edidit, orationum quoque libellum de omnium decenter ſcripſit proprietate pſalmorum. Vixit in pontificatu amplius triginta annis, dignus habitus fuit ab ultimo tempore Vitterici per tempora Gundemari, Siſebuti, Suintbilani, Siſenandi, & Cintbilæ.* Conantius quis.

r *Braulio Cæſaraugustanus.*) De quo ſic Ildefonſus de viris illuſtribus: *Braulio frater Joannis in Cæſaraugusta decedentis adeptus eſt locum; vir, ſicut germanitate conjunctus, ita non nimium ingenio memoratus, clarus & ipſe habitus canonibus, & quibuſdam opuſculis. Scripſit vitam Æmiliani cujuſdam monachi. Qui & memoriam hujus, & virtutem illius ſancti viri ſuo tenore commendat pariter & illuſtrat. Habuit ſacerdotium ferme viginti annis; quibus expletis clauſit diem vitæ præſentis: duravit in regimine temporibus Siſenandi, Cintbilæ, Tulganis, & Chindaſvindi regum.* Braulio quis.

## AD CONCILUM TOLETANUM IV.

### *ADNOTATIO CRITICA.*

Ex Supplem. Manſi pag. 475. DE hoc concilio hæc animadverſa in notis ad Pagium A. 633. 28. Loaiſæ codex plane mendoſus eſt, vel certe ſcriptor ille minus perite veterem ſcripturam legit, nam lapſus eſt non ſemel. Primo igitur in canonum collectione Hiſpanica, cujus vetuſtiſſima exemplaria duo Baluzius conſuluit, leguntur interfuiſſe concilio huic epiſcopi ſexaginta ſex, cui epiſcoporum numero conſonat epiſtola Cæſarii abbatis S. Cæciliæ in Monteferrato (quam ſcriptam conjicit Baluzius anno 972. circiter). Inſuper pro eo quod Loaiſa legit, *Nona Decembris*, in MSS. eſt *Nonas Decembris*. Vide Baluzium Miſcellan. tom. 7. pag. 61. Poſtremam hanc e MSS. codicibus correctionem eo libentior admitto, quod certum annum concilii hujus detegit. Cum enim concilia die dominica indici mos ferret, & anno iſto 633. Nonæ Decembris in dominicam inciderint, ab hoc pariter anno concilium removendum non eſſe intelligimus. Cum præſertim eundem annum deſignet Æra DCLXXI. quæ in inſcriptione ejuſdem concilii legitur. Nec moveor authoritate Roderici, qui Siſenandum, (in cujus anno tertium Concilium habitum fuit) cœpiſſe Æra DCLXXIII. notat; non enim ſcriptor ille tantæ vetuſtatis eſt, ut indubitatam fidem in re chronologica extorqueat, præſertim contra fidem veterum codicum, in quibus concilium iſtud Æræ DCLXXI. & tertio Siſenandi anno illigatur. Neque ſinceriora concilii ejuſdem Acta præ oculis habuiſſe ſcriptor ille cenſendus eſt, cum erret in aſſignando numero Patrum qui concilio adfuerunt, quos ad LXVIII. recenſet, cum re vera LXVI. tantummodo interfuerint, ut ſupra demonſtravimus. Ex his ergo conſtat Siſenandum Æra DCLXVIII. ſeu anno 630. vel 631. cœpiſſe.

ANNO CHRISTI 634.

# CONCILIUM HIEROSOLYMITANUM

## IN QUO CONTRA MONOTHELITAS

### Prædicata duplex in Chriſto voluntas, & operatio.

ANNO CHRISTI 634.

Ex Pagio ad An. Chr. 633. n. 7. & 9. SOphronius vix adepto Hieroſolymorum Epiſcopatu Concilium habuit Antiſtitum Palæſtinæ, in quo compoſuit ſacram illam Encyclicam mittendam de more ad Patriarchas, recitatam in ſexta ſynodo Actione XI. in qua diſertiſſimis Sanctorum Patrum auctoritatibus abunde prædicavit duplicem dari in Chriſto Voluntatem, & Operationem: *Actaque ſua ſynodica Honorio Papæ Romano, & Sergio Conſtantinopolitano miſit*, ut legitur in libello Synodico ſupra a Labbeo allato. Hujus Synodi meminit etiam Theophanes ad annum Heraclii XX. ſed Joannem loco Honorii perperam ſcribit: *Ea tempeſtate*, inquit Theophanes, *Sophronius Hieroſolymorum Epiſcopus inſtituitur, qui congregatis, quibus præerat epiſcopis, Monothelіticum dogma condemnavit, Synodicaque Acta Sergio Conſtantinop. & Joanni Romæ Epiſcopo per Epiſtolas tranſmiſit.*

Cæterum Sophronius menſe Majo anni 633. quo celebrata pſeudo-ſynodus Antiochena Cyri, cuique interfuit, adhuc erat Monachus; pro-

profectus eſt poſtea ex Africa Alexandriam, A indeque Conſtantinopolim ad Sergium, & Conſtantinopoli Hieroſolymam rediit; ubi demum epiſcopus Hieroſolymitanus creatus Synodum ſuam celebravit. Quibus peragendis cum plures menſes inſumi oportuiſſet, non ante finem anni 633. vel potius initio ſequentis 634. non potuit Sophronius Synodum, de qua loquimur, coepiſſe.

ANNO CHRISTI 635.

# CONVENTUS INCERTI LOCI IN SCOTIA,

## E quo Sanctus Aidanus in Northumbriam miſſus.

R*Em geſtam ita narrat Beda lib.* 3. *cap.* 5. B Ferunt autem, quia cum de Provincia Scotorum Rex Oſvvaldus poſtulaſſet Antiſtitem, qui ſibi ſuæque genti verbum fidei miniſtraret, miſſus fuerit primo alius auſterioris animi vir: qui cum aliquandiu genti Anglorum prædicans nil proficeret, nec libenter a populo audiretur, redierit in patriam, atque in conventu ſeniorum retulerit, quia nihil prodeſſe docendo genti, ad quam miſſus erat, potuiſſet: eo quod eſſent homines indomabiles, & duræ ac barbaræ mentis. At illi, ut perhibent, tractatum magnum in concilio quid eſſet agendum, habere cœperunt; deſiderantes quidem genti, quam petebant, ſalutem eſſe; ſed non recepto, quem miſerant, prædicatore C dolentes. Tunc ait Aidanus, nam & ipſe Concilio intererat, ad eum, de quo agebatur, ſacerdotem: Videtur mihi, frater, quia durior juſto indoctis auditoribus fuiſti, & non eis juxta apoſtolicam doctrinam primo lac doctrinæ mollioris porrexiſti, donec paulatim enutriti verbo Dei ad capienda perfectiora, & ad facienda ſublimiora Dei præcepta ſufficerent. Quo audito, omnium, qui conſederant, ad ipſum ora & oculi converſi, diligenter quid diceret diſcutiebant, & ipſum eſſe dignum epiſcopatu, ipſum ad erudiendos incredulos, & indoctos mitti debere decernunt, qui gratia diſcretionis, quæ virtutum mater eſt, ante omnia probatur imbutus; ſicque illum ordinantes ad prædicandum miſerunt.

*S. Oſvvaldus Northumbrorum regnum capeſſit anno Chriſti* 634. *cumque Beda lib.* 3. *cap.* 26. *loquens de Synodo Pharenſi dicat eam habitam* anno Dominicæ Incarnationis 664. qui fuit annus Oſvii regis XXII. Epiſcopatus autem Scotorum, quem geſſerunt in provincia Anglorum (*ideſt in Northumbria*) annus triceſimus; *oportet Aidanum eodem anno* 634. *vel ſaltem ſequenti* 635. *in Northumbriam miſſum. In inſula Lindisſarne, quæ in mari Germanico haud procul a Northumbriæ comitatu diſſidet, Oſvvaldus rex locum ſedis Epiſcopalis Aidano, qui loci ſolitudine & receſſu delectabatur, conceſſit, ut ſcribit Beda ibid. cap.* 3.

Pagius ad An. Chr. 634. n. 6. & 7.

ANNO CHRISTI 636.

# DAGOBERTI REGIS EPISTOLA AD SULPITIUM BITURENSEM ARCHIEPISCOPUM,

## Qua petit, ut Deſiderium conſecret in epiſcopum Cadurcenſem.

*Domino ſancto & apoſtolico domno patri Sulpitio, Dagobertus rex.* D

Ex Labbei App. tom V.

DEO & ſanctitati veſtræ credimus eſſe compertum, qualiter fidelis noſter, vere illuſtris, Deſiderius theſaurarius, nobis adoleſcentiæ tempore fideliter deſervivit. Nos devotiſſimam ac monaſticam converſationem ejus habemus bene compertam. Ideo nos cognoſcite taliter decreviſſe, ut in civitate Caturca, ubi germanus ejus domnus Ruſticus præivit, in locum ipſius, honorem epiſcopatus in Dei nomine debeat accipere: quia Divina inſpirante potentia talis noſtra devotio E manet, ut eos, quos moribus ornatos, & ſanctis operibus deditos perſpicimus, ſicut eſt iſte fideliſſimus Dei & noſter Deſiderius, hos ad epiſcopale culmen provehere debeamus: quia ſic decet regiam celſitudinem, ut quos cognoſcit in Dei timore converſari, & fidem catholicam integre cuſtodire, vel evangelica præcepta, omnimodis ad pontificale officium ſtudeat promovere. Proinde cum vos metropolitani locum ſcimus tenere, præſentes apices cum debito ſalutationis officio ſanctitati veſtræ ſtuduimus deſtinare, petentes ut ad eum benedicendum properare debeatis, & litteras comprovinciales ad fratres veſtros dirigatis, ut & illi adeſſe debeant, & ut canonice, & juxta apoſtolicam inſtitutionem ſub veſtri præſentia in ſancta Paſchali ſolemnitate, pontificali benedictione debeat eſſe conſecratus. Illud etiam ante omnia ſupplicamus, ut nos in ſanctis, ac Deo placitis orationibus veſtris Domino commendetis, & ad explendum hoc negotium nullam moram faciatis. Quod vero indicimus, manus noſtræ ſubſcriptione, ut mos eſt, decrevimus roborare. Data octavo * Dagoberti Regis.

Dagobertus Rex ſubſcripſit.

* Forte deeſt anno.. Hard.

CON-

# CONCILIUM [a] TOLETANUM V.

## VIGINTI EPISCOPORUM,

Habitum [b] æra DCLXXIV. anno domini Cinthilæ regis I. tempore Honorii papæ I. anno redemptoris Chriſti Jeſu DCXXXVI.

*Eſt provinciale.*

### TITULI CAPITULORUM.


I. *De conſtitutione novarum litaniarum.*

II. *De cuſtodia ſalutis regum, & defenſione prolis præſentium principum.*

III. *De reprobatione perſonarum, quæ prohibentur adipiſci regnum.*

IV. *De his, qui ſibi * regnum blandiuntur rege ſuperſtite.*

V. *De his, qui principes maledicere præſumunt.*

VI. *Ut regum fideles a ſucceſſoribus regni a rerum jure non fraudentur pro ſervitutis mercede.*

VII. *Quod in celebritate cunctorum conciliorum ſynodus Toletana, temporibus Siſenandi habita, per * pronuntiationem vocis claræ, ob cuſtodiam ſui cunctis debeat innoteſcere.*

VIII. *De indulgentia principum noxiis ſervata.*

IX. *De favore principis concilii acclamationi conceſſo.*


* *regni blandiuntur ſpe.*
* *polliciationem.*

### PRÆFATIO.

APud urbem Toletanam diverſis ex provinciis Hiſpaniæ ſacerdotes domini * in uno pacis collegio in baſilica ſanctæ confeſſoris Leocadiæ, qui conſedimus, gratiarum actiones omnipotenti domino perſolvimus, propter ſuam magnam miſericordiam; cujus nutu in hanc convenimus concordiam, & glorioſi principis noſtri * Cinthilæ regis initia, ob cujus ſalutis & felicitatis conſtantiam ſupernam imploramus clementiam; quod in medio noſtri cœtus ingreſſus cum optimatibus, & ſenioribus palatii ſui, ſupplex ſe omnium orationibus commendavit, ſuoſque fideles ita facere ſancta exhortatione coegit, atque hanc inſtitutionem, quam ex præcepto ejus, & decreto noſtro ſancimus, divina inſpiratione * præmiſit.

* In unum perfici & collecti, al. qui in uno pacis oſculo.
* Anno primo dicitur in concil. Tolet. VI cap. 1.
* Cinthilanæ al. Suinthilæ
* promiſit.

### CAPITULA.

#### I.

Scilicet ut in cuncto regno a Deo ſibi conceſſo ſpecialis & propria hæc religioſa omni tempore teneatur obſervantia, ut a die Iduum Decembrium * litaniæ triduo * uſque annua ſucceſſione peragantur, & indulgentia delictorum lacrymis impetretur. Quod ſi dies dominica interceſſerit, in ſequenti hebdomada celebrentur; ut quoniam abundante * iniquitate, & deficiente caritate, * eo uſque protelatur malitia, ut nova exerceantur facinora, nova quoque hæc ipſa ſurgat conſuetudo, quæ poſſit ante omnipotentis oculos * veſtra eſſe purgatio.

A

* ubique
* iniquitate efficitur,
* hic uſque quoque prolata malitia nova
* noſtra

#### II.

Id. approbat concil. Tolet. VI cap. 16.

Summa autem nobis vigilantia, & grandi religionis cura providendum eſt, ut mala quæ aſſidue prohibita perpetrantur circumſpecta diſciplina eccleſiaſtica extirpentur. Non enim incaſſum ſcriptum eſt: *Peſtilenti flagellato ſtultus ſapientior erit.* Quamobrem, quoniam

Prov. 19 & 21.

B præponderante onere delictorum experientia pene ſemper ac ſæpe fieri diſcimus, quod magnopere vitare debemus; quodque etiam cuſtodituros nos cum divinis ſacramentis * ſpopondimus, temeritate violamus: ideoque frequenter eſt compeſcendum quod crebro invenitur tranſgreſſum. Sed ne ſuccedentes præcedentibus, ac deinde ſequentes invideant anterioribus, * ut cuncta quiete & pacate permaneant, hæc noſtri concilii communiter conſiderata defer-

C tur ſententia, ut * ſervetis quæcumque in [d] univerſali & magna ſynodo proviſa, conſcriptaque circa principum ſalutem & utilitatem ſunt. Hæc quoque adjecta cuſtodiantur, videlicet ut omni benignitate, omnique firmitate circa omnem poſteritatem principis noſtri Cinthilæ regis teneatur dilectio, & præbeatur rationabile defenſionis adminiculum: ne * rebus juſte proviſis, aut etiam parentum digna proviſione * procuratis, vel juris proprietate injuſte fraudentur, ne a quoquam cauſſæ illi-

D cite exquiſitæ lædendi eos præbeantur: ne quocumque modo in quibuslibet rebus, ſpreta dilectione, moleſtentur. Hæc enim licentia officit, & principes in ſubjectis ſuſpectos, & ſubjectos in bonis principum cupidos. Quocirca, * ne hæc promiſſa cupiditas temerentur, & ut radix omnium malorum auferatur, conteſtamur omnes præſentes, & abſentes, vel etiam futuris temporibus ſubſequentes, coram Deo & angelis ejus. Quod ſi

* ſponemus, ſed tem
* & cuncta quieta & pacata
* ſervatis Tolet. IV. c 65.
* res juſte proviſæ.
* procuratæ, ad juris proprietatem pertinentes injuſte fraudentur: nec a quoquam cauſſa illicite exquiſita lædendi eos præbeatur.
* ne & promiſſa contemnantur,

ſi quiſquam noſtræ conteſtationi temerator extiterit, * & quacumque argumentatione odioſe eos moleſtare, aut in * aliquot fuerit conatus lædere, ſit anathema in Chriſtianorum omnium cœtu, atque ſuperno condemnetur judicio; ſit exprobabilis omnibus catholicis, & abominabilis ſanctis angelis in miniſterio Dei conſtitutis, ſit in hoc ſæculo perditus, & in futuro * damnatus, qui tam rectæ proviſioni noluit præbere conſenſum.

* atque contemptor, & quacumque
* aliquo
* condemnatus,

III.

Inexpertis & novis morbis novam decet invenire medelam. Quapropter, * quoniam inconſideratæ quorumdam mentes, & ſe minime capientes, quos nec origo ornat, nec virtus decorat, * paſſim putant licenterque ad regiæ * majeſtatis pervenire faſtigia; hujus rei cauſſa noſtra omnium, cum invocatione divina, profertur ſententia, ut qui talia meditatus fuerit, quem nec electio omnium * probat, nec Gothicæ gentis nobilitas ad hunc honoris apicem trahit, ſit a conſortio catholicorum privatus, & divino anathemate condemnatus.

* quoniam ſunt
* qui paſſim
* poteſtatis
* præficit,

IV.

Ergo, quia & religioni inimicum, & hominibus conſtat eſſe * ſuperſtitioſum, futura illicite cogitare, & caſus principum exquirere, ac ſibi in poſterum providere; cum ſcriptum ſit: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*, hoc decreto cenſemus, ut quiſquis inventus fuerit talia perquiſiſſe, & vivente principe, in alium attendiſſe pro futura regni ſpe, aut alios in ſe propter id attraxiſſe, a conventu catholicorum excommunicationis ſententia repellatur.

* perniciosum,
Act. 1.

V.

Sed & hoc pro peſtilentioſis hominum * moribus, ſalubri * ordinatione cenſemus, ne quis in principem maledicta congerat. Scriptum eſt enim a legislatore: *Principem populi tui non maledices*. Quod ſi quis fecerit, excommunicatione eccleſiaſtica plectatur. Nam ſi *maledici regnum Dei non poſſidebunt*, quanto magis talis ab eccleſia neceſſario pellitur, qui divinæ violator ſententiæ invenitur.

* morbis
Vide leg. Wiſegoth. lib. 2. tit. 1. leg. 8.
* deliberatione
Exod. 22.
1. Cor. 6.

VI.

Simili providentia pro fidelibus regum noſtra datur ſententia, ut quiſquis ſuperſtes principum extiterit, juſte in rebus profligatis, & largitate principis acquiſitis nullam debeat habere jacturam. Nam ſi licenter & injuſte fidelium perturbentur mentes, nemo optabit * promptum ac fidele præbere obſequium, dum cuncta nutant in incertum, & in futuro * diſcriminis formidatur cauſſa; ſed ſaluti & rebus eorum principalis pietas debet præbere ſuffragia: exemplis enim ceteri provocantur ad fidem, cum fideles non fraudantur mercede.

Idem infra conc. Tolet. VI can. 14. Eamdem phraſim habet leg. Wiſegoth. leg. 1. tit. 2. lib. 5. ipſe quoque de donatis &
profligatis rebus faciendi quod voluerit libertatem habeat.
* proprium
* diſcriminis

VII.

Propter malarum mentium facilitatem & memoriæ oblivionem hoc ſacratiſſima ſtatuit ſynodus, ut in omni concilio epiſcoporum Hiſpaniæ, univerſalis concilii decretum, quod propter principum noſtrorum eſt ſalutem conſtitutum, peractis omnibus in ſynodo, publica voce debeat pronuntiari: quatenus ſæpe * ſupplicatum auribus, vel aſſiduitate iniquorum mens territa corrigatur, quæ ad prævaricandum & oblivione & facilitate * producitur.

Concil. IV. Tolet. c. 75.
* replicatum
* perducitur

VIII.

In his omnibus quæ præmiſimus, poteſtatem indulgentiæ in culpis delinquentium principi reſervamus; ut juxta bonitatis & pietatis ſuæ moderamen, ubi emendationem proſpexerit mentium, veniam tribuat culparum.

IX.

His vero omnibus finem & robur ſubſcriptione noſtra facientes, gloriam, & laudem omnipotenti domino, in quantum mortalium valetudo finit, reddimus. Poſt hoc gratias excellentiſſimo, & glorioſo principi noſtro Cinthilæ regi peragimus, cujus ardor fidei, & ſtudium bonæ intentionis, & unanimitatis concordiam nobis tribuit, & fiduciam caritatis. Donet ei dominus & de inimicis triumphum, & de beatitudine gaudium, cuſtodiat eum protectione aſſidua, & muniat bonæ voluntatis ſuæ circumſpectione tutiſſima, cujus regnum manet in ſæcula ſæculorum: Amen.

## • SUBSCRIPTIONES.

Ego Eugenius Dei miſeratione Toletanæ eccleſiæ provinciæ Carthaginenſis metropolitanus epiſcopus his communibus decretis annuens ſubſcripſi.

Ego * Conantius ſanctæ eccleſiæ Palentinæ epiſcopus his * communibus decretis annuens ſubſcripſi.

Ego Clarentius eccleſiæ Accitanæ epiſcopus his * communibus decretis annuens ſubſcripſi.

Ego * Bigitinus eccleſiæ Bigaſtrenſis epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

Ego Euſebius eccleſiæ * Baſtitanæ epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

Ego Hilarius eccleſiæ Complutenſis epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

Ego Marcellus eccleſiæ Urcitanæ epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

Ego Florentius eccleſiæ Setabitanæ epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

* Tonantius
* omnibus
* omnibus
* Vigitanus
* Bigetrenſis

Ego

Ego Braulio eccleſiæ Cæſaraugustanæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego * Ola eccleſiæ Barcinonenſis epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

* Hola al. Ola al. Ula

Ego Elpidius eccleſiæ * Carcaſſonenſis epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

* Tyraſſonenſis

Ego * Muſtatius eccleſiæ Valentinæ epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

* Muſtacius al. Muſtracius

Ego Viaricus eccleſiæ Olyſipponenſis epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

Ego Jacobus eccleſiæ Menteſanæ epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

Ego Euſebius eccleſiæ Valerienſis epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

Ego Serpentinus eccleſiæ Illicitanæ epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

Ego Suavila eccleſiæ Oretanæ epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

Ego * Amanungus eccleſiæ Aucenſis epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

* Amantius

Ego Egila eccleſiæ Oxomenſis epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

Ego Anſericus eccleſiæ * Segobienſis epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

* Segobrienſis

Ego Idiſclus eccleſiæ Segontienſis epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

Ego Antonius eccleſiæ Dianienſis epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

† Aſphalius in Chriſti nomine presbyter, agens vicem domini mei Perſeverantii, his decretis annuens ſubſcripſi.

† Erat hic epiſcopus Caſtellonenſis

Petrus in Chriſti nomine * decanus, agens vicem domini * mei Antonii epiſcopi, his decretis annuens ſubſcripſi.

* diaconus
* Meranatani

*IN NOMINE DOMINI*
*Flavius Cinthila rex.*

CUm boni principis cura omni nitatur vigilantia providere patriæ, gentiſque ſuæ commodo, tunc potiſſimum non exiſtit infructuoſa, ſi etiam ſua induſtria placatur divina clementia. Ideoque noſtræ manſuetudinis, collectis in urbem Toletanam ex provinciis diverſis epiſcopis, adhortationis extitit inſtantia, ut tempore congruo hæc religionis per eorum ſententiam inſtitueretur obſervantia, ut a die Iduum Decembrium, quod eorum decrevit ſanctitas, litaniæ per omnes regni noſtri provincias omni debeant celebrari devotionis cura. Quocirca tam ſacratiſſimæ electioni, & omni deſiderio amplectendæ regali auctoritate faventes, & quæcumque in eadem ſynodo definita ſunt confirmantes, decrevimus, ut in triduo conſcripto, juxta quod reverendiſſimorum virorum continet decretum, ab omni anima Chriſtiana cœlorum domino humilitatis ſatisfactio dependatur: & pro facinoribus atque flagitiis, quibus quotidie graſſante diabolo irretimur, lacrymis jejuniiſque digna obſequia rependamus. Verumtamen, ut vobis certius præfatorum patrum ſententia innoteſcat, eam ſubter connecti præcipimus. Oraculis autem noſtris ſancimus, ut hi, quorum in quibuslibet rebus patriæ noſtræ invigilat cura, id eſt, optimatum, quam comitum, judicum etiam, ceterorumque ordinum præcipua ſolicitudo exiſtat, ut his diebus ab omni omnino inquietudine, vel qualibet negotiorum actione omnis conditio, ætas, & ſexus debeat vacare, ut otio ſancto mancipati aptiores erga Deum reddi poſſint, cæleſtem implorando miſericordiam conſequi. Ergo ut omnes hoc præcepto noſtro præmoneantur, ſacerdotum induſtriæ delegamus. Datum ſub die pridie Kalendas Julias, anno feliciter primo regni noſtri, Toleto.

NOTÆ GARSIÆ LOAISÆ.

a *Concilium Toletanum V.*) Conſtat fuiſſe nationale, præſertim ex ſubſcriptionibus, in quibus ſubſignat Braulio Cæſaraugustanus, Ola Barcinonenſis, Elpidius Carcaſſonenſis, Vicarius Olyſipponenſis. Et infra concilio Toletano VI. cap. 18. dicitur: Jam quidem in antecedenti univerſali ſynodo, & cap. 2.

Concilium hoc nationale eſt.

b *Æra* DCLXXIV.) Cinthila rex, primo anno regni ſui, hoc concilium Toletanum coegit, ut in fine confirmationis dicitur, anno feliciter primo regni noſtri. Unde corrupte legitur apud Rodericum lib. 2. cap. 19. fuiſſe electum in regem Æra DCLXXIX.

Quo tempore celebratum ſit?

c *Litania triduo ubique.*) De Litaniis ſupra diximus eſſe obſervandas lugubri cultu, jejunio, & ciborum delectu. Aurel. I. can. 29. Mogunt. I. cap. 32. & 33. Bracar. II. cap. 9.

Cap. 1.

d *Univerſali & magna ſynodo.*) Sic ubique vocat concilium Toletanum quartum.

Cap. 2.

e *Subſcriptiones.*) Omnes hi epiſcopi ſubſcribunt in IV. Toletano, præterquam Eugenius Toletanus, qui Juſto, Ola Barcinonenſis, qui ſucceſſit Severo, & Amanungus Aucenſis, qui ſucceſſit Stephano, & Antonius Dianienſis, Vigitinus, (ſcribe Bigitinus) Muſtacius Valentinus, (lege Muſtacius) Perſeverantius & Antonius, qui per vicarios concilio interſunt, erant, alter Caſtellonenſis, alter Segobrienſis, Eugenius Toletanus Juſto ſucceſſit in ſacerdotio Toletano, quod, ut auctor eſt Ildefonſus in ejus vita, fere undecim annos rexit, regnantibus Cinthila, Tulgano, Cindaſuindo regibus.

Epiſcopi qui & quales ſubſcripſerint?

# SYNODUS CLIPPIACENSIS,

## In qua S. Agilus Recbecenſi Monaſterio præficitur anno Chriſti DCXXXVI.

Ex Mabill. Sæcul. II. Benedict. p. 323.

H*Ujus Synodi mentio extat in Vita S. Agili Abbatis, ſæculi* II. *Benedict. pag.* 323. *his verbis*: Proinde in epiſcopali ſynodo, quæ Kalendis Maji in Clippiaco eo anno eſt habita, B. Agilum præcellentiſſimus Rex in memorato cœnobio præfecit Abbatem. *Apud Fredegarium Scholaſticum in Chronico cap.* 78. *ad Dagoberti annum* XIV. *qui anno Chriſti* 636. *illigatur*, Dagobertus ad Clippiacum reſediſſe; *anno vero inſequenti*, VVaſcones ad Dagobertum Clippiacum veniſſe dicuntur. Agilum anno 636. Recbecenſi Monaſterio præfectum fuiſſe cenſemus.

ANNO CHRISTI 638.

ANNO CHRISTI 638.

# CONCILIUM PARISIENSE

## IN QUO CONFIRMATA

## Monaſterii & baſilicæ S. Dionyſii immunitas, anno Chriſti DCXXXVIII.

Ex Labbei Appendice Tom. V.

EX *iiſdem quas paulo ante memoravi Sirmondi ſchedis hujus concilii notitiam edimus ex Dagoberti litteris excerptam in hæc verba* : Aigulfus abbas ſupplicavit, ut quod ante hos dies Compendio in generali noſtro placito tractavimus, nunc in univerſali noſtra ſynodo Pariſiis congregata, immunitatem loci ſancti Dionyſii & omnium qui ſe ſanctæ baſilicæ tradere voluerunt, denuo conferremus. Itaque eximit omnes ab aliis judicibus, & baſilicæ bona ubicumque ſita.

Dagobertus rex ſubſcripſi.

Palladius epiſcopus.

Taurinus epiſcopus.

Eligius epiſcopus.

Silvius epiſcopus.

Orado epiſcopus.

Clarus epiſcopus.

Gondoenus comes.

Dado obtulit.

Joannes epiſcopus.

Richoaldus epiſcopus.

Atherius epiſcopus.

Mommolus præfectus.

Data IV. Kal. Aug. anno X. regni noſtri, Pariſiis in Dei nomine feliciter.

## ☞ AD CONCILIUM PARISIENSE

### *ADNOTATIO CRITICA.*

Ex Supplem. Mansi p. 475.

QUæ nos ratio ſuaſit, ut concilium Clippiacenſe anni 627. ad Clippiacenſe anni 654. rejiceremus, eadem pariter & concilium hoc Pariſienſe pro immunitate Baſilicæ S. Dionyſii, ſub Dagoberto celebratum, ut rejiciamus ſuadet. Chartæ enim ex qua concilium hoc deduxit Sirmondus, ſubſcribit inter cæteros epiſcopus *Eligius*, quem ipſum eſſe Noviomenſem epiſcopum ex eo conjicio, quod hujus nominis nullus tunc epiſcopus alius in Gallia ſeſe offerat. Eligius vero nonniſi anno 640. ſub Clodoveo II. in epiſcopale ſolium evectus fuit. Qui ergo fieri potuit ut anno 632. ſub Dagoberto concilio celebrando inter epiſcopos adfuerit? Res igitur ita ſeſe habuit. Anno 653. Landericus epiſcopus Pariſienſis privilegium libertatis Monaſterio S. Dionyſii conceſſit, quod cum pluribus epiſcopis, ipſoque Eligio Noviomenſe in ſynodo forte Pariſienſe ſignavit. Hinc ea ipſa fraude qua ex ſynodo, ſeu conventu Clippiacenſi anno 658. eadem de cauſa collecta, facta eſt ſynodus Clippiacenſis anni 637. ſub Dagoberto; eadem, inquam, fraude ex ſynodo Pariſienſi anni 658. expreſſa eſt altera Pariſienſis anni 638.

Nec valet ſi dixeris, fieri utique potuiſſe ut privilegium pro baſilica Sancti Dionyſii anno X. Dagoberti in ſynodo Pariſienſi daretur, cui poſt aliquot annos Eligius epiſcopus renunciatus ad majorem firmitatem ſubſcripſerit. Id enim fieri quidem ſolebat interdum ab iis epiſcopis, in quorum diœceſi ſita erat eccleſia, ut privilegium ab ea ex munere deceſſoris acceptum a ſucceſſore pariter ſubſcriberetur. Quorſum vero Eligii Noviomenſis ſubſcriptio privilegio Pariſienſi ante annos aliquot lato exquiratur?

# CONCILIUM TOLETANUM VI.[1]

## QUINQUAGINTA DUORUM EPISCOPORUM,

Æra DCLXXVI. anno ſecundo Cinthilani regis, qui eſt Chriſti domini noſtri DCXXXVIII. ſub Honorio celebratum.

*Eſt nationale,*

### TITULI CAPITULORUM.

I. *De plenitudine fidei catholicæ.*

II. *De obſervatione litaniarum.*

III. *De cuſtodia fidei Judæorum.*

IV. *De damnatione clericorum per pecuniam eccleſiaſticos gradus aſſequentium.*

V. *De ſtipendiis clericorum, ne a jure alienentur eccleſiarum.*

D VI. *De viris ac feminis ſacris propoſitum tranſgredientibus ſacrum.*

VII. *De pœnitentibus tranſgreſſoribus.*

VIII. *Quod quibuſdam pœnitentibus priſtina reddantur conjugia.*

IX. *De profeſſionibus & obedientia libertorum eccleſiæ.*

X. *De progenie libertorum eccleſiæ, ne eis vel * pro nutritione ab eccleſia liceat evagari.* — * pro nutritione traditionis

XI.

XI. *Ne ſine accuſatore legitimo quiſpiam condemnetur.*
XII. *De confugientibus ad hoſtes.*
XIII. *De honore primatum palatii.*
XIV. *De remuneratione collata fidelibus regum.*
XV. *De collatis rebus eccleſiis, ut in earum jure perdurent.*
XVI. *De incolumitate, & adhibenda dilectione regiæ proli.*
XVII. *De his qui rege ſuperſtite aut ſibi aut aliis ad futurum provident regnum, & de perſonis quæ prohibentur ad regnum accedere.*
XVIII. *De cuſtodia vitæ principum, & defenſione præcedentium regum a ſequentibus adhibenda.*
XIX. *De gratiarum actionibus, in confirmatione concilii Deo & principi datis.*

## PRÆFATIO.

[1] COnvenientibus nobis Hiſpaniarum * Galliæque pontificibus ſummis orthodoxi & glorioſi Cinthilani regis ſalutaribus * hortamentis, atque [b] in prætorio Toletano in eccleſia ſanctæ Leocadiæ * virginis debitis ſedibus collocatis, ſub die * quinto Idus Januarii, [2] anno præfati principis & triumphatoris in Chriſto ſecundo, [3] æra DCLXXVI.

* Galliciæque
* hortamenti abſque impedimento in prætorio
* martyris
* ſexta

In aliis 666. Ivo p. 6. c. 372. habet æra 659. citatque ſextum pro ſeptimo.

## CAPITULA.

### I.

Collatum cum Cod. Lucenſi 118.

Cum primum omnipotenti domino pro corona fratrum tam numeroſa, gratiæ a nobis fuiſſent peractæ, nihil melius, nihilque ſalubrius omnium inſedit animis, quam more ſynodi univerſalis, poſt ſolennia perfunctæ orationis, quod mente ruminavimus lingua narremus, & quod corde credebamus ore ructaremus, * ſupernæ faventes ſententiæ: *Eructavit cor meum verbum bonum*, quod, juxta prophetam, fecit dominus abbreviatum ſuper terram. Quam ob rem abundantia noſtri cordis ſit confeſſio vocis; ut fidem, quam omnium mens intrinſecus geſtat, in confeſſione interpres lingua foras effundat. Itaque credimus & profitemur ſacratiſſimam & omnipotentiſſimam Trinitatem Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum unum Deum ſolum, non ſolitarium, unius eſſentiæ, virtutis, poteſtatis, (a) uniuſque naturæ; diſcretam inſeparabiliter perſonis; indiſcretam eſſentialiter ſubſtantiam deitatis, creatricem omnium creaturarum: Patrem ingenitum, increatum, fontem & originem totius divinitatis: Filium a Patre intemporaliter, & ante omnem creaturam ſine initio genitum, non creatum: nam nec Pater unquam ſine Filio, nec Fi-

* ſuperna favente ſententia.
*Pſal.* 44.
*Iſai.* 10.
*Rom.* 9.

A lius extitit ſine Patre: ſed tamen Filius Deus de Patre Deo, non Pater Deus de Filio * Deo: Pater Filii, non Deus de Filio: ille autem Filius Patris, & Deus de Patre per omnia coæqualis Patri: Deus verus de Deo vero: Spiritum vero ſanctum, neque genitum, neque creatum, ſed de Patre Filioque procedentem, utriuſque eſſe Spiritum: ac per hoc ſubſtantialiter unum ſunt, quia & unus ab utroque procedit. In hac autem Trinitate tanta eſt unitas ſubſtantiæ, ut pluralitate careat, & æqualitatem teneat: nec mi-
B nor in ſingulis, quam in omnibus, nec major in omnibus, quam in ſingulis maneat perſonis. Ex his igitur tribus divinitatis perſonis ſolum Filium fatemur ad redemptionem humani generis, propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & noſtro libero arbitrio contraxeramus, reſolvenda a ſecreto Patris arcanoque prodiiſſe, & * hominem ſine peccato de ſancta ſemper virgine Maria aſſumpſiſſe, ut idem Filius Dei Patris eſſet filius hominis; Deus perfectus, & homo perfectus, ut homo Deus eſſet unus
C Chriſtus naturis in duabus, in perſona unus, ne quaternitas Trinitati accederet, ſi in Chriſto perſona geminata eſſet. Ergo a Patre & Spiritu ſancto inſeparabiliter diſcretus eſt perſona, ab homine autem aſſumpto, natura. Item cum eodem homine unus extat perſona, cum Patre & Spiritu ſancto natura: ac, ſicut diximus, ex duabus naturis & una perſona eſt dominus noſter Jeſus Chriſtus, in forma divinitatis æqualis Patri, in forma
D ſervi minor Patre: hinc enim eſt vox ejus in pſalmo: *De ventre matris meæ Deus meus es tu.* Natus itaque a Deo ſine matre, natus a virgine ſine patre, ſolum *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*: & cum tota cooperata ſit Trinitas formationem ſuſcepti hominis, (quoniam inſeparabilia ſunt opera Trinitatis) ſolus tamen accepit hominem in ſingularitate perſonæ, non in unitate divinæ naturæ, in id quod eſt proprium Filii, non quod commune Trinitatis. * Nam ſi naturam hominis
E Deique * alteram (b) confudiſſet, tota Trinitas corpus aſſumpſiſſet: quoniam conſtat naturam Trinitatis eſſe unam, non tamen perſonam. Hic igitur dominus Jeſus Chriſtus miſſus a Patre, ſuſcipiens quod non erat, nec amittens quod erat, inviolabilis de ſuo, mortalis de noſtro, venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, & credentes juſtificare, faciens que mira-

* Deo: ille autem Filius Patris.
* humanitatem
*Pſal.* 21.
*Joan.* 1.
* Nam ſi unam naturam hominis, Dei alteram confeciſſet perſonam tota
* alteram in altera

1 Ivo in Decreto part. 6. cap. 372. appellat iſtud ſeptimum Concilium Toletanum: ut & Collectio Canonum MS. Collegii Pariſ. Soc. Jeſu. *Hard.*
2 Iſidorus, *anno primo*. Hard.
3 Iſidor. *æra* 680. Hard.
(a) Luc. addit: *majeſtatis*.
(b) Luc. inſerit: *in alteram*.

mirabilia, traditus eſt propter delicta A noſtra, mortuus eſt propter expiationem noſtram, reſurrexit propter juſtificationem noſtram, cujus livore ſanati, cujus morte Deo Patri reconciliati, cujus reſurrectione ſumus reſuſcitati. Quem etiam venturum in fine expectamus ſæculorum, & cum reſurrectione omnium, æquiſſimo ſuo judicio redditurum juſtis præmia, & impiis pœnas. Eccleſiam quoque catholicam credimus, ſine macula in opere, & ſine ruga in fide corpus ejus eſſe, regnumque habituram cum capte ſuo omnipotente Chriſto Jeſu, B poſtquam hoc corruptibile induerit incorruptionem, & mortale immortalitatem, ut ſit Deus omnia in omnibus. Hac fide corda purificantur, hac hæreſes extirpantur: in hac omnis eccleſia collocata jam in regno cæleſti, & degens in ſæculo præſenti gloriatur: & non eſt in alia fide ſalus: *nec enim nomen aliud eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*.

[Margin: 1. Cor. 15. — Act. 4.]

II.

Religioſiſſimi principis noſtri devotionem, & noſtrorum conſacerdotum pri- C mo anno regni ſui conſtitutionem cum magna reverentia & veneratione ſuſcipientes, quam conſtat jam in omni regno ſuo annua vice celebrari, placuit etiam noſtra aſſenſione firmari. Proinde univerſalis auctoritate cenſemus concilii, ut hi dies litaniarum, qui in ſynodo præmiſſa ſunt inſtituti, eodem in tempore, quo juſſi ſunt excoli, * annuo recurſu omni obſervatione habeantur celeberrimi, ut pro illis quibus nunc uſque ſimul implicati ſumus delictis, ſit noſtra D expiatio ante oculos Dei omnipotentis.

[Margin: De litaniis concil. Tolet. V cap. 1. — * anno recur.]

III.

Inflexibilis * Judæorum perfidia deflexa tandem videtur pietate & potentia ſuperna. Hinc enim liquet, quod * inſpiramine ſummi Dei excellentiſſimus & Chriſtianiſſimus princeps ardore fidei inflammatus, cum regni ſui ſacerdotibus prævaricationes & ſuperſtitiones eorum eradicare elegit funditus: nec ſinit de- E gere in regno ſuo eum, qui non ſit catholicus. Ob cujus fervorem fidei, gratias omnipotenti Deo cælorum regi agimus, eo quod ejus tam illuſtrem creaverit animam, & ſua repleverit ſapientia: ipſe quoque donet ei & præſentis ævi diuturnam vitam, & in futuro gloriam æternam. Illud autem provida nobis cura, & valde eſt decernendum vigilanti ſolertia, ne ejus fidei calor, & noſter labor, quandoque in poſteris tepefactus liqueſcat. Quocirca conſonam cum eo corde & ore promulgamus Deo placituram ſententiam, ſimul etiam cum ſuorum optimatum illuſtriumque virorum conſenſu * & deliberatione ſancimus, ut quiſquis ſuccedentium temporum regni ſortitus fuerit apicem, non ante conſcendat regiam ſedem quam inter * reliqua conditionum ſacramenta pollicitus fuerit, hanc ſe catholicam non permiſſurum eos violare fidem: ſed & nullatenus eorum perfidiæ favens, vel quolibet neglectu aut cupiditate illectus, tendentibus ad præcipitia infidelitatis aditum præbeat prævaricationis: ſed quod magnopere noſtro eſt tempore conquiſitum, debeat illibatum perſeverare in futurum. Nam incaſſum bonum agitur, ſi non ejus providetur perſeverantia. Ergo poſtquam ordine * præmiſſo ad gubernacula acceſſerit regni, ſi ipſe temerator hujus extiterit promiſſi, ſit anathema, maranatha in conſpectu ſempiterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni, * ſimilique cum eo damnatione * perculſis, quicumque ſacerdotum, vel quilibet Chriſtianorum, ejus implicati fuerint errore. Nos etenim ita præſentia decernimus, ut præterita, quæ in univerſali ſynodo de Judæis conſcripta ſunt, confirmemus: quoniam quæcumque neceſſaria pro eorum ſalvatione ſcribi potuerunt, in eadem eſſe cautum ſcimus. Quapropter, quæ tunc decreta ſunt, valitura eſſe cenſemus.

[Margin: * de ſpiramine — * ex — * reliquas conditiones ſacramento. — * promiſſo — * ſimul — * perculſi, — In IV. Tol.]

IV.

Sæpe * pullulantia pravitatum germina, licet ſæpiſſime patrum juſta noverimus ſeveritate damnata, tamen quia crebris conſpiciuntur denuo vigere radicibus, juſtitiæ acriori vigore radicitus ea amputare * ſancimus. Proinde quicumque Simonis imitator, ſimoniacæ quoque hæreſis extiterit ſectator, ut eccleſiaſticorum ordinum gradus non dignitate morum obtineat, ſed munerum impenſione conquirat, & per oblata munera capiat, quibus hunc nec rationis ordo, nec dignitas morum ulla commendet, talis inventus, ſacrorum ordinum apices penitus adipiſci nullo modo permittatur: ſed etſi adeptus fuerit, communione privatus, cum ordinatoribus ſuis propriorum bonorum amiſſione * damnetur.

[Margin: * pullulanſ — * ſancimus, juxta quod in præteritis canonibus ſcriptum eſt, anathema dantes & accipientes. Proinde — * damnentur, qui non pro amore Dei ſed pro ambitione honoris conſerram ſuſcepiſſe noſcuntur.]

V.

Sæpe fit ut propietati originis obſiſtat longinquitas temporis. Quapropter providentes decernimus, ut * quiſquis clericorum, vel aliarum quarumlibet perſonarum, ſtipendium de rebus eccleſiæ cujuſcumque epiſcopi percipit largitate, ſub precariæ nomine debeat profeſſionem ſcribere, ut nec per detentionem diurnam * præjudicium afferat eccleſiæ, & quæcumque

[Margin: 12. quæſt. 2. Sæpe fit. Ivo part. 6. cap. 372. De hac re Vvambæ eſt lex in legibus Vviſegoth. lib. 4. tit. 8. l. 6. — * ſi quis clericorum ſtipendium]

que in uſum perceperit, debeat utiliter laborare, ut nec res divini juris * videatur aliqua occaſione negligi, & ſubſidium ab eccleſia, cui deſerviunt, percipere poſſint clerici. Quod ſi quis eorum contempſerit facere, ipſe ſtipendio ſuo videbitur privari.

* retentionem al. tentionem * judicium * videantur

### VI.

Proclivis eſt curſus ad * voluptatem, imitatrix natura vitiorum. Quamobrem quiſquis virorum, vel mulierum, habitum ſemel induerit ſpontanee religioſum, aut ſi vir deditus eccleſiæ choro, vel femina fuerit, * ac fuit deligata puellarum monaſterio, in utroque ſexu prævaricator ad propoſitum invitus reverti cogatur: * ut vir detondeatur, & puella * monaſterio reintegretur. Si autem quolibet patrocinio deſertores permanere voluerint, ſacerdotali ſententia ita de Chriſtianorum cœtu habeantur extorres, * ut nec locutio cum eis ulla ſit communis. Viduæ quoque ſicut univerſalis jam dudum ſtatuit ſynodus, profeſſionis vel habitus ſui deſertrices, ſuperiori ſententia condemnentur.

27. quæſt. 1. Proclivis. Ivo part. 7. cap. 55. Burch. lib. 8. cap. 56. * voluptatem / * aut fuerit delegata * ad monaſterium regrediatur. al. ingrediatur. * ut nec locus ſit ullius ſit communionis. Concilium Tolet. IV. cap. 56.

### VII

Quamvis priora nunquam ſiluerunt de * tanto facinore concilia, ratio tamen poſcit, ut ea quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti ſententia condemnentur. Et ideo quoniam tanta exiſtit perverſitas hominum, ut hi quos ſub religioſo habitu pœnitentiæ profeſſio pro peccatorum venia ad manum ſacerdotis deducit, vel adduxit, iterum rediviva malitia ad vitæ priſtinæ ſordes revocet, hujus rei cauſſa ſancta ſynodus decernit, ut ſi qui ingenuorum utriuſque ſexus, ſub nomine * pœnitentiæ, in habitu religioſo ſunt converſati, poſt hæc autem * comam nutrientes, vel veſtimenta ſæcularia ſumentes, ad id quod reliquerant redierunt, aut redierint, ab epiſcopo civitatis, in cujus territorio ſunt converſi, comprehenſi rurſus legibus pœnitentiæ in monaſteriis ſubdantur inviti. Quod ſi facere propter aliquem poteſtatis vigorem difficile fuerit, tunc, ſicut priſcorum canonum ſtatuerunt decreta, quouſque ad dimiſſum ordinem revertantur, * excommunicati habeantur; ſed & hi qui poſt excommunicationem, vel interdictum, cum ipſis communicaverint. Sacerdos autem ad quem pertinere noſcuntur, ſi eos quolibet munere, vel favore, aut negligentia admonere noluerit, & aut revertentes ſuſcipiat, aut contemnentes de eccleſia rejiciat, ſimili ſententia plectatur, quouſque emendationis, vel damnationis eorum ab eo ſententia promulgetur.

* tantis facinoribus * pœnitentiæ, Id conſtat ex III. Tol. c. 11. Venet. can. 3. I. Turon. c. 8. Epaon. can. 23. & Aurel. I. c. 13. IV. Tol. cap. 54. * excommunicati & anathemate condemnati habeantur;

### VIII.

Antiqui & ſanctiſſimi eſt patris ſententia papæ Leonis, ut is qui in ætate adoleſcentiæ poſitus, dum mortis formidat caſum, pervenerit ad pænitentiæ remedium; ſi conjugatus, & forte fuerit incontinens, ne poſtea adulterii incurrat lapſum, redeat ad priſtinum conjugium, quouſque poſſit adipiſci temporis maturitate continentiæ ſtatum: Quod nos ſicut de viris, ita & de feminis æquo modo cenſemus non quidem * generaliter & legitime præceptum, ſed conſtat a * nobis pro humana fragilitate indultum; ea dumtaxat ratione, ut ſi is qui pænitentiæ non eſt legibus deditus, ante ab hac vita deceſſerit, quam ex conſenſu * ad continentiam eorum fuerit regreſſus, ſuperſtiti non liceat denuo ad uxorios tranſire amplexus: ſin autem illius vita extiterit ſuperſtes, qui non accepit * benedictionem pænitentis, nubat, ſi ſe continere non poteſt, & * alterius conſortio fruatur uxoris. Quod de utroque ſexu pari modo a nobis manifeſtum eſt decreviſſe. ita videlicet, ut in his omnibus ſacerdotis ordinatio expectetur, ut juxta quod ætatem aptam proſpexerit * continentiæ, abſolutionis vel diſtrictionis tribuat legem.

33. quæſt. 2. Antiqui & ſanctiſſimi. In epiſtola ad Ruſticum Narbonenſ. epiſcopum, quæ eſt 90. * hoc generaliter & canonice * vobis * alter ad continentiam eat unde fuerit * abſolutionem * ulterius * pænitentiæ,

### IX.

Longinquitate ſæpe fit temporis, ut non pateat conditio originis. Unde jam decretum eſt in anteriori § * univerſalis concilii canone, ut profeſſionem ſuam liberti eccleſiæ debeant facere, qua profiteantur ſe, & de familiis eccleſiæ manumiſſos, & eccleſiæ obſequium nunquam relicturos. Unde his quoque nos adjicimus, ut quotiens curſum vitæ ſacerdos impleverit, & de hac vita migraverit, mox cum ſucceſſor ejus advenerit, omnes liberti eccleſiæ, vel ab eis progeniti, chartulas ſuas in conſpectu omnium debeant ipſi ſubſtituto pontifici publicare, & profeſſiones ſuas in conſpectu eccleſiæ renovare, quatenus ſtatus ſui vigorem & illi obtineant, & obedientia eorum eccleſia non careat. Si autem aut ſcripturas libertatis ſuæ intra annum ordinationis novi pontificis manifeſtare contempſerint, aut profeſſiones ſuas renovare noluerint, vacuæ & inanes chartulæ ipſæ remaneant, & illi, origini ſuæ redditi, ſint perpetuo ſervi.

12. quæſt. 2. Longinquitate. Conc. Tol. IV. c. 69. § ſic vocatur IV. Tol. concil. quia fuit pleniſſimum ut in V. conc. c. 2. & VI. c. 2. 3. 7. & 18. & in principio ipſius IV. concilii epiſcopi ajunt: Quoniam generale concilium agimus. * univerſalis

### X.

Etenim decet ut hi, quorum parentes titulum libertatis de familiis eccleſiæ perceperunt, intra eccleſiam, cui obſequium debent, cauſſa eruditionis enutriantur. Contemptus quippe eſt patronorum, ſi ipſis neglectis, aliis ad educandum detur pro-

progenies manumiſſorum. Itaque cenſemus, ut ſine ſui ſtatus præjudicio ab epiſcopis habeantur in doctrinæ obſequium; quatenus & illi debitum reddant famulatum, & nullum patiantur ſuæ ingenuitatis detrimentum. Eos vero qui aliter quam ſententia noſtra decrevit agere tentaverint, invitos jubemus ab epiſcopis ad hoc ipſum reduci. Quod ſi forte parentes eorum eos pontificibus ſuis dare contempſerint, & alios ſibi patronos adoptaverint, ingratorum feriantur lege libertorum.

X I.

Dignum eſt ut vita *innocentium non maculetur pernicie accuſantium. Ideo quiſquis a quolibet criminatur, non ante accuſatus ſupplicio dedicetur, quam accuſator præſentetur, atque legum & canonum ſententia exquiratur: ut ſi indigna ad * accuſandum perſona invenitur, ad ejus accuſationem non judicetur, niſi ubi pro capite regiæ majeſtatis cauſſa verſatur.

3 quæſt. 9. Dignum eſt ut. Burch lib. 16. c. 5. * innocentia nulla maculetur pernicie accuſatoris. * cauſſandum.

XII.

Pravarum audacia mentium, ſæpe aut malitiæ cogitationum, aut cauſſa culparum refugium appetit hoſtium. Unde quiſquis patrator *cauſſarum extiterit talium, * virtute ſe nitens defendere adverſariorum, & patriæ vel genti ſuæ detrimenta intulerit rerum, in poteſtate principis ac gentis reductus (a) excommunicatus & retruſus longinquioris pœnitentiæ legibus ſubdatur. Quod ſi ipſe mali ſui prius reminiſcens ad eccleſiam fecerit confugium, interceſſu [f] ſacerdotum, & reverentia loci, regia in eo pietas reſervetur comitante juſtitia.

* culparum * virtutem petens defendere.

XIII.

Qui primatum dignitate, atque reverentiæ, vel gratiæ ob meritum, in palatio honorabiles habentur, his a junioribus modeſtus honor per omnia deferatur. Qui etiam minores a ſenioribus & dilectionis amplectantur affectu, & utilitatis imbuantur exemplo.

De dignitatibus Gothorum palatinis dicemus infra ad concil. Tolet. VIII.

XIV.

* Præmio fraudare fideles, non ſolum inhumanum, ſed etiam exiſtit injuſtum. Ideoque * cum fidei meritum tam in rebus divinis, quam in humanis non habeatur ingratum, dignum videtur, ut ſacerdotali ſententia conſulamus fidelibus regis. Proinde, ut anno primo ſereniſſimi principis noſtri decrevit concilium ſanctum, omnes * qui fideli obſequio & ſincero ſervitio voluntatibus vel juſſis paruerint principis, totaque intentione ſalutis ejus cuſtodiam vel vigilantiam habuerint, a regni ſucceſſoribus, nec a dignitate, nec a rebus priſtinis, cauſſa repellantur injuſta: ſed & nunc ita pro uniuſcujuſque utilitate principis moderentur diſcretione, ſicut eos proſpexerit neceſſarios eſſe patriæ: & ſic illis impartiatur benignitas, ut* ceteris maneat gratiæ poteſtas: quatenus ita omnia in rebus juſte *conquiſitis lucrentur, ut poſteris relinquendi, vel quibus voluntas eorum decreverit, conferendi ſpontaneo fruantur arbitrio. Ceterum ſi infidelis quiſquam in capite regio, aut inutilis in rebus commiſſis præſenti piiſſimo domino noſtro Cinthilano regi extiterit, [g] * in clementiæ ejus manu & poteſtatis nutu conſtet hujuſmodi moderatio. Nefas eſt enim in dubium deducere ejus poteſtatem, cui omnium gubernatio ſuperno conſtat delegata judicio. Quod ſi poſt ejus deceſſum quiſpiam repertus fuerit ejus vitæ fuiſſe infidelis, quidquid largitate ipſius in rebus habuit conquiſitis, careat, confiſcandum & fidelibus largiendum.

* Præmium fraudare fidelibus. * forte, quicumque fidei merito Conc. Tol. V. cap. 6. Ivo part. 16. cap. 28. Burch. lib 15. cap. 27. * fideles qui obſequio.

* ut in ceteris conquiſita.

* in clementia ejus maneat poteſtatis, ſuo nutu conſtituenda, hujuſmodi.

X V.

Quia his qui principibus digne ſerviunt, atque deferentibus fidele illis obſequium, conſtat nos optimum miniſtraſſe ſuffragium, dum juſte a principibus acquiſita in eorum jure perſiſtere ſancimus indivulſa, æquum eſt maxime, ut rebus eccleſiarum Dei adhibeatur a nobis providentia opportuna: adeo ut quæcumque rerum eccleſiis Dei a principibus juſte conceſſa ſunt, vel fuerint, vel cujuſcumque alterius perſonæ quolibet titulo illis non injuſte collata ſunt, vel extiterint, ita in eorum jure perſiſtere * firma jubemus, [h] ut evelli quocumque caſu vel tempore nullatenus poſſint. Opportunum eſt enim, ut ſicut fidelia ſervitia hominum non exiſtere cenſuimus ingrata, ita eccleſiis collata (quæ proprie ſunt pauperum alimenta) eorum in jure pro mercede offerentium maneant inconvulſa.

* firma ſtabilitate.

X V I.

Sicut inſolentia malorum regum odioſa ſemper & execrabilis extitit ſubjectis, ita bonorum provida utilitas amabilis efficitur populis. Quocirca quis ferat, aut quis * toleranter Chriſtianus videat regis ſobolem, aut poſteritatem expoliari (a) dignitatibus? Quod ne fiat, cum generalis hæc promatur de principis filiis ſententia noſtra, id eſt, de præſenti excellentiſſimi & glorioſiſſimi principis Cinthilani regis poſteritate, * dentur * aperta a nobis decreta: ut ea quæ ſynodus præterito anno in hac eccleſia habita conſtituit circa omnem poſteritatem ejus, univerſi-

Ivo part. 16. cap. 29. Burch. lib. 15. c. 28. * talem errantem Chriſtianum videat, qui regiam ſobolem aut poſteritatem conetur expoliare rebus, aut privare dig. * dantur * apta Tolet. V. cap. 2.

(a) In Luc. deeſt *excommunicatur*.

verſitas regni ſui conſervet, id eſt, ut A præbeatur filiis ejus dilectio benigna & firma, & tribuantur, ubi loci opportunitas exhibuerit, defenſionis adminicula juſta: ne de rebus * juſte profligatis, aut parentum dignitate procuratis, vel largitate principis, aut alicujus impenſis, aut etiam proprietate debitis, fraudentur qualibet inſidia calliditatis; neve a quoquam lædendi eos præbeantur argumenta machinationis: quia dignum eſt, ut cujus regimine habemus ſecuritatem, ejus po- B ſteritati decreto concilii impertiamus quietem. Denique tanta erga nos noſtri principis extant beneficia, ut longum ſit ſigillatim ea promere lingua. Ipſe enim, auctore Deo, nobis pacem, ipſe quaſi captivam reduxit caritatem, ipſius ope quieti, ipſius ſumus largitione ditati, ipſe medicamine bonitatis ſuæ & reis pepercit, & rectos ſublimavit; cui ſi dignis voluerimus reſpondere beneficiis, non tantis extamus copiis virtutis, * quanto voto ſufficimus voluntatis.

* ipſis.

* quibus tanta voto ſufficiamus.

XVII.

Concilium Tolet. V. c. 4. Borch. lib. 15. cap. 15. Ivo part. 16. cap. 26.

* iterata juxta quod convenit

Quamquam in concilio anteriori, quod anno primo glorioſiſſimi principis noſtri habitum eſt, de hujuſmodi re fuerit promulgata ſententia, tamen placet * iterare quod convenit cuſtodire. Itaque regis vita conſtante, nullus ſibi aliquo opere, vel deliberatione, ſeu cujuſcumque dignitatis laicus, ſeu gradus epiſcopatus, preſbyterii, aut diaconii conſecratus, ceteriſque clericatus officiis deditus, regem provideat contra viventis regis utilitatem, & procul dubio voluntatem: nullo blandimento vel ſuaſione pro eadem ſpe, aut alios in ſe trahat, aut ipſe in alium acquieſcat. Iniquum enim & valde execrabile a Chriſtianis debet haberi, futuris temporibus illicita proſpicere, & vitæ ſuæ ignaros, ventura diſponere. Quod ſi quiſquam jam talia iniqua deliberatione * cum quocumque eſt meditatus, hoc ſibi noverit eſſe ſacerdotali moderatione conceſſum, * ut veniabiliter poſſit hoc ſine mora præſentis principis auribus publicare: * ſi autem obſtinata deliberatione ſua machinamenta noluerit dicere, peſſimo plectatur anathemate. Rege vero defuncto nullus tyrannica præſumptione regnum aſſumat; nullus ſub religionis habitu detonſus, aut turpiter decalvatus, aut ſervilem originem trahens, vel extraneæ gentis homo, niſi genere Gothus, & moribus dignus, provehatur ad apicem regni. Temerator autem hujus præceptionis ſanctiſſimæ feriatur perpetuo anathemate.

* in

* ſi veniabiliter poſcit.

* ſi autem retineat, & deliberationis ſuæ.

XVIII.

Conc. Tol. V. cap. 2. Ivo part. 16. cap. 27. Burch lib. 15. cap. 26.

Jam quidem in antecedenti univerſali ſynodo, pro ſalute noſtrorum principum conſtat eſſe conſultum; ſed libet iterare bene ſancita, & digna auctoritate munire ſalubriter ordinata. Ideoque conteſtamur coram Deo, & omni ordine angelorum; coram prophetarum atque apoſtolorum, vel omnium martyrum choro; coram omni eccleſia catholica, & Chriſtianorum cœtu, ut nemo intendat in interitum regis, nemo vitam principis nece attrectet, nemo eum regni gubernaculis privet, nemo tyrannica præſumptione apicem * regni uſurpet, nemo quolibet machinamento in ejus * adverſitatem ſibi conjuratorum manum aſſociet. Quod ſi in quopiam horum quiſquam noſtrorum * temerario auſu præſumptor extiterit, anathemate divino perculſus, abſque ullo remedii loco, habeatur condemnatus æterno judicio. Is autem qui ejus ſedem fuerit aſſecutus, ſi vult tanto expiari * piaculo, quaſi proprii patris ejus C ulciſcatur interitum, in cujus defenſionis auxilio univerſi regni Gothorum conſentiat fortitudo. Si autem * deſidi cura & minori zelo tam funeſtum noluerint vindicare ſcelus, ſint omnes ex hac noſtra ſententia opprobrium ceteris gentibus.

* regis.

* adverſitate

* temerare præſumpſerit, anathemate

* periculo.

* deſidiæ cauſa

XIX.

His omnibus rite diſpoſitis, & diuturna collatione deliberatis, benedictionem, gloriam & honorem inviſibili omnium auctori rependimus luminum Patri, & in D his conſervandis ejus imploramus opem ſuffragii; ut conſtitutionibus noſtris, * roborem tribuat ſuæ virtutis, fragilitatemque humanam ita huic diſpoſitioni reddat * efficacem, ut non judicet prævaricatricem. Nos igitur omnia ſupraſcripta, ſalva auctoritate priſcorum canonum, ſubſcriptione noſtra firmamus: & gratias agimus Chriſtianiſſimo & glorioſiſſimo * Cinthilano principi noſtro, cujus ſtudio advocati, & inſtantia ſumus collecti; cujus voluntas * proba, & ordinatio extitit glorioſa. Donet ei dominus, ut optimo prin- E cipi, diuturnum * in ſæculo præſenti triumphum, & in parte juſtorum perpetuum regnum; felicibuſque annis felix ipſe in longa felicitate fruatur, & divinæ dexteræ protectione ubique muniatur.

* robur tribuat, ſeu virtutem

* ſalubrem

* Chintilani

* probata,

* in ſæculum triumphum.

SUBSCRIPTIONES.

Ego * Silva, etſi indignus eccleſiæ Narbonenſis epiſcopus, his conſtitutionibus editis ſubſcripſi.

* Scla al. Salva al. Selva

Ego Julianus eccleſiæ Bracarenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego

(a) Rebus aut privari dignitatibus.

Ego Eugenius eccleſiæ Toletanæ epiſcopus ſubſcripſi. A

Ego Honoratus eccleſiæ Hiſpalenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Protaſius eccleſiæ * Valentinæ epiſcopus ſubſcripſi. * Placentinæ

Ego * Conantius eccleſiæ Palentinæ epiſcopus ſubſcripſi. Conantius vir celebris & ordinandis eccleſiaſticis officiis intentus, in cantu eccleſiaſtico multa edidit.

Ego * Vigicinus eccleſiæ Bigaſtrenſis epiſcopus ſubſcripſi. * Vigitinus

Ego Laufredus Cordubenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Acutulus eccleſiæ * Elnenſis epiſcopus ſubſcripſi. * E'enſis

Ego Joannes eccleſiæ * Elepleuſis epiſcopus ſubſcripſi. * Ilipenſis B

Ego Bonifacius eccleſiæ Caurienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego * Euſebius eccleſiæ Baſtitanæ epiſcopus ſubſcripſi. * Eugenius

Ego Hilarius eccleſiæ Complutenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Jacobus eccleſiæ Menteſanæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Joannes eccleſiæ * Dertoſanæ epiſcopus ſubſcripſi. * Dertuſanæ

Ego * Siſuſclus eccleſiæ Elborenſis epiſcopus ſubſcripſi. * Siſiſclus

Ego David eccleſiæ * Aurienſinæ epiſcopus ſubſcripſi. * Aureſinæ, alias Aurienſis

Ego Elpidius eccleſiæ Tyraſſonenſis epiſcopus ſubſcripſi. C

Ego Ordulfus eccleſiæ * Oſcenſis epiſcopus ſubſcripſi. * Oſſatenſis

Ego Fructuoſus eccleſiæ Ilerdenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Deodatus eccleſiæ Egabrenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Profuturus eccleſiæ Lamicenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Servuſdei eccleſiæ * Calabrienſis epiſcopus ſubſcripſi. * Arcobricenſis

Ego Pimenius eccleſiæ Dumienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Anatolius eccleſiæ Lutubenſis Epiſcopus ſubſcripſi. D

Ego Suavilla eccleſiæ Oretanæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Metenſius eccleſiæ * Egiditanæ epiſcopus ſubſcripſi. * Iditanæ

Ego Jovila eccleſiæ Salmaticenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego * Uſibeſus eccleſiæ Portugalenſis epiſcopus ſubſcripſi. * leg. Anſultus

Ego Serpentinus eccleſiæ Illicitanæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Braulio eccleſiæ Cæſarauguſtanæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego * Oia eccleſiæ Barcinonenſis epiſcopus ſubſcripſi. * ſupra Oia

Ego Anſericus eccleſiæ Segobienſis epiſcopus ſubſcripſi. E

Ego * Diadicus eccleſiæ Olyſipponenſis epiſcopus ſubſcripſi. * Viaricus

Ego * Buda eccleſiæ Tuccitanæ epiſcopus ſubſcripſi. * Guda

Ego Anaſtaſius eccleſiæ Tudenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego * Gila eccleſiæ Oxomenſis epiſcopus ſubſcripſi. * Egila

Ego Idiſclus eccleſiæ Segontienſis epiſcopus ſupſcripſi.

Ego * Auſeonius eccleſiæ Lucenſis epiſcopus ſubſcripſi. A

Ego Humanugus eccleſiæ Caurienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Epartius eccleſiæ Italicenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego * Renatus eccleſiæ Coimbrenſis epiſcopus ſubſcripſi. * Rebutus

Ego Tunila eccleſiæ Malacitanæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Juſtus eccleſiæ Accitanæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Domninus eccleſiæ Æſonenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Gotumarus eccleſiæ Irienſis epiſcopus ſubſcripſi. B

Ego Farnus eccleſiæ Viſeenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego * Guntiſcus presbyter, agens vicem Orontii epiſcopi eccleſiæ Emeritenſis, ſubſcripſi. * Guſiſclus

Ego Domarius presbyter Arcavicenſis eccleſiæ, agens vicem Carterii epiſcopi, ſubſcripſi.

Vvamba diaconus, qui & Petrus, eccleſiæ Segobienſis, agens vicem Antonii epiſcopi, ſubſcripſi.

Citionius presbyter, agens vicem Guimi epiſcopi eccleſiæ Calaguritanæ, ſubſcripſi.

Severinus ſanctæ eccleſiæ Valentiæ diaconus, agens vicem Nuſitacii epiſcopi ſubſcripſi.

## NOTÆ GARSIÆ LOAISÆ.

a *Convenientibus.*) Eſt concilium nationale, ex Hiſpaniæ & Galliæ * præſulibus coactum. * Narbonenſe ex parte.

b *In prætorio Toletano, in eccleſia ſanctæ Leocadiæ*) Prætorium villa eſt urbana, quæ differt a ruſtica elegantia, & nitore: unde partem villæ lautius ædificatam, & patrisfamilias habitationi relictam, veteribus prætorium appellatum oſtendit lib. 2. De ſervit. ruſt. & Palladius lib. 1. cap. 8. Tertullianus lib. de idololatria. Svetonius in Cajo Cæſare Calligula c. 37. *In extructionibus* (inquit) *villarum & prætoriorum, omni ratione poſthabita, nihil tam efficere concupiſcebat, quam quod effici poſſe negaretur.* D. Hieronymus lib. 2. adverſus Jovinianum, dolium verſatile Diogenis eleganter prætorium nominat. Quapropter hic prætorium pro ipſa urbe Toleto ſumitur, in qua eſt baſilica dicata Leocadiæ, Tago fluminj impoſita, conciliorum altrix & mater, ut diximus in notis ad IV. concilium Toletanum. Prætorium quid? D

c *Judæorum perfidia*) De profeſſione Judæorum, & quomodo unuſquiſque ad fidem veniens indiculum profeſſionis ſuæ ſcribere debeat, eſt in libro legum Wiſegothorum 12. tit. 3. l. 14. *Ego ille abrenunti̇o omnibus ritibus, & obſervationibus ſectæ.* Ponuntur ibidem & conditiones, quas jurare debent hi qui ex eis ad fidem convertuntur, lib. 15. *Juro primum per Deum patrem omnipotentem, &c.* Ad comprimendam vero perfidiam Judæorum inveteratam Innocentius IV & Gregorius IX. & Benedictus XIII. multa decreverunt, quorum diplomata extant in archivis eccleſiæ Toletanæ. Cap. 3. Judæi qua formula fidem profiteantur & jurent.

d *Ut vir detondeatur*) Tonſuræ eccleſiaſticæ uſus ab apoſtolis fluxit, ut ait Rabanus de inſtitutis clericorum cap. 3. *Ut hi qui divinis cultibus mancipati domino conſecrantur, quaſi Nazaræi, id eſt ſancti Dei crine præciſo innoventur.* Beda etiam lib. 5. de geſtis Anglorum affirmat, quod beatus Petrus in memoriam dominicæ coronam ſimilis tonſuræ geſtabat in capite: & Iſidorus lib. 2. de origine officior. cap. 4. *Tiara*, inquit, *apud veteres conſtituebatur in capite ſacerdotum: hæc ex byſſo confecta rotunda erat, quaſi ſphæra media: & hoc ſignificatur in parte capitis tonſa.* Unde tonſura eccleſiaſticis viris ſemper fuit peculiaris, propter honorem & ſignificationem. Præſertim, qui monaſticam vitam profitebantur, ante omnia tondebantur, ut conſtat ex concilio Toletano IV. cap. 55. *Non aliter* (inquit) *& hi qui detonſi a parentibus fuerint, aut ſponte ſua, amiſſis parentibus, ſeipſos religioni devoverunt, & poſtea habitum ſæcularem ſumpſerunt, ut iidem a ſacerdote comprehenſi ad cultum religionis, acta prius pœnitentia, revocentur.* Idem capitulo 17. hujus concilii; *Nullus ſub religionis habitu detonſus, &c.* Detondebantur etiam, quamvis in ſæculo manerent, qui ſub pœnitentiæ nomine habitum religionis induebant: ut conſtat ex cap. 7. hujus concilii, ubi dicitur: *Et ideo,* Cap. 6. Tonſuræ clericalis origo & forma qua? E

que-

*quoniam tanta exiſtit perverſitas hominum, ut hi quos ſub religioſo habitu pœnitentiæ profeſſio pro peccatorum venia ad manum ſacerdotis deducit, vel adduxit, iterum redituræ malitiæ ad vitæ priſtinæ ſordes revocet, hujus rei cauſſa ſancta ſynodus decernit, ut ſi qui ingenuorum utriuſque ſexus, ſub nomine pœnitentiæ in habitu religioſo ſunt converſati, poſt hæc autem comam nutrientes, vel veſtimenta ſæcularia ſumentes, &c.* De tonſura monachorum, vide quid dicat Epiphanius, hæreſi 80. adverſus Maſſalianos: *Oportet filios* (inquit) *virginis matris eccleſiæ eſſe venerandos in tonſura*: & Hieronymus ep. 48. ad Sabinianum: & Beda lib. 5. de geſtis Anglorum, & Caſſiodorus. Erat & decalvatio apud Gothos in uſu. Verum hæc publicæ atque perpetuæ infamiæ nota erat, ut patet ex multis conciliis, præſertim Toletano, & Emeritenſi, cap. 15. *Turpi decalvatione maneat emendatus*: & in legibus Wiſegothorum locus eſt inſignis, præter alia multa lib. 2. tit. 4. l. 6. *Pari ſimul ſententia & falſarii teneantur, atque inſuper, ad aliorum terrorem, centenis flagellis, & turpiter decalvati perenni infamiæ ſubjacebunt.* Et lib. 6. tit. 5. cap. 5. *Ad perennem infamiam deformiter decalvetur.* Quin & calvitii deformitatem adeo inique Romani tulerunt, ut Svetonius ſcribat Julium Cæſarem ideo deficientem capillum revocare a vertice conſueviſſe, & ex omnibus decretis ſibi a ſenatu populoque honoribus non aliud aut recepiſſe, aut uſurpaſſe libentius, quam jus laureæ coronæ perpetuo geſtandæ. Pro maximo etiam probro idem in Gallico triumpho mœchus calvus eſt appellatus. Erat enim tonſio & excalvatio ignominioſa pœna, Chriſtianis viris & feminis pro ludibrio a Gentilibus decreta. De qua vide quæ Cæſar Baronius, vir multiplicis eruditionis, adducit 20. Septembris in martyrologio ſanctorum, explicationemque canonis 17. concilii Gangrenſis, ex Sozomeno, l. 3. cap. 13. quam ut eruditam ſequor: item quæ ſupra diverſis in locis hac de re annotavi.

Decalvatio nota infamiæ perpetuæ?

Cap. 9.

c *Comam nutrientes.*) Loquitur de publica pœnitentia & ſolenni, quæ non datur quibuſvis peccatoribus, ſed illis tantum qui publice peccaverint: unde conc. III. Arelat. can. 26. dicitur, ut qui publico crimine convicti ſunt, reipublicæ indicentur, & publicam pœnitentiam agant ſecundum canones. Primo etiam Toletano, canone 2. ſic habetur. *Pœnitentem dicimus, qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis, publicam pœnitentiam egerit.* Eſt enim pœnitentia triplex: prima pro gravioribus criminibus, quæ publica & ſolennis in eccleſia dicitur: ſecunda temperatior, quæ inter peccatorem & presbyterum fit, ſecreta peccati manifeſtatione, & ſacerdotali correptione: tertia, quam pro leviſſimis & quotidianis peccatis peccator apud ſemetipſum facit. Has tres pœnitentias ponit Auguſtinus lib. de fide, & operibus verſus finem. Hujus vero pœnitentiæ ſolennis conditiones & modos ex variis conciliorum canonibus colligere licet; præcipue vero ex concilio Agathenſi cap. 15. ubi etiam diſcrimen inter ſecretam pœnitentiam, & hanc publicam, in qua deponebant comam, veſtimenta mutabant, ciliciumque induebant, manifeſte oſtenditur. Habeturque fuſe apud Gratianum, diſt. 50. cap. In capite quadrageſimæ & in epiſt. ad Cyprianum cleri Romani. Et apud Sozomenum, lib. 6. eccleſiaſt. hiſtor. cap. 16. deſcribitur habitus & conditio pœnitentium occidentalium eccleſiarum. Hæc pœnitentia ſemel dumtaxat in eccleſia concedebatur & extra periculum, non quovis tempore relaxabatur, ſed in cœna domini, feria quinta ſeptimanæ ultimæ quadrageſimæ, qui pœnitentiam impleverant, per manus impoſitionem. Soter papa apud Gratianum, de conſecr. diſt. 2. cap. In cœna domini; Innocentius primus, epiſt. 1. cap. 7. Cabilonenſe Concil. cap. 4. 7. Eratque hæc publica pœnitentia infamis, clericis & ſacerdotibus interdicta. Conſule de hac re Gratianum tota diſtinctione 50.

Pœnitentia triplex.

f *Sacerdotum & reverentia loci.*) Ad immunitatem eccleſiæ ſervandam duas cauſſas affert, prima eſt interceſſio ſacerdotum, ſecunda reverentia loci. Semper fuit religioſum ad eccleſiam confugientes, pro loci cultu & obſervantia inde non abſtrahi; ut conſtat ex codice Juſtiniani, & Theodoſii, de his qui ad eccleſiam confugiunt. Quas leges laudat ſanctus Gregorius lib. 11. epiſtol. 54. ſanctus Chryſoſtomus ſermone in Eutropium, Sozomenus l. 8. c. 7. Socrates lib. 6. cap. 5. Suidas in Eutropio, Nicephorus lib. 31. cap. 4. Gratianus varia decreta Auguſtini & Gelaſii affert adverſus eos qui ad eccleſiam confugientes e templo abſtrahunt. Extantque leges Gothorum de eadem re, lib. 9. fori judicum, tit. 23.

Cap. 12. Immunitas eccleſiarum duplici de cauſa ſervari debet.

g *In clementia ejus manu.*) Burchardus hic aliter paulo, in quo male pro, *poteſtatis*, legitur, *poſteritatis*; & ſtatim, *fas*, pro *nefas*: in eodem eſt, *jus poteſtatis*, pro *ejus poteſtatem*.

Cap. 14.

h *Ut nulli quocumque caſu vel tempore nullatenus poſſint.*) Quantum piaculum ſit, res a fidelibus ſincera fide eccleſiis datas ab eis auferri ac diſtrahi, multa hoc tempore extant doctiſſimorum virorum ſcripta, quæ brevitatis cauſſa prudens omitto: unum tantum ſubjiciam, quod in conſtitutionibus orientalibus ſcriptum invenio L. 1. Nicephorum Phocam donationes monaſteriis ac templis relictas prorſus aboleviſſe, lege etiam lata, ne eccleſiæ immobilibus locupletarentur bonis; cauſſatus epiſcopos male prodigere ea quæ pauperibus darentur, militibus interim deficientibus. Cujus temerariam hanc impietatiſque plenam legem Porphyrogeneta dominus Baſilius junior alia lege lata ſuſtulit, quam dignam quæ hic apponeretur exiſtimavi: *Imperium noſtrum,* (inquit) *quod a Deo profectum eſt, cum & a monachis, quorum pietas & virtus eſt teſtata, & a multis aliis, legem de Dei eccleſiis & ſanctis domibus, vel potius contra Dei eccleſias & ſanctas eorum domus a domino Nicephoro, qui imperium invaſit, conditam, præſentium malorum cauſſam fuiſſe, & radicem, & univerſalis hujus ſubverſionis & confuſionis (ut quæ ad injuriam & contumeliam non ſolum eccleſiarum, & ſanctarum domorum, ſed etiam ipſius Dei facta ſit) intellexiſſet, & maxime cum id re ipſa expertum eſſet, (ex quo enim hæc lex eſt obſervata, nihil boni penitus in hodiernum uſque diem vitæ noſtræ accurrit, ſed contra nullum penitus calamitatis genus defuit) ſtatuit per præſentem auream bullam, ut lex prædicta ab hoc præſenti die ceſſet, & deinceps infirma & irrita permaneat, & locum habeant & in uſu ſint quæ de Dei eccleſiis & ſanctis & religioſis domibus facta ſunt leges* Ex verſione * Eimundi Bonefidei.

Cap. 13. Sacrilegium graviſſimum eſt peccatum.

* Enemundi Bonifidii.

l *Ego Braulio.*) Qui & Braulius dicitur. De eo Rodericus Toletanus libro ſecundo, capite decimonono, ſic inquit. *Huic ſynodo Braulio Cæſarauguſtanus epiſcopus præ ceteris illuſtris effulſit atque piam doctrinam Chriſtianis mentibus docentes infudit; cujus & opuſcula nunc uſque eccleſia veneratur, &c.*

ANNO CHRISTI 639.

# CONCILIABULUM CONSTANTINOPOLITANUM,

## In quo Ecteſis Heraclii confirmatur.

ANNO CHRISTI 639.

Ex Pagio ad An. Ch. 639. n. 9.

PYrrhus, ubi Epiſcopatum Conſtantinopolitanum adeptus eſt, collegit Conciliabulum Conſtantinopoli, *& ea quæ a Sergio & Cyro Phaſiano decreta fuerant corroboravit*, inquit Auctor libelli Synodici ſupra allatus a Labbeo. Imo ipſemet Pyrrhus in fine dialogi cum S. Maximo habiti innuit, ſe ad confirmandam Ectheſim Synodum illam hæreticam celebraſſe. Cum enim Maximus conſuluiſſet, ut anathemate percuterentur Monothelitica dogmata, reſpondit Pyrrhus: *At ſi hoc fit, reperientur cum his ejecti Sergius, & Synodus, me Patriarcha, habita. Max. Subit me admiratio, quomodo ſynodum vocas, quæ non eſt habita, ut leges & canones Synodici, & jura Eccleſiaſtica jubent: nec enim epiſtola Encyclica ex conſenſu Patriarcharum edita eſt, neque locus, neque dies conveniendi decretus*, & cetera infra legenda. Hujus Conciliabuli aliqua fragmenta exhibet Concilium Lateranenſe Secret. III. ubi inter alia hæc ex illo referuntur a Pyrrho ſcripta: *Curavimus, Deo donante, & ad eos qui abſentes ſunt, apud nos geſta* (ſcilicet ecteſis confirmationem) *cum encyclica noſtra deſtinare epiſtola, quatenus & eorum unuſquiſque per ſuam ſimiliter ſubſcriptionem eidem orthodoxæ prædicationi conſentiat. & ſuam per ſubſcriptionem præcedentibus conjungat mentem.* Referuntur etiam ibidem Secret. IV. quæ Pyrrhus pro Cyro excuſans ſcripſiſſet: & poſtea ſubditur: *Ergo hanc Ectheſim Sergius & Pyrrhus per propria monumenta confirmantes, quatenus multo amplius dogmatum ſuorum viciſſim oſtendant ubique omnibus deſtructionem, ut noſtis, hæc allocuti ſunt*, & reliqua infra ſub Martino Papa.

# VITA SEVERINI PAPÆ.

Dantur variantes ex Cod. Luc. 490.

a SEverinus, natione Romanus, ex patre Abieno, A b ſedit menſes duos, dies quatuor. Hujus temporibus devaſtatum eſt epiſcopium Lateranenſe a Mauricio chartulario, & Iſacio patricio & exarcho Italiæ, cum adhuc electus eſſet domnus Severinus. Sed antequam veniret Iſacius, Mauricius dolo ductus adverſus eccleſiam Dei, conſilio inito cum quibuſdam perverſis hominibus, incitaverunt exercitum Romanum, dicentes; quia quid prodeſt, quod tantæ pecuniæ congregatæ ſunt in epiſcopio Lateranenſi ab Honorio papa, & miles iſte nihil exinde ſubventus habet, quando & rogæ veſtræ quas domnus imperator vobis per vices mandavit, (a) ubi ſunt a ſancto viro reconditæ. His auditis exarſerunt omnes adverſus eccleſiam Dei, B & venerunt omnes a minimo conciati, omnes armati, qui inventi ſunt in civitate Romana, a puero uſque ad ſenem, in epiſcopio ſupraſcripto Lateranenſi, & non potuerunt manu militari introire, quia reſtiterunt ei qui erant cum ſanctiſſimo domno Severino. Tunc videns hoc Mauricius, quia nihil potuerunt facere, dolo ductus fecit ibi exercitum reſidere, intra epiſcopium Lateranenſe, (b) & fuerunt ibi dies tres. Poſt triduum autem introivit Mauricius cum judicibus qui inventi ſunt cum ipſo in conſilio, & * ſigillaverunt omne veſtiarium eccleſiæ ſeu * cymbilia epiſcopii, quæ diverſi Chriſtianiſſimi imperatores, ſeu patricii, & conſules, pro redemptione animarum ſuarum beato Petro apoſtolo reliquerant, C ut pauperibus ſingulis temporibus pro * alimonia erogarentur, ſeu propter redemptionem captivorum. Et poſtmodum miſit Mauricius epiſtolas ſuas ad Iſacium patricium Ravennam, de hoc quod actum eſt, quomodo ipſe cum exercitu ſigillaſſet omne veſtiarium epiſcopii. Et quia ſine aliqua læſione omnem ſubſtantiam ſæpedictam potuiſſent deprædari. Cumque hæc verius cognoviſſet Iſacius, venit in civitatem Romanam, & miſit omnes c primates eccleſiæ ſingulos per ſingulas civitates in exilium, ut non fuiſſet qui ei reſiſtere debuiſſet de clero. Et poſt dies aliquantos ingreſſus eſt Iſacius patricius in epiſcopium Lateranenſe, & fuit ibi per dies octo, uſque dum (c) omnes D ſubſtantiam illam deprædarentur. Eodem tempore direxit exinde ex * parte ex ſubſtantia ipſa in civitatem regiam ad Heraclium imperatorem. Poſtmodum ordinatus eſt ſanctiſſimus Severinus; & reverſus eſt Iſacius Ravennam. Hic renovavit * abſidam beati Petri apoſtoli ex muſivo quod dirutum erat. Hic dilexit clerum, & omnibus * donum augmentavit. Fuit autem ſanctus, benignus ſuper omnes homines, amator pauperum, largus, & mitiſſimus. Fecit autem epiſcopos per diverſa loca numero (d) quatuor. Hic * dimiſit omni clero rogam integram. Qui etiam ſepultus eſt ad beatum Petrum apoſtolum ſub die IV. Nonas Auguſti, & E ceſſavit epiſcopatus menſes quatuor, dies 29

* ibi

* intrantes ſub ſpecie pa... ſeu cimelia

* eleemoſyna

* ipſa ſubſtantia partem quamdam

* apſidem

* donis, vel bonis

* diviſit

COM

(a) Ibi. (b) Et fecerunt (c) Omnem ſubſtantiam illam deprædarent.
(d) IX.

## NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Severinus.*) Poſt obitum Honorii Severinus natione Romanus conſenſu totius cleri factus eſt Pontifex: confirmationem electionis tyrannice fieri ſolitam, ab Heraclio fortaſſe nullam impetravit, ideo quod ecthesin illam ſive expoſitionem fidei, quam ſub nomine Heraclii imperatoris Sergius Conſtantinopolitanus epiſcopus ad ſuam de una voluntate & operatione Chriſti ſententiam ſtabiliendam promulgaverat, & a Severino pontifice Romano probari expetiverat, ille non modo non inſtar ſynodi Alexandrinæ eam probaverit, ſed potius diro anathemate percuſſerit *Secret. 3. concilii Lateranenſis ſub Martino.* Tunc eveniſſe illud, quod de epiſcopo Lateranenſi ſpoliato, de primatibus eccleſiæ, id eſt, cardinalibus per Iſacium Italiæ exarchum relegatis narrat Anaſtaſius, valde eſt credibile. Poſt hæc immaniter in pontificem & eccleſiam juſſu Heraclii commiſſa, vir ſanctiſſimus a miniſtris imperatoris gravibus moleſtiis & afflictionibus exagitatus non diu ſuperſtes fuit. Beda lib. 2. cap. 19. auctore ſcribitur Scotos ad Severinum cum legatione quadam literas miſiſſe, quibus eum de erroribus in paſchatis celebratione corrigendis admonuerunt: ſed cum ille ante eorum adventum diem obiiſſet, una cum clero Romano Joannem electum tantum, nondum autem confirmatum papam, eas aperuiſſe, iiſque de paſchate catholico more celebrando, & reviviſcente Pelagiana hæreſi diligenter cavenda reſpondiſſe. Extat apud Bedam hujus epiſtolæ fragmentum, quod infra ſuo loco ſub Joanne excudi mandavimus. Poſt ecthesin publicatam & in ſynodo confirmatam moritur Sergius Conſtantinopolitanus epiſcopus, anno ſedis 30. Subrogatur ei in ſede & hæreſi Monothelitarum propaganda ſucceſſor Pyrrhus Chryſopolitanus monachus & presbyter, qui ſcripta ad Joannem IV. epiſtola, teſte Agathone, ipſum in hæreſim pellicere conatus fuit. Sarraceni potiuntur regno Perſarum hoc tempore quo Heraclius Conſtantinopoli fidem catholicam impugnat.

b *Sedit menſes.*) Baronius anno 639. num. 3. ait Anaſtaſium Severino tribuere menſes 11. & dies 4. Ad prædictum annum domini, qui cum indictione 12. coincidit, Severinum perveniſſe, ex eo patet, quod ecthesin Heraclii indictione 12. promulgatam, (ut videre eſt in concil. Rom. ſecret. 3.) ipſe damnaverit, & anathemati ſubjecerit. Eumdem non eſſe prætergreſſum hunc annum, colligere poſſumus ex ſynodo Romana, quam prædicta acta ſynodalia a Joanne pontifice & ſucceſſore Severini collectam fuiſſe teſtantur.

c *Primates eccleſiæ.*) Intellige presbyteros & cardinales diaconos, qui dignitate & auctoritate reliquos antecellunt.

Severinus quando pontificatum adeptus?

Severinus ecthesin Heraclii damnat.

Obitus Severini

Res geſtæ ſub Severino.

Quamdiu ſederit?

## ADMONITIO JAC. SIRMONDI S. J.

### IN SEQUENS OPUSCULUM.

Quæ ſequitur ex alia S. Maximi epiſtola commemoratio de ſedis apoſtolicæ legatis, qui Græcos ſcito reſponſo eluſerunt, cum Romani pontificis conſecrationem ſuſpenſam diutius tenerent, de iis legatis accipienda eſt, qui Severino poſt Honorii obitum electo Conſtantinopolim ejus cauſſa miſſi ſunt anno Chriſti DCXXXIX. quo ipſo anno ecthesis, de qua hic ſermo, ab Heraclio imperatore promulgata eſt, & ſedes apoſtolica, nondum ordinato Severino, vidua fuit. Itaque cum Joanne ac Theodoro anterior fuerit Severinus, ordinem temporum, quem in ceteris fere obſervat, hoc loco neglectum ab Anaſtaſio dici neceſſe eſt. Severinus porro miſſam ad Iſaacium exarchum, ſibique Romæ oblatam ecthesin conſtanter repudiavit, ut teſtatur Martinus papa ſub finem ſecret. III. ſynodi Romanæ.

## COMMEMORATIO QUID LEGATI ROMANI CONSTANTINOPOLI GESSERINT.

*Ex epiſtola ſancti Maximi ſcripta ad abbatem Thalaſſium.*

IN his & hujuſmodi eſſe te, pater, ſciens, & ſola quæ illius ſunt præ omnibus in generatione noſtra omni ſtudio procurare cognoſcens: oportere ratus ſum virtutem innoteſcere tibi eorum, quæ modo ab urbe mihi feliciſſima ſcripta ſunt a quibuſdam reverendis viris, & tecum ex toto corde diligentibus Deum, cauſſa dogmatum catholicæ ſanctæ ac apoſtolicæ ipſius eccleſiæ. Significaverunt enim quod multi hujus rei gratia & prolixa quædam in ea facta ſit motio, id eſt, in regia urbe a ſacratis illius eccleſiaſticis viris: & prius quidem, ſed præcipue per idem tempus, quando illic miſſos in cauſſa promotionis papæ cum delatis decretis apocriſiarios ſuſceperunt. Tunc enim, tunc poſt plurimos ſermones, quos ad eos cauſſa conſecrationis moverunt, noviſſime ad effectum ejus, atque ad ipſius deſiderii completionem, protulerunt eis dogmaticam chartam nunc ab eis expoſitam, aſſerentes, non aliter vobis in capitulo, pro quo tantum tranſigentes navigium huc veniſtis, favorem præſtabimus, niſi prius vos ſuaſuros ei qui ſacroſanctus eſt profiteamini, huic chartæ ſubſcribere, & dogmatibus quæ in ea continentur exceptis dilationibus conſentire. At illi earum quæ prætendebantur ſibi virtute comperta, & quod hac pro cauſſa tanto tempore manere viduam eccleſiarum principem, matrem & urbem coegiſſent, hanc profecto per hujuſmodi ſuum volentes obtinere commentum. Dum ſcilicet uſque ad eam quoque irrationabiliter extendendam fore novitatem propriam putaverint, ut id pro quo ſtudebant aſſequerentur, tranquille rationem proſecuti ſunt, & quaſi condeſcendentes dixerunt: Nos quidem ſuper hoc auctoritatem præbere non poſſumus, miniſterium quippe nobis eſt creditum; non profeſſionem faciendi præceptum. Illud autem vobis certum reddimus, quod referamus omnia quæ a vobis prætenta ſunt, & chartam ipſam oſtendamus ei qui conſecrandus eſt, & ſi judicaverit hanc bene habere, rogabimus annotare huic propriam ſubſcriptionem. Nunc autem ne velitis inſperate propterea nobis impedimento fieri, & vim inferre protelando, & nos hic retinendo. Neque enim eſt qui cuilibet, maximeque in cauſſa fidei, vim poſſit inferre. In hac enim & nimis infirmus fortis valde conſiſtit, & valde mitis bellator ſummus invenitur; verboque divino confortans animam, maximis etiam invectionibus magis durus quam diſſolutus quodammodo reperitur. Quanto magis Romanorum eccleſiæ & clero, quæ ab olim hucuſque utpote ſenior cunctarum quæ ſub ſole ſunt eccleſiarum, omnibus præeſt. Hoc certe canonice tam a conciliis & apoſtolis, quam ab horum ſummo principatu conſecuta, & in ſortem adepta, nullis omnino propter pontificatus provectionem ſcriptis, aut ſynodicarum editionibus chartarum ſubjecta, ſicut etiam in his omnes ex æquo ei ſecundum jus ſacerdotale ſubjecti conſiſtunt. Hæc itaque cum taliter nihil reveriti, ſed cum omni ſacra decentique fiducia ſtabiles illi & firmæ revera & immobilis petræ miniſtri, maximæ videlicet & apoſtolicæ, quæ illic eſt, eccleſiæ, ad regiæ urbis clericos diſputaſſent, hos ſedaſſe apparuerunt, & ut humiliter ac modeſte ſentirent prudenter egerunt, ſinceritatem & orthodoxiam propriæ fidei ab ipſo eis initio cognitam facientes. Illi autem ipſorum admirantes pietatem, hujuſmodi factum duxerunt merito recompenſandum, & a prætendenda charta ceſſantes, juſſionem in effectum ob epiſcopatum ſe ſuo producere ſtudio promiſerunt. Quam factam accipientes Deo amabiles apocriſiarii gratulantes remearunt ad propria. Hujus autem chartæ, divinitus honorate pater, exemplar & mihi quoque tranſmiſſum eſt. Expoſita vero ab eis fuerat cauſſa tacendarum in Chriſto Deo, id eſt, in ſubſtantiis ejus, ex quibus videlicet, & in quibus eſt & creditur, naturalium operationum; & ne de cetero in eo ſive una ſive duæ penitus prædicarentur. Fatebatur autem ſolummodo confitendum eſſe, ex uno eodemque Dei verbo incarnato Deo decibilia & humana proceſſiſſe, & in unum eundemque referenda.

## ECTHESIS HERACLII IMPERATORIS.

EXpoſitio orthodoxæ fidei facta a Deo conſervando noſtro domino principe Heraclio, &c. * *Extat Græce nunc primum ex MS.C. Barberino Romæ miſſo, ac latine edita in ſecret. 3. Concil. Lateran. ſub Martino papa.*

Hanc ecthesin ſub nomine Heraclii promulgavit Sergius, ut patet ex quodam edicto Heraclii, de quo infra in notis ad vitam Theodori papæ.

# * CONCILIABULUM CONSTANTINOPOLITANUM, QUO PER SERGIUM

Epiſcopum Conſtantinopolitanum præcedens ecthesis Heraclii confirmata fuit. anno domini DCXXXIX. (1) ſub pontificatu Severini papæ.

## ACTA SYNODALIA.

Infra ſub Martino Papa.

SAncta Synodus congregata dilectiſſimorum conſacerdotum noſtrorum, &c. *in concilio Lateranenſi ſub Martino papa in tertio ſecretario.*

## NOTÆ SEVERINI BINII.

Sergius ſynodali decreto ecthesin confirmat

a *Conciliabulum.*) Poſt promulgatam ecthesin Heraclii, Sergius Conſtantinopolitanus patriarcha ſynodum indixit, in qua allegata expoſitio fidei probata, retenta & ſtabilita fuit. Severinus pontifex, ut idem faceret a Sergio rogatus, impiam & fraudulentam expoſitione

(1) Sergius obiit Indictione XII. ut ait Nicephorus in hiſt. quæ indictio initium ſumpſit a Kalend. Septemb. anni Chriſti 638. Cum vero Pyrrhus ei ſucceſſerit menſe Januario anni Chriſti 639. ut probat Pagius, neceſſe eſt Heraclii Ecthesim fuiſſe confirmatam a pſeudo-ſynodo Sergii anno 638. ad finem vergente ante Sergii obitum

tionem fidei, ſimul cum actis ſynodalibus hujus concilia-buli, uſque ad ſanguinem & vitæ internecionem impugnavit, prout diximus ſupra in notis ad vitam Severini. De hac ſynodo agens ſanctus Maximus abbas & martyr in diſputatione cum Pyrrho, hæc ait: *Subit me* A *admiratio, quomodo ſynodum vocet, quæ non eſt habita, ut leges & canones ſynodici & jura eccleſiaſtica jubent. Nec enim epiſtola encyclica ex conſenſu patriarcharum edicta eſt, neque locus neque dies conveniendi decretus, &c.* De quibus plura in diſputatione Maximi infra.

ANNO CHRISTI 640.

# CONCILIUM ROMANUM

## IN QUO HERACLII ECTHESIS

### A Severino Pontifice damnata.

Ex Pagio ad An. Ch. 639. n. 6. & ſeqq.

SEverinum Romanum Pontificem, dum viveret, Ecthesim damnaſſe, liquet ex libro Diurno Romanorum Pontificum, in quo cap. 3. tit. 6. recitatur Profeſſio fidei, quæ a Romano Pontifice emitti ſolita erat ante ſextam ſynodum generalem. In ea enim fidei profeſſione dicitur: *Profitemur etiam cuncta decreta Pontificum Apoſtolicæ ſedis, ideſt ſanctæ recordationis Severini, Joannis, Theodori, atque Martini cuſtodire: qui adverſus novas quæſtiones in urbe Regia exortas, & pro propria doctrina cuncta zizaniorum ſcandala amputaſſe noſcuntur, profitentes, juxta duarum naturarum motum, ita & duas naturales operationes, & quæcumque damnaverunt, ſub anathemate damnamus: quæque ſuſceperunt, ſuſcipimus, & tota fidei integritate veneramur.* Baronius ad an. 639. n. 3. Combefiſius in hiſt. hæreſ. Monothel. Diſput. 1. 6. 12. aliique exiſtimant, Severinum non congregaſſe ſynodum adverſus Monothelitas, quod breviori tempore ab adepto Pontificatu vixerit, ideoque Joannem IV. proſcriptæ & reprobatæ ſynodice hujus hæreteos gloriam primum retuliſſe: Severinum vero eam tantum vehementer deteſtatum eſſe. Verum non viderant illi citatam fidei poteſſionem, ex qua ſynodum a Severino, ut iure publico in Ecthesim decerneret, coactam eſſe colligitur. Cum enim promitterent Pontifices Romani ſe decreta a Severino, Joanne, ac Theodoro adverſus Monothelitas edita ſervaturos, manifeſtum eſt, ea in aliquo Con- D cilio condita fuiſſe. Neque obſtat breve temporis intervallum, quo Severinus ſedit, cum B Joannes IV. ejus ſucceſſor, qui die 24. Decembris anni 640. Pontifex Romanus creatus, ante mortem Heraclii, quæ die XI. Februarii anni 641. contigit, Monothelitas ſynodice confoderit.

Verba, quæ Baronius n. 4. ex tertio Secretario Lateranenſi in medium affert, ut oſtendat Severinum hæreſim hanc deteſtatum eſſe, cum laudato loco Profeſſionis fidei collata, id in ſynodo factum fuiſſe demonſtrant. Ait enim ibidem S. Martinus, poſtquam locutus eſt de Severino Papa: *Ceciderunt a ſua ſpe* (Cyrus & Monothelitæ, qui Ecthesim ad Severinum miſerant) *mentiti contra caput proprium. Nec enim ſuſcepta eſt omnino, aut admiſſa ſecundum vanam* C *eorum ſpem; magis autem condemnata eſt, & anathematizata ab Apoſtolica auctoritate, hæc tranſmiſſa peſſima & præſumptæ novitatis eorum Ecthesis.* Verum quidem eſt, Garnerium in notis ad laudatam fidei Profeſſionem autumare Severinum Decretum ediidiſſe, quo eam hæreſim condemnaret, & anathematizaret; Joannem vero, Theodorum, atque Martinum conventum epiſcoporum adverſus eandem coegiſſe. Verum fruſtra recurritur ad diſtinctionem, ubi nulla in fidei Profeſſione exprimitur. Ac denique fruſtra dicitur, Theophanem meminiſſe tantum ſynodorum a Joanne, Theodoro, & Martino Pontificibus Romanis congregatarum; cum Anaſtaſius ſynodi a Joanne IV. celebratæ nullam mentionem faciat, & argumentum negativum nullo alio ſuffultum nullius ſit ponderis.

# VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA

## JOANNIS PAPÆ IV.

Dantur variantes ex Cod. Luc. 490.

a JOannes natione Dalmata, ex patre Venantio ſcholaſtico, b ſedit annum unum, menſes 9. (a) dies 18. Hic temporibus ſuis miſit per omnem Dalmatiam, ſeu Iſtriam, multas pecunias per ſanctiſſimum & fideliſſimum Martinum abbatem, propter redemptionem captivorum, qui deprædati erant a † gentibus. Eodem tempore fecit eccleſiam beatis martyribus Venantio, Anaſtaſio, Mauro, & aliis multis martyribus. Quorum reliquiæ de Dalmatia & Iſtria adduci præceperat, & recondidit eas in eccleſia ſuprascripta juxta fontem Lateranenſem juxta oratorium beati Joannis * evangeliſtæ, quam ornavit, & diverſa dona obtulit. Fecit, ubi ſupra, arcus argenteos duos, qui penſant ſinguli libras 15. ſimul & alia vaſa argentea multa. Fecit autem ordinationes duas per menſem Decembrem, presbyteros (b) 18. diaconos 5. epiſcopos per diverſa loca numero 18. Hic dimiſit omni clero rogam integram. Qui etiam ſepultus eſt ad B. Petrum apoſtolum, ſub die IV. Idus Octobris, & ceſſavit epiſcopatus menſem unum, dies 13.

b dies 6.

† Slavos intelligit.

* Baptiſtæ.

### NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Joannes.*) Anno domini 639. ſubrogatus eſt Severi- E no pontifici Joannes ejus nominis IV. conſtans & imperterritus orthodoxæ fidei propugnator; qui minis exarchorum nihil cedens, exiliis cardinalium parum motus, *collecto epiſcoporum concilio*, inquit Theophanes, *Monothelitarum hæreſim anathematizavit*, ut Honorium pontificem prædeceſſorem ab illa calumnia hæreticorum liberaret & defenderet, qua Pyrrhus aliique orientales epiſcopi Monothelitæ illum erroris ſui conſortem & ſectarium fuiſſe jactitabant; ideo quod in prima ſua Epiſtola ad Sci-

Joanne IV. quando pontifex factus eſt.

Honorius contra Monothelitas a Joanne defenditur.

(a) Dies XVIII deeſt. (b) XVIIII.

Sergium Conſtantinopolitanum epiſcopum de ſimplici & duplici operatione ſilentium indicanti conſenſiſſet: in altera unam dumtaxat voluntatem in Chriſto profeſſus eſſet, ut hanc, inquam, calumniam beatiſſimo pontifici calumnioſe objectam dilueret, ſumma induſtria procuravit, ut ſcriptor ille, qui Honorio pontifici ab epiſtolis fuerat, dictaſque ad Sergium epiſcopum literas ſcripſerat, earumdem verum & germanum ſenſum interpretaretur, & ad imperatorem tranſmitteret. Quod cum ille juſſu beati Joannis papæ IV. fideliter perfeciſſet, ſenſumque legitimum verborum Honorii protuliſſet, omnem ſiniſtram hæreſeos ſuſpicionem de Honorio evacuavit. Teſtis hujus veritatis eſt Maximus in ſupradicta diſputatione, qua cum Pyrrhus interrogaſſet: *Quid de Honorio ad reſpondendum habes, qui aperte anteceſſori meo (in epiſtola ſecunda ad Sergium) unam voluntatem domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe tradidit?* Maximus reſpondit: *Quis fuit fide & auctoritate dignus epiſtolæ ejus interpres; is qui eam ex perſona ſancti Honorii ſcripſit adhuc ſuperſtes, & qui totum occidentem cum aliis virtutibus, tum pietatis dogmatibus illuſtravit, an hi qui Conſtantinopoli, quæ ex corde erant, loquebantur?* Cumque Pyrrhus reſpondiſſet, *Ille qui hanc ſcripſit:* Maximus dixit: *Is igitur cum ad divum Conſtantinum imperatorem rurſus ex perſona Joannis papæ de hac epiſtola ſcriberet, dixit: Unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis ejus & humanitatis, ſed humanitatis ſolius. Cum enim Sergius ſcripſiſſet, quod quidam duas voluntates in Chriſto contrarias dicerent, reſcripſimus Chriſtum non duas voluntates contrarias habuiſſe, carnis inquam & ſpiritus, ſicut nos habemus poſt peccatum, ſed unam tantum, quæ naturaliter humanitatem ejus ſignabat. Hoc autem ita eſſe, argumentum evidens eſt, meminiſſe membrorum & carnis, quæ quidem in divinitate non licet intelligere, &c.* Cum ſancti Maximi per Africanas provincias Romam proficiſcentis hortatu, de Monothelitarum hæreſi monitos & inſtructos Africanos antiſtites adduxiſſet, ut conciliis ibidem celebratis hæreſim illam condemnarent, Heraclius imperator ad tollendam, quam ipſe etiam incurrerat, hæreſeos infamiam, novo promulgato edicto profitetur, ecthesim illam ſuam non eſſe, ſed a Sergio conſcriptam, ſuique nominis ſubſcriptione firmatam, petitione Sergii dumtaxat promulgatam eſſe. De hoc edicto in actis ſancti Maximi ſubjungitur: *Hoc juſſum fecit ad Joannem papam, qui damnarat ecthesim in iis, quæ tum ad Pyrrhum ſcripta ſunt.*

Heraclius auctorem ecthesis prodit.

Tempore Joannis papæ, Heraclius fortiſſimis imperatoribus fortaſſe præferendus, ſi non gloriam ſuam hæreſi maculaſſet, infelici exitu mortuus eſt, poſtquam annis triginta & uno imperium tenuiſſet. Eadem infelicitas ad poſteros ejuſdem eſt propagata. Nam qui cum ipſo regnaverat multis annis, ipſique ſucceſſit Conſtantinus, poſt obitum patris vix quatuor menſes imperii abſolvit. Heracleonem filium Martinæ Auguſtæ, huic Conſtantino ſubrogatum, ſenatus poſt ſex menſes ab imperio depoſuit, ideo quod Martina Auguſta procurante, & Pyrrho Conſtantinopolitano epiſcopo adjuvante, Conſtantinus veneno propinato e vita ſublatus eſſe crederetur. Martinam linguæ abſciſſione punitam, cum filio naſi mutilatione mulctato, idem ſenatus in exilium perpetuum ejecit, filioque Conſtantini, quem Theophanes Conſtantem nominat, imperium contulit.

Obitus Heraclii.

Quis Heraclii ſucceſſor.

b *Sedit annum 1. menſes 9. dies 18.*) Duodecimo Octobris defunctus, anno uno, menſibus novem & ſex tantum diebus ſediſſe potuit.

Quamdiu ſederit.

## * EPISTOLA I. JOANNIS PAPÆ IV.

### ET CLERI ROMANI, AD EPISCOPOS & presbyteros Scotiæ.

* Extat apud Bedam lib. II. Hiſt. Ang. c. 19.

De paſchate more catholico celebrando, & reviviſcente Pelagiana hæreſi diligenter cavenda.

*Dilectiſſimis & ſanctiſſimis Thomiano, Columbano, Chromano, Dimano & Bathano epiſcopis, Chromano, Hermanneque, Lauſtrano, Stellano & Segiano presbyteris, Sarano ceteriſque doctoribus ſeu abbatibus Scotis, Hilarius archipresbyter, & ſervans locum ſanctæ ſedis apoſtolicæ, Joannes diaconus & in Dei nomine electus, item Joannes primicerius & ſervans locum ſanctæ ſedis apoſtolicæ, & Joannes ſervus Dei, conſiliarius ejuſdem apoſtolicæ ſedis.*

SCripta quæ perlatores ad ſanctæ memoriæ Severinum papam adduxerunt, eo de hac luce migrante, reciproca reſponſa ad ea quæ poſtulata fuerant ſiluerunt. Quibus reſeratis, ne diu tantæ quæſtionis caligo indiſcuſſa remaneret, reperimus quoſdam provinciæ veſtræ contra orthodoxam fidem novam ex veteri hæreſim renovare conantes, paſcha noſtrum in quo immolatus eſt Chriſtus nebuloſa caligine refutantes, & quartadecima luna cum Hebræis celebrare nitentes. Quo epiſtolæ principio manifeſte declaratur, & nuperrime temporibus illis hanc apud eos hæreſim exortam, & non totam eorum gentem, ſed quoſdam ex eis hac fuiſſe implicitos. Expoſita autem ratione paſchalis obſervantiæ, ita de Pelagianis in eadem epiſtola ſubdunt: & hoc quoque cognovimus, quod virus Pelagianæ hæreſeos apud vos denuo reviviſcit, quod omnino hortamur, ut a veſtris mentibus hujuſmodi venenatum ſuperſtitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipſa quoque execranda hæreſis damnata eſt, latere vos non debet: quia non ſolum per iſtos ducentos annos abolita eſt, ſed & quotidie a nobis perpetuo anathemate ſepulta damnatur: & hortamur, ne quorum arma combuſta ſunt, apud vos eorum cineres ſuſcitentur. Nam quis non execretur ſuperbum eorum conamen & impium, dicentium, poſſe ſine peccato hominem exiſtere ex propria voluntate, & non ex gratia Dei? Et primum quidem blaſphemia & ſtultiloquium eſt dicere, eſſe hominem ſine peccato: quod omnino non poteſt, niſi unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui ſine peccato eſt conceptus & partus. Nam ceteri homines cum peccato originali naſcentes, teſtimonium prævaricationis Adæ (etiam ſine peccato actuali exiſtentes) portare noſcuntur, ſecundum prophetam dicentem: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.*

Querumtur Angli ſuſcitatam hæreſim de paſcha, & illam Pelagii.

Damnatur ambo.

Pſal. 50.

## JACOBI SIRMONDI ADMONITIO

### AD LECTOREM

*de ſequentibus epiſtolis.*

Joannis IV. papæ apologia pro Honorio, cum ad Conſtantinum imperatorem ſcripta ſit, quem menſibus tantum quatuor poſt Heraclii patris obitum regnaſſe Græcorum annuales produnt, conſequens eſt ut anno Chriſti DCXLI. quo ex vita exceſſiſſe dicitur Heraclius, ſcriptam fuiſſe intelligamus. Scribendæ occaſio nata ex Pyrrho patriarcha, & aliis Monothelitis, qui Honorii ad Sergium Pyrrhi deceſſorem epiſtola abutebantur, quaſi ipſorum hæreſi faveret: quam Joannes recto atque orthodoxo ſenſu dictatam probat. Hujus apologiæ teſtimonio uſus eſt ſanctus Maximus confeſſor in diſputatione ſua cum Pyrrho, quæ paucis poſt annis in Africa ſecuta eſt. Honorii vero ad Sergium literæ, quarum nomine inſimulabatur, in ſexta ſynodo actione 12 recitantur.

Joannis epiſtolæ ſubdita ſunt excerpta quædam ex tribus epiſtolis Maximi ejuſdem. Ac de prioribus quidem duabus, quarum in altera, quæ ad Marinum presbyterum ſcripta eſt, Honorii quoque ad Sergium epiſtolam defendit, in altera ad Petrum illuſtrem Honorio itidem & Sophronio contra Pyrrhum patrocinatur, cur earum hoc loco, injecta ſit mentio, perſpicua res eſt, de tertia, non item: quo enim referri debeat, incertum eſt.

## II. AD CONSTANTINUM IMPERAT.

### FILIUM HERACLII.

Apologia pro Honorio papa,

*Propter unam in Chriſto voluntatem, cujus aiunt eum calumniatores mentionem feciſſe.*

DOminus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, qui eripuit nos de poteſtate tenebra-

Ex collectaneis Anaſtaſii bibliothecarii

a Jacobo Sirmondo primum edita anno 1610.

brarum in admirabile lumen ſuum, lumen ve- A
ritatis, & veritas luminis, in quo complacuit
omnem plenitudinem divinitatis habitare, & per
eum reconciliare omnia, in ipſo pacificans per
ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in cælis ſunt,
ſive quæ in terris, propter eminentem magnitu-
dinem divitiarum bonitatis ſuæ in faciem eccle-
ſiæ ſuæ reſpiciens, veſtram præcognitam ſibi &
prædeſtinatam benignitatem ad fidei nunc inte-
gritatem vocare dignatus eſt: ita ut omni falla-
ci caligine procul amota, per vos victricem fa-
ciat veritatem. Quantum enim ex diverſis ſug-
geſtionibus, quæ ad nos catervatim venerunt
quinimo & ex ipſo quoque auditu didicimus,
omnes occidentales partes ſcandalizatæ turbantur,
fratre noſtro Pyrrho patriarcha per literas ſuas B
huc atque illuc tranſmiſſas nova quædam & præ-
ter regulam fidei prædicante: & ad proprium
ſenſum quaſi ſanctæ memoriæ Honorium papam
deceſſorem noſtrum attrahere feſtinante, quod
a mente catholici patris erat penitus alienum.
Igitur ut veſtra benignitas cauſſam totam rei
diſcere poſſit, ſubtiliſſima veritate quæ ante bre-
vis intercapedinem temporis geſta ſunt enarra-
bo. Sergius reverendæ memoriæ patriarcha præ-
dicto ſanctæ recordationis Romanæ urbis ponti-
fici ſignificavit, quod quidam in redemptore no-
ſtro domino Jeſu Chriſto duas contrarias dice-
rent voluntates: quo præfatus papa comperto,
reſcripſit ei, quia ſalvator noſter ſicut eſſet mo-
nadicus unus, ita & valde mirabiliter ſuper C
omne genus hominum conceptus, & natus eſ-
ſet. Et ſancta quoque ipſius incarnata diſpenſa-
tione docebat, quia redemptor noſter ſicut eſ-
ſet Deus perfectus, ita eſſet & homo perfectus:
ut quam primus homo per prævaricationem ami-
ſit, ſine aliquo peccato natus primæ imaginis
nobilem originem renovaret. Natus ergo eſt ſe-
cundus Adam nullum habens naſcendo vel cum
hominibus converſando peccatum: etenim Ver-
bum caro factum in ſimilitudine carnis peccati,
omnia noſtra ſuſcepit, nullum reatus vitium ſe-
rens ex traduce prævaricationis exortum. Simi-
litudinem ergo intelligimus, non carnis ejus,
ſed peccati. Etenim carnem dominus veram ſu-
ſcepit ex intemerata & beata virgine Dei geni- D
trice, conſubſtantialis nobis effectus. Ergo ſimi-
litudinem carnis peccati ſanctus dicit apoſtolus:
quam ſimilem nobis peccatoribus ſine peccato
cum anima rationali ſuſcepit: & idcirco unam
voluntatem ſecundum primam formationem Adæ
naturalem humanitatis ſuæ dominus noſter Je-
ſus Chriſtus habere dignatus eſt, non duas con-
trarias, quemadmodum nunc nos habere digno-
ſcimur, qui de peccato ſumus Adæ geniti: quo-
niam corruptibilis per tranſgreſſionem primus
homo effectus, & creatori ſuo ſubdi contem-
nens, ſenſit carnem, quæ prius erat ſibi ſubje-
cta, nihilo minus repugnantem, & peccato ſuo
totum genus humanum fecit obnoxium, ſicut
dicit apoſtolus: *Regnavit mors ab Adam uſque ad* E
Rom. 5. *Moyſem, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimi-*
*litudinem prævaricationis Adæ*. Quapropter & nos
qui per prævaricationem & peccatum illius na-
ſcimur, duas contrarias habere voluntates digno-
ſcimur: duas autem dico, mentis & carnis in-
vicem reluctantes, ſicut idem beatus docet apo-
ſtolus: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpi-*
Galat. 5. *ritus adverſus carnem. Hæc autem invicem adver-*
*ſantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.*
Et hoc omne humanum patitur genus ſub pec-
cato conſtitutum, quoniam nemo eſt mundus ab
hoc peccato prævaricationis, nec infans, ſicut ſcri-
ptum eſt, cujus eſt unius diei vita ſuper ter-
ram. Et quemadmodum Spiritus ſanctus per Da-
vid ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum,* Pſal. 50.
*& in delictis peperit me mater mea. Sicut enim*
*in Adam omnes peccaverunt*, ſecundum apoſto- 1. Cor. 15.
lum, *ita in Chriſto omnes juſtificabuntur. Et ſicut* Rom. 5.
*per unum hominem peccatores conſtituti ſunt multi,*
*ita & per unum hominem juſti conſtituentur multi.*
Ergo unus & ſolus eſt ſine peccato mediator
Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui in
mortuis liber conceptus & natus eſt. In diſpen-
ſatione itaque ſanctæ carnis ſuæ duas nunquam
habuit contrarias voluntates, nec repugnavit vo-
luntati mentis ejus voluntas carnis ipſius: Ne-
que enim habuit quodcunque peccatum qui ve-
nit dimittere peccatum mundi, quemadmodum
& ipſe dixit: *Quis ex vobis arguet me de pecca-* Joan. 8.
*to?* & alias taliter ait: *Venit princeps mundi hu-* Joan. 14.
*jus, & in me invenit nihil*. Unde ſcientes, quod
nullum in eo, cum naſceretur & converſaretur, eſ-
ſet omnino peccatum, decenter dicimus, & ve-
raciter confitemur, unam voluntatem in ſanctæ
ipſius diſpenſationis humanitate, & non duas
contrarias mentis & carnis prædicamus, ſecun-
dum quod quidam hæretici velut in puro homi-
ne delirare noſcuntur.

Secundum hunc igitur modum jam dictus deceſ-
ſor noſter prænominato Sergio patriarchæ per-
contanti ſcripſiſſe dignoſcitur, quia in ſalvatore
noſtro duæ voluntates contrariæ, id eſt, in mem-
bris ipſius, penitus non conſiſtunt, quoniam ni-
hil vitii traxit ex prævaricatione primi hominis.
In nobis enim, non in eo, coaptatur quod ſcri-
ptum eſt: *Scio enim quia non habitat in me*, id Rom. 7.
eſt in carne mea, *bonum*. Et iterum: *Non quod* Ibidem.
*volo bonum hoc ago, ſed quod nolo malum hoc fa-*
*cio. Si autem quod nolo malum illud facio, non*
*jam ego operor illud, ſed quod habitat in me pec-* Ibidem.
*catum*: & poſt hæc: *Video enim aliam legem in*
*membris meis repugnantem legi mentis meæ, & ca-*
*ptivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris*
*meis*. Hinc ergo hæ duæ contrariæ voluntates
mentis & carnis, quas apoſtolus docet, in no-
ſtro nequaquam ſalvatore fuerunt, eo quod hic
luctaminis ſtimulus ex prævaricatione protoplaſti
ſumpſit initium: quoniam a redemptore noſtro
natura ſuſcepta eſt, non criminis culpa. Sed ne
quis nonnunquam minus intelligens reprehen-
dat, quamobrem de humana tantum natura, &
non etiam de divina natura docere ſciatur: etenim
Chriſtus in duabus naturis in una perſona uni-
tis cognoſcitur, adoratur, & colitur Deus &
homo perfectus. Debet qui ſuper hoc ambigit
ſcire, quoniam ad hoc facta eſt reſponſio ad
jam dicti patriarchæ interrogationem. Præterea &
hoc fieri ſolet, ut ſcilicet ubi eſt vulnus, ibi
medicinale occurrat auxilium. Nam & B. Apo-
ſtolus hoc ſæpe feciſſe dignoſcitur, ſe ſecundum
auditorum conſuetudinem præparans: & aliquan-
do quidem de ſuprema natura docens, de huma-
na penitus tacet, aliquando vero de humana
diſpenſatione diſputans, myſterium divinitatis
ejus non tangit. Etenim ipſe hic quidem de di-
vina natura ait: *Chriſtus Dei virtus, & Dei ſa-* 1. Cor. 1.
*pientia*: alibi autem de incarnatione ejus ita di-
xit: *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt homini-* Ibidem.
*bus, & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt homini-*
*bus*. Sapientia autem & ſtultitia, virtus & infir-
mitas, contrariæ ad invicem abſque dubietate
ponuntur. Ergo ne contraria ſibimet docet bea-
tus apoſtolus? abſit: ſed audientibus ſemet con-
figurat ſapienter, ſecundum tempus docens, ut
provida nutrix parvulis quidem lac præbens, per-
fectis

ſectis autem ſolidum tribuens cibum. Quid ergo [A] eſt quod ait: *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus; & quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus?* Hoc totum capitulum de diſpenſatione Chriſti, non de ſuperna natura illius docere videtur: volens oſtendere, quia Deus homo factus animam habuit & corpus humanum, quod ſtultum aſſerit & infirmum. Sapientia enim humana divinæ collata ſtultitia eſt: fortitudo vero carnis cum Dei virtute comparata, infirmitas eſt. Quia profecto condita humana ſapientia cum conditrice ſapientia comparata, ſtultitia eſt. Igitur connectentes utraque, & Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam ſecundum divinitatem, naturam divinitatis ejus confitemur: & ſecundum ejus ſanctæ carnis diſpenſationem, quod [B] ſtultum & quod infirmum eſt Dei, naturam humanitatis veraciter prædicamus, quoniam hoc infirmum & ſtultum, fortius & ſapientius eſt omnibus hominibus. Omnes enim homines, ſicut etiam ſuperius dictum eſt, ſub peccato prævaricationis naſcuntur: dominus autem noſter Jeſus Chriſtus abſque peccato exiſtens, & nullum ſecum vitium ferens vetuſtatis, non ſolum fortior, ſed & ſapientior eſt omnibus hominibus, quamvis infirmum noſtrum & ſtultum ſola miſericordia ſuſcipere ſit dignatus. Qui vero ex peccato primi hominis nati ſunt, filii iræ ac tenebrarum a ſanctæ ſcripturæ magiſterio nominantur. At vero Chriſtus, cum lux vera ſit, ſedentes in tenebris & umbra mortis illuminare [C] dignatus eſt. Quid enim doceat apoſtolus ſcribens ad Epheſios audiamus: *Et vos*, inquit, *cum mortui eſſetis delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſæculum mundi hujus, ſecundum principem poteſtatis aeris ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ, in quibus & nos quando converſati ſumus in deſideriis carnis, facientes voluntates carnis & cogitationum, & eramus natura filii iræ, ſicut & ceteri.* Ecce iſtæ ſut duæ voluntates contrariæ, mentis ſcilicet & carnis, quæ in ſalvatore noſtro modis omnibus non fuere. Nos has ex peccato progenitoris Adæ, qui & ſe, & omne humanum genus obnoxium fecit, habere dignoſcimur, ut aliquando quidem carnis aculeus menti reſiſtere appareat, [D] aliquando vero voluntas mentis voluntati carnis contradicere ſatagat; ut taliter cum apoſtolo gementes confiteamur: *Mente quidem ſervio legi Dei, carne vero legi peccati.* Dominus autem noſter unam voluntatem humanitatis naturalem ſuſcipere dignatus eſt, quam in propria carne poteſtative ut omnium dominus circumferebat, eo quod omnia ſerviant Deo: nullum profecto habens vel afferens ex prævaricatione peccatum, quoniam ſolus ſine peccato & crimine prævaricationis eſt natus.

Ephes. 2.

Rom. 7.

Prædictus ergo deceſſor meus docens de myſterio incarnationis Chriſti dicebat, non fuiſſe in eo, ſicut in nobis peccatoribus, mentis, & carnis contrarias voluntates: quod quidam ad [E] proprium ſenſum convertentes, divinitatis ejus & humanitatis unam eum voluntatem docuiſſe ſuſpicati ſunt; quod veritati omnimodis eſt contrarium. Verumtamen vellem, ut interrogati reſponderent, ſecundum quam naturam dicant Chriſti Dei unam voluntatem. Si ſecundum divinam tantum, de humanitate ipſius quid reſpondebunt? quoniam & homo perfectus eſt, ut non cum Manichæo condemnetur. Porro ſi ſecundum humanitatem Chriſti dixerint, quod hæc voluntas Deus eſſet perfectus, obſervent ne forte cum Photino & Ebione judicentur. Jam

[A] vero ſi ex utraque natura unam voluntatem eſſe dixerint, non ſolum naturales voluntates, ſed & ipſas naturas confundent; ut nec hoc, nec illud, id eſt divina & humana, intelligi poſſit. Sicut enim utraſque naturas in adunatione unius Chriſti, ut impius Neſtorius, non partimur; ita differentiam naturarum penitus non negamus, ſed neque confundimus, quoniam utraſque naturas cum adunatione unius perſonæ Chriſti Dei inenarrabili conſonantia confitemur. Quia enim unam voluntatem dicunt divinitatis Chriſti & humanitatis, & unam ſimul operationem; quid aliud, niſi quia & unam naturam Chriſti Dei ſecundum Eutichianam & Severianam diviſionem operari noſcuntur? Denique orthodoxi pa- [B] tres, qui in toto mundo claruerunt, ſicut utraſque naturas, ita & voluntates ac operationes Chriſti docere concordi prædicatione monſtrantur. Comperimus autem, quod charta quædam mandata ſit, in qua ſacerdotes ſubſcribere coacti ſunt contra tomum beatæ memoriæ papæ Leonis & Calchedonenſium ſynodum: in qua charta quædam ſint per novitatem compoſita, quæ dogma eccleſiaſticum refutare omnino dignoſcitur. Inſpiret ergo divina clementia Chriſtianiſſimæ pietati veſtræ, & cum ſitis cuſtodes immaculatæ fidei noſtræ, vos ad compunctionem incitet, quo eos, qui novis ſunt adinventibus corrumpendi, imperatoriis ſanctionibus arceatis, & prædictam chartam, quæ in ſcandalum pro- [C] perat fidei, & locis publicis eſt ſuſpenſa, præcipiatis depoſitam ſcindi: omnes enim qui in occidentalibus partibus hoc audierunt, ſed & populi qui ſunt regiæ veſtræ urbis, cognita prædictæ chartæ concinnatione, corde perculſi ſunt. Erit enim per auctoritatem veſtram & apoſtolicam perfectionem prædicta charta, quæ contra Chalcedonenſem ſynodum eſt compoſita, nunc & in omni tempore otioſa, & cunctis virtutibus irrita. Perfectio vero fidei quemadmodum uſque in præſens refulſit, oramus, ut & per vos, ſicut etiam per piæ memoriæ Conſtantinum, divino auxilio in robore ſuo permaneat. Propter quod, Chriſtianiſſimi, & Chriſti fidei cuſtodes, donate hoc munus in primordiis veſtris eccleſiæ matri [D] veſtræ, cujus eſtis poſt Deum opitulatores, ut fidem ſponſi ejus ſerpentina calliditas non audeat violare. Hoc in primordiis ſalutare ſacrificium afferte domino Deo noſtro, & ab ejus eccleſia omnis novitatis nebulam radio pietatis veſtræ diſpergite, quatenus dominus Deus noſter vicaria ope omnes, quæ contra vos ſunt, conterat nationes, quæque pacem & inexpugnabilem Deum repellunt. Quatenus vobis ea quæ ſunt Dei curantibus, Deus quæ veſtra ſunt benignus dignetur perficere. Propter quod etiam mentis inclinato genu tota mecum eccleſia ſupplicat, ut ab integritate immaculatæ fidei noſtræ, quam ſancti apoſtoli nobis tradiderunt, & ſanctiſſimi patres doctrinis luculentiſſimis conſignavere, novæ con- [E] fuſionis turbinem amovere dignetur. Quatenus Deus & dominus noſter, cujus fides immaculata cuſtoditur, miſericordias ſuas merito vobis & copioſiſſime largiatur, qui eſt omnipotens & dominus ſempiternus. Creator omnium ad veſtrum benigne reſpiciat imperium, & gentes, quæ in ſua feritate confidunt, inexpugnabili ſuo potentatu proſternat

JOAN-

## ☞ JOANNI IV. EPISTOLA

### Joannes IV.

*Bulcredo Regi Saxonum.*

Ex Ivone p. VII Cap. 130.

QUoniam ſicut audivimus, fornicationis in vobis peccatum maxime regnat: eo quod ſanctimoniales, & Deo jam devotas fœminas, atque de propria conſanguinitate homines regni veſtri ultra Sancti Gregorii ſtatutum novello tunc populo neceſſario mandatum, uxores ducere præſumant: quod nimirum ſcelus graveque delictum, his Apoſtolatus noſtri literis, omnes qui ſub jure veſtro exiſtunt, tam laicos, quam clericos, amodo, & deinceps cavere, ac propriam de factis pœnitentiam dignam peragere, & ultra talia nunquam committere monemus, hortamur, atque præcipimus. Quod ſi vobis hoc impium emendare fortaſſe grave videtur, pro quo talia ſuſtinetis adverſa, noſtræ paternitati veſtris innoteſcite literis, ut Apoſtolicæ ſedis eos, qui tali nefando operi enerviter ſubjacent, corripiamus, & modis omnibus aggravemus decretis.

## DIFFLORATIO EX EPISTOLA S. MAX.

### AD MARINUM PRESBYTERUM.

*Apologiam inter cetera pro Honorio facientis.*

Edidit idem Sirmondus an. 1630.

HOnorium etiam Romanum papam non diffiteri reor naturaliter in Chriſto voluntatum dualitatem, in epiſtola quam ſcripſit ad Sergium, eo quod unam dixerit voluntatem; ſed potius confiteri, & hanc fortaſſis etiam conſtabilire. Nam hoc non in reprobationem dixit humanæ ſalvatoris & naturalis voluntatis: ſed quod nullatenus conceptionem ejus, quæ fuit ſine ſemine, vel incorruptam nativitatem præceſſerit voluntas carnis, vel cogitatio vitioſa. Sola namque voluntas divina atque paterna, per Filium unigenitum per ſemet operantem propriam incarnationem, ſanctique Spiritus conventionem hanc operata eſt: & quod hunc ſenſum ſectetur hinc eſt manifeſtum. Cum enim dixiſſet, quia propter ineffabilem unitatem humanæ ac divinæ naturæ, & Deus dicitur pati, & humanitas de cælo cum humanitate deſcendiſſe: & hoc modo oſtendiſſet eorum quæ naturaliter inſunt utrique naturæ unius Chriſti & Dei Filii per commutationem ſummam redditionem, ſubinfert: Unde, inquiens, & unam voluntatem fatemur domini Jeſu Chriſti, quomodo ait: Quia profecto a divinitate aſſumpta eſt, natura noſtra, non culpa, id eſt non a peccato, propemodum cum magno effatus Athanaſio, qui hæc contra Apollinarium impium ſcribit: Natus eſt ex muliere, de prima plaſmatione hominis formam ſibi erigens in oſtenſione carnis abſque carnalibus voluntatibus, & humanis cogitationibus in imagine novitatis. Voluntas enim ſola divinitatis eſt, quoniam natura tota divinitatis eſt. Denique Verbi propter nos ſecundum carnem nativitatis ſuper nos progreſſio facta eſt. Non enim carnis vitioſa præceſſit voluntas vel cogitatio, ſicut in nobis aſpicitur, propter generis deſiderium, quod a deceptione primi parentis obtinuit: ſed voluntas divinitatis ſola per Filium, qui ſecundum beneplacitum Patris, & cooperationem Spiritus A ſancti, propriam, ut dixi, per ſe operatus eſt incorporationem, gerens in ſe, & per ſe noviter inventum naturæ modum nativitatis, & ſine ſemine ſuam ipſius patrans conceptionem ex ſancta Dei genitrice ſemperque virgine Maria. Hac ergo ineffabili nativitatis ejus inſpecta ratione, ille quidem voluntatem ſolam in eo divinitatis dixit, hic vero voluntatem unam domini noſtri Jeſu Chriſti. Quia profecto, inquit, a divinitate aſſumpta eſt natura noſtra, non culpa, abſque carnalibus voluntatibus, & humanis cogitationibus, ut ſacratiſſimus Athanaſius ait. Non tamen perhibuit eum tamquam hominem, quia eſt quoque natura Deus, non habere humanam voluntatem & naturalem, quemadmodum & di- B vinam atque paternam. Idipſum autem etiam in ſubſequentibus innuit, aſſerens, ſine peccato conceptus eſt de Spiritu ſancto, & ſancta immaculata ſemperque virgine Dei genitrice Maria, & ſine contagione ex ea ſecundum carnem natus eſt. Divinam quoque ſcripturam in laudem & vituperationem profert carnis memoriam facere: non aliam, abſit, natura & ſubſtantia domini carnem, quam noſtram commonens intelligendam qui etiam hanc ſciebat aſſumptam ex noſtra ſubſtantia, id eſt ex congenitæ nobis ſemper virginis & Dei matris ſanctis viſceribus: ſed alienam a vitio, & nullatenus legem prævaricationis habentem, ſicut nos, in membris repugnantem ſpiritus legi. Non enim aſſumpta C eſt, ait, a ſalvatore caro a peccato corrupta, quæ repugnaret legi mentis ejus. Cujus enim ſementationem, quæ per peccatum efficitur, non præceſſit generationis lex, hujus omnino nec in membris eſt, ſed lex divinæ juſtitiæ ad imaginationem nobis oſtenſa, & eam quoque, quæ ex prævaricatione naturæ illata eſt, perfecte demolitur. Venit enim ſine peccato quærere & ſalvare quod perierat, id eſt naturam humani generis quæ peccaverat. Alia enim lex in membris ejus, aut voluntas diverſa vel adverſa non fuit in ſalvatore. Hinc oſtendit, non quod non habuerit humanam voluntatem & naturalem, (non enim hoc dixiſſe videtur) ſed quod ſicut homo neque ſecundum corpus per membra D quamlibet habeat præter naturæ leges operationem: neque rurſus ſecundum animam voluntatis contrarium vel ſine ratione motum, velut nos: quia & ſuper legem natus eſt humanæ naturæ. Expreſſius autem & in ſubſequentibus comprobat, quod ſermo ſibi eſſet tantum, vitiatam & non naturalem a ſalvatore diſterminandi voluntatem, & quod in naturali ac humana ad paternam ac divinam coaptatur quidem, ſed nullam haberet ad illam ex repugnatione diverſitatem. Normam autem dans nobis ſeipſum, quod proprie ſuum erat, voluntarie ſubjiciebat: commendabat vero paternum. Quatenus & nos imitati, quod noſtrum eſt reprobato, quod divinum eſt omni ſtudio expleamus, di- E cens ita: Licet enim ſcriptum ſit: *Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me Patris*: & *Non quod ego volo, ſed quod tu Pater*; non ſunt hæc diverſæ voluntatis, id eſt contrariæ ac repugnantis, ſed diſpenſationis humanitatis aſſumptæ, quæ ſua compaſſibiliter fecit quæ noſtra ſunt. Iſta enim propter nos dicebat, quibus dedit exemplum pietatis magiſter, ut ſequamur veſtigia ejus, non ſuam unuſquiſque noſtrum, ſed domini potius in omnibus præferat voluntatem. Non ergo interemptionem, ut dixi, naturalis & humanæ voluntatis, ſed vitioſæ, ac ejus quæ eſt extra naturam, facit: & to-

Joan. 6.

& totum fateamur ab omni peccato Deum liberum eſſe, teſtatur, qui ſecundum nos propter nos incarnatus eſt. Et ut compendio dicam, per unam voluntatem, ſolam ejus ſecundum carnem nativitatem eum divinam præceſſiſſe voluntatem indicare conjicio. Per id vero quod ait, non eſſe voluntatis ejus diverſitatem, contrarium vel repugnans quid non eum habere perhibet, ſed conveniens & prorſus unitum ex toto. Unde cum noſtram quidem naturam de divinitatis voluntate dicit aſſumptam, unius mentionem facit. Illud autem quod introducit: *Non veni facere voluntatem meam*, in medium verbo proponit omiſſo numero. Non ſunt, inquit, hæc diverſæ voluntatis, id eſt contrariæ atque adverſatricis. Ex quo duas ſecundum naturam exiſtere in ſalvatore voluntates manifeſte colligitur. Si enim contrariam non habuit, naturalem habuit, tamquam homo. Quod enim non eſt contrarium naturale profecto eſt, & nemo contradicit. Nihil quippe in natura, vel in his quæ ſunt ſecundum naturam, eſt omnino contrarium. Timor ergo eſt opinari, quod in ejus proprie non eſt ſermonibus ſcriptum, & moliti adverſarios propriæ opinionis tamquam non bonæ ad velamentum illius viri literas faciendum: ſecundum utrumque has præter illius intentionem falſo referentes. Advocatum quippe habet rationis ſermonem omnem calumniatoris abigentem incurſum. Et ego quidem ſic ſe illius habere ſenſum exiſtimo, ab omni ſuſpicione purgatum: Certiorem autem mihi hunc ſanctiſſimus fecit presbyter, dominus videlicet Anaſtaſius abbas a ſeniori Roma reverſus, vir ſcilicet incomparabilis, virtuteque divina & prudentia venuſtatus; qui aſſerens, quod multum ſermonem moverit ad ſacratiſſimos magnæ illius eccleſiæ viros, propter epiſtolam quæ ab eo fuerat ad Sergium ſcripta percontans cujus rei gratia, vel qualiter in ea inſerta fuerit una voluntas, & invenit hæſitantes in hoc, & rationem reddentes. Inſuper & eum qui hanc per juſſionem ejus Latinis dictaverit dictionibus, dominum videlicet abbatem Joannem ſanctiſſimum ſymponum, affirmantem, quod nullo modo mentionem in ea per numerum fecerit unius omnimodis voluntatis: licet hoc nunc ſit fictum ab his qui hanc in Græcam vocem interpretati ſunt: verum nec quamlibet exinanitionem vel abolitionem naturalis ſecundum humanitatem ſalvatoris voluntatis, ſed ejus quæ noſtra eſt, & reproba facta, perfectam dejectionem & interemptionem. Juxta quod & in invicem eorum quæ unius generis ſunt efficitur bellum. Oſtendere volens, ab omni eſſe peccato mundam aſſumptam carnem, ſecundum ſacratiſſimorum eloquiorum & paternarum doctrinarum traditionem; & apparet qualiter hujuſmodi ſermones concinentes ſint cum his quæ modo ſunt ab exiguitate mea recitata, & veluti adſtipulatores factæ pro Honorio defenſionis. Ego, cum hæc ille ratiocinando reſpondiſſet, miratus ſum, oppido cognoſcens ſubtilitatem ipſorum & obſtupui quodammodo ſuper aſtutia eorum, qui pro uno fruſtra omnia gerere impie audent, & volunt, ſicut eis ab olim moris, & nunc eſt, furtivis & falſis narrationibus eos qui contra ſe magnanimiter agonizant, taliter, quin & abſque omni ratione ad ſe ipſos attrahere, & ſenſum fraudare, qui ſe nullatenus ſequitur. Neceſſario ergo & hoc cum didiciſſem, ſignificavi tibi domino, honorabilis pater, quatenus per omnia munitus, habeas qualiter inſequaris adverſariorum phalanges, verboque indeſeſſe jaciens, & fide potenter ſuperans, gloriamque hinc unigeniti in præconium habens, & diadema hujus communionem per gratiam & unitatem.

## DIFFLORATIO EX EPISTOLA SANCTI MAXIMI AD PETRUM illuſtrem.

*Pyrrhi & ſancti Sophronii Hieroſolymitani epiſcopi atque papæ Honorii mentionem facit, ita poſt aliqua proſecutus.*

VEſtris laudabilibus ſyllabis dignatus es ſignificare indigno ſervo tuo propter abbatem Pyrrhum. *Et poſt pauca.* Et futurum profecto eſſet, ut hac ſorte pro cauſſa ad redargutionem illius & omnium qui ſecundum illum impiam novitatem ſectantur indifferenter ad divinitus conſervanda tua & famoſiſſima veſtigia properarem. Quatenus ſcirent omnes, qui ſecundum vos pietatis ſunt amatores, illorum una cum omni prorſus inſcitia, impietatis quoque ſuperfluam abundantiam. Sed timui ne putarer extra ſacra quidquam agere jura, præter voluntatem hoc faciens ſanctiſſimæ ſedis apoſtolicorum virorum, qui univerſam plenitudinem catholicæ eccleſiæ bene ducunt, & ordinate ſecundum divinam legem deducunt. Quoniam hac divina videlicet lege conſiſtunt cæleſtia & terreſtria, & oportet ab ea nequaquam exorbitare, ſed quæ ſunt divina ſecundum Deum agere illos qui ſancte ſecundum vos vivere propoſuerint: quatenus & Deum geſtorum habeant curatorem, & ſine ſucceſſu receptionem. Quoniam famoſiſſime domine, pejor his eſt, quod & antea intimavi, etiam ab antiquis hæreticis nova fides & expoſitio. Hanc enim multis quibus perduravit annis in epiſcopatu ad manifeſtationem reprobæ mentis ſuæ, (nam Deus & ad nequitiæ propalationem ſæpe novit longanimiter ſuſtinere, non ut hanc ampliorem per inducias reddat, ſed ut hanc ampliorem factam juſtius puniat) deceſſor quidem ejus impie in utero aluit, iſte vero magis impie genuit, & rurſus poſteriores horum in contemptum excolunt divinitatis. *Et paulo poſt.* Et quod adhuc deterior illis eſt mos, & veluti ſpeciale omnium perverſorum hæreticorum indicium, quia & ſuæ ipſius impietatis obnoxios, deſcribunt innoxios. Sophronium quippe, qui prudenter divina perdocuit & prædicavit eccleſiæ catholicæ dogmata, ſe in errorem moviſſe hac illacque ſuſurrant. *Et poſt pauxillum.* Divinus enim Sophronius, ut ipſi teſtamini, laudabiliſſimi, in Afrorum regione mecum & cum omnibus peregrinis monachis moras agebat, cum ipſi perverſitates illas fabricarent adverſus omnes. *Et poſt pauxilla.* Et erat quidem domus omnium per divinam concordiam & unanimitatem in unum Dei favente gratia in univerſitate, quæ ſub ſole conſiſtit, pacifica & tranquilla fide munitis eccleſiis. Hi vero qui horum invidebant conſonantiæ, ac in Chriſtum Deum confeſſioni veluti quamdam caliginoſam nubem, & ſtridentem vel gravem fluctum maris ac barbarorum, nemine hos movente, quam ſolo dæmone turbationis amico, qui genus humanum ad ſimultatem concitavit, repente contra veram Chriſtianorum fidem novam excogitaverunt ecthesin. Deinde ſententias pro ea, & compoſitiones injuſtas. Dein actiones monumentorum.

* Ab eodem Sir. primum edita.

Deinde ſynodos latrocinales, & concurſus epiſcoporum non voto convenientium, ſed violentia contractorum, non exhortatione properantium, ſed ex fuga barbarorum peregre proficiſcentium. Dein juſſiones & minas huc atque illuc adverſus pios tranſmiſſas. Nam eum, qui tunc imperabat, ſophiſtice muneribus in ſervitutem redigentes, *Et poſt pauca*. Ex proprio nomine viro ecthefin producere perſuaſerunt. *Paulo poſt*. Fit autem horum inimicus pariter & defenſor, an potius aſſerendum fautor & accuſator horum publicans argumentum: & innoteſcens quod ipſe nequaquam ex ſe fuerit motus, ſed ab illis coactus, impiiſſimam fecerit ecthefin in ſcriptis pro ſe ipſo hæc dicens, & rationem reddens Joanni ſanctæ memoriæ quondam papæ ſenioris Romæ. *Et poſt pauxillum*. Convincunt autem ſeipſos, quod iſti valde maniſeſte fortiſſimi hanc fecerint & nullatenus ille. Neque enim quodlibet ſuper hoc habuit ſtudium utpote ad alia circumlatus. *Poſt brevia*. De quibus omnibus miſeri nec ſenſus apoſtolicæ facti ſunt ſedis, & quod eſt riſu, imo, ut magis proprie dicamus, lamento digniſſimum, utpote illorum demonſtrativum audaciæ, nec adverſus ipſam apoſtolicam ſedem mentiri temere pigritati ſunt: ſed quaſi illius effecti conſilii, & veluti quodam ab ea recepto decreto, in ſuis contextis pro impia ecthefi actionibus ſecum magnum Honorium acceperunt, ſuæ præſumptionis oſtentationem ad alios facientes viri in cauſſa pietatis maximam eminentiam. Quis itaque, o famoſiſſime, & qualis Sophronius hæc & tam atrociter & per tantum temporis facere his falſiloquis perſuaſit? quæ hos non rogavit eccleſia? quis pius & orthodoxus non ſupplicavit antiſtes, ceſſare illos a propria hæreſi clamando & obteſtando? Siquidem ultima ſua expirabat ſacer Arcadius, & ſpiritum Deo tradebat, ſed nec uſque ad horam illam eos rogare ceſſavit. *Et poſt pauca*. Quid autem & divinus Honorius, quid vero & poſt illum Severinus ſenex, quid denique & is, qui poſt hunc extitit, ſacer Joannes? Porro is qui nunc præſidet beatiſſimus papa, omiſit quidquam ſupplicationi conveniens? Nonne oriens totus & occidens lacrymas, lamenta, obſecrationes, deprecationes ex æquo tam Deo per orationes, quam his per epiſtolas afferebant? Sed Deus quidem horum profecto beatorum virorum fidem admiſit, & pro ea viciſſitudinem in ſæcula conſervavit. Illi autem domini contemnentes inducias, ad converſionem hos benigne cohortantes, & horum egregiorum facta per tot tempora ſupplicatione torpentes, ſuæ nequaquam paſſi ſunt cæleſtem fidem præferre. *Poſt aliqua*. Divinus ergo magnuſque Sophronius tunc Alexandriam veniens, mox ex prima lectione (dederat enim etiam ipſi Cyrus ad retractandum illa novem impietatis capitula) lugubre quiddam & ingens vociferatus, fontes emittebat lacrymarum, illum ſervide obſecrans, ſupplicans, expoſtulans, in pavimento ipſius veſtigiis provolutus, quo nihil horum ſuper ambonem contra catholicam Dei eccleſiam prædicaret: quippe cum hæc liquido impii eſſent Apollinarii dogmata. *Et paulo poſt*. Taliter viri, o mihi præ omnibus reverendum caput, divina Deo peroſis inſultationibus, & invicem ſcenicis quodammodo illuſionibus lacerabant, & ſacratiſſimum Sophronium tam miſerabiliter lamentatum, utpote contritionem more cujuſdam ſecundi Jeremiæ catholicæ deflentem eccleſiæ, tantumque divinorum lapſum be-

A ne valde & compatientiſſime dogmatum deplorantem, nullatenus conſolati ſunt. *Et poſt nonnulla*. Si enim Romana ſedes non ſolum reprobum Pyrrhum, ſed & male ſentientem & male credentem non neſcit, perſpicuum profecto eſt, quia omnis qui eos qui Pyrrhum reprobaverunt anathematizat, ſedem Romanam, id eſt catholicam eccleſiam anathematizat. Omitto enim dicere, quia utique & ſeipſum, qui talis eſt, ſi dumtaxat ſedi Romanæ communicat, catholicæque Dei eccleſiæ. Obſecro igitur, benedicte domine mi, præcipere omnibus, ne Pyrrhum ſanctiſſimum vel almificum nomine. Neque enim tale quid ſacra regula eum vocari permittit. A cuncta enim cecidit ſanctitate, qui nimirum ab
B eccleſia catholica ſponte proſiliit. Non enim fas eſt illum ex quacumque laude cognominari, qui jam olim damnatus eſt & abjectus ab apoſtolica ſede Romanæ urbis, ob externæ ſenſum opinionis, donec ab ea recipiatur converſus ad ipſam, imo ad dominum noſtrum per piam confeſſionem, & orthodoxam fidem, qua ſanctificationem recipiat, ſanctumque vocabulum. Itaque ſi vult hæreticus neque eſſe, neque audiri, non iſti aut illi ſatisfaciat, ſuperfluum quippe hoc & irrationabile eſt: quia ſicut uno contra eum ſcandalizato omnes ſcandalizati ſunt, ita quoque uno ſatisfacto, omnes procul dubio ſatiſfiunt. Feſtinet pro omnibus ſedi Romanæ ſatisfacere. Hac enim ſatisfacta, communiter ubi-
C que omnes pium hunc & orthodoxum prædicabunt. Nam fruſtra ſolummodo loquitur, qui mihi ſimiles ſuadendos ac ſurripiendos putat, & non ſatisfacit & implorat ſanctiſſimæ Romanorum eccleſiæ beatiſſimum papam, id eſt apoſtolicam ſedem, quæ ab ipſo incarnato Dei Verbo, ſed & omnibus ſanctis ſynodis, ſecundum ſacros canones & terminos, univerſarum, quæ in toto terrarum orbe ſunt, ſanctarum Dei eccleſiarum in omnibus & per omnia percepit & habet imperium, auctoritatem & poteſtatem ligandi, atque ſolvendi. Cum hoc enim ligat & ſolvit etiam in cælo Verbum, quod cæleſtibus virtutibus principatur. Si enim alios quidem ſatisfaciendos ducit, & beatiſſimum Romanum papam nequaquam implorat, ſimile quiddam agit ei qui forte homicidii, vel alterius cujuſ-
D dam criminis redarguitur, & inſontem ſe non ei, qui ſecundum leges judicandi jura ſortitus eſt, exhibere feſtinat: ſed tantum inutiliter & ſine lucro aliis & privatis hominibus munditiam monſtrare ſui ſatagit actus, qui nullam habeant ſe ſolvendi a crimine poteſtatem. Quapropter, benedicte mi domine, adhuc magis extende præceptionem, quæ bene vobis & ſecundum placitum Dei viſa fuiſſe dignoſcitur, quo nemini licentiam habeat iſte quidquam loqui & obloqui dogmatis cauſſa. Sed liquido diſcite voluntatem hujus abundantius inveſtigantes, ſi velit annuere penitus veritati: & ſi hoc agere ſtuduerit,
E & ad id ſecundum rationem accelerat, hortamini eum ſuggeſtionem convenienter facere ad beatiſſimum papam Romanum: quatenus ſic per illius divinam præceptionem, regulariter quæ circa ipſum ſunt & decentiſſime moderetur ad gloriam Dei, & veſtræ laudem ſublimitatis.

## Observatio Philippi Labbe S.J.

Neque vero omittenda fuerat a collectore regio, quæ initio collectaneorum a Sirmondo editorum præfationis loco poſita eſt, Anaſtaſii ſedis apoſtolicæ bibliothecarii ad Joannem diaconum urbis Romanæ epiſtola, qua non inſtituti ſolum operis rationem explicat, ſed Honorii etiam

ſam papæ defenſionem continet adverſus ſextæ ſynodi cenſuram, qua perſtrictus inter Monothelitas videbatur, ut docet Sirmondus. Eam igitur rebus cum paulo ante præmiſſis de Honorio, tum ſequenti volumine ſecuturis, omnino neceſſariam paucis accipe.

*Cariſſimo fratri Joanni digno Chriſti Levitæ Anaſtaſius exiguus in domino ſalutem.*

ECcleſiaſticam ſcripturæ ad multorum inſtructionem hiſtoriam induſtriæ tuæ promiſeram ex Græco me tibi ſermone quædam in Latinum verſurum eloquium. Dixeras enim, & ſumma veritate docente perhibueras, eccleſiaſticam te ordiri non poſſe fidenter hiſtoriam, niſi utriuſque linguæ quædam rerum geſtarum conſcripta ſeries ad tuam notitiam deveniſſet. Quapropter quia tantæ me imperitiæ recognoſco, ut nec ipſius linguæ meæ, in qua natus ſum, ne dixerim alienæ, vim penetrare ſufficiam; ac per hoc nunquam interpretandi quacumque ratione conamen arripere præſumpſiſſem; conſentiens a magiſtris reprehendi, quam te a prædicta torpore meo texendæ hiſtoria removere, ſatisfacere tibi ecce pro viribus maturavi. Credens plane a te corrigendum, quicquid meum diſtortum, poliendum, quicquid repertum fuerit impolitum. Sane fateor teſtimonium mihi perhibente conſcientia, mallem hæc & hujuſmodi ab aliis fieri, non tam laborem fugiens quam imperitam undecumque ſcientiam meam, ſi tamen ſcientia, & non magis inſcitia ſit dicenda, non ſciens, ſi ſalva pace fraternitatis tuæ, ſeu ſcribendæ a te hiſtoriæ propoſito, hæc omittere potuiſſem: qui profecto tanta luce ſapientiæ rutilas, ut a me non quod neceſſarium, ſed temerarium experiri ſaporem propoſuiſſe videaris. Itaque mihi, interveniente obedientia, ſata ab aliis ruſtica falce collegiſſe, & ad aream latinitatis fideli humero tranſvexiſſe ſufficiat, nil videlicet addenti vel minuenti. Tuum autem erit, adjectis ſententiis, veluti quodam ventilabro judicii, opus hiſtoriæ dilatare, & verba noſtra, quæ in ea inſerenda decreveris, quaſi quædam frumenta purgare. Verum nos ſic & hæc & alia interpretandi propoſitum ſumpſimus, ut nec ab ipſa verborum uſquequaque circumſtantia diſceſſiſſe noſcamur, nec pro poſſe a ſenſus veritate decidiſſe videatur. Porro noviſſimorum temporum brevia quædam opuſcula tranſtuli, quoniam priorum temporum geſta priores, imo majores noſtri transferentes, nos in hujuſmodi opere prævenerunt, quemadmodum & longe præſtantius tranſcenderunt. Igitur poſt * chronographiam tripartitam, quam te hortante tranſtulimus & alia quædam breviſſima opuſcula, quæ ad petitum diverſorum patrum & fratrum noſtrorum interpretati ſumus, ad manus noſtras venire contigit apologiam quarti Joannis Romani pontificis pro Honorio papa a calumniatoribus impetito, quod unam domini noſtri Jeſu Chriſti tantum ſcripſerit voluntatem. Quæ videlicet apologia ſatis hunc, ut reor, excuſabilem reddit, licet huic ſexta ſancta ſynodus quaſi hæretico anathema dixerit, & in Dei ſolius jam judicio poſitum reprobationis telo confoderit: cum hæreticus non ex erroris tantum deceptione, quantum ex electione non recta & contentioſa pertinacia generetur. Quis autem erit, qui nobis interim dicat, utrum ipſe pro certo dictaverit epiſtolam, de qua illum anathematizandi fomitem calumniatores ſuſceperunt: cum & ex ſcriptoris vel indiſciplinatione, vel in pontificem odio quid contingere tale potuerit? quamvis non ignoremus, docente ſancto Maximo in epiſtola ſua, quam Marino ſcripſit presbytero, ſanctiſſimum hanc ſcripſiſſe Joannem Abbatem. Eſto, & ipſe dictator extitit: quis hinc illum interrogavit? quis intentionem inveſtigavit? quis hunc corrigere voluit, & ille percontanti, aut emendare conanti reſtitit, vel contentionibus ſerviens reſultavit? præſertim cum in evangelio illo quo dicitur, *Nolite judicare & non judicabimini*, & cetera, nihil aliud præcipi magnis etiam magiſtris eccleſiæ videtur, niſi ut ea facta, quæ dubium eſt quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Sunt quippe quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, cum bono & malo fieri poſſint, de quibus temerarium eſt judicare, maxime ut condemnemus. Denique duo ſunt, in quibus temerarium judicium cavere debemus, cum incertum eſt quo animo quicquam factum ſit, vel cum incertum eſt qualis futurus ſit, qui nunc vel malus vel bonus apparet. Quantum autem temerarium ſit judicium præcavendum, aperte dominus indicat, qui de Sodomitis more noſtro loquitur, dicens: *Deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non eſt ita, ut ſciam.* Et rurſus per Moyſem, *ne maledicas ſurdo*, ait, *nec coram cæco ponas offendiculum*. Quod eiſdem pene verbis apoſtolus monet, *unuſquiſque*, inquiens, *noſtrum pro ſe rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus, ſed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum*. Quis autem magis ſurdus, vel mutus dicendus eſt, quam is, cui, cum exanimis & diſſolutus jacet in ſepulcro, nec auris patet ad objecta ſolemniter audiendum, nec os aperitur ad objecta rationabiliter refellendum. Verum de hujuſmodi judiciis ſufficiunt quæ venerabilis Anaſtaſius apoſtolicæ ſedis præſul ad Anaſtaſium imperatorem ſcribens, ſacræ ſcripturæ auctoritatis pondere gravida docet. Sed ne videamur tam ſanctam, tamque reverendam ſynodum accuſare, vel temere reprehendere, licere nobis opinamur de illa ſentire, quæ ſanctos patres noſtros de Chalcedonenſi magna ſynodo ſenſiſſe non ignoramus. Quorum unus, ſanctus videlicet papa Gregorius, uſque ad prolationem tantummodo canonum hanc ſuſcipiendam fore ſignavit. Beatus autem æque papa Gelaſius in tomo de anathematis vinculo qualiter eadem ſynodus recipienda ſit, luculentis exemplis, & nonnullis divinis teſtimoniis innuit, ubi horum circumſtantiam tali deliberatione concludit. Hæc, inquiens, & hujuſmodi exempla nos edocent, & teſtimonia divina confirmant, non omnia paſſim a quocumque dicta, vel ubicumque ſcripta indifferenter accipere, ſed retentis bonis quæ noceant refutare. Nam & hanc quoque ſanctam ſynodum canonica quædam capitula promulgaſſe, Græcorum ſcripta teſtantur, quæ tamen pene omnia, qua ſedes apoſtolica non probavit, tota latinitas reprobavit. Sed quid de hac ſola dicimus? cum & ſecundam univerſalem ſynodum, quæ primo Conſtantinopoli celebrata eſt, in cauſſa primatus eccleſiarum, ſedes apoſtolica non admittat: quin & omnes ſynodos ſic recipiendas decernat, ut Chalcedonenſem ſynodum admittendam fore prædictus Gelaſius papa deſcribat, pro fidei ſcilicet communione & veritate catholica & apoſtolica, pro qua hanc fieri ſedes apoſtolica delegavit, factamque firmavit? verum, ſi omnia exag-

Edita fuit in Typographia regia anno 1649.

Luc. 6. 37.

Gen. 18. 21.

Levit. 19.

Rom. 14.

exaggerare volumus, quæ in Honorii papæ excuſationem colligere poſſumus, facilius charta nobis quam ſermo deficiet, & interpretandi propoſitum ad dictationis profecto vertemus eloquium. Unum tamen dicemus, quod reticere proculdubio non debemus, quia talis eſt dictus Honorius, qualis eſt & pronunciatus: quod ſi talis non fuit, cui ſit præfixa ſententia, profecto non erit: quoniam ſicut ſcriptum eſt. *Homo videt in facie, Deus autem in corde.*

Verba Anaſtaſii S.R.E. bibliothecarii.

Sed ecce, dum prolixius præfatio ad te noſtra dirigitur, ab interpretandi ſtudio procul abſceſſimus: oſtendere geſtientes, quod in apoſtolicæ ſedis petra, quantum ad fidem pertinet, nec etiam per Honorium inventum ſit unquam ſerpentis, id eſt virulentæ ſectæ, veſtigium. Sume igitur jam memoratam Joannis papæ pro Honorio apologiam; ſume etiam & pro eodem ipſo apologiam ex epiſtola Maximi monachi, & revera philoſophi, Chriſtique Dei noſtri martyris, miſſa Marino presbytero, diſfloratam. Ipſe quippe beatiſſimus Maximus non ſolum in jam dicta, ſed & in ea quam ſcripſit ad abbatem Thalaſſium epiſtola, jam nominatum defendit Honorium. Verum etiam in epiſtola ſua dogmatica, quam ad Petrum ſcripſit illuſtrem, magnum hunc & divinum appellat. Ex qua ſcilicet epiſtola de eodem papa Honorio & Hieroſolymitano Sophronio, de quo in translatis a nobis ſcriptis ſæpe memoriam fecimus, atque de Pyrrho Conſtantinopolitano hæretico patriarcha, diſflorata quædam atque translata en tibi afferimus.

Præterea interpretati ſumus ex epiſtola ejuſdem ſancti Maximi ad Marinum ſcripta presbyterum circumſtantiam de Spiritu ſancti proceſſione, ubi fruſtra cauſſari contra nos innuit Græcos, cum nos non cauſſam vel principium Filium dicamus Spiritus ſancti, ut autumant; ſed unitatem ſubſtantiæ Patris ac Filii non neſcientes, ſicut procedit ex patre, ita eum procedere fateamur ex filio, miſſionem nimirum proceſſione intelligentes: pie interpretans, utriuſque linguæ gnaros ad pacem erudiens, dum ſcilicet & nos & Græcos edocet ſecundum quiddam procedere, & ſecundum quiddam non procedere Spiritum ſanctum ex Filio: difficultatem exprimendi de alterius in alterius linguæ proprietatem ſignificans. Siquidem & hujuſmodi pia interpretatione ſanctus olim Athanaſius orientales & occidentales ſuper ſubſiſtentiæ vel perſonæ nomine diſſidentes univit, dum unum idemque utroſque corde credere, ſenſuque retinere perdocuit: licet ob linguæ varietatem aliter atque aliter ore confiterentur, & importunis contentionibus deſævirent. Tranſtulimus etiam quaſdam epiſtolas Theodori papæ ſucceſſoris prædicti papæ Joannis, juxta quod ordo poſcebat, ſcriptas ad Paulum ſucceſſorem Pyrrhi, & conſecratores ejus: quorum ſcilicet Joannis ac Theodori eximiorum ſedis apoſtolicæ præſulum, ſtylus epiſtolarum Latina redolet eloquentia: ex quo liquido conſtat, non Græce illas, ſed Latine fuiſſe dictatas. Unde notandum, quod nonnulla, quæ Latine fuerunt edita, latinitas funditus mole oblivionis obruta deploraſſet, niſi ex Græcorum poſt fonte librorum hæc hauſta ſitibundo pectore reſumpſiſſet, ſicut epiſtolam beati papæ Felicis in Petrum ſententiam proferentem Antiochenum damnationis.

Quinimo ſicut & ipſum quoque Clementem, quem Rufinus noſtræ linguæ redditum, reſtitutum, & redeuntem ad Gaudentium ſcribens innuit: & quod Latine ſcriptus fuerit & amiſſus, rurſuſque receptus, ſignanter oſtendit. Excerpſi nihilominus, & tibi ecce translatam præſento, quamdam narrationis circumſtantiam ex epiſtola ſancti Maximi ad abbatem, quid Conſtantinopoli legati Romani geſſerint, gratia incitandæ conſtantiæ in cauſſa maximæ pietatis ad redargutionem puſillanimorum, & agnoſcendæ poteſtatis apoſtolicæ ſedis contra eos qui ab ipſa quid violenter extorquere nituntur. Porro ecce nihilominus exhibeo tibi exilii geſta ſancti papæ Martini, quæ ad petitum venerabilis Martini epiſcopi Narnienſis edideram; una cum Hypomneſtico declarante breviter geſta ſanctorum Maximi philoſophi, & utriuſque Anaſtaſii, necnon & Theodori, ac Euprepii & aliorum.

## * EXCERPTUM EX EPIST. S. MAXIMI,

* ab eodem Sirmondo editum.

### DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI.

*Scripta ad Martinum presbyterum Cyprium.*

NON in tot hujus ſanctiſſimi papæ ſynodica, quot ſcripſiſtis, capitulis Conſtantinopolitani reprehenderunt, ſed in duobus tantum. Quorum alterum eſt de divinitatis ratione, quia dixit, ajunt, procedere etiam ex Filio Spiritum ſanctum. Alterum vero de divina incarnatione, quoniam ſcripſit, inquiunt, abſque originali & actuali peccato dominum eſſe. Et in priore quidem conſonantia protulerunt teſtimonia Latinorum patrum, nec non & Cyrilli Alexandrini de ſacro ipſius opere, quod in ſanctum evangeliſtam fecit Joannem: ex quibus non cauſſam Spiritus ſancti filium ſe facere monſtraverunt. Unam enim norunt cauſſam Filii ac Spiritus eſſe Patrem, alterius quidem ſecundum generationem, alterius vero ſecundum emiſſionem: ſed ut hunc per eum prodire inſinuarent, & hac ſubſtantiæ communionem & indiſſimilitudinem demonſtrarent. In poſteriori autem non eſt opus omnino defenſione. Quæ enim in hoc ſit altercatio, quamvis ita calumniatoribus ob ſuam perverſitatem videatur? Verum proſecuti ſunt, dicentes: quod nec in mente habuerit peccatum, ſecundum quod primus vitiatus fuiſſe apparet Adam, nec actionem mali & operationem. Ergo iſti quidem hæc, de quibus non rationabiliter impetiti ſunt: illi autem, de quibus & valde juſte, nullam nunc uſque fecerunt apologiam, quia nec abjectionem eorum, quæ ab eis introducta ſunt. Porro, ſecundum juſſionem veſtram, rogavi Romanos interpretari propria dicta, cauſſa furtivas adverſantium ſurreptiones effugiendi. Verumtamen more obtinente ita faciendi atque mittendi, neſcio utrum conſentiant. Alias autem nec valent in aliena dictione ac voce ſenſum ſuum, ſicut in propria vel alumna, ſubtili exprimere diligentia, vel etiam quemadmodum nos in noſtra noſtrum.

JOAN-

## JOANNIS PAPÆ IV. EPISTOLA III.

AD ISAAC SYRACUSANUM EPISCOPUM.

Ut monachis ſuarum eccleſiarum ſacerdotes inſtituere liceat.

*Joannes papa Iſaac Syracuſano epiſcopo.*

Viſis literis caritatis veſtræ, quibus ſatis perpenditur quanto ſtudio huic ſanctæ ſedi reverentiam exhibetis, non modice gaviſi ſumus. Nunc itaque ſuper ea quæ conſuluiſtis, ut cariſſimo fratri, benigne conſilium damus. Delegavit enim nobis pia manſuetudo veſtra, B utrum eccleſiæ pro quiete monachorum a ſanctis catholiciſque epiſcopis eis traditæ per ſacerdotes ab eis ordinatos & inveſtitos debeant inſtitui. Addidit quoque fraternitas tua litem & ſeditionem inter clericos & monachos ex hac cauſſa non modicam eſſe ortam, quod inſtigatione verſuti hoſtis eſſe factum nemo ambigat, habet enim mille nocendi modos, nec ignoramus aſtutias ejus. Conatur namque a principio ruinæ ſuæ unitatem eccleſiæ reſcindere, caritatem vulnerare, ſanctorum operum dulcedinem felle invidiæ inficere. Dolet enim ſatis & erubeſcit, caritatem, quam in cœlo nequivit habere, homines conſtantes ex lutea materia in terra tenere. Unde oportet, quantum fragilitati C noſtræ conceditur, ut omnes aditus nocendi ejus verſutiæ diligentiſſime muniamus, ne mors A ingrediatur portas noſtras. Conſilio itaque multorum fratrum diligentiſſime exquiſito decrevimus, ut amodo eccleſiæ monachis traditæ per ſuos ſacerdotes inſtituantur. Divinæ enim leges habent & ſæculares, ut cujus eſt poſſeſſio, ejus fiat inſtitutio. Et ſi in dando quod majus eſt, facilis fuit caritas, ſit facilior in concedendo, quod minus eſt, ſancta largitas. Majus enim fuit poſſeſſionem dare, quam ſit veſtituram concedere. Quomodo autem poſſeſſoris jura cognoſcentur, & ſuorum ſibi tributa reddentur, ubi quod ſuum eſt per alterum datur, & cum voluerit auſertur? Humani moris eſt illum vereri, cujus judicio & voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur. Unde fit ut qui in B parte ſunt epiſcopis ad ſerviendum proclivior ſacerdos fiat; & ſic epiſcopus qui ſancte & religioſe dederat, quadam ſimulata auctoritate ad ſe retrahat. Sic itaque privatur mercede quam conſecuturus fuerat: tum quia ficta caritate auſert quod dederat, tum quia pravorum ſacerdotum diſcordias & ſciſſuras amantium, lites & diſſenſiones inter epiſcopos ſeminantium verbis nimis factus credulus quod prius fucate moliebatur lucrari, poſt detecta fraude conatur quadam uſurpatione ex toto auferre. Quorum advertentes calliditatem & hoſtis verſuti ſuaſiones, deinceps omnino licentiam monachis damus ſuarum eccleſiarum inveſtitores fieri: ita tamen ut judicio ſynodi, ſi contra ſacerdo- C tium agere præſumpſerint, mulctentur, & felici mucrone epiſcopi ſacerdotum piacula reſecentur.

ANNO CHRISTI 640.

# [a]CONCILIUM ROMANUM SUB JOANNE IV.

ANNO CHRISTI 640.

Celebratum anno redemptoris noſtri DCXL. quo ecthesis Heraclii & Monothelitarum hæreſis condemnantur.

a *Concilium.*) De hoc Romano aliiſve in D eadem cauſſa Africanis conciliis, hæc breviter Theophanes: *Joannes Romanus præſul, collecto epiſcoporum concilio, Monothelitarum hæreſim anathematizavit: ſimiliter & in Africa penes* * *Byzantium, Numidiam & Mauritaniam diverſi epiſcopi convenientes, Monothelitas anathemate perculerunt.* Et quæ de calumnia Monotheletarum contra Honorium ſparſa ſupra dicta ſunt, hoc fortaſſe etiam concilio ventilata fuerunt. Baronius anno 640.

Acta concilii.

* Byzacium.

OBSERVATIO P. ANTONII PAGII
Ad an. 640. n. 2. & ſeqq.

Joannes hujus nominis IV. Concilium adverſus Monothelitas, cujus meminit Theophanes ad an. Heraclii xx. Romæ quidem celebravit. At cum die xxiv. menſis Decembris anni 640. pontifex Romanus ordinatus fuerit, illud anno tantum 641. coactum. Mentio eſt etiam hujus concilii in Actis S. Maximi apud Baron. ad an. 640. num. 7. *Cum hic perſuaſum eſſet* (Africanis epiſcopis) *conventum epiſcoporum epiſcopus Romæ egit; ut communi cum conſilio abſurdum dogma extrahant & anathemati ſubjiceret*, ubi de Joanne papa loqui ſequentia verba indicant: *Non multo poſt Joannes Romæ Præſul ad Dominum migrat, Theodoruſque ejus locum conſcendit, non minus præſulatus, quam orthodoxiæ hæres.* Denique Joannem ſynodum iſtam congregaſſe, oſtendit profeſſio fidei, quæ a ſucceſſoribus ejus fieri ſolita erat, cujus verba retulimus ſupra ad Concilium Romanum Severini PP. Non videtur in hac Synodo Joannes Sergium, aut aliquem in particulari damnaſſe, ſed tantummodo dogmata. Joannes enim in epiſtola ad Conſtantinum, ſeu in Apo- E logia pro Honorio papa, appellat Sergium *reverendæ memoriæ epiſcopum*, quod non dixiſſet, ſi memoriam ejus anathemate proſcripſiſſet, vel ſi ſemel animo illius damnationem concepiſſet. Nec Sanctus Maximus in dialogo cum Pyrrho, eidem interroganti de aperienda via ad unionem, reſpondiſſet quod *alius non eſt modus, quam taceri perſonas, & anathemate affici talia dogmata*, ſi præceſſiſſet per Joannem papam Sergii, aliorumque Monothelitarum damnatio.

Auctor libelli Synodici, ſupra allatus a Labbeo, hujus Synodi meminit, aitque: *Ad Davidem atque Heraclium Heraclii filios typum piæ doctrinæ poſtea tranſmiſit.* Heraclius Heraclii ſenioris filius Cæſar nuncupatus fuerat an. 631. annoque circiter 638. ab Heraclio patre ex Oriente reduce imperator renunciatus fuerat, ut teſtatur Nicephorus in Breviario pag. 28. ubi ait: *Heraclium Cæſarem Imperatoris diademate coronat*; & poſtea loquitur de Sergii CP. Epiſc. morte. Paulo poſt ait: *Poſtea Heraclium filium conſulem facit* (Auguſtos enim conſules perpetuos creare, ubi conſulatus perpetuus inſtitutus fuit, in more poſitum) *Davidem & Marinum alios liberos Cæſares appellat.* Joannes itaque papa, qui die 24. Decembris anni 640. pontifex Romanus conſecratus eſt, ſtatim concilium adverſus Monothelitas celebravit, & ad Davidem Cæſarem, ac Heraclium Auguſtum ejus fratrem exemplar ejus miſit. Hoc concilium ante Heraclii mortem celebratum ſtatim oſtendo.

Cum Sergius Ecthesim non ſuo, ſed Heraclii Imp. nomine vulgaſſet, Imperator ſentiens, quod in vituperium ejus in Occidente quidam prorumperent, per epiſtolam liberum ſe facit ab eccleſiæ querimonia, ſcribens: *Ecthesis*, inquit, *non eſt mea; neque enim ego vel dictavi, vel juſſi ut fieret. Sed cum hanc Sergius patriarcha compoſuiſſet ante quinque annos, priuſquam ab Oriente repedaſſem, deprecatus eſt me, cum ad hanc felicem perveniſſem urbem, ut nomine meo proponeretur cum ſubſcriptione: & ſuſcepi deprecationem illius. Nunc vero cognoſcens, quod quidam ſuper ea altercarentur, cunctis facio manifeſtum, quia non eſt mea. Hanc feci juſſionem ad B. Joannem papam*

con-

*condemnantem Ecthesim in his, quæ ſcripſerat tunc ad Pyrrhum.*

Hæc ex verſione diverſa ab ea qua Baronius uſus eſt, ut cum textus Græcus non extet, altera ex altera lucem accipere poſſit. Ex hac Heraclii epiſtola liquet primo, eam ad Joannem papam datam eſſe, poſtquam is Synodum ſuam celebravit, ideoque & eam Heraclio adhuc vivente, & aliquot poſt dies, quam Joannes ad pontifi- A catum evectus eſt, celebratam; alioquin ejus epiſtola ad Pyrrhum ante Heraclii mortem non perveniſſet; cum Heraclius die 11. Februarii anni 642. e vivis abierit; neque veroſimile videatur Joannem ad Pyrrhum ſcripſiſſe ſe damnare Ecthesim, niſi poſtquam ſuo eam concilio proſcripſerat. Liquet ſecundo, Joannem in ſuo Synodo, non perſonas, ſed dogmata tantum damnaſſe; alioquin ad Pyrrhum Monothelitam literas non dediſſe.

ANNO CHRISTI 642. Dantur variantes ex Cod. Luc. 490.

ANNO CHRISTI 642.

# VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA

## THEODORI PAPÆ I.

ᵃ THeodorus natione Græcus, ex patre Theodoro epiſcopo, de civitate Hieroſolyma, ᵇ ſedit annos ſex, menſes quinque, dies * decem & octo. Hic fuit amator pauperum, largus, benignus ſuper omnes, & multum miſericors. Hujus temporibus ᶜ Mauritius chartularius, per quem multa mala operatus eſt Iſacius patritius, cum jam * increbuiſſent peccata ejus, beato Petro apoſtolo, * ut eos hæreditaret ignis inextinguibilis, conſilio ductus ſupraſcriptus Mauritius cum ipſis, quibus antea devaſtaverat ecclesiam Dei (*a*) * intartizavit adverſus Iſacium patritium, & miſit per omnia caſtra, quæ erant ſub civitate Romana per circuitum, & congregavit eos, & conſtrinxit * ſe cum ipſis in * ſacramentum, ut deinceps nullus ex ipſis (*b*) debuiſſet obedire Iſacio, neque hominibus ejus, * qui affirmabant eum, quia ſibi regnum imponere (*c*) noluiſſet. Audiens hæc Iſacius patritius, eo * quod Mauritio omnis exercitus Italiæ ſacramenta dediſſet, miſit Donum magiſtrum militum & * ſacellarium ſuum ad civitatem Romam cum exercitu. Qui veniens in civitatem Romanam, omnes judices, ſeu exercitus * Romanus, qui prius ſe cum Mauritio ſacramento conſtrinxerant, timore ducti dimittentes Mauritium chartularium, * omnes ſe cum Dono (*d*) junxerunt. Et ingreſſo eo Romam fugit Mauritius ad beatam Mariam ad Præſepe, quem tollentes de eccleſia miſerunt ᵈ bojam in collum ejus. Similiter & omnes, qui in conſilio cum ipſo fuerant, * imbojatos miſit Ravennam per manus Maurini ſcribonis, & * Thomati chartularii. Qui deducentes eos pervenerunt juxta civitatem Ravennatem in locum qui dicitur * Ficuclas duodecimo milliario a civitate, & ibi decollaverunt Mauritium, quia ſic in mandatis acceperant a ſupraſcripto Iſacio, ut vivus civitatem Ravennatem non ingrederetur. Et poſtquam decollatus eſt, levantes caput ejus, * duxerunt Ravennam. Videns autem Iſacius caput Mauritii, gaviſus eſt. Et fecit ad exemplum multorum in circo Ravennate in ſtipitem poni. Illos autem, qui cum ipſo directi fuerant omnes * imbojatos juſſit arcta cuſtodia in carcerem mitti, cogitans eos quomodo puniret, ſed cum ea agerentur mox Dei judicio ipſis diebus percuſſus divino ictu interiit Iſacius, & mortuus eſt. Ii autem, qui recluſi erant, exeuntes de carcere, reverſi ſunt ſinguli per loca ſua. ᶠ Audiens hoc * imperator quia defunctus eſt Iſacius, miſit Theodorum patritium eſarchum, cui cognomentum Calliopa, ad regendam omnem Italiam. ᵍ Ipſis temporibus venit * Pyrrhus ex B Africa, qui fuerat patriarcha Conſtantinopolitanus in urbem Romam ad limina apoſtolorum. Qui ingreſſus libellum obtulit cum ſua ſubſcriptione apoſtolicæ noſtræ ſedi in præſentia cuncti cleri & populi, condemnans in eodem libello omnia quæ a ſe, vel a deceſſoribus ſuis ſcripta, vel acta ſunt adverſus immaculatam noſtram fidem. His itaque ab eo peractis, fecit eum munera erogare * in populum, & cathedram ei poni juxta altare, honorans eum ut ſacerdotem regiæ civitatis. ʰ Poſtea rurſus more canis ad proprium impietatis vomitum * repedavit. Tunc ſanctiſſimus Theodorus papa convocans univerſos ſacerdotes & clerum in eccleſia beati Petri apoſtolorum principis, condem- C navit eum ſub vinculo anathematis, juxta mercedem ac retributionem propriæ tranſgreſſionis, * canonicam pœnam ſive depoſitionem (*e*) * excipiens. ⁱ Qui prædictus Pyrrhus reverſus eſt in partes orientis.

Eodem tempore revelata ſunt corpora ſanctorum martyrum Primi & Feliciani, quæ erant in arenario ſepulta, via Numentana, & adducta ſunt in urbem Romam. Quæ & recondita ſunt in baſilica beati Stephani protomartyris, * ubi & dona obtulit, gabathas aureas tres, tabulas ex argento ante confeſſionem, arcus argenteos duos. Fecit eccleſiam beato Valentino, via Flaminia, juxta pontem Milvium a ſolo, quam ipſe dedicavit, & dona multa obtulit. D Fecit oratorium beato (*f*) * Silveſtro intra epiſcopium Lateranenſe, ubi & dona largitus eſt. Fecit & oratorium beato Euplo martyri foris portam beati Pauli apoſtoli, quod (*g*) etiam ornavit.

Tunc ſanctiſſimus Theodorus papa ſcripſit Paulo patriarchæ regiæ civitatis tam rogans, quamque regulariter increpans, nec non per apocriſiarios, ut dictum eſt, pro hoc maxime deſtinatos præſentialiter admonens, & conteſtans, quatenus proprium emendaret commentum, atque ad orthodoxam fidem (*h*) catholicæ eccleſiæ remearet. Et neque rogantes, neque increpantes potuerunt eum a ſuo conamine quoquo modo revocare. Propter quod (*i*) ab apo- E ſtolica ſede ipſe depoſitionis ultione * percuſſus eſt. Hic fecit ordinationem unam per menſem Decembrem, presbyteros viginti unum, diaconos quatuor, epiſcopos per diverſa loca numero quadraginta ſex. Qui etiam ſepultus eſt ad beatum Petrum apoſtolum ſub die ſecundo Idus Maii, & ceſſavit epiſcopatus * dies quinquaginta duos.

Marginal variants (left): * viginti. * increviſſent contra B. Petrum apoſtolum. * ut eum * erexit ſe, tyrannizavit. * ſecum ipſos per ſacramento, * quia affirmabat eum ſibi regnum imponere velle. * Romani * Omnes ſe ad Donum verterunt. * bojatos * Thomani * Ficudas * portarunt cum * bojatos * Conſtans

Marginal variants (right): * Pyrrhus patriarcha Conſtantinopolitanus venit Romam * in populo, * reverſus eſt * decernens. * in monte Cælio, * Sebaſtiano * percuſſus * menſem unum, dies 16.

NOTÆ

*(a) intatizavit. (b) obediret Iſacio. (c) voluiſſet. (d) fecerunt. (e) decerpens. (f) Sebaſtiano. (g) etiam dedicavit, & ornavit. (h) catholicam apoſtolicam eccleſiam remearet. (i) juſſa ab apoſtolica ſede ipſe depoſitione ultione &c.*

## Notæ Severini Binii.

Theodorus quando papa creatus.

a *Theodorus*.) Anno Chriſti redemptoris noſtri 642. vigeſima quinta menſis Novembris, Theodorus creatus eſt pontifex. Hujus exordio Pyrrhus Conſtantinopolitanæ urbis epiſcopus, ut laqueum, quem conſcius veneficii Conſtantino imperatori allati meruerat, ſubterfugeret, in Africam ſponte ſeceſſit: Conſtans imperator in locum hæretici Paulum æque Monothelitam ſubrogavit. Qui cum orientalem eccleſiam graviſſime perturbaret, querela Stephani Dorenſis epiſcopi, aliorumque orientalium hac de re ad ſedem apoſtolicam interpoſita, a Theodoro papa congregata ſynodo condemnatus eſt. Pyrrhus delatus in Africam, invenit ibi Maximum abbatem & martyrem, habitaque cum eodem diſputatione illa famoſa, quam infra ſubjungimus; fidei veritatem & Monothelitarum hæreſim & perfidiam cognovit, adeo ut inde Romam profectus, oblato ibidem libello pœnitentiæ, hæreſim ſuam publice abnegarit, & cum titulo patriarchatus Conſtantinopolitani a Theodoro receptus fuerit. Quod cum Africanis eccleſiis innotuiſſet, habitis ibidem in Africa diverſis conciliis, ſynodales miſerunt ad Romanum pontificem, petentes ut is per ſuos apocriſiarios eaſdem ad Paulum Conſtantinopolitanum epiſcopum tranſmitteret. Præſtitit id pontifex ſanctiſſimus, ſuaſque addidit, quibus illum in fide orthodoxa inſtruxit: aliterque ſentientem excommunicandum eſſe minatur. Paulus dum haſce Romani pontificis Africanorum & conciliorum epiſtolas accepiſſet, univerſam occidentalem eccleſiam adverſus ſe commotam eſſe cognovit. Qua occaſione magna cum fraude Conſtanti imperatori hæretico perſuaſit, ut edictum (quod Typus appellatur) proponeret, quo ſignificaretur tacendum eſſe de ea altercatione, quæ de una ſeu de duabus voluntatibus in Chriſto vertebatur, ita futurum pollicebatur imperatori, ut omnes Chriſtiani orbis eccleſiæ in unam eamdemque ſententiam unirentur. Paruit imperator epiſcopo, typum edidit, eumque Romano pontifici inſinuavit. Pontifex accepto typo ſynodum convocavit, in qua patres congregati eumdem typum ſimul cum Paulo Conſtantinopolitano epiſcopo condemnarunt: dumque ſententiam concilii imperatori & patriarchæ inſinuaſſent, imperator & patriarcha (quod male refertur in vita ſancti Martini papæ) in apocriſiarios Theodori papæ Conſtantinopoli degentes furore exarſerunt, altare eorumdem in palatio Placidiæ, ubi habitabant, ſubverterunt, ſacrificare eoſdem non permiſerunt, &, quod pejus eſt, ſacerdotum catholicorum alios in carcerem detruſerunt, alios in exilium deportaverunt, alios denique verberibus ſubjectos gravi cruciatu corporis affecerunt. Hæc ex actis ſynodalibus concilii Lateranenſis ſecret. 2. & ſancti Maximi vita apud Surium, & ex Theophane & Anaſtaſio Baronius.

Pyrrho fugienti ſurrogatus eſt Paulus.

Pyrrhus per diſputationem cum Maximo habitam factus eſt catholicus.

Typus promulgatur quare?

Typus condemnatur a papa.

Tempus ſedis.

b *Sedit annos ſex, menſes 5. dies 10. &c.*) Theodorus papa anno domini 649. qui eſt octavus Conſtantis imperatoris, ex hac vita migravit pridie idus Maii. Quare oportet aſſerere eum annis ſeptem, menſibus quinque & 20. diebus ſedem apoſtolicam adminiſtraſſe. Baronius anno 649. n. 2.

Mauritii ſacrilegii pœna quæ.

c *Mauritius chartularius*) Hic eſt ille Mauritius, qui ſub pontificatu Severini Lateranenſem eccleſiam expilavit, ideoque juſta Dei ultione in pœnam commiſſi ſacrilegii ab eccleſia abſtrahebatur, quando ad ipſam pro ſalute confugiens auxilium peteret. Baron. anno 643. numer. 5.

d *Bolam*.) id eſt vinculum.

e *Ficuolas*.) Eſt eccleſia Ficodenſis, hodie Cervia nominata. Baronius anno 643. n. 5.

Exarchus hoc tempore quis fuerit?

f *Audiens hoc imperator quia defunctus eſt Iſacius miſit Theodorum patritium exarchum*.) Platonem hæreticum exarchum ante Theodorum Calliopam miſſum fuiſſe in Italiam, conſtat ex epiſt. 16. Martini papæ, qua dicitur eo tempore, quo Pyrrhus Conſtantinopolitanus epiſcopus ſe Romam contulit, Platonem quemdam exarchum fuiſſe, ſuoſque ad Pyrrhum Romæ degentem direxiſſe. Vide Baronium anno 643.

Pyrrhi Conſtant. res geſtæ.

g *Ipſis temporibus venit Pyrrhus ex Africa in urbem Romam*.) Pyrrhus de inita conjuratione in necem Conſtantini imperatoris cum Martina Auguſta diffamatus, fugerat in Africam, ut ſupra dixi, habitaque celeberrima diſputatione cum Maximo convictus ſua ſponte Romam venit, oblatoque ibidem libello pœnitentiæ, & abjurata hæreſi fidem profeſſus fuit, præter ea, quæ de eventu diſputationis hic apud Anaſtaſium & in ipſa diſputatione continentur, hæc ſcribit Theophanes: *Pyrrhus vero cum perveniſſet in Africam mutuis cum S. Maximo videtur aſpectibus, abba videlicet religioſiſſimo in monaſticis correctionibus, nec non & divinorum illic exiſtentium pontificum præſentatur obtutibus, hunc redargutum & perſuaſum Romam ad papam Theodorum direxerunt. Qui, orthodoxo libello tradito papæ, ab eo receptus eſt.* Hæc Theophanes de prædicta diſputatione Pyrrhi cum Maximo habita. His conſentanea de eadem ſcribunt Photius

A & Martinus pontifex epiſtola 26. Baronius anno 646. n. 1. 2. & ſequentibus.

Pyrrhus in hæreſim relapſus; qua occaſione id contigerit.

h *Poſtea rurſus more canis ad proprium impietatis vomitum repedavit*.) Accidit illud hac occaſione. Cum imperator Pyrrhi converſionem audiſſet, miſit Platoni exarcho ſucceſſorem Olympium hæreticum audaciſſimum, qui ubi Ravennam ſe contulit, omne adhibuit ſtudium, ut perficeret quod imperatori gratum eſſe ſciebat: nimirum, ut Pyrrhum in priſtinum errorem revocaret. Quod ut implere poſſet, elaboravit ut illum ab urbe Ravennam adduceret, eumque illud ex animi ſententia conſecutus eſſet, qua pollebat auctoritate ipſum aggreſſus, nunquam deſeruit, quoúſque deſertorem fidei & aſſertæ catholicæ confeſſionis prævaricatorem effecerit. Hoc eſt quod Theophanes anno 30. Heraclii imperatoris ait: *Pyrrhus cum Roma diſceſſiſſet, & Ravennam perveniſſet, ut canis ad vomitum ſuum reverſus eſt. Quo papa Theodorus comperto, plenitudine convocata eccleſiæ ad ſepulcrum verticis apoſtolorum acceſſit, & divino calice expoſtulato, ex vivifico ſanguine in atramentum ſtillavit, &* B *ita propria manu depoſitionem Pyrrhi excommunicati fecit*. Eamdem de Pyrrho hiſtoriam integre recenſet ſummatim ſecretario 1. concilii Lateranenſis Martinus papa his verbis. *Pyrrhus denuo, pluribus epiſcopis terrore & blandimentis doloſe ab eo deceptis, hujuſmodi impietatem actis & ſubſcriptionibus propriis eorum, qui ab eo decepti fuerunt paſſi ſunt, confirmare ſtuduit. Propter quod antea confuſius, feſtinavit, pro hoc ipſo huc adveniens, emendare proprium commiſſum, & libellum obtulit cum ſua ſubſcriptione apoſtolicæ noſtræ ſedi, condemnans in eodem libello omnia, quæ a ſe vel a deceſſoribus ſuis ſcripta vel acta ſunt adverſus immaculatam fidem noſtram. His itaque ab eo peractis, poſtea rurſus more canis ad proprium impietatis vomitum repedavit, juſtam mercedem ac retributionem propriæ tranſgreſſionis, canonicam pœnam ſive depoſitionem decerpens.* Hæc ex Theophane & concilio Lateranenſi ſecret. 1. ſub Martino papa; Baron anno 648. n. 11. & ſequentibus.

Pyrrhus ſedi Conſtant. reſtitutus.

i *Qui prædictus Pyrrhus reverſus eſt in partes orientis*.) Ubi in gratiam imperatoris receptus, loco impletæ promiſſæ mercedis, Conſtantinopolitanam ſedem poſt obitum Pauli recepit anno domini 652. & poſt menſes quatuor ex hac vita ad tremendi judicii Dei tribunal evo- C catus fuit, ſubrogato in locum illius Petro verſutiſſimo Monothelita hæretico.

## JACOBI SIRMONDI ADMONITIO AD LECTOREM DE SEQUENTIBUS EPISTOLIS.

Proxima epiſtola eſt Theodori papæ ad Paulum patriarcham, qua ejus ſynodicæ reſpondet, arguitque illum duplici de cauſſa. Primum quidem, quod ecthefis Heracliana chartam publicis in locis a Pyrrho ſuſpenſam non ſuſtulerit. Deinde quod Pyrrhi, qui patriarchatum odio compulſus abdicarat, adhuc ſuperſtitis, & nondum damnati ſedem occuparit. Quare ſynodum coram apocriſiariis ſuis convocari jubet, ut illius cauſſa examinetur. Quod ipſum etiam in altera epiſtola ſcribit ad epiſcopos qui Paulum conſecrarant. Ad decretum vero ectheſeos anathematizandæ Conſtantinopolim tranſmiſſum, quod inter utramque epiſtolam inſertum eſt, alludere viden- D tur epiſcopi Cyprii in epiſtola ad Theodorum papam, quæ in ſynodo Romana Martini papæ legitur ſecretario. 2. At Serici diaconi, quem Theodorus in priore epiſtola nominat, meminit etiam Honorius in altera ad Sergium epiſtola, cujus pars quædam ſynodi VI. actione 13. continetur. Ex quo liquet illum perdiu & ſub diverſis pontificibus apocriſiarii munere perfunctum.

## EPISTOLA I. SYNODICA THEODORI PAPÆ I. AD PAULUM PATRIARCHAM Conſtantinopolitanum.

Ex collectaneis Anaſtaſii bibliothecarii a Jacobo Sirmondo Soc. Jeſu primum editis ann. 1620.

E SYnodicas fraternitatis veſtræ literas, datas per Georgium presbyterum & Petrum diaconum, nos ſuſcepiſſe ſignificamus; quarum percurrentes textum, invenimus eam inter ſpem & metum, quemadmodum inter fidum gemini litoris portum confidentem pariter & fluctuantem, & non fruſtra. Nam ſacerdotium grave onus eſt, quod ſcilicet aliorum vitæ cura fatigat, juxta quod ſcriptum eſt: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Et quanto metu ſacerdotalis mens concutitur, ne forte per ſilentium vel immoderatum eloquium maculetur, tanto ſpe & maxima propriæ fortitudinis penna ad altitudinem ſublevatur, quando de ſubjectorum profectu gratula-

2. Cor. 11.

tulatur. Scriptum eſt enim: *Ubi plurimæ ſegetes,* A *ibi manifeſta fortitudo bovum*. (Prov. 14.) Hinc econtra metus reverberat. Scriptum namque eſt: (Ibidem.) *Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quaſi damula de manu, & quaſi avis de inſidiis aucupis*. Audivimus, dilectiſſime frater, per timorem periculum noſtrum, audiamus per ſpem repromiſſum conſolationum ſolatium. (Num. 18. Pſal. 131.) *Ego ſum*, inquit Deus, *pars hereditatis tuæ*. Et iterum: *Sacerdotes tui induant juſtitiam*. Timor autem concutit, cum alias B dicitur: (Luc. 12.) *Cui multum creditur, multum ab eo exigetur*. Et iterum: (Sap. 6.) *Potentes potenter tormenta patientur*. Et rurſus ſpes nos refovet, ubi ait: (Mal. 2.) *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem exquirent ex ore ejus, quoniam angelus domini exercituum eſt*. Inter tot ergo procellas atque tranquillos fluctus æſtuare profundum, quid aliud eſt niſi in portu aſperrimi litoris navim mentis noſtræ tempeſtatibus concuti? Sed quia majorem fiduciam ex longanimitate Dei evangeliorum habere cognoſcimur, ſpe gaudentes hujuſmodi æſtum nullo modo formidamus. Nos ergo quid niſi diſpenſatores unius paſtoris ſumus? Ipſo enim paſcente paſcimus, & regente regimus, quoniam omnes ſub eodem paſtore cum ovibus ipſius oves paſcuæ ſumus. Neque enim noſtris viribus, ſed Dei gratiæ deputamus quod ſumus. Tantum C reſtat, ut cum divino auxilio petendo, quærendo, pulſando, fide & opere donum gratiæ irreprehenſibiliter exhibere poſſimus, quo conculcatis vitiis virtutum repromiſſa præmia percipere mereamur. Superbia, quæ eſt initium omnis peccati, longe a ſacerdotum mentibus fiat. Avaritia rurſus, quæ eſt idolorum ſervitus, atque omnium malorum radix, abſciſa, & a turbine pulveris ſui procul amota deſtruatur, quæ excæcat etiam oculos ſapientum. Dilectionem igitur omnium virtutum matrem, ſine qua nihil perficitur, & in qua omnes virtutes pacis complexæ vinculo indiſſolubiliter continentur, fide recta & ſpe certa ſtudio indeſinenti teneamus. Et quoniam fide hominum corda purgantur, D lecti apices dilectionis veſtræ limpida fidei fluenta vos de fontibus ſalvatoris hauſiſſe, & ſicut prædicamus prædicare, & quemadmodum credimus credere, & ſicuti docemus indiminute docere manifeſtarunt. His ergo ita ſe habentibus, cum ea quæ a Pyrrho adverſus apoſtolicam fidem noſtram ad ſubverſionem ſynodalium decretorum prolata ſunt, tam per dogma ſedis apoſtolicæ, quod expoſitum eſt a prædeceſſore noſtro, quam per juſſionem filii noſtri manſuetiſſimi principis deſtructa ſint: quamobrem fraternitas tua a publicis locis chartam, quæ ſuſpenſa pridemque caſſata fuerat, non abſtulit? E quæ ſcilicet ſcandalum ſanctis Dei eccleſiis non modicum intulit. (Rom. 10.) Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit in ſalutem. Si deiciendum ergo ejuſdem Pyrrhi conamen fraternitas veſtra ducit, qua pro cauſa prædictam chartam de pariete non depoſuit? Nemo quippe quod abominatur colit. Si autem, quod abſit, hujuſmodi ſcriptum amplectitur, cujus rei gratia nobis hoc per propria ſynodica ſua minime patefecit? Neutrum enim ſine horum alterius dejectione indemniter ſtare poteſt. Nam ſi recta fides, quæ a tot conciliis roborata eſt,

A ab Heraclio & Pyrrho cum quadam additione & emendatione corripitur: ergo fides a patribus ſubtiliter examinata commoveri cognoſcitur, & mortui vacua ſpe beatitudinis deciderunt, quod avertat Deus a fidelium cordibus. Hi enim qui defuncti ſunt minime perierunt: *Pretioſa* namque *in conſpectu domini mors ſanctorum ejus*. (Pſ. 115.) Et qui vivunt in hac fide, mundi effecti ſunt: patrumque dogma ſignata fide verum & pium firmiter eſt poſteris traditum. Reſtat igitur, quod contra fidem promulgatum eſt, irritum fiat, & cum auctore proprio deſtruatur. Porro, mirati ſumus quia epiſcopi, qui fraternitatem tuam conſecraverunt, ſanctiſſimum illum in literis ſuis dixerunt. Sed & B quia propter vulgarem turbationem & odium eccleſiæ hunc Conſtantinopolitanæ abrenuntiaſſe ſignificaverunt. Propter quod etiam in ambiguitate poſiti, quæ a fraternitate veſtra ſcripta ſunt judicaveramus ad modicum quid differre, donec jam dictus Pyrrhus ab epiſcopatu eccleſiæ Conſtantinopolitanæ pelleretur. Nam turbatio & odium populi epiſcopatus gradum neſcit auferre. Canonica enim vindicta ſuper eo debuerat provenire quo fraternitatis tuæ conſecratio irreprehenſibilis & firma conſiſtat. Scriptum eſt enim: *Si vir ejus mortuus fuerit, ſoluta eſt a lege viri. Si autem vir ejus vivit, adultera vocabitur ſi fuerit cum alio viro*. (Rom. 7.) *Erunt enim duo in carne una. Myſterium autem hoc magnum eſt*, ait apoſtolus: *Ego autem dico in Chriſto & eccleſia*. (Ephes. 5.) Etenim licet indigni ſimus, locum tamen C ejus in eccleſiis adimplemus. Vivente itaque prædicto Pyrrho, & nondum natura vel culpa extincto, ne forte fieret ſchiſma, oportuerat præcaveri. Ut ergo fraternitatis veſtræ ſacerdotalis robuſtior ordo permaneat, oportet debitum adverſus eum colligi epiſcoporum ex propinquioribus locis conventum. Præcepimus enim ſuper hoc etiam cariſſimis filiis noſtris Serico archidiacono, & Martino diacono & apocriſiario, quibus & locum noſtrum ad hujus rei deliberationem credimus: quatenus cum fraternitate veſtra prædicti Pyrrhi culpa regulariter exquiratur. Non enim præſentia ejus neceſſaria eſt, ubi exceſſus ejus & ſcripta veritati repugnantia præſto ſunt, ut cum de his dijudica- D tur, modis omnibus condemnetur. Primo quidem, quoniam Heraclium, qui anathematizavit inviolabilem orthodoxorum patrum fidem, diverſis laudibus extulit, & ſophiſticam juſſionem ipſius, in qua quaſi ſymbolum fidei compoſuit, ſubſcribendo firmavit, furtiviſque ſurreptionibus quoſdam ſacerdotes apud ſe ſingulatim prædictam chartam roborare coegit, & in publicis locis ſuſpendere ad deſtructionem Chalcedonenſis concilii audaci tranſgreſſione præſumpſit. Unde non modicum diſſenſionis ſcandalum eccleſiis Dei diſſeminavit, & obteſtatione conventus a deceſſore noſtro corrigi parvipendit. E His igitur & aliis in ſynodo fraternitatis veſtræ requiſitis, canonicæ hunc executioni ſummittite, ut ſacerdotali ordine & epiſcopali legiſlatione, ac regulariter eo ſacerdotio denudato, non ſolum fides illibata permaneat, ſed & fraternitatis veſtræ gradus epiſcopalis firmior conſervetur. At vero, ſi diligenter fraternitas veſtra, dum conſiliatur, perſpexerit fautores jam dicti Pyrrhi circumſtrepere, & ſenſeritis crebro, inſolenter præſenti negotio quod diffiniendum eſt, impedimentum per dilationem afferre, ut proprium compleant quandoque conſilium, vobis contradicentes, niſi juxta votum ſuum quidquam

quam

quam proveniat; & ſi ob hoc fraternitatem veſtram obnoxiam facere, vel etiam ſchiſma de eadem perſona tentaverint, poſſibile eſt ut abſcindatur etiam in hujuſmodi capitulo talis verſutiarum ipſorum intentio, & obtineatur juſſio a domino noſtro & filio Chriſtianiſſimi principis, quoniam de hoc enixius eum per literas noſtras popoſcimus, ut ſcilicet ſæpe dictum Pyrrhum ad hanc Romanam urbem jubeat mitti, quatenus conventu ſynodico a nobis effecto, pro ſua temeritate judicetur. Sic enim & fraternitatis veſtræ epiſcopalis dignitas omni futuro contrariorum ſchiſmate firmior apparere valebit, & ſcandalum novitatis ab orthodoxa fide pulſum necabitur, atque Dei eccleſia continua paci donabitur. Deleri namque ab eccleſia Dei ſcandala debent, & extirpari. Multa enim poſſunt oriri diſſenſionis zizania contra promotionem fraternitatis tuæ, niſi canonica falce ne proficiant radicitus reſcindantur. Siquidem cum patitur unum membrum, compatiuntur reliqua corporis membra. Abſit ergo, ut ſchiſmata & diſſenſiones proveniant, ſecundum quod & manſuetiſſimum dominum & filium noſtrum principem per literas noſtras petivimus, quo ab epiſcopatu fraternitatis veſtræ omnia quæ nuper exorta ſunt ſcandala recidantur, & nos quidem veluti fraterna viſcera condolentibus providentiæ noſtræ medelam afferentes appareamus. Verumtamen prædictam chartam, quæ contra orthodoxam fidem & Chalcedonenſe concilium ſophiſtice probatur expoſita, cunctis viribus irritam eſſe deliberamus, & vinculo anathematis refutatam, atque ut a nobis & ab omnibus orthodoxis epiſcopis abominatam reſpuimus. Sufficit namque nobis fides, quam ſancti apoſtoli prædicaverunt, concilia firmaverunt, & ſancti patres conſignaverunt, per quam renati & docti facti ſumus, quamque docemus, nullum augmentum in ſymbolo fidei, quod a ſynodis eſt firmatum, recipientes. Anathema his qui addunt, anathema qui demunt ſancto mathemati, id eſt ſymbolo, quod in concilio Nicæno diffinitum, Conſtantinopolique firmatum, & in Epheſino primo, atque Chalcedone, a ſanctis & orthodoxis patribus, qui in catholica fide floruerunt, gratia ſancti eſt Spiritus ſtabilitum. Hæc & his ſimilia concordi ſenſu fraternitas veſtra prædicando nobiſcum ore & opere confiteatur. Similiter autem anathematizantes omnes hæreſes & auctores earum, ut id ipſum dicamus omnes, ſicut ſcriptum eſt, & ſchiſmata nullo modo germinent in eccleſiis Dei, quæ ſpirituali jam & his acuto ſententiæ gladio ſunt reciſa. Porro præſentem literarum latorem fraternitati veſtræ in omnibus commendamus, quoniam & mores ejus exigunt, ut eum vobis nos commendare debeamus: quia manifeſte veſtram nobis præſentiam exhibere venerabilitas ejus atque perfectio morum dignoſcitur.

## EXEMPLAR * PROPOSITIONIS

### TRANSMISSÆ CONSTANTINOPOLIM

*A Theodoro ſanctiſſimo papa Romano.*

* edictum (margin note)

DOminus ac ſalvator noſter in evangeliis apoſtolis ſuis ita dixit: *Quicumque ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum*, & alia ſcriptura dicit: *Ne tranſgrediaris terminos* Marth. (margin) Prov. (margin)



æternos, quos poſuerunt patres tui. Hæc ergo ita ſe habentibus, ad notitiam fraternitatis veſtræ deducimus, quia Pyrrhus, qui quondam eccleſiæ Conſtantinopoleos epiſcopatum ſurripuit, & ſub ovis lupi ſub prætextu paſtoris latitabat, contra orthodoxam fidem cornu bellico erecto, quædam novitatis figmenta compoſuit, & chartis a ſe dictatis, quoſdam furtivis & ſurreptitiis modis ſubſcribere compulit ſacerdotes, ſervitute gerens, ut hæreticum præſumptionis ſuæ dogma ſurreptis aliorum ſubſcriptionibus ſtabiliret; & veluti novum mathema contra colendum, nobiſque traditum a ſanctis patribus ſymbolum componere conaretur. Et quoniam in Chalcedonenſi concilio anathema poſitum eſt his, qui addiderint vel dempſerint quid in fide, quæ a tot patribus eſt roborata: hujus rei gratia dilectionem veſtram præmunire conſideravimus, ut his quæ a prædicto Pyrrho adverſus apoſtolicam fidem præſumpta ſunt, reprobatis, eamdem fidem, ſicut & filii ſumus, retineatis, quam ex ipſo lacte uberum ſanctæ eccleſiæ ſimul ſuxiſtis, univerſa temerariæ novitatis deliramenta deſtruentes. Nos enim tam per alias literas, quam per decretum præſentis propoſitionis, omnia quæ contra orthodoxam & apoſtolicam fidem noſtram ab ejuſdem Pyrrhi nova & temeraria vanitate introducta ſunt, abominantes, ſimulque cum charta, quæ propoſita, & in publicis locis ab eo ſuſpenſa eſt, anathematizantes, volumus omnes illa ſapere, id eſt tenere, quæ ſancti apoſtoli tradiderunt, & patres qui in orthodoxa fide floruerunt, poſteris tradita per ſancta quinque concilia firmaverunt.

## EPISTOLA II. THEODORI PAPÆ

### AD EPISCOPOS QUI CONSECRAVERUNT

Paulum patriarcham Conſtantinopolitanum propter Pyrrhum ex patriarcha.

LIteras fraternitatis veſtræ, per quas nobis de promotione Pauli fratris & coepiſcopi noſtri ſignificaſtis, ſuſcepimus, & gaviſi quidem ſuper hujus ſumus ordinatione. Sed futura mœſtitia huic videlicet ſucceſſura, propter zizania quæ naſcitura fore ſperantur, animum noſtrum valde concuſſit, niſi diligentiſſima manu & cautiſſima cura, priuſquam creſcant, & dominicam meſſem ſuffocent, extirpentur. Debuerat igitur Pyrrhus, qui ſanctis Dei eccleſiis ſcandalum ſeminavit, canonicæ prius animadverſioni ſummitti, & tum prælatus frater noſter Paulus ſacrari: ne forte tempore aliquo de ejectione ſua quampiam ſe poteſt querimoniam objectturum, quod odium ſuſtinuerit populare, & vi pulſus libellum dederit, & ſuam eccleſiam refutaverit, ſicut nobis fraternitas veſtra per literas ſuas ſignificavit. Facile quippe mutantur homines, & quidem aliquando ex odio ad dilectionem aſſurgunt, aliquando vero a dilectione in odium dilabuntur. Quæ ergo pro cauſa, quæ diſſimulari futura ſunt provido non contemplantur obtutu? ne forte proveniens ſcandalum variis ſimultatibus eccleſiam Dei diſcindat. Sunt capitula, quibus prædictus Pyrrhus canonice poteſt ab omni ſacerdotali ordine pelli. Primum quidem, quia Heraclium, qui anathematizavit catholicam fidem & patres orthodoxæ ſententiæ, in literis ſuis laudibus extulit, & per ſurreptionem, per quoſdam ſacer-



dotes

dotes qui ſubſcripſerant, ſophiſticam quoque chartam adverſus apoſtolicam fidem confirmare præſumpſit, & in publicis locis ſuſpendere feſtinavit, quaſi novam fidem & ſymbolum contra ſanctam Chalcedonenſem ſynodum: pœnam minime veritus æterni judicii, & anathema quod poſitum eſt in eadem Chalcedonenſium ſynodo, quod nemo unquam ſancto mathemati, id eſt colendo ſymbolo, quidquam addere vel minuere audere pertemptet. Prædictus autem Pyrrhus nec proteſtatione conventus a pravitate ſua recedere paſſus eſt. Ideo ergo jam memoratam chartam abominantes, & omnia quæ crebro dictus Pyrrhus contra fidem molitus eſt, anathematizantes, quin etiam nunc iterum atque iterum anathematizamus: illa tantum amplectentes, quæ ſancti nobis patres in ſynodis tradiderunt, nihil fidei addentes, nec auferentes. Et idcirco quæ in perſonam prædicti Pyrrhi diffinierimus, in literis quas ad jam memoratum fratrem & coepiſcopum noſtrum miſimus, agnoſcetis. Ut igitur ſcandalum minime futuro tempore generetur, ſecundum præfixum modum diligenter ſacra providentia extinguere curet. Et res quidem ipſa nos magis ad tribulationem provocavit, & naſcitura zizania conjecturis probabilibus informavit, quoniam per literas veſtras prædictum Pyrrhum ſanctiſſimum nominaſtis. Si enim alia taceamus, & nihil omnino peccavit aut in religionem, aut in doctrinam fidei, & nec una culpa damnavit: quamobrem de propria eſt ejectus eccleſia? Sed fortaſſe quis dixerit, generale hoc odium fecit. Sed vulgaris tumultus jus ſacerdotii auferre non poteſt, nec odium ſacro quemquam ordine denudare. Manifeſtæ quippe ſunt canonicæ cauſſæ, quæ jura ſacerdotii recidere poſſunt. Niſi enim naturæ cauſſa præſul extinguatur, eccleſiam ejus alius non poteſt irreprehenſibiliter apprehendere. Et hæc quidem non contradicentes ordinationi prædicti fratris noſtri Pauli ſcribimus, ſed vulnus latens & abſconſum medente manu adaperimus, ne in vitalia viſcera ſerpere poſſit, omnem immunditiam fœtidæ putredinis medicinaliter exhaurientes, & quæ poſſunt fieri diligentia providæ inciſionis penetrantes, non ut hæc fiant optantes. Nam ſæpe dictum fratrem noſtrum in viſceribus mentis noſtræ complectimur & fovemus: ſed ne ſchiſmata fiant, fraterna providentia & affectione dilectionis terremur: quatenus epiſcopatus ejus manus impoſitio nullomodo maculetur. Denique interemptis & ſuffocatis ſchiſmatibus, & fides quoque orthodoxa, quæ tot ſpiritualibus paradiſi florum odoribus per agricolas Chriſti Dei noſtri, ſanctos videlicet apoſtolos, eluxit, nullatenus aliquibus zizaniorum ſpinis poterit ſauciari.

## OBSERVATIO PHILIPPI LABBE S. J.

*Regius collector prætermiſſum a Severino Binio Græcum textum ſequentis diſſertationis S. Maximi cum Pyrrho conciliis primus intulit: nos ex eodem, unde illum hauſit fonte, hoc eſt ex annalibus Baronianis ad annum Chriſti 645. nonnulla quoque deſcribemus præfationis vice non injucunda lectoribus.* Ingenti ſane Dei beneficio evenit, *inquit vir eruditiſſimus*, ut poſt tot publicorum ſcriptorum naufragia, quæ tum Græcorum tum Latinorum eccleſia paſſa eſt diverſis temporibus, ne ſyllaba quidem ejuſdem diſputationis exciderit, ſed conſervata ipſa integra fuerit in pluribus antiquitus ſcriptis Græcis codicibus quos Vaticana bibliotheca poſſidet, in quorum ſingulis inter alia viri ſanctiſſimi atque doctiſſimi monumenta ineſt cum Pyrrho excepta a notariis in Africa publica diſputatio præſentibus epiſcopis Africanis atque Gregorio, qui prætoria præfectura eamdem provinciam moderabatur. Eam hactenus latentem ac Latinis incognitam primus vindicavit in lucem ac latinitate donavit vir diſertiſſimus Franciſcus Turrianus ſocietatis Jeſu profeſſor, qui ejuſdem confeſſoris Chriſti Maximi nonnullas epiſtolas eodem argumento, adverſus Monothelitas ſcilicet ſcriptas, alioſque ad id ipſum ſpectantes tractatus æque ex Græco in Latinum convertit: ſed ne ederet una cum aliis a ſe translatis ſanctorum Græcorum patrum egregiis monumentis mors antevertit. *Tum paulo poſt hæc ſubjicit:* Cæterum quod magna ex parte hujus tomi verſetur hiſtoria in his quæ ſpectant ad Monothelitarum hæreſim confutandam, quæ flexuoſis anfractibus gradiens, nec quo pergat intelligi poſſit, aliud agens, loquens aliud, ut iſta cuncta aperta luce lector intelligat, operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi eamdem concertationem annalibus intexerem, quo, tricas omnes cunctoſque nexus, ſtrophas atque cavillos hæreticorum ipſorum ſatis habeat exploratos. His accedit quod eadem tractatio pleraque habeat quæ hiſtoricam elucidant veritatem, illaque præſertim tanti momenti erroribus involuta de Honorio Romano pontifice in conſortium hæreticorum calumnioſe vocato dilucide tibi pandat, aperteque veritatem demonſtret, ut non ſit quod de ejus integra ſinceraque fide catholica dubitare vel leviter jure poſſis. Quod inſuper ejuſmodi hactenus caruerit latinitas nobili monumento nunquam ſuppoſito prælo, haud ingrato animo illud puto accipient eruditi, qui etiam gratias agant de eccleſiaſtica antiquitate adeo bene merenti. *Hæc atque ibi plura citato loco Baronius.*

# ΔΙΑΛΕΞΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ
## ΜΑΞΙΜΟΥ ΣΥΝ ΠΥΡΡΩ.

# DISPUTATIO SANCTI MAXIMI CUM PYRRHO.

ΠΑΡΑΣΗΜΕΙΩΣΙΣ ΤΗΣ ΓΕΝΟΜΕΝΗΣ ΖΗΤΗΣΕΩΣ ΧΑΡΙΝ Τῶν κινηθέντων περὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν δογμάτων, παρουσίᾳ Γρηγορίου τοῦ εὐκλεεστάτου πατρικίου, καὶ τῶν συνεδρευσάντων αὐτῷ ὁσιωτάτων ἐπισκόπων, καὶ λοιπῶν θεοφιλῶν, καὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν, παρὰ Πύῤῥου τοῦ γενομένου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, καὶ Μαξίμου τοῦ εὐλαβεστάτου μοναχοῦ, μηνὶ Ἰουλίῳ, ἰνδικτιῶνος γ. Πύῤῥου μὲν συνηγοροῦντος τῷ παρεισαχθέντι παρ' αὐτοῦ τε καὶ τοῦ πρὸ αὐτοῦ ἐν τῷ Βυζαντίῳ καινοτομίᾳ, τουτέστι, τῷ ἑνὸς θελήματος· Μαξίμου δὲ συνηγοροῦντος τῇ ἄνωθεν εἰς ἡμᾶς ἐλθούσῃ παραδόσει τε καὶ ἀποστολικῇ διδασκαλίᾳ. Μετὰ τὸ παρεῖναι τὸν θεῖον τοῦ ὑπερφυοῦς ἀνδρός, φημὶ δὲ Γρηγορίου τοῦ ὑπερτίμου πατρικίου, τῶν λεχθέντων ἀνδρῶν· τουτέστι, Πύῤῥου καὶ Μαξίμου, ἀλλήλοις προσομιλησάντων· προκατήρξατο δὲ τῆς πρὸς Μάξιμον διαλέξεως ὁ Πύῤῥος, οὕτως εἰπών.

*Quæſtio eccleſiaſtici dogmatis diſputata coram Gregorio patritio piiſſimo, in conventu & conſeſſu ſanctiſſimorum epiſcoporum, & reliquorum nobilium virorum, a Pyrrho patriarcha Conſtantinopolitano, & a Maximo reverendiſſimo monacho, menſe Julio, indictione III. Pyrrho quidem novum dogma de una Chriſti voluntate, a ſe & a ſuo anteceſſore Sergio prave introductum, defendente; Maximo autem doctrinam apoſtolorum a principio nobis traditam.*

*Franciſco Turriano ſocietatis Jeſu theologo interprete.*

ΠΥΡΡΟΣ. Τί σοι κακὸν ἐποιήσαμεν, κύριε ἀββᾶ Μάξιμε, ἐγώ τε καὶ ὁ πρὸ ἐμοῦ, ὅτι πανταχοῦ διασύρεις ἡμᾶς, αἱρετικὴν ὑπόληψιν παρὰ πᾶσι διδοὺς ἡμῖν; τίς δὲ οὕτω ποτὲ, καίτοι κατὰ πρόσωπον ἀγνοούμενον σε, ἐτίμησεν, ἢ ἐσεβάσθη σε, ὡς ἡμεῖς; ΜΑΞ. Ἐπειδὴ ὁ Θεὸς ἀκροᾶται, οὐδεὶς οὕτως, ἵνα ταῖς σαῖς χρήσωμαι λέξεσιν, ἐτίμησεν, ἢ ἐσεβάσθη με, ὡς ὑμεῖς· ἀλλ' ἀθετησάντων ὑμῶν νῦν τὸ Χριστιανῶν δόγμα, φοβερὸν ἡγησάμην τῆς ἀληθείας τὴν πρὸς ἐμὲ προτιμῆσαι χάριν. ΠΥΡ. Τί γὰρ δοξάσαντες, τὸ Χριστιανῶν ἠθετήσαμεν φρόνημα; ΜΑΞ. Ἓν θέλημα τῆς θεότητος τοῦ Χριστοῦ καὶ τῆς ἀνθρωπότητος αὐτοῦ δοξάσαντες, καὶ μὴ μόνον δοξάσαντες, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ λύμῃ τοῦ παντὸς τῆς ἁγίας ἐκκλησίας σώματος, διὰ καινῆς ἐκθέσεως τοῦτο * προτεθεικότες. ΠΥΡ. Τί οὖν, ὁ ἓν θέλημα τοῦ Χριστοῦ δοξάζων, δοκεῖ σοι παρεκτετράφθαι τῆς Χριστιανικῆς διδασκαλίας; ΜΑΞ. Πάνυ μὲν οὖν. Τί γὰρ ἀνοσιώτερον τοῦ λέγειν, τὸν αὐτὸν ἐν καὶ τῷ αὐτῷ θελήματι, πρὸ μὲν τῆς σαρκώσεως τά τε πάντα ἐκ μὴ ὄντων * συστήσασθαι, συνέχειν τε, καὶ προνοεῖν, καὶ σωστικῶς διεξάγειν· μετὰ δὲ τὴν ἐνανθρώπησιν τροφῆς ἐφίεσθαι καὶ * ποτοῦ, τόπους τε ἐκ τόπων * ἀμείβειν, καὶ τὰ ἄλλα πάντα ποιεῖν τὰ διαβολῆς ἐκτὸς καὶ * μώμου ἐκτὸς τυγχάνοντα· δι' ὧν καὶ πάσης καθαρὰν ἔδειξε τὴν οἰκονομίαν

PYRRHUS. Quæ in re, domine abba Maxime, & ego & is cui ſucceſſi, tibi nocuimus, qui ubique nobis detrahis, & nos omnibus in ſuſpicionem de hæreſi venire facis? Quis unquam te, ne de facie quidem notum, ſic honoravit & coluit, ut nos? MAXIM. Quandoquidem audit Deus, nemo, ut verbis tuis utar, ſic me honoravit & coluit ut vos: ſed cum vos aſpernati ſitis nunc dogma Chriſtianorum, exiſtimavi pertimeſcendum mihi eſſe, ſi gratiam veſtram veritati anteponerem. PYRRH. Qua opinione aſpernati ſumus, quod Chriſtiani ſentiunt? MAXIM. Opinione de una voluntate divinitatis Chriſti & humanitatis ejus: & non ſolum opinione, ſed etiam propoſita ejus nova expoſitione ad perniciem totius corporis ſanctæ eccleſiæ. PYRRH. Quid igitur, qui unam Chriſti voluntatem eſſe ſentit, videtur tibi a Chriſtiana doctrina traduci? MAX. Maxime. Quid enim magis impium, quam dicere, eumdem una & eadem voluntate, ante incarnationem quidem omnia ex nihilo feciſſe, continere & procurare ac ſalubriter dirigere, poſt incarnationem vero, cibum & potationem appetere, loca locis mutare, & omnia alia facere, quæ omni culpa & reprehenſione vacabant, quibus etiam diſpenſatione liberam ab omni fictione eſſe demonſtravit? PYRRH. Eſtne unus Chriſtus, an non? MAX. Unus ſane. PYRRH. Si igitur unus Chriſtus, tamquam unus omnino

pino etiam volebat, quod ſi tamquam unus volebat, una prorſus eſt & ejus voluntas, non duæ. MAX. Dicere quippe, & non diſtinguere prius ſignificata in eo quod dicitur, nihil aliud eſt, quam omnia confundere, & ea ſtudio relinquere operta, de quibus quæritur: quod eſt alienum a viro differendi perito. Dic igitur mihi hoc: Chriſtus cum ſit unus, eſt ne Deus ſolum, an etiam ſolum homo; an utrumque Deus ſimul & homo? PYRRH. Plane, Deus ſimul & homo. MAXIM. Deus igitur natura & homo cum eſſet Chriſtus volebat tamquam Deus & idem homo, an ut Chriſtus tantum? ac ſiquidem principaliter, ut Deus & homo volebat Chriſtus; liquet quod dupliciter, & non uno modo, unus cum idem eſſet, volebat. Etenim ſi nihil aliud eſt Chriſtus præter naturas ſuas, ex quibus & in quibus eſt; perſpicuum eſt, quod convenienter naturis ſuis Chriſtus, id eſt, ut unaquæque apta nata erat, unus erat, unus exiſtens & idem, & volebat, & operabatur: ſiquidem neutra earum voluntatis aut operationis expers eſt. Quod ſi convenienter naturis ſuis Chriſtus, id eſt, ut unaquæque apta nata erat, volebat & operabatur; erant autem duæ naturæ ejus, duæ igitur voluntates ejus naturales, & quæ cum ipſis numero totidem ſunt, ſubſtantiarum operationes. Sicut enim numerus naturarum unius & ejuſdem Chriſti, ſi pie intelligatur & dicatur, non dividit Chriſtum, ſed differentiam naturarum etiam in unione cuſtodiri demonſtrat: ſic numerus voluntatum & operationum, quæ ſecundum ſubſtantiam in ejus naturis inſunt (ambabus enim naturis ſuis, ut dictum eſt, idem ſalutem noſtram & volebat & operabatur) non diviſionem inducit; abſit: ſed earum etiam in unione cuſtodiam tantum & incolumitatem declarat. PYRRH. Non poteſt fieri, quin voluntates ſecum inferant ipſos volentes. MAXIM. Hoc quidem abſurdum in veſtris etiam literis, non ratione, ſed licentia protuliſtis, nacti Heraclium veſtrum ad hoc adjutorem, quia vos ejus nefariæ & ſceleratæ mixtioni aſſenſi eſtis, & * benedictione eam confirmaſtis. Si enim concedatur inferri cum voluntatibus volentes, omnino conſentanea reciprocatione cum volentibus inferentur voluntates: reperieturque etiam vobis auctoribus in ſupereſſentiali, pluſquam bona & beata deitate, una quidem hypoſtaſis, ſicut ſenſit Sabellius, quia una eſt in ea voluntas; tres vero voluntates, quia ſunt tres perſonæ, ac proinde tres naturæ, ex opinione Arii, ſiquidem ſecundum definitiones & regulas patrum, differentia voluntatum differentiam etiam naturarum ſecum infert. PYRRH. Impoſſibile eſt, in una perſona duas ſimul eſſe non contrarias voluntates. MAX. Si non eſt poſſibile, eſſe ſimul in una & eadem perſona duas non contrarias voluntates; igitur opinione tua, poſſibile eſt eſſe, ſi contrariæ ſint: ſi ſic eſt; confeſſus es hactenus duas eſſe, & non diſſides a numero, ſed tantum a pugna: reſtat igitur ut quæramus cauſſam hujus pugnæ effectricem. Quam igitur eſſe hanc ais? voluntatemne naturalem, an peccatum? ſi naturalem dicis, hujus autem auctorem non alium

* ſic, commendatione.

ἀφαντασίαν; ΠΥΡ. Εἷς ὁ Χριστὸς, ἢ οὔ; ΜΑΞ. Ναὶ, εἷς προδήλως. ΠΥΡ. Εἰ οὖν εἷς ὁ Χριστὸς, ὡς εἷς πάντως καὶ ἤθελεν. εἰ δὲ ὡς εἷς ἤθελεν, ἓν πάντως αὐτοῦ καὶ τὸ θέλημα, καὶ οὐ δύο. ΜΑΞ. Τὸ λέγειν τι, καὶ μὴ προδιαστέλλεσθαι τὸ λεγόμενον τὰ σημαινόμενα, οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, εἰ μὴ πάντα συγχεῖν, καὶ ἀσαφῆ καταλείπειν τὰ περὶ ὧν ἡ ζήτησις· ὅπερ ἀλλότριον ἀνδρὸς * λογικοῦ καθίσταται· τοῦτο οὖν εἰπέ μοι. ὁ Χριστὸς εἷς ὢν, Θεὸς μόνον ἐστὶν, ἢ καὶ ἄνθρωπος μόνον· ἢ τὸ συναμφότερον, Θεὸς ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπος; ΠΥΡ. Προδήλως Θεὸς ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπος. ΜΑΞ. Θεὸς οὖν φύσει καὶ ἄνθρωπος ὑπάρχων ὁ Χριστὸς, ὡς B Θεὸς καὶ ἄνθρωπος * ὁ αὐτὸς ἤθελεν, ἢ ὡς Χριστὸς μόνον; ἀλλ' εἰ μὲν προηγουμένως, ὡς Θεὸς καὶ ἄνθρωπος, ἤθελεν ὁ Χριστὸς, δηλονότι διχῶς, καὶ οὐ μοναδικῶς, εἷς ὢν ὁ αὐτὸς, ἤθελεν. εἰ γὰρ οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν ὁ Χριστὸς παρὰ τὰς αὐτοῦ φύσεις, ἐξ ὧν καὶ ἐν αἷς ὑπάρχει, προδήλως, ὡς καταλλήλως ταῖς ἑαυτοῦ φύσεσιν, ἤγουν, ὡς ἑκάστη πέφυκεν, εἷς ὢν καὶ ὁ αὐτὸς, ἤθελέ τε καὶ ἐνήργει· εἴπερ οὐδετέρα αὐτῶν ἀθέλητος ἐστιν, ἢ ἀνενέργητος. εἰ δὲ καταλλήλως ταῖς ἑαυτοῦ φύσεσιν ὁ Χριστὸς, ἤγουν, ὡς ἑκάστη πέφυκεν, ἤθελέ τε καὶ ἐνήργει, δύο δὲ αὐτοῦ αἱ φύσεις, δύο αὐτοῦ πάντως καὶ τὰ φυσικὰ θελήματα, C καὶ αἱ τούτων ἰσάριθμοι καὶ οὐσιώδεις ἐνέργειαι. ὥσπερ γὰρ ὁ τῶν τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑνὸς Χριστοῦ φύσεων ἀριθμὸς, εὐσεβῶς νοούμενός τε καὶ λεγόμενος, οὐ διαιρεῖ τὸν Χριστὸν, ἀλλὰ σωζομένην κἀν τῇ ἑνώσει παρίστησι τῶν φύσεων τὴν διαφοράν· οὕτω καὶ ὁ ἀριθμὸς τῶν οὐσιωδῶς προσόντων ταῖς αὐτοῦ φύσεσι θελημάτων καὶ ἐνεργειῶν· κατ' ἄμφω γὰρ, ὡς εἴρηται, τὰς αὐτοῦ φύσεις θελητικὸς ἦν ὁ αὐτὸς καὶ ἐνεργητικὸς τῆς ἡμῶν σωτηρίας· οὐ διαίρεσιν εἰσάγει, μὴ γένοιτο, ἀλλὰ τὴν αὐτῶν δηλοῖ καὶ μόνον κἀν τῇ ἑνώσει φυλακὴν καὶ σωτηρίαν. ΠΥΡ. Ἀδύνατον, τοῖς θελήμασι μὴ συνεισάγεσθαι D τοὺς θέλοντας. ΜΑΞ. Τοῦτο μὲν καὶ ἐν τοῖς ὑμετέροις γράμμασι τὸ παράλογον, οὐ λόγῳ, ἀλλ' ἐξουσίᾳ κινούμενοι, ἀπεφήνασθε, * συναιρέμενον ὑμῖν εἰς τοῦτο λαβόντες τὸν Ἡράκλειον, διὰ τὸ καὶ ὑμᾶς συνελθεῖν τῇ αὐτοῦ ἀθεμίτῳ καὶ παρανόμῳ μίξει, καὶ ταύτην δι' εὐλογίας κυρῶσαι. εἰ γὰρ δοθῇ, τοῖς θελήμασι συνεισάγεσθαι τοὺς θέλοντας, πάντως καὶ τοῖς θέλουσι τὰ θελήματα κατὰ τὴν εὔλογον ἀντιστροφὴν συνεισαχθήσεται. καὶ εὑρεθήσεται καθ' ὑμᾶς, τῆς ὑπερουσίου, καὶ ὑπεραγάθου, καὶ μακαρίας θεότητος, διὰ μὲν τὸ ἐν αὐτῆς θέλημα, μία καὶ ἡ ὑπόστασις, κατὰ Σαβέλλιον. διὰ δὲ τὰ τρία πρόσωπα, τρία καὶ τὰ θελήματα, καὶ διὰ τοῦτο τρεῖς φύσεις, κατὰ τὸν Ἄρειον· εἴπερ E κατὰ τοὺς πατρικοὺς ὅρους καὶ κανόνας, ἡ διαφορὰ τῶν θελημάτων καὶ φύσεων εἰσάγει διαφοράν. ΠΥΡ. Ἀδύνατόν ἐστιν, ἐν ἑνὶ προσώπῳ δύο ἀλλήλοις συνυπάρξαι θελήματα ἄνευ ἐναντιώσεως. ΜΑΞ. Εἰ ἄνευ ἐναντιώσεως δύο θελήματα ἐν ἑνὶ καὶ τῷ αὐτῷ προσώπῳ εἶναι οὐ δυνατὸν, ἄρα μετ' ἐναντιώσεως κατὰ σὲ δυνατόν. εἰ δὲ τοῦτο, τέως * τὰ δύο εἶναι ὁμολογήσας, καὶ πρὸς τὸν ἀριθμὸν οὐ διαφέρῃ, ἀλλ' ἢ μόνον πρὸς τὴν ἐναντιότητα. αὐτῶν λείπεται ζητεῖν τὴν ποιητικὴν τῆς μάχης αἰτίαν. ποίαν οὖν ταύτην * φὴς ἄρα; τὴν κατὰ φύσιν θέλησιν, ἢ τὴν ἁμαρτίαν; ἀλλ' εἰ μὲν τὴν κατὰ

* λογίου
* αὐτοῖς
* συναιρούμενον
* τὰ δύο διαφέρειν
* φὴς, ἔρα

volumus, & appetentes quærimus, & conſideramus, ac conſultamus, & judicamus, & afficimur, & eligimus, & aggredimur, & utimur. Cum igitur (ut diximus) natura nobis inſit ſecundum rationem appetere, id eſt, velle, & ratiocinari, conſultare, & quærere, ac conſiderare, velle, & judicare, ac affici, & co-eligere, aggredi, & uti: non ſunt igitur coacta, quæ natura inſunt intelligentibus. Quomodo etiam hoc conceſſo, non erit omni abſurdior hujuſmodi enunciatio? Etenim ſi vera eſt, & omne id quod naturale eſt, idem omnino coactum eſt. Deus autem eſt natura Deus, natura bonus, natura creator; neceſſario Deus erit Deus, & bonus, & creator. quod quidem cogitare, nedum efferre, extremæ blaſphemiæ eſt. Quis enim eſt qui neceſſitatem imponit? conſidera autem & ſic, ſi placet, amice, hujus enunciationis blaſphemiam. Si enim qui voluntatem naturalem in Chriſto dicit, omnem in eo voluntarium motum opinione tua tollit; neceſſe eſt, quæ quidem volunt naturaliter, motum habere non voluntarium; quæ vero naturaliter non volunt, voluntarium. Igitur non ſolum Deus, qui eſt ſuper omnia, ſed omnia quæ vim intelligendi & ratiocinandi habent, cum ſint naturali vi volendi prædita, contra voluntatem motum habebunt; inanimata autem, quæ non ſunt hujuſmodi vi volendi prædita, habebunt voluntarium. Accedit huc, quod beatus Cyrillus in tertio capite contra reprehenſiones Theodoreti liberavit nos negotio ſupervacaneo, qui clare pronuntiavit, nihil naturale eſſe in natura intelligente invitum; & perſpicere hoc poteſt, ſi quis hoc caput in manus ſumat. PYR. Quandoquidem oportet ea quæ inveſtigatione vera eſſe patuerunt, grato animo amplecti, valde diſtincte demonſtratum eſt, eſſe in Chriſto naturales voluntates: fieri autem poteſt, ut ſicut ex duabus naturis unum aliquid compoſitum dicimus, ſic ex duabus voluntatibus naturalibus unam aliquam compoſitam dicamus. Ut qui duas voluntates dicunt propter naturalem in Chriſto naturarum differentiam, & qui unam dicunt propter ſummam unionem, non amplius propter nudas, ſeu ſolas voces inter ſe pugnent: ſiquidem nobis non in nominibus, ait magnus in theologia Gregorius, ſed in rebus eſt veritas. MAX. Vides quemadmodum ex eo erratis, quod penitus ignoratis, compoſitiones eorum eſſe quæ ſunt in hypoſtaſi, non eorum quæ in alio ſpectantur? Atque hæc quidem eſt omnium tum philoſophorum gentilium, tum ſapientium doctorum eccleſiæ communis ſententia. Quod ſi voluntatum compoſitionem dicitis, cogemini etiam aliorum naturalium compoſitionem dicere, ſi modo vultis conſentanee de veſtro dogmate diſſerere: aliorum, inquam, id eſt, creati & non creati, infiniti & finiti, non definiti, & definiti, immortalis & mortalis, ejus quod corrumpi poteſt, & ejus quod corrumpi non poteſt: atque ita in abſurdas opiniones deferemini. Quomodo autem ex voluntatibus compoſitum voluntas appellatur? non enim quod compoſitum eſt, appellatione compoſitorum appellari poteſt: aut certe eo modo ex naturis quod conſtat, natura appellabitur ſecundum veteres hæreticos. Præterea voluntate a patre eum ſeparatis, cum compoſitam, & ſolam naturam voluntate

A φυσικὴν τὴν λογικὴν ὄρεξιν, ἤτοι τὴν θέλησιν κέκληται τῆς νοερᾶς ψυχῆς. καθ' ἣν θέλοντες λογιζόμεθα, καὶ * λογισάμενοι, θέλοντες * βουλόμεθα, καὶ θέλοντες ζητοῦμεν, σκεπτόμεθά τε, καὶ * βουλευόμεθα, καὶ κρίνομεν, καὶ διατιθέμεθα, καὶ προαιρούμεθα, καὶ ὁρμῶμεν, καὶ κεχρήμεθα. κατὰ φύσιν δὲ ἡμῖν, ὡς εἴρηται, πρόσεστι τὸ λογικῶς ὀρέγεσθαι, ἤγουν θέλειν, καὶ λογίζεσθαι, ζητεῖσθαί τε, καὶ ζητεῖν καὶ σκέπτεσθαι καὶ * βουλεύεσθαι, καὶ κρίνειν, καὶ διατίθεσθαι, καὶ αἱρεῖσθαι καὶ ὁρμᾶν, καὶ κεχρῆσθαι. οὐκ ἄρα ἠναγκασμένα τὰ τῶν νοερῶν φυσικά. πῶς δὲ καὶ τούτου δοθέντος οὐ πάσης ἀτοπίας ἀτοπωτέρα ἡ τοιαύτη δειχθήσεται πρότασις; B εἰ γὰρ κατ' αὐτὴν τὸ φυσικὸν πάντως καὶ ἠναγκασμένον, φύσει δὲ Θεὸς ὁ Θεός, φύσει ἀγαθός, φύσει δημιουργός, ἀνάγκη ἔσται ὁ Θεὸς Θεός, καὶ ἀγαθός, καὶ δημιουργός. ὅπερ καὶ ἐννοεῖν μή τι * λέγειν, ἐσχάτης ἐστὶ βλασφημίας. τίς γὰρ ὁ τὴν ἀνάγκην ἐπάγων; σκόπει δέ, εἰ δοκεῖ, ὦ φιλότης, καὶ οὕτω τῆς τοιαύτης προτάσεως τὸ βλάσφημον. εἰ γὰρ ὁ φυσικὰ ἐπὶ Χριστοῦ λέγων τὰ θελήματα, πᾶσαν κατά σε ἑκούσιον * ἐπ' αὐτοῦ ἀναιρεῖ κίνησιν, ἀνάγκη, τὰ μὲν φυσικῶς θέλοντα, ἀκούσιον ἔχειν κίνησιν· τὰ δὲ φυσικῶς μὴ θέλοντα, ἑκούσιον. οὐκοῦν οὐ μόνον Θεός, ὁ ὑπὲρ τὰ ὄντα, ἀλλὰ καὶ νοερὰ πάντα, καὶ λογικά, φύσει ὄντα θελητικά, C ἀκούσιον ἕξει κίνησιν. ἄψυχα δὲ οὐ θελητικά, ἑκούσιον ἕξει κίνησιν. πλὴν ὅτι ὁ μακάριος Κύριλλος ἐν τῷ ἕκτῳ κεφαλαίῳ πρὸς τὰς τοῦ Θεοδωρήτου μέμψεις ἀπήλλαξεν ἡμᾶς περιττῶν πραγμάτων, διαρρήδην ἀποφηνάμενος, μηδὲν φυσικὸν εἶναι ἐν τῇ νοερᾷ φύσει ἀκούσιον. καὶ τοῦτο ἔξεστι τῷ βουλομένῳ μαθεῖν, μετὰ χεῖρας λαβόντι τὸ τοιοῦτον κεφάλαιον. ΠΥΡ. Ἐπειδὴ χρὴ τὰ ἐκ τῆς ἐξετάσεως ἀναφαινόμενα ἀληθῆ εὐγνωμόνως ἀποδέχεσθαι, μετὰ πολλῆς * ἀκριβείας ἐδείχθη ὁ λόγος, φυσικὰ εἶναι τὰ ἐπὶ Χριστοῦ θελήματα. δυνατὸν δέ, ὥσπερ ἐκ τῶν δύο φύσεων ἕν τι σύνθετον λέγομεν, οὕτω καὶ ἐκ τῶν δύο φυσι- D κῶν θελημάτων ἕν τι σύνθετον λέγειν. ἵνα καὶ οἱ δύο λέγοντες θελήματα διὰ τὴν φυσικὴν τῶν ἐν Χριστῷ φύσεων διαφοράν, καὶ οἱ ἓν λέγοντες διὰ τὴν ἄκραν ἕνωσιν, μηκέτι ψιλῶν λέξεων ἕνεκεν πρὸς ἀλλήλους διαφέρωνται. εἴπερ οὐκ ἐν ὀνόμασιν ἡμῖν, * φησὶν ὁ μέγας ἐν * θεολογίᾳ Γρηγόριος, ἡ ἀλήθεια, ἀλλ' ἐν πράγμασι. ΜΑΞ. Ὁρᾷς, ὅτι ἐκ τούτου πλανᾶσθε, ἐκ τοῦ πάντῃ ἀγνοῆσαι, ὅτι αἱ συνθέσεις τῶν ἐν ὑποστάσει ὄντων, καὶ οὐ τῶν ἐν ἑτέρῳ * θεωρουμένων εἰσί. καὶ τοῦτο κοινὸν φρόνημα πάντων, καὶ τῶν ἔξω φιλοσόφων, καὶ τῶν τῆς ἐκκλησίας θεοσόφων μυσταγωγῶν. E εἰ δὲ τῶν θελημάτων σύνθεσιν λέγετε, καὶ τῶν ἄλλων φυσικῶν τὴν σύνθεσιν λέγειν ἐκβιασθήσεσθε, εἴπερ ἀσυνάρτητον τὸν τοῦ οἰκείου δόγματος λόγον δεῖξαι βούλεσθε· τουτέστι, τοῦ κτιστοῦ, καὶ τοῦ ἀκτίστου· τοῦ ἀπείρου, καὶ τοῦ πεπερασμένου· τοῦ ἀορίστου, καὶ τοῦ ὡρισμένου· τοῦ θνητοῦ, καὶ τοῦ ἀθανάτου· τοῦ φθαρτοῦ, καὶ τοῦ ἀφθάρτου· καὶ εἰς ἀτόπους ἐξενεχθήσεσθε ὑπολήψεις. πῶς δὲ τὸ ἐκ τῶν θελημάτων, θέλημα προσαγορευθήσεται; οὐ γὰρ δυνατόν, τὸ σύνθετον τῇ τῶν συντιθεμένων ὀνομάζεσθαι προσηγορίᾳ· ἢ ἔσται καὶ τὸ ἐκ τῶν δύο φύσεων, φύσις

ις κατὰ τοὺς πάλαι αἱρετικούς, προσαρμοσθέντι, προσετίθεσαν δὲ καὶ πάλιν τῷ θελήματι τοῦ πάθους χωρίζειν, συνθέτῳ θελήματι σύνθετον καὶ μόνην γνωριζομένης φύσεως. ΠΥΡ. Οὐδὲν οὖν, καθάπερ αἱ φύσεις, καὶ τὰ αὐτῶν φυσικὰ ἔχει κοινόν; ΜΑΞ. Οὐδέν, εἰ μὴ μόνην τὴν τῶν αὐτῶν φύσεων ὑπόστασιν. ὥσπερ γὰρ ἡ ὑπόστασις ἦν ὁ αὐτὸς ἀσύγχυτος τῶν αὐτοῦ φύσεων, οὕτω καὶ ἕνωσις ἦν ἀδιαίρετος τῶν αὐτοῦ φυσικῶν. ΠΥΡ. Τί οὖν οἱ πατέρες, ὧν οἱ λόγοι νόμος καὶ κανὼν ἐκκλησίας καθέστηκε, καὶ τὴν δόξαν, καὶ τὴν ὕβριν οὐκ εἶπον κοινήν; ἕτερον γάρ, φησίν, ἐστίν, ἐξ οὗ τὸ τῆς δόξης κοινὸν καθέστηκε, καὶ ἕτερον, ἐξ οὗ τὸ τῆς ὕβρεως. ΜΑΞ. Τὸ τῆς ἀντιδόσεως τρόπῳ τοῦτο τοῖς ἁγίοις εἴρηται πατράσι. πρόδηλον δέ, ὡς ἡ ἀντίδοσις ἑνὸς οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ δύο καὶ ἀνίσων, κατ' ἐπαλλαγὴν τὰ φυσικῶς ἑκατέρῳ μέρει τοῦ Χριστοῦ προσόντα, κατὰ τὴν ἄρρητον ἕνωσιν, θατέρῳ πεποιημένων, χωρὶς τῆς θατέρου μέρους πρὸς τὸ ἕτερον κατὰ τὸν φυσικὸν λόγον μεταβολῆς καὶ συμφύρσεως. εἰ οὖν τῷ τῆς ἀντιδόσεως τρόπῳ κοινὸν λέγεις τὸ θέλημα, ἓν σύ, ἀλλὰ δύο λέξεις τὰ θελήματα. καὶ περιέτρεψας τοῖς σοφοῖς εἰς ἐκεῖνο, ἐξ οὗ φυγεῖν ἐσπούδασας. ΠΥΡ. Τί οὖν, οὐ νεύματι τοῦ ἑνωθέντος αὐτῇ λόγου ἡ σὰρξ ἐκινεῖτο; ΜΑΞ. Διαιρεῖς τὸν Χριστόν, οὕτω λέγων, νεύματι γὰρ αὐτοῦ ἐκινοῦντο καὶ Μωσῆς καὶ Δαυΐδ, καὶ ὅσοι τῆς θείας ἐνεργείας χωρητικοὶ τῇ ἀποθέσει τῶν ἀνθρωπίνων καὶ σαρκικῶν ἰδιωμάτων γεγόνασιν. ἡμεῖς δὲ τοῖς ἁγίοις πατράσιν, ὡς ἐν ἅπασι, καὶ τούτῳ ἑπόμενοι, φαμέν, ὅτι ὥσπερ αὐτὸς ὁ τῶν ὅλων Θεός, ἀτρέπτως γενόμενος ἄνθρωπος, οὐ μόνον ὡς Θεός, ὁ αὐτὸς καταλλήλως τῇ αὐτοῦ θεότητι ἤθελεν, ἀλλὰ καὶ ὡς ἄνθρωπος, ὁ αὐτὸς καταλλήλως τῇ αὐτοῦ ἀνθρωπότητι. εἰ γὰρ ἐξ οὐκ ὄντων τὰ ὄντα γενόμενα, καὶ τοῦ ὄντος, οὐ τοῦ μὴ ὄντος, ἔχουσι τὴν δύναμιν. ταύτης δὲ κατὰ φύσιν ἴδιον ἡ πρὸς τὰ συστατικὰ ὁρμή, καὶ πρὸς τὰ φθαρτικὰ ἀφορμή· ἄρα καὶ ὁ ὑπερούσιος λόγος, ἀνθρωπικῶς οὐσιωθείς, εἶχε καὶ τοῦ ὄντος τῆς αὐτοῦ ἀνθρωπότητος τὴν ἀνθεκτικὴν δύναμιν· ἥτις τὴν ὁρμὴν καὶ ἀφορμήν, θέλων, δι' ἐνεργείας ἔδειξε. τὴν μὲν ὁρμὴν ἐν τῷ τοῖς φυσικοῖς καὶ ἀδιαβλήτοις τοσοῦτον χρήσασθαι, ὡς καὶ μὴ Θεὸν τοῖς ἀπίστοις νομίζεσθαι. τὴν δὲ ἀφορμήν, ἐν τῷ καιρῷ τοῦ πάθους ἑκουσίως τὴν πρὸς τὸν θάνατον συστολὴν ποιήσασθαι. τί οὖν τῶν ἀτόπων ἡ τοῦ Θεοῦ τετύχηκεν ἐκκλησία, μετὰ τῆς ἀνθρωπότητος αὐτοῦ καὶ κτιστῆς φύσεως, καὶ τοὺς δημιουργικοὺς αὐτῇ παρ' αὐτοῦ ἐντεθέντας ἐν αὐτῷ ἀνελλιπῶς ὁμολογοῦσα λόγους, ὧν καὶ ἄνευ εἶναι τὴν φύσιν ἀδύνατον; ΠΥΡ. Εἰ οὖν φυσικῶς ἡμῖν πρόσεστιν ἡ δειλία, τῶν διαβεβλημένων δὲ αὕτη· ἄρα καθ' ἡμᾶς φυσικῶς ἡμῖν ἔγκειται τὰ διαβεβλημένα, ἤγουν ἡ ἁμαρτία. ΜΑΞ. Πάλιν ἐκ τῆς ὁμωνυμίας ἑαυτόν, οὐ τὴν ἀλήθειαν, παραλογίζῃ· ἔστι γὰρ καὶ κατὰ φύσιν, καὶ παρὰ φύσιν δειλία. καὶ κατὰ φύσιν μὲν δειλία ἐστὶ δύναμις κατὰ συστολὴν τοῦ ὄντος ἀνθεκτική· παρὰ φύσιν δέ, παράλογος συστολή. τὴν οὖν παρὰ φύσιν ὁ Κύριος, ἅτε δὴ ἐκ προδοσίας οὖσαν λογισμῶν, ὅλως οὐ προσήκατο. τὴν δὲ κατὰ φύσιν, ὡς τῆς

compoſita ſignatis. PYRRH. [illegible] ejus habent commune, ſicut naturæ, ſic & quæ in eis natura inſunt? MAX. Nihil, niſi ſolam hypoſtaſim earumdem naturarum: ſicut enim idem erat hypoſtaſis non confuſa ſuarum naturarum, ſic etiam erat unio non diviſa eorum, quæ erant ipſi naturalia. PYR. Quid igitur patres, quorum ſermones lex & norma eccleſiæ ſunt, etiam gloriam & contumeliam non dixerunt communem? aliud enim, inquiunt, eſt illud ex quo exiſtit communitas gloriæ, & aliud ex quo communitas contumeliæ. MAXIM. Hoc ſancti patres dixerunt ſieri modo & ratione communicationis mutuæ. Liquet autem communicationem mutuam non eſſe unius, ſed duorum & inæqualium; cum ea quæ naturaliter inſunt utrique parti Chriſti, ſecundum unionem ineffabilem alterius viciſſim ſiunt, ſine alterius partis in alteram ſecundum rationem naturalem mutatione & confuſione. Quod ſi ratione ac modo communicationis mutuæ communem voluntatem dicis, non unam, ſed duas voluntates dices atque ita illuc ſapientia tua recidit, unde effugere & evadere ſtuduiſti. PYRRH. Quid igitur, nonne nutu verbi cum ipſo copulati caro movebatur? MAXIM. Dividis Chriſtum, cum ſic loqueris: nutu enim ejus movebantur Moyſes & David, & quicumque fuerunt apti & idonei ad capiendam divinam operationem, depoſitis humanis & carnalibus proprietatibus, nos vero qui ſanctos patres, ſicut in omnibus, ſic etiam in hoc ſequimur, dicimus, quod ipſe Deus univerſorum factus homo ſine mutatione, non ſolum idem, tamquam Deus, convenienter divinitati ſuæ voluit, ſed tamquam idem homo, ut humanitati ſuæ conveniebat, item voluit. Si enim quæ facta ſunt cum non eſſent, ejus quod eſt, & non ejus quod non eſt (tuendi) habent inſitam vim; hujus autem proprium eſt ſecundum naturam, ea proſequi quæ tuentur, & ab eis fugere, quæ ad interitum ejus ſpectant, igitur ſupereſſentialem verbum homo factum, habuit vim inſitam ad tuendum humanitatem, cujus conatum ad proſequendum & refugiendum volens oſtendebat per operationem: conatum quidem proſequendi oſtendebat in naturalibus & a reprehenſione alienis uſque eo utendis, ut infideles Deum eum eſſe non crederent; conatum vero fugæ oſtendit cum tempore paſſionis voluntarie ſe metu mortis contraxit. Quid igitur abſoni fecit eccleſia Dei, ſi cum humanitate ejus & natura creata, ea etiam quæ ab ipſo in creatione eidem humanitati indita ſunt, ſine quibus natura eſſe non poteſt, plene confitetur? PYR. Si naturaliter nobis ineſt timor, & hic eſt ex iis quæ reprehenduntur; igitur ut vos ſentitis, natura inſunt nobis, quæ reprehenſionem habent, id eſt, peccatum. MAX. Rurſus te ipſe, non veritatem ex homonymia, id eſt, multiplici voce, fallis. Eſt enim timor ex natura & præter naturam; ex natura quidem timor eſt vis ipſius naturæ ad tuendum ſe per contractionem: præter naturam vero timor eſt contractio præter rationem. Timorem igitur præter naturam dominus, utpote ex proditione cogitationum profectum, penitus non admiſit: timorem vero ex natura, utpote indicem facultatis inſitæ naturæ ad tuendum ſe, volens propter nos, tamquam bonus, ad

miſit

ὡς ἡμεῖς ἔχομεν μετὰ τὴν παράβασιν, ἀλλ' ὡς μὲν [illegible] ἀνθρώπινον, τὸ φυσικῶς χαρακτηρίζον τὴν αὐτοῦ ἀνθρωπότητα. καὶ τούτου ἀπόδειξις ἐναργὴς, τὸ καὶ μελῶν, καὶ σαρκὸς μνησθῆναι· ἅπερ καὶ ἐπὶ τῆς θεότητος αὐτοῦ ἐκεῖνα ληφθῆναι οὐ συγχωρεῖ. εἶτα καὶ προκαταλήψει ἀνθυποφορᾶς ποιούμενος, φησί· εἰ δέ τις, λέγοι· καὶ τίνος χάριν περὶ τῆς ἀνθρωπότητος τοῦ Χριστοῦ διαλαβόντες, περὶ τῆς θεότητος αὐτοῦ μνήμην οὐκ ἐποιήσασθε; φαμὲν ὅτι πρῶτον μὲν πρὸς τὴν ἐρώτησιν ἡ ἀπόκρισις γέγονε· ἔπειτα δὲ καὶ τῷ τῆς γραφῆς ἔθει, ὡς ἐν πᾶσι, καὶ ἐν τούτῳ ἑπόμενοι, ποτὲ μὲν ἀπὸ τῆς θεότητος αὐτοῦ διαλεγομένης, ὡς ὅταν λέγῃ ὁ ἀπόστολος· Χριστὸς Θεοῦ δύναμις, καὶ Θεοῦ σοφία· ποτὲ δὲ ἀπὸ τῆς ἀνθρωπότητος αὐτοῦ, καὶ μόνον. ὡς ὅταν ὁ αὐτὸς λέγῃ· τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστί. καὶ τὸ ἀσθενὲς τοῦ Θεοῦ ἰσχυρότερον τῶν ἀνθρώπων ἐστί. ΠΥΡΡ. Ἁπλοϊκώτερον ὁ πρὸ ἐμοῦ, τῇ λέξει προσεσχηκὼς, τοῦτο ἐδέξατο. ΜΑΞ. Ἀλήθειαν λέγω· οὐδὲν οὕτω * ἀπεδιέθηκέ με πρὸς τὸν πρὸ σοῦ, ὡς τὸ παλίμβολον αὐτοῦ. ἤγουν, τὸ ἄλλοτε εἰς ἄλλας αὐτὸν μεταπίπτειν ἐννοίας, καὶ ἐν μηδενὶ βεβαιοῦσθαι φρονήματι. ποτὲ μὲν γὰρ τοῖς τοῦτο τὸ ἓν θέλημα θεῖον προσαγορεύουσι * δεχόμενος, τὸ Θεὸν μόνον εἶναι τὸν σαρκωθέντα * εἰσῆγε· ποτὲ δὲ τοῖς βουλευτικὸν αὐτὸ λέγουσιν, ἄνθρωπον αὐτὸν εἶναι ψιλὸν εἰσῆγε, βουλευτικῶς καθ' ἡμᾶς * διατιθέμενον, καὶ μηδὲν διαφέροντα Πύρρου, καὶ Μαξίμου· ποτὲ δὲ ὑποστατικὸν αὐτὸ λέγων, τῇ διαφορᾷ τῶν ὑποστάσεων συνεισῆγε καὶ τὸ διάφορον τῶν θελημάτων ἐπὶ τῶν ὁμοουσίων· ποτὲ δὲ καὶ τοὺς ἐξουσιαστικὸν αὐτὸ λέγοντας ἀποδεχόμενος, σχετικὴν εἰσῆγε τὴν ἕνωσιν· ἐξουσία γὰρ καὶ αὐθεντία, καὶ τὰ τοιαῦτα, γνώμης πρόδηλος, ἀλλ' οὐ φύσεως ὑπάρχει κινήματα· ποτὲ δὲ τοὺς προαιρετικὸν, καὶ γνωμικὸν αὐτὸ λέγοντας προσλαμβανόμενος, καὶ κυρίους ἑαυτοῦ καθιστῶν, οὐ μόνον ψιλὸν ἄνθρωπον εἰσῆγε τὸν Κύριον, ἀλλὰ καὶ τρεπτὸν, καὶ ἁμαρτωλόν. ἥπερ ἡ γνώμη τῶν ἀντικειμένων ἐστὶ κριτικὴ, καὶ τῶν ἀγνοουμένων ζητητικὴ, καὶ τῶν ἀδήλων βουλευτική. ποτὲ δὲ τοὺς οἰκονομικὸν αὐτὸ λέγοντας, τὸ πρὸ τῆς οἰκονομίας ἀθέλητον αὐτὸν εἶναι, καὶ εἴ τι ἕτερον ἕπεται τῷ λόγῳ ἄτοπον, εἰσῆγε· καὶ εἰς ἄλλας μυρίας ἀτόπους ἐξωθεῖτο ὑπολήψεις, * τὴν ἀλήθειαν βάσιν οὐκ ἰσχηκώς. ἃς δὲ ἀκριβῶς εἰ βουληθείην γραφῇ παραδοῦναι μετὰ τῶν κατ' αὐτὰς ἀτόπων, οὐδὲ ὁ μέλλων ἀρκέσει χρόνος. τίς δὲ ἡ ἀνάγκη χάρτας προθεῖναι, καὶ σχίσαι τὴν ἁγίαν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν, οὐδὲ πᾶσι κοινότατον συνιδεῖν ἠδυνήθη. * ἢ γὰρ, ἵνα παραχωρήσωμεν ὑμῖν * τὰ τῶν συνόδων ἔχουσι δόγματα, ὡς ὑμεῖς οὐκ ἀληθεύοντες εἴπατε, καὶ οὐ δεόμεθα τῶν ὑμετέρων χαρτῶν, τούτους καὶ πρὶν, καὶ νῦν δεχόμενοι, καὶ περιπτυσσόμενοι· ἢ οὐ τὰ τῶν συνόδων ἔχουσι, καὶ πολλῷ πλέον τούτους ἀποστρέφεσθαι, καὶ φεύγειν δίκαιον. τῆς οὖν τῶν αὐτῶν χαρτῶν προθέσεως, * καθ' ἑκάτερον ἀδίκου καὶ παρανόμου οὔσης, καὶ ἡ αὐτῶν κατάλυσις * δι' ἑκάτερον δικαία, καὶ κανονικὴ καθέστηκε. ΠΥΡ. Σωφρόνιος, ὁ μικρὸν πρόσθεν πατριάρχης γενόμενος Ἱεροσολύμων, τοῦτο ἡμᾶς καὶ παρὰ πρόθεσιν πρᾶξαι πεποίηκε, τὸν περὶ ἐνεργειῶν λόγον οὐκ ἐν καθήκοντι καιρῷ κινήσας. ΜΑΞ. Ἐγὼ πάντοθεν ἀπορῶ, ποίαν ἐκδέχεσθε δοῦναι ἀπολογίαν, τὸν ἀναίτιον οὕτω παραλόγως αἰτιώμενοι. εἰπὲ γάρ μοι πρὸς τῆς ἀληθείας αὐτῆς· ὅτε Σέργιος ἔγραψε πρὸς τὸν τῆς Φαρὰν Θεόδωρον,

[illegible] *ejus ſignabat*. Hoc autem ita eſſe, argumentum evidens eſt, meminiſſe membrorum & carnis quæ quidem de divinitate illa accipi non permittunt. Deinde occurrit per anticipationem objectioni: *Si quis vero, inquit, dicat: quare de humanitate Chriſti agentes, de divinitate ejus non meminiſtis? reſpondemus: primum quidem, reſponſum fuiſſe ad quæſtionem; deinde, ut in omnibus, ſic etiam hic conſuetudinem ſcripturæ nos ſecutos fuiſſe, quæ aliquando ex divinitate ejus diſſerit, ut cum ait apoſtolus: Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia; aliquando ex humanitate, & ſolum, ut cum idem ait: Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*. PYR. Simplicius anteceſſor meus accepit hoc, in vocem intentus. MAX. Rem ipſam loquor; nihil me tam a tuo anteceſſore abalienavit, quam mutabilitas ejus & inconſtantia, id eſt, in alias alio tempore tranſire ſententias, & in nullo ſenſu permanere: aliquando enim eos, qui hanc unam voluntatem divinam appellabant, approbans, incarnatum introducebat tantum Deum eſſe; aliquando vero eis aſſentiens, qui dicebant eſſe conſultatricem voluntatem, hominem ſolum introducebat, more noſtro conſultantem, nihil a Pyrrho & Maximo differentem: quandoque vero vocans hanc voluntatem hypoſtaticam, cum differentia perſonarum ſimul inducebat differentiam voluntatum in perſonis (divinis) ejuſdem ſubſtantiæ: alias eos amplectens, qui eam voluntatem ſuæ poteſtatis dicebant, unionem introducebat ſecundum habitudinem: poteſtas enim & auctoritas & alia hujuſmodi, manifeſte, id eſt, ſententiæ, non naturæ, motus ſunt; aliquando, cum eos, qui voluntatem vocabant electricem & ſententialem, ſibi adjungebat, & dominos ſuos faciebat, non ſolum Chriſtum faciebat hominem merum, ſed mutabilem & peccatorem: ſiquidem ſententia oppoſitorum eſt dijudicatrix, & eorum quæ ignorantur indagatrix; & in iis quæ non ſunt manifeſta, conſultatrix: interdum eos ſequens, qui œconomicam voluntatem in Chriſto dicebant, faciebat eum ante œconomiam (id eſt, diſpenſationem) non habuiſſe voluntatem; & ſi quid aliud abſurdum ex hoc ſequitur: & in alias infinitas abſonas opiniones detruſus eſt, qui non eſt nixus in veritate, tamquam in fundamento, quas ſi mandare litteris vellem ſubtiliter, & diligenter, neque futurum tempus ſatis eſſet. Quid autem neceſſe fuerit proponere chartas, & eccleſiam Dei ſanctam ſcindere? neque quod omnibus eſt communiſſimum, aſſequi potuit: aut enim, ut vobis cedamus, habent iſtæ (chartæ) dogmata ſynodorum ut vos falſo dixiſtis, & ſic non opus eſt nobis veſtris chartis, qui ſynodos & ante & nunc accipimus, & amplectimur; aut non habent dogmata ſynodorum, & ſic multo magis eas averſari & fugere juſtum eſt. Propoſitio igitur earumdem chartarum cum ex utraque parte injuſta ſit, & ſcelerata, ipſarum chartarum conſciſſio propter utrunque juſta, & canonica fuit. PYRR. Sophronius, qui paulo ante fuit patriarcha Hieroſolymitanus, fecit, ut hoc vel præter propoſitum faceremus, cum tempore inopportuno ſermonem

ἀνθρώπου ἐνέργειαι, διὰ τὸ κατ' οὐσίαν διάφορον τῆς ψυχῆς αὐτοῦ καὶ τοῦ σώματος. εἰ δὲ τοῦτο, τρεῖς ἔσονται τοῦ Χριστοῦ ἐνέργειαι, καὶ οὐ δύο. ΜΑΞΙΜ. Ἅπερ ὑμεῖς εἰς ἀναίρεσιν τῶν φυσικῶν προτείνεσθε, ταῦτα καὶ κατὰ τῶν φύσεων οἱ πρὸς αὐτοὺς μαχόμενοι * προτείνουσι· ταύτῃ γὰρ ὑμῖν καὶ μόνον τὸ χρέος, τὸ ἐκείνοις ἐν πᾶσι συμπεριφέρεσθαι. ὅθεν καὶ ὑμῖν τοὺς παρὰ τῶν πατέρων ἐκείνοις ἐπενεχθέντας ἐλέγχους, καὶ ὑμῖν, ὡς τὰ αὐτὰ αὐτοῖς νοσοῦσι, προσάγομεν· ὅτι, εἰ διὰ τὸ διάφορον τῶν ἐν Χριστῷ φύσεων, δύο φύσεις καὶ αὐτοὶ μεθ' ἡμῶν λέγετε, καὶ οὐ διὰ τὸ μοναδικὸν τοῦ προσώπου μίαν, δύο εὑρεθήσονται οὕτω καὶ τοῦ ἀνθρώπου φύσεις, διὰ τὸ κατ' οὐσίαν διάφορον τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, καὶ τοῦ σώματος. καὶ εἰ τοῦτο, τρεῖς ἔσονται τοῦ Χριστοῦ, καὶ οὐ δύο. εἰ δὲ διὰ τὸ διάφορον τῶν φύσεων, δύο μεθ' ἡμῶν λέγοντες φύσεις, τρεῖς οὐ λέγετε ἐπὶ Χριστοῦ φύσεις, πῶς ἡμῖν διὰ τὸ διάφορον τῶν φύσεων δύο λέγουσιν ἐνεργείας αἱ τρεῖς συνεισαχθήσονται ἐνέργειαι; ἃ γὰρ ὑμεῖς μεθ' ἡμῶν πρὸς τοὺς ἐκεῖνα κατὰ φύσιν προτείνοντας λέγετε, ταῦτα καὶ ἡμῖν περὶ τῶν ἐνεργειῶν πρὸς ὑμᾶς ἀρκέσει. ἀλλ' οὕτω μὲν ὑμᾶς ἐκ τοῦ ἴσου ὁ λόγος ἀπεκρούσατο, δείξας τῆς ἀτοπίας τὸ παράλογον. ἐκ δὲ τοῦ ὑπερέχοντος φαμέν· ὅτι οὐ ταὐτόν τὸ κατ' εἶδος τοῦ ἀνθρώπου ἓν καὶ τὸ κατ' οὐσίαν ψυχῆς καὶ σώματος ἕν. τὸ μὲν γὰρ κατ' εἶδος τοῦ ἀνθρώπου ἕν, τὴν ἐν πᾶσι τοῖς ὑπὸ τὴν φύσιν ἀτόμοις ἀπαραλλαξίαν ἐνδείκνυται. ὅθεν οὐδὲ ἀπολελυμένως αὐτὸ φαμέν, ἀλλὰ προστάγοντες, τὸ ἀνθρώπου. τὸ δὲ κατ' οὐσίαν ψυχῆς καὶ σώματος ἕν, * αὐτὸ τὸ εἶναι αὐτῶν λυμαίνεται, ὡς [illegible] αὐτῶν καταλύει τὸ εἶδος. εἰ δὲ οὐ ταὐτὸν τὸ κατ' εἶδος τοῦ ἀνθρώπου ἓν, καὶ τὸ κατ' οὐσίαν ψυχῆς καὶ σώματος ἕν, οὐκ ἄρα ἀνάγκη ἡμῖν, τὴν κατ' εἶδος μίαν * λέγοντας ἐνέργειαν, ἢ ὑποστατικὴν ταύτην λέγειν, ἢ τρεῖς ἐνεργείας, διὰ τὸ πρὸς φύσιν ὁρᾶν τὴν ἐνέργειαν. ΠΥΡ. Ἀλλὰ ταῖς ἐνεργείαις τὰ πρόσωπα κατὰ Νεστόριον συνεισάγεται· καὶ ἀνάγκη, τοὺς δύο λέγοντας ἐνεργείας, τὰ ἐκείνου μιαρὰ ἐκδικεῖν δόγματα. ΜΑΞ. Καὶ μὴν Νεστόριος, δύο πρόσωπα λέγων, μίαν δογματίζει ἐνέργειαν, εἰ δὲ ταῖς ἐνεργείαις πρόσωπα καθ' ὑμᾶς συνεισάγεται, καὶ τοῖς προσώποις ἀκολούθως αἱ ἐνέργειαι συνεισαχθήσονται. καὶ ἀναδήσεσθε, τοῖς ἰδίοις ἑπόμενοι κανόσι, ἢ διὰ τὴν μίαν ἐνέργειαν τῆς ἁγίας Τριάδος, καὶ ἓν λέγειν αὐτῆς πρόσωπον, ἢ διὰ τὰς τρεῖς τὰς ὑποστάσεις, τρεῖς καὶ ἐνεργείας· ἢ σχετικήν, ὡς * Νεστόριος λέγει, ἕνωσιν. τούτοις γὰρ ἡ μία ἐνέργεια, * ἡ ἕνωσις, ὡς αὐτὸς Νεστόριος, καὶ οἱ τῆς αὐτοῦ συμμορίας ἐν τοῖς αὐτῶν ἐπιλέξαι γράμμασι. καὶ ἐφ' ὑμῶν δέ, ἐπειδὴ μία μὲν ἡ κατὰ τὸ εἶδος ἐνέργεια, πολλαὶ δὲ αἱ ὑποστάσεις, ἢ διὰ τὴν μίαν κατ' εἶδος ἐνέργειαν, καὶ ἓν τῶν κατ' εἶδος ἐνέργειαν, καὶ ἓν τῶν πάντων λέγειν πρόσωπον, ἢ διὰ τὰ πολλὰ πρόσωπα, πολλὰς καὶ ἐνεργείας· καὶ [illegible] τοὺς [illegible] ὅτι γε ὁ φερόμενος λόγος, τὰ τῆς εἰς ἓν οὔσης οὐσίας, καὶ τῆς αὐτῆς εἶναι ἐνεργείας. ὅτι * τὰ εἰ τῇ ἐνεργείᾳ * πρόσωπα συνεισάγεται κατ' αὐτούς, πολλὰς δὲ δεδείκνυται ἐνεργείας ἐξ ἴσου, καὶ τοῦ αὐτοῦ εἰσαρ-

personam, a patre & matre [illegible] eorum eſt Chriſtus. PYR. Si propter differentiam naturarum in Chriſto, duas dicitis operationes, & non propter unam perſonam unam operationem; duæ reperientur in homine operationes, propter differentiam ſubſtantiæ animæ & corporis ipſius, quod ſi hoc ita eſt, tres erunt operationes Chriſti, non duæ. MAX. Quæ vos ad tollenda ea, quæ ſunt naturalia, obiicitis, hæc ipſa contra naturas ii obiiciunt, qui contra eas pugnant: in eo enim vel ſolo belli eſtis, quod in omnibus cum illis circumverſamini. Unde, quibus argumentis illos ſancti patres redarguerunt; eiſdem vos, qui eodem morbo laboratis, ipſi redarguimus: quoniam ſi propter differentiam naturarum in Chriſto, duas naturas ipſi nobiſcum dicitis, & non propter unam perſonam unam naturam, ſic quidem duæ reperientur naturæ hominis, propter differentiam ſubſtantialem animæ ipſius & corporis, & hoc conceſſo, tres erunt naturæ Chriſti, non duæ. Sin vero propter differentiam naturarum, duas nobiſcum naturas conſitentes, non dicitis tres in Chriſto naturas, quomodo, quia nos propter differentiam naturarum duas operationes dicimus, tres operationes inferentur? Quæ enim vos nobiſcum adverſus illos, qui contra naturas diſputant, dicitis, hæc etiam nobis de operationibus adverſus vos ſufficient. Verum hic quidem a pari ratione repulſi eſtis, demonſtratumque eſt, quæſtionem veſtram [illegible] omni probabilitate: a majori vero dicimus, non eſſe idem ſecundum ſpeciem hominis unum, & ſecundum ſubſtantiam animæ & corporis unum. Unum enim ſecundum ſpeciem hominis, ſignificat nullam differentiam eſſe in omnibus individuis ejuſdem naturæ. Unde non hoc dicimus ſine adjunctione, ſed adjungentes, hominis, (cum dicimus unum ſecundum ſpeciem hominis.) unum vero ſecundum ſubſtantiam animæ & corporis ſignificat ipſam eſſentiam eorum, quæ eſſentia corrumpitur, cum deſinit eſſe homo. Quod ſi non eſt idem unum ſecundum ſpeciem hominis, & unum ſecundum eſſentiam animæ & corporis, non igitur neceſſe eſt nobis, cum dicimus unam operationem ſecundum ſpeciem, vel hanc operationem perſonalem dicere, vel tres operationes, quia operatio ſpectat ad naturam. PYR. At cum operationibus, ut ſentit Neſtorius, inferuntur perſonæ; & neceſſe eſt eos, qui duas dicunt operationes, illius impura dogmata defendere. MAX. Atqui Neſtorius, duas perſonas cum dicit, unam operationem tradit. Si autem, ut veſtra eſt opinio, cum operationibus inferuntur perſonæ; etiam cum perſonis ut conſequens eſt, inferentur operationes, & coacti eritis veſtras regulas ſecuti, aut propter unam operationem ſanctæ deitatis, unam ejus perſonam dicere, vel propter tres ejus perſonas, tres quoque operationes, vel dicere, ſicut Neſtorius, unionem eſſe ex habitudine. Huius enim eſt una operatio unio, ut ipſe Neſtorius, & qui ſunt ſocietatis ejus, in literis ſuis docuerunt, & in nobis, [illegible] una eſt operatio ſecundum ſpeciem, [illegible] autem perſonæ, neceſſe erit, vel propter unam ſecundum ſpeciem operationem, etiam unam omnium perſonam dicere, vel propter multas perſonas, multas quoque operationes,

cientes ad opus, unam operationem, a vobis inſtar hircocervi fictam, docuiſtis, ſed ad rationem naturalem ſubſtantiarum unitarum. finem certam facit, quod capita a Cyro tradita benevole & libentiſſime a vobis ſuſcepta ſunt; in quibus unam (operationem) cum traderet, eadem operatione dixit operatum eſſe divina & humana; non ſolum cum ſcriptura & ſanctis patribus pugnans, ſed cum natura ipſa eorum, quæ facta ſunt; nulla enim res, dum in naturalibus ſuis manet, apta nata eſt contraria facere: non enim ignis calefacit & refrigerat; neque gelu refrigerat & calefacit; neque ſiccat terra & humectat; neque humectat aqua & ſiccat. Si igitur in nulla re hoc cernitur, quomodo non B horruiſtis dicere, verbum incarnatum, & ſecundum ſubſtantiam factum hominem, miracula, & paſſiones, quæ ratione naturæ inter ſe differunt, una operatione conſummaſſe? PYRRH. Quid igitur Cyrillus eccleſiæ lumen contraria piæ ſententiæ, quæ nunc ex quæſtione demonſtrata eſt, docuit, cum dixit, Chriſtum ſcilicet, unam cognatam operationem per ambas oſtendiſſe? MAX. Non pugnat ullo modo hæc auctoritas cum duabus operationibus, ſed contra potius eas defendit: non enim dixit unam naturalem operationem divinitatis Chriſti & humanitatis ejus; alioqui non dixiſſet alibi: Auctoris & operis eamdem eſſe operationem, nunquam C aliquis ſanæ mentis conceſſerit, ſed potius (illud dixit) cum vellet demonſtrare, unam eſſe divinitatis ſine carne, & cum carne operationem, ſicut ſi quiſpiam, unam eſſe ignis operationem cum materia, & ſine materia oſtendere volens, diceret ignem cum materia, & ſine materia urere. Sic pater Cyrillus non dixit unam operationem duarum naturarum, ſed unam operationem dixit divinam & paternam, quæ eſſentialiter in Verbo Deo incarnato inerat; qua non ſolum juſſu ſuo, omnium rerum effectore, miracula incorporaliter faciebat, ſicut ipſe ait: ſiquidem etiam poſt incarnationem habebat eamdem operationem communem cum patre D incorporee operante: ſed tactu etiam propriæ carnis hæc ipſa miracula corporaliter oſtendebat. Hoc enim ſignificat quod ait, Per ambas; aut vita reddita puellæ per verbum, & juſſum omnia operantem, vel aſpectus cæco reſtitutus, vel mundatio leproſi, vel benedictio panum, cognationem haberet ſecundum naturam cum operatione per tactum corporee conſummata, ut demonſtraret carnem quoque eſſe vivificam, quia ejus propria erat, & non alterius propter ſummam cum ea unionem: per utraque enim hæc; per juſſum inquam, & tactum, divina operatio in ipſis rebus apparebat nequaquam naturalem operationem carnis naturæ noſtræ E humanæ, & patientem lædens, ſed contra potius eam conſervans ad propriam manifeſtationem: ſicut & anima tamquam per inſtrumentum proprii corporis & per naturalem operationem ejus, ea quæ ſibi propria ſunt, & ſuam operationem naturalem profert: extenſio enim manus, & tactus, & comprehenſio, & mixtio luti manu facta, ac fractio panis, & denique id omne, quod manu vel alio membro, vel parte corporis fiebat, naturalis operationis humanitatis Chriſti erat, qua tamquam homo ipſe natura

A λόγον· καὶ τοῦτο πίστις ἀψευδὴς τὰ παρὰ Κύρου μὲν δογματισθέντα κεφάλαια, ὑφ' ὑμῶν δὲ ἀσμένως, καὶ λίαν ἀσπασίως δεχθέντα. ἐν οἷς καὶ μίαν δογματίσας, τῇ αὐτῇ ἔφη ἐνεργοῦσαι τά τε θεῖα, καὶ τὰ ἀνθρώπινα, οὐ μόνον τῇ ἁγίᾳ γραφῇ, καὶ τοῖς ἁγίοις πατράσι μαχόμενος, ἀλλὰ καὶ αὐτῇ τῇ τῶν γεγονότων φύσει· οὐδὲν γὰρ τῶν ὄντων ἐν τοῖς κατὰ φύσιν μένον, τὰ ἐναντία ποιεῖν πέφυκεν. οὐ γὰρ θερμαίνει τὸ πῦρ, καὶ ψύχει. οὔτε ψύχει ὁ κρύσταλλος, καὶ θερμαίνει. οὔτε ξηραίνει ἡ γῆ, καὶ ὑγραίνει. οὔτε ὑγραίνει τὸ ὕδωρ, καὶ ξηραίνει. εἰ οὖν ἐπ' οὐδενὸς τῶν πάντων τοῦτο θεωρεῖται, πῶς τὸν σαρκωθέντα λόγον, καὶ οὐσιωδῶς γενόμενον ἄνθρωπον, B μιᾷ ἐνεργείᾳ τά τε θαύματα, καὶ τὰ πάθη, λόγῳ φύσεως ἀλλήλων διαφέροντα ἐπιτελέσαι λέγοντες οὐ δεδοίκατε; ΠΥΡ. Τί οὖν ἐναντία τῆς νῦν ἐκ τῆς ζητήσεως ἀναφανείσης εὐσεβοῦς ἐννοίας ὁ τῆς * ἐκκλησίας φωστὴρ Κύριλλος ἐδογμάτισε, μίαν συγγενῆ δι' ἀμφοῖν ἐπιδεδειγμένην ἐνέργειαν, τὸν Χριστὸν δηλαδή, φήσας; ΜΑΞ. Οὐ μάχεται ὅλως ἡ παροῦσα χρῆσις ταῖς δύο ἐνεργείαις· τοὐναντίον δὲ καὶ συνίστησιν· οὐ γὰρ μίαν φυσικὴν ἐνέργειαν τῆς θεότητος τοῦ Χριστοῦ ἔφη, καὶ τῆς αὐτοῦ ἀνθρωπότητος· ἐπεὶ οὐκ ἂν ἀλλαχοῦ ἔλεγεν· ὅτι ποιητοῦ καὶ ποιήματος μίαν ἐνέργειαν οὐκ ἄν τις δοίη σωφρονῶν· ἀλλὰ δεῖξαι βουλόμενος μίαν τῆς C θεότητος οὖσαν τὴν ἐνέργειαν καὶ ἄνευ σαρκός, καὶ μετὰ σαρκός· ὡς εἴ τις μίαν τοῦ πυρὸς ἐνέργειαν καὶ μετὰ ὕλης, καὶ ἄνευ τῆς ὕλης, δεῖξαι θέλων, φήσειεν· ὅτι τὸ πῦρ καὶ ἄνευ ὕλης, καὶ μετὰ ὕλης καίει· οὕτω καὶ ὁ πατὴρ οὐ μίαν τὴν τῶν δύο φύσεων εἶπεν ἐνέργειαν, ἀλλὰ μίαν τὴν ἐνέργειαν εἶπε τὴν θεϊκὴν καὶ τὴν πατρικήν, οὐσιωδῶς ἐνυπάρχουσαν τῷ σαρκωθέντι θεῷ λόγῳ· καθ' ἣν οὐ παντουργῷ * μόνον προστάγματι τὰς θεοσημείας ἀσωμάτως * ἐτέλει· καθὼς αὐτὸς φησίν· εἴπερ καὶ μετὰ σάρκωσιν ὁμοεργὸς ἦν τῷ οἰκείῳ γεννήτορι ἀσωμάτως ἐνεργοῦντι, ἀλλὰ καὶ τῇ τῆς οἰκείας σαρκὸς ἁφῇ ταύτας ἐδείκνυ σωματικῶς· τοῦτο γὰρ * αὐτὸ βούλεται D τό, δι' ἀμφοῖν· ὡς συγγενῶς ἔχειν κατὰ τὴν φύσιν διὰ λόγου, καὶ παντουργοῦ προστάγματος γινομένην τὴν ζώωσιν τῆς παιδός, ἢ τὴν ἀνάβλεψιν τοῦ τυφλοῦ, ἢ τὴν εὐλογίαν τῶν ἄρτων, ἢ τὴν κάθαρσιν τοῦ λεπροῦ, πρὸς τὴν διὰ τῆς ἁφῆς σωματικῶς πληρουμένην· ἵνα ἀποδείξῃ καὶ τὴν σάρκα ζωοποιόν, ὡς αὐτοῦ κυρίως, καὶ οὐκ ἄλλου ὑπάρχουσαν, τῇ πρὸς αὐτὸν ἀκραιφνεῖ ἑνώσει· δι' ἀμφοτέρων γὰρ τούτων, προστάγματος φημί, καὶ ἁφῆς, ἡ θεία ἐνέργεια δι' αὐτῶν ἐγνωρίζετο τῶν πραγμάτων, μηδόλως τὴν καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπίνην, καὶ πάσχουσαν, φυσικὴν τῆς σαρκὸς ἐνέργειαν παραβλάπτουσα· τοὐναντίον δὲ συντηροῦσα αὐτὴν εἰς οἰκείαν ἔκφανσιν. E ὥσπερ ἂν καὶ ψυχή, ὡς δι' ὀργάνου τοῦ οἰκείου σώματος, καὶ τῆς αὐτοῦ φυσικῆς ἐνεργείας τὰ οἰκεῖα, καὶ τὴν ἑαυτῆς προφέρει κατὰ φύσιν ἐνέργειαν. ἥ τε γὰρ ἔκτασις τῆς χειρός, καὶ ἡ ἀφή, καὶ ἡ κράτησις, καὶ ἡ κατ' αὐτὴν τοῦ πηλοῦ μίξις, καὶ ἡ τοῦ ἄρτου κλάσις, καὶ ἁπλῶς, πᾶν, ὃ διὰ τῆς χειρός, ἢ ἑτέρου μέλους, ἢ μέρους τοῦ σώματος ἐτελεῖτο, τῆς φυσικῆς ἐνεργείας τῆς ἀνθρωπότητος τοῦ Χριστοῦ ὑπῆρχε· καθ' ἣν, ὡς ἄνθρωπος ἐνεργὴς ἦν αὐτός, ὁ φύσει θεός, καὶ τὰ θεῖα φυσικῶς ἐνεργῶν· ὡς ἂν δι' ἑκατέρων, ἑκάτερα κατὰ φύσιν πιστώσηται, Θεὸς

* ἀσεβείας

* μόνον τινί

* αὐτῷ

epiſtola, neque vicarii ab aliis patriarchis miſſi ſunt. Quis igitur particeps rationis ſynodum ſuſtineat appellare, quæ ſcandalis & diſcordia cunctum orbem implevit? PYR. Si non eſt alius modus præter hunc, pluris faciens ſalutem meam quam cetera omnia, præſto ſum ad faciendum hoc cum omni ſatisfactione: hoc ſolum rogo, ut dignus habear in primis templorum apoſtolorum, ac potius ipſorum principum apoſtolorum adoratione, deinde, ut videam faciem ſanctiſſimi papæ; eique tradam libellum eorum quæ abſurde facta ſunt. Maximus & Gregorius patricius dixerunt: Quandoquidem tua propoſitio bona eſt, & eccleſiæ utilis, ſic fiat.

A λοιπὸν δὲ ἐν τῆς κατὰ πρόσωπον τοῦ ἁγιωτάτου πάπα θέας, καὶ αὐτῷ ἐπιδοῦναι τῶν ἀτόπως γεγενημένων λίβελλον. Μάξιμος καὶ Γρηγόριος ὁ πατρίκιος εἶπον· ἐπειδὴ ἡ πρότασίς σου ἀγαθὴ τυγχάνει, καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ συμβαλλομένη, οὕτω γινέσθω.

Maximus & Gregorius patricius.

In hac ergo celeberrima urbe Roma cum adeſſet nobiſcum, promiſſum præſtitit, damnavitque dogmata impiæ expoſitionis; ſeque per rectam profeſſionem cum ſancta catholica & apoſtolica eccleſia conjunxit, gratia & cooperatione magni Dei, & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

B Ἐν ταύτῃ οὖν τῇ μεγαλωνύμῳ σὺν ἡμῖν γενόμενος Ῥωμαίων πόλει, τὴν ὑπόσχεσιν ἐπλήρωσε, κατακρίνας μὲν τὰ τῆς ἀσεβοῦς ἐκθέσεως δόγματα, ἑνώσας δὲ ἑαυτὸν διὰ τῆς ὀρθοδόξου ὁμολογίας τῇ ἁγίᾳ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ, χάριτι καὶ συνεργίᾳ τοῦ μεγάλου Θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

## NOTÆ SEVERINI BINII.

Diſputatio Maximi hæc germana eſt.

a *Diſputatio.*) Hanc diſputationem a Franciſco Turriano ex Græco Latine tranſlatam ex bibliotheca Vaticana primus emiſit Baronius. Germanam eſſe illam eamdem quæ in Africa cum Pyrrho inſtituta fuit, teſtimonium Anaſtaſii, Theophanis, actorum ſynodalium concilii Lateranenſis, & epiſtolæ 16. ſancti Martini, probarum eſt ſupra in notis ad vitam Theodori, verbis: *Ipſis temporibus venit, &c.* Qua occaſione, quove effectu celebrata fuerit, ibidem dixi. Græce cum variis lectionibus excuſam invenies apud Baronii annales in fine tomi octavi.

C

Maximus quis.

b *Maximi.*) Maximus patria Conſtantinopolitanus antiqua nobilitate clarus, literis philoſophicis atque theologicis egregie excultus, invitus ab Heraclio imperatore in palatium tractus eſt, ut regis commentariis conſcribendis operam daret, aliaque juſſa principis magni momenti capeſſeret. In hac functione magna virtutis exercitio perſtitit, donec Monothelitarum hæreſis in regiam aulam ſurreperet. Tunc ſaluti ſuæ metuens ac conſulens palatium deſeruit, atque monaſterium ingreſſus eſt, quod in ulteriore litore ſitum, Chryſopolis nomine eſt nuncupatum. Ubi cum aliquandiu monaſticam vitam exercuiſſet, ejuſdem præfecturam invitus ſuſcepit. Invaleſcentem Monothelitarum hæreſim fugiturus, per Africam proficiſcitur Romam, ibique fecit concilia congregari, quibus hæreſis illa condemnaretur. Dum in Africa hæreret, occaſione qua ſupra dixi, contigit Pyrrhum Conſtantinopolitanum antiſtitem illuc deferri, atque hanc illuſtrem diſputationem auctoritate epiſcoporum Africanorum, & Gregorii patricii, qui provinciis Africæ præſidebat, cum eodem iniſtui, qua Honorium papam a calumnia ipſumque Pyrrhum ab hæreſi Monothelitarum liberavit. His rebus pro fide catholica præclare ab ipſo geſtis, Conſtans imperator exaſperatus, venerandum ſenem prope octogenarium, Roma Conſtantinopolim abduci, deductum in judicium, calumniis exagitatum, modiſque indignis tractatum, & conſtantem in fidei catholicæ profeſſione, una cum Maximo apocriſario & Anaſtaſio diſcipulo, in Thraciam quæ eſt in extremis imperii Romani oris, eumdem anno Chriſti 650. ablegavit. Poſt ſex annos exilii, miſſo ad eum Theodoro epiſcopo Cæſarienſe cum duobus patriciis, tentavit eum imperator in errorem Monothelitarum pertrahere, verum, cum ille miſſos ad ſe Monothelitas ad fidem catholicam ſuſcipiendam induxiſſet, adeoque imperator ſpe ſua fruſtratus eſſet, mandavit eum ab exilio Conſtantinopolim reduci: cumque ibidem illum jam ſolito conſtantiorem eſſe reperiſſet, ſeptuagenario majorem prius virgis cæſum poſtea cum diſcipulo ejus Anaſtaſio lingua ſimul ac dextra mutilavit: qui ambo dum præciſa lingua, quod memorabile eſt, adhuc loquerentur, relegati fuerunt in diverſa exilia, in quibus fidei confeſſionis ac martyrii gloria condecorati, uterque ad cælum migravit. Ad Maximi gloriam accedit, quod ejus nobiliſſimi ingenii lucubrationes magna ex parte Deo protegente adverſariis quantumvis repugnantibus ſervatæ ſunt: quarum indicem ex codicibus Vaticanis & ex Photio habes in annalibus Baronii anno 657. & in apparatu ſacro Poſſevini, verbo *Maximus.*

Maximus relegatur.

Maximus lingua præciſa loquitur.

D

c *Pyrrho.*) De Pyrrho vide quæ dixi ſupra in notis ad vitam Joannis & Theodoſii papæ.

ANNO CHRISTI 645.

# CONCILIUM AURELIANENSE,

## IN QUO HÆRETICUS MONOTHELITA GRÆCUS

### A Salvio epiſcopo palam ſuperatus, & Gallia pulſus eſt anno Chriſti DCXLV.

### (1) Theodori papæ III. Clodovei junioris regis 11.

SYnodi hujus auctor eſt ſanctus Audoenus in vita ſancti Eligii lib. 1. cap. XXXIV. ſed cum de anno nihil prodat, incertum reliquit. Nos, quia & Clodovei tempore, & ante Eligii epiſcopatum habitam ſignificat, in eum annum conjecimus, qui inter utriuſque exordium medius intercesſit. Audoeni autem narratio ſic habet: Per idem fere tempus, quo apud urbem Romam hæc geſta ſunt, quidam hæreticus pulſus a partibus tranſmarinis in Gallias venit, moxque ſe conferens ad civitatem, quæ olim Ædua, nunc autem Auguſtodunum vocatur, cœpit tam caute, quam fraudulenter ſua nefanda dogmata prodere. Quod cum in palatio ad aures Eligii perveniſſet, cœpit vigilanter, uti ſemper in ejuſmodi rebus ſollicitus erat, cum Audoeno & ceteris catholicis viris tractare, quemadmodum hanc peſtem palam omnibus manifeſtam detegerent. Nec deſtitit epiſcopos commonere, & optimates, quouſque juſſu principis ſacerdotale concilium apud urbem Aurelianenſem congregaretur. Ubi eo, quem diximus, hæretico in me-

E

(1) Ad an. 634. hoc concilium refert Harduinus in Indice Concil. Tomi III. revera ante annum 640. celebratum fuiſſe dicendum eſt, cum eo tantum anno S. Eligius, & Audoenus conſecrati fuerint Epiſcopi, ut ex Cointio docet Pagius ad an. 640. n. 13. 14.

medium deducta, conabantur eum docti quique A diverſis modis interpellare, ſed nullo poterant genere concludere. Tanta quippe dicendi arte objectis quæſtionibus occurrebat, ut ubi maxime putaretur conſtrictus teneri, ibi ceu anguis lubricus quibuſdam foraminibus dilapſus, eorum ſe fronti opponeret. Cumque nullo genere a quoquam poſſet concludi, aut ſuperari, extitit quidam e noſtris pro Dei providentia doctiſſimus epiſcopus, nomine Salvius, qui ita ei in omnibus obviavit, ut ingens ea cauſſa noſtris fieret gaudium & expectatio. Omnes enim ejus verſutias & artes, quas ille nunc occulere, nunc etiam diſſimulare conabatur, frequenti diſputatione palam funditus detexit. Sicque adverſus eum omnium epiſcoporum ſen- B tentia prolata & per ſingulas civitates ſuper ejus nomine decretis conſtitutis, cum ea qua par erat ignominia & dedecore, e finibus Galliæ eliminatus eſt. *Monothelitam ſecta, & Græcum fuiſſe hæreticum Audoenus ſatis indicat, & aperte docet auctor vitæ ipſius Audoeni.*

NOTA SEVERINI BINII.

a *Concilium.*) Refert Audoenus in vita ſancti Eligii cap. 34. apud Surium 1. Decembris, quod hæreticus quidam hoc tempore a partibus tranſmarinis in Gallias profectus, Auguſtodunum venerit, ibique virus ſuum ſpargere cœperit: quodque ea occaſione Aurelianenſe hoc concilium celebratum fuerit, in quo homo nequiſſimus a Salvio epiſcopo confutatus, damnatus & ejectus eſt. Hæc ex Audoeni prædicti hiſt. Baronius anno 630. n. 13. &c.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE S. J.

Huc uſque in excudenda noſtra conciliorum omnium hiſtorica ſynopſi proceſſerat typographicum prælum anno currente 1660. cum in manus meas venit epitome conciliorum Simonis Starovolſcii primicerii Tarnovienſis Poloni, Romæ edita anno 1653. quam ut verum fatear, iiſdem ac præcedentes omnes Coriolani, Bailii, Riveti, aliiſque ex Binianis fontibus derivatas collectiones mendis hiſtoricis ac parachroniſmis infectam reperi: ac ne longius abeam nec cætera retractare cogar, quibus ingens volumen non ſufficeret, quis ferat *Aurelianenſe ſub Martino papa ann. domini 650. collocari, in quo hæreticus quidam tranſmarinus in Gallias veniens & Auguſtodunum virus ſuum ſpargens a Salvio* (ſic enim ſcribit) *ep. confutatus eſt*: cum chronologica demonſtratione, ſi qua uſpiam eſt, evidentiſſime conſtet ſanctum Eligium anno Chriſti 646. Noviomenſem fuiſſe creatum epiſcopum una cum S. Audoeno Rotomagenſi archiepiſcopo, illius vitæ lucubratiſſimo poſtea ſcriptore.

## AD CONCILIUM AURELIANENSE

### *ADNOTATIO CHRONOLOGICA.*

Ex ſuppl. Manſi p. 477. Concilium iſtud ante aſſumptionem SS. Eligii & Audoeni ad epiſcopatus Noviomenſem & Rotomagenſem, collocandum eſſe Labbeus ex Audoeno authore Vitæ S. Eligii recte deduxit. Cum vero ex fide actorum ejuſdem S. Eligii, ſicut & actorum S. Audoeni conſtet, utrumque ſanctum virum ſummo ſacerdotio, regis Clotarii II. anno III. initiatos fuiſſe, conſtiteritque pariter ex Pagio Clotarium hunc anno 639. cœpiſſe; hinc inferas licet ſynodum Aurelianenſem non quidem anno 645. ut Labbeus conſtituit, conſignandam, ſed & annum 642. forte præceſſiſſe.

## SYNODUS NISIBENSIS NESTORIANORUM

*Pro canonibus quibuſdam forte diſciplinæ condendis*

A Guria ejus forte urbis epiſcopo

*Anno circiter 645. habita.*

Ibid. Synodi hujus nuda ſupereſt mentio ex catalogo epiſtolarum Jeſujabi Adjabenorum metropolitæ apud Aſſemanum Biblioth. Oriental. tom. III. pag. 142. Inter cæteras enim recenſet epiſtolam ejus ad Guriam (forte Niſibenſem epiſcopum) qua queritur de literis ad ſe miſſis abſque nomine & ſubſcriptione, tum & quod Niſibi ſynodum habuerit canoneſque pro libito condiderit.

ANNO CHRISTI 646. | ANNO CHRISTI 646.

## CONCILIUM NUMIDIÆ IN AFRICA.

Indictione quarta, ſub præſidio Columbi metropolitani, contra Monothelitharum hæreſim Conſtantinopoli publice promulgatam, tempore Theodori papæ celebratum.

CON-

ANNO CHRISTI 646.

# CONCILIUM MAURITANIÆ

## SUB PRÆSIDIO REPARATI EPISCOPI

Primæ ſedis Mauritaniæ eodem tempore eademque de cauſſa celebratum omiſit Severinus Binius, cujus, non ſecus ac præcedentis, necnon ſequentis ( ſi tamen tria vere fuerunt concilia diſtinctis tribus in locis celebrata, qua de re plura in notis dicentur ) epiſtola apparet actione 2. ſeu ſecretario concilii Lateranenſis inferius referendi.

# CONCILIUM BYZACENUM

## EPISCOPORUM XLII. SUB PRÆSIDIO

Stephani primatis eodem tempore, eademque de cauſſa celebratum.

*Epiſtola ſynodalis hujus & præcedentium duorum ad Conſtantem imperatorem.*

OMnipotens Deus &c. *Extat græce nunc primum & latine excuſa ex M. S. C. S. R. E. Card. Franciſci Barberini infra in concilio Lateranenſi ſub Martino, ſecretario 2.*

# CONCILIUM CARTHAGINENSE

## EPISCOPORUM LXVIII.

Prædicto tempore ob cauſſam prædictam celebratum in provincia proconſulari a Guloſo, Probo, aliiſque.

*Epiſtola ſynodalis ad Paulum Conſtantinopolitanum.*

CApus & fundamentum, &c. *Extat græce nunc primum ex MS. Barberino & latine excuſa infra in concilio Lateranenſi, ſecretario 2.*

A

*Epiſtola ſynodalis trium præcedentium conciliorum ad Theodorum papam.*

MAgnum & indeficientem omnibus Chriſtianis fluenta redundantem, &c. *Extat nunc quoque primum græce ac latine edita in concilio Lateranenſi ſub Martino, ſecretario 2.*

# CONCILIUM TOLETANUM VII. (1)

Anno (2) V. regis Chindaſvindi (3) Æra DCLXXXIV. tempore Theodori papæ celebratum. (a)

*[illegible] nationale.*

## TITULI CAPITULORUM.

I. *De refugis atque perfidis clericis ſive laicis.*
II. *De languoris eventu miniſtrantium clericorum.*
III. *De exequiis morientis epiſcopi.*
IV. *De exactione eccleſiarum Galliciæ provinciæ.*
V. *De reclusis honeſtis, ſive vagis.*
VI. *De [illegible] in urbe regia commorandis.*

## PRÆFATIO.

CUm in ſanctæ nomine Trinitatis, pro quibuſdam diſciplinis eccleſiaſticis, tam no-

B ſtra devotione, quam ſtudio ſereniſſimi & amatoris Chriſti Chindaſvindi regis noſtri apud Toletanam urbem conventus adeſſet, competenter viſum eſt, mutua collatione decernere, quod ſolicite conſervatum, & præſentibus & futuris commodis nimium ( ut confidimus ) prodeſſe conſtabit. Magiſque ſemper eſt magnopere providendum, quidquid vel eccleſiaſticis moribus, vel utilitati publicæ (ſine qua quieti non vivimus ) opportunum eſſe perpenditur. Nam licet tantæ conſtitutiones canonum extent, quæ ad omnem poſſent correctionem ſufficere, ſi quis eas dignetur libenter attende-

C re; tamen quia luminis claritas tanto amplius emi-

Concilii nunc primum cum MS. Cod. Bibliot. Vallicell. Romæ ſignato D. 8. ex quo variantes damus. Mar.

(1) In perantiqua Collectione Canonum MS. Bibl. Collegii Pariſ. Soc. Ieſu obſervavi [illegible] illud Concilium [illegible] & a Roſe [illegible] Hard. (2) Iſidorus, VI. Hard. (3) [illegible] æra 685 [illegible] Roder. [illegible] 10. 680 Hard. Card. de Aguirre legit XI. Kal. Novemb. [illegible] Vallicel. [illegible] in Toletana urbe XXX. epiſcoporum, [illegible] Anno [illegible] de [illegible] XI. Kal. Novemb. æra DCXCIV. (ſic)

eruerat, quanto fuerit ſtudioſius impliſſime contrectata, non parum proficit ad emendationem multorum, ſi dum ea quæ conſtituta ſunt, per fraternam collationem, ad memoriam reducantur, & illa magis adjiciantur, quæ aut deeſſe videntur, aut omnino conſtituenda competenter exiſtimantur. Quis enim neſciat quanta ſint haſtenus per tyrannos & refugas, transferendo ſe in extraneas partes, illicite perpetrata, & quam nefanda eorum ſuperbia jugiter frequentata, quæ & patriæ diminutionem (*a*) afferrent, & * exercitum Gothorum indeſinenter laborem imponerent? Quod quidem laicorum inſania factum, tolerandum nobis forſitan aliquotiens videretur: illud tamen vehementius ſtupendum, quia (quod pejus eſt) tanti ex religionis propoſito in hac interdum præſumptione præcipites (*b*) efferuntur, ut non ad levem confuſionem noſtram pertineat, ſi res illatenus inulta remaneat, quam & mundana lege, & eccleſiaſtica convenit inſtanter diſciplina corrigere. Ideoque placuit nunc concordi ſententia definire, ut quiſquis in ordine clericatus, a maximo gradu uſque ad minimum conſtitutus, in alienæ gentis regionem ſe quacumque occaſione tranſduxerit, aut exinde ſuperbiendo, vel reditum ſuum, vel quodlibet aliud videatur expetere; ſive etiam, quo genti Gothorum, vel patriæ, aut regi ſpecialiter ſub hac occaſione poſſit nocere, vel fieri diſpoſuerit, vel aliquatenus fecerit; ſed & qui cum talibus conſcius reperitur, eiſque vel (*c*) concilium vel opem adminiſtraſſe cognoſcitur, qualiter aut * ad gentem alienam fugam appeterent, aut in malis quæ cœperant perdurarent, ſeu quamcumque læſionem genti Gothorum, vel patriæ, aut principi poſt fugam inferrent * atque in ea pravitate * perſeveraturos dignoſcuntur ſuaſiſſe, iſte ita indubitanter omni honoris ſui gradu privetur, ut locum ejus in quo miniſtraverat alter continuo (*d*) perpetim regendum accipiat, ipſe vero tranſgreſſor ſub pœnitentia conſtitutus, ſi reminiſcens mali * quod fecerit, uſque in diem mortis ſuæ rectiſſime pœnituerit, in ſolo tantum ſine communio ei præſtanda eſt; ita ut antequam tempus finis ei adveniat, ſi quiſpiam ſacerdotum, etiam ordinante principe, ei communicare conſenſerit, particeps criminis illius effectus anathema fiat in perpetuum, ac ſimili cum eo cui communicaverit ſententia condemnetur. Quoniam poteſtati principis nullus ſacerdotum in hoc præbere debet aſſenſum, unde ei perjurium videatur incurrere, (vel quod abſit) ſi quicumque catholicæ fidei prævaricator princeps ſurrexerit * ſacerdotes idem, vel favore principis, vel terrore, a rectæ credulitatis lumine ad tenebras * cogantur reverti. Sic enim nec ſuper adnexa capitula, vel imperiis principum, vel terroribus oportebit unquam * evacuari: quia novimus omnes pene Hiſpaniæ ſacerdotes, omneſque ſeniores, vel judices, ac ceteros homines * officii palatini juraſſe, atque ita (*e*) dudum legibus decretum fuiſſe, ut nullus refuga, vel perfidus, qui contra gentem Gothorum, vel patriam, ſeu regem agere aut in alterius gentis ſocietatem ſe tranſducere reperitur, * integritate rerum ſuarum * nullatenus reformetur, niſi forſitan princeps humanitatis aliquid perſonis talibus impertire voluerit: qui tamen non amplius quam vigeſimam partem rerum, ei qui perfidus extitit, de rebus, unde rex elegerit, tribuendi poteſtatem habebit.

## CAPITULA

### I.

Sed & quia pleroſque clericos tantæ levitatis, interdum pravitatis præſumptio ita elevat, ut prætermiſſa ſui ordinis gravitate, ac polliciti ſacramenti immemores, conſtante principe, cui fidem ſervare promiſerant, in alterius * erectione temeraria levitate conſentiunt, abrogari decet hanc omnino licentiam, & a noſtro conſortio penitus extirpari, ita ut ſi quicumque laicorum * quando quidem intra fines patriæ Gothorum ſuperbiens, regni apicem ſumere tortaſſe tentaverit, eique clericorum quilibet adjutorium vel favorem præſtiterit, atque hunc qui ſuperbire videtur ad eamdem regni ambitionem, prævalente delicto, pervenire contigerit, ex eo quidem die vel tempore eumdem * epiſcoporum, vel cujuslibet ordinis clericorum, excommunicatum manere perpetuum oportebit quo tali ſe ſcelere implicavit. Tamen ſi improbitate principis, cui inique conſenſit, non potuerit inſtantia ſacerdotum a communione ſuſpendi, ſaltem ſi ſuperſtitem eum poſt ejuſdem regis obitum tempus invenerit, ſuperiori anathematis correptioni ſubjaceat, quicumque illi præter in ultimo vitæ * ſuæ (ſi tamen nunc legitime pœnitere probaverit) communionis gratiam conſenſerit impendendam. Nobis interim ratio * perſuaſit, ſynodali ſuper hoc conſtitutione decernere, ut quicumque etiam laicorum in prædictis capitulis, hoc eſt in * adverſitate gentis, aut patriæ vel regiæ poteſtatis, in (*f*) externas partes ſe conferendo, vel talibus opem ferendo noxius fuerit ultra repertus, non ſolum (ut dictum eſt omnium rerum ſuarum proprietate privetur, ſed & perpetua excommunicatione damnatus, nunquam illi præter in ultimo vitæ ſuæ communio tribuatur; excepto ſi aliter communionis ejus remedium, vel eorum quos ſupra taxavimus imploratione ſacerdotum apud principem fuerit impetratum. Nam ſi (quod omnino fieri non oportet) in * derogationem aut contumeliam principis reperiatur aliquis nequiter loqui, aut in necem regis, dejectionem intendere, vel conſenſum præbere, nos ſiquidem



* reddituum
* gentem alienam fugam appeterent
* aut quod in eadem pravitate
* perſeveraturos, quiſquis hoc feciſſe dignoſcitur, iſte
* a ſuo ſacerdotio
* ſacerdotes ... terrore
* cogatur
* evacuare

hujuſcemodi excommunicatione dignum cenſemus. Utrum tamen ſit illi quandoque communicandum, pietati principis diſcernendum relinquimus, cujus procul dubio poteſtatis eſt ſubjectorum culpas miſericordiæ judiciique ſententia (*a*) temperare. Conteſtamur autem clementiſſimos principes, & per ineffabile divini numinis ſacramentum obteſtantes unanimiter obſecramus, ne * quandoquidem abſque juſta (ubi neceſſe fuerit) imploratione ſacerdotali excommunicationis hujus ſententiam a perfidis clericis, vel laicis ad externas partes ſe transferentibus, vel conſenſum præbentibus quacumque temeritate ſuſpendat. Nam * quod magis * eorum regum utilitatibus videtur fore conſultum, ſi hujus conſtitutionis noſtræ forma ab ipſis principibus ſervetur, & ab omnibus ſubjectis impleri cogatur. Si quis vero hæc inſtituta putaverit eſſe execranda, anathema fiat: & velut prævaricator catholicæ fidei ſemper apud Deum reus exiſtat quicumque regum deinceps canonis hujus cenſuram in quocumque crediderit vel permiſerit violandam.

Sic in foro judic. Wiſigoth. lib. ...

## II.

Nihil contra ordinis * ſtatutum temeritatis auſus præſumatur, neque illa quæ ſumma veneratione cenſentur, * vel minimo præſumptionis * (*b*) actu ſolvantur, cum ad hoc tantum (*c*) fieri quaqua juſſa ſunt, interrupta noſcantur, ne languoris proventu robore ſalutis natura privetur. Non ergo ſolum fragilitati conſulitur humanæ, ſed etiam honori myſteriorum Dei * providetur (*d*) abunde, dum ab offenſionis caſu procuratur etiam caveri ſollicite. Cenſemus igitur convenire, ut cum a ſacerdotibus miſſarum tempore ſancta myſteria conſecrantur, ſi ægritudinis accidat cujuslibet eventus quo cœptum nequeat conſecrationis expleri * miniſterium, ſit liberum epiſcopo, vel presbytero * alteri, conſecrationem exequi officii cœpti. Non enim aliud ad ſupplementum ſui initiatis miniſteriis competit, quam aut incipientis, aut ſubſequentis * completa benedictio ſacerdotis: quia nec perfecta videri poſſunt, niſi perfectionis ordine compleantur: cum enim ſimus omnes unum in Chriſto, nihil contrarium * diverſitas format, ubi efficaciam proſperitatis unitas fidei repræſentat. Quod etiam conſultum cuncti ordinis clerici * (*e*) indultum eſſe ſibi non ambigant; ſed (ut præmiſſum eſt) præcedentibus * libenter alii pro complemento ſuccedant. Ne tamen quod naturæ languoris cauſſa conſulitur, in præſumptionis perniciem convertatur, nullus poſt * cibi potuſve quamlibet minimum [d] ſumptum miſſas * facere, nullus, abſque * patenti proventu moleſtiæ, miniſter vel ſacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præſumat omnino relinquere. Si quis hæc * tentare præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.

* myſterium. * ut alter conſecrationem capiat. * benedictio ... * perſonarum diverſitas. * indiſ... * cibum potantes. * ſacrum ſolemne. * patenti proventu. * temerare.

## III.

Ea quæ competunt * honeſtati, contingit ſæpe quorumdam deſidia non impleri. Proinde, quia notum eſt, quæ dignitas in * morientis epiſcopi exequiis ex canonibus conſervetur, traditioni moris antiqui hoc tantum adjicimus, ut ſi quis ſacerdotum, ſecundum ſtatuta Valentini concilii, ad humanda * decedentis epiſcopi membra venire commonitus pigra voluntate diſtulerit, appellantibus clericis (*f*) obeuntis epiſcopi, apud ſynodum, ſive apud metropolitanum epiſcopum, tempore anni unius, nec faciendi miſſam, nec communicandi habeat omnino licentiam. Presbyteri autem, ſive clerici, quibus major honoris locus apud eamdem eccleſiam fuerit, cujus ſacerdos obierit, ſi omni ſollicitudine pro exequiis, aut jam mortui, aut continuo antiſtitis morituri ad commonendum epiſcopum tardi inveniantur; aut per quamcumque moleſtiam animi id negligere comprobentur, totius anni ſpatio ad pœnitentiam in monaſteriis deputentur.

Ivo part. ... cap. 290. qui hæc citat ex conc. Tolet. ... cap. 2. Burch. lib. ... cap. 226. ... Can. ... concilii Valentini in Hiſpania ... defuncti.

## IV.

(*g*) Inter cetera denique quæ communi conſenſu nos conferre * competenter oportuit, querimonias etiam parochialium presbyterorum † Galliciæ provinciæ ſolertiſſime decernere decuit, quas contra pontificum ſuorum rapacitates neceſſitas (ut comperimus) tandem compulit in publicum examen deferre. Hi enim pontifices (ut evidens inquiſitum patefecit) indiſcreto moderamine parochianas eccleſias prægravantes, dum in exactionibus ſuperflui frequenter exiſtunt, pene uſque ad exinanitionem extremæ virtutis quaſdam baſilicas perduxiſſe probantur. Ne ergo fiat de cetero quod conſtat hactenus inordinate præſumptum, non amplius quam [f] duos ſolidos unuſquiſque epiſcoporum præfatæ provinciæ, per ſingulas diœceſis ſuæ * baſilicas, juxta ſynodum Bracarenſem, annua illatione ſibi expetent conferri; monaſteriorum autem baſilicis * ab hac (*h*) ſolutionis impenſione ſejunctis. Cum vero

* communiter. † Galliciæ. Sic eſt in omnibus codicibus manuſcriptis, quem lectionem retinui, cum infra dicatur hoc decretum ex decimo conc. Bracar. ſub cujus metropoli erat Gallicia. ... Ivo part. ... cap. ... Anſel. lib. ... cap. 136. * eccleſias, Con. ... * ab hac ſolutione penſionis.

(*b*) ... (*d*) Deeſt abunde. (*e*) Vallic. ... (*g*) Canon iſte in Vallic. ... incipit ab illis verbis Rem... &c.

vero epiſcopus diœceſim viſitat, nulli pro multitudine onerolus exiſtat, nec unquam [b] * quinquagenarium numerum evectionis excedat, aut amplius quam unum diem per unamquamque baſilicam remorandi licentiam habeat. Quicumque vero pontificum eorumdem aliter quam decernimus agendum præſumpſerit, * correptioni proculdubio canonum ſubjacebit, * qua conſtitutionum ſynodalium tranſgreſſores priſcorum patrum edictis corripiendos oportet.

* correctioni

## V.

Quoſdam paternarum ignaros vel oblitos traditionum, in tantam conſpicimus corruiſſe deſidiam, ut eorum execrando uſu pene abolita pateſcant, quæ extiterant legitime conſtituta. Dum enim indocti docere appetunt, quid aliud quam quia ignorantiæ errore vexantur, oſtendunt? & quia greſſu præpoſtero innitentes præſumptionem doctrinæ * diſcendi ſtudiis anteponunt, patet quod non * ſumma humilitatis petunt, ſed actioni depravationis inſerviunt. Ex hoc igitur juſtæ ſeveritatis talia decernentes, opportuno amputare judicio jubemus eos, quos in cellulis propriis * recluſos ſanctæ vitæ ambitio tenet; quoſque ejuſdem ſancti propoſiti, & merita juvant, & probitas ornat, * quietos Dei auxilio & noſtro favore tutos exiſtere: illos vero quos * in tali propoſito ignavia impulit, non prudentiæ cognitio deputavit, quoſque nulla vitæ dignitas ornat, ſed (quod eſt deterius) & ignorantia fœdat, & morum execratio turpat, decernimus ab his abjici cellulis atque locis, in quibus aut tenentur incluſi; atque ab epiſcopis, ſive rectoribus monaſteriorum, ex quorum congregatione fuerunt, vel in quorum vicinitate conſiſtunt, in monaſteriis omnimodo deputentur; ut illic ſancti ordinis meditantes doctrinam, primum poſſint diſcere quæ ſunt a patribus inſtituta, ut poſt valeant docere, quæ ſunt ſancta meditatione percepta. Atque tunc demum, ſi doctrinæ & ſancti operis fructu extiterint ſecundati, ad ſumma virtutis properent exercitio ſanctæ intentionis imbuti. Deinceps autem, quicumque ad hoc ſanctum propoſitum venire diſpoſuerint, non aliter illis id dabitur aſſequi, neque hoc antea poterunt adipiſci, niſi prius in monaſteriis (a) conſtituti, & ſecundum ſanctas monaſteriorum regulas plenius eruditi, & dignitatem honeſtæ vitæ, & notitiam poterunt ſanctæ promereri doctrinæ. Illos autem quos tantum extrema veſania occupavit, ut incertis locis vagi, atque morum depravationibus inhoneſti, ullam prorſus nec ſtabilitatem ſedis, nec honeſtatem mentis habere extiterint cogniti, quicumque ex ſacerdotibus vel miniſtris vagantes * repererit, aut ſi (b) fas eſt, in propriis locis cœnobio ſuis rectoribus eos reformet; aut, ſi difficile eſt, pro ſola honeſtate, vigore ſuæ poteſtatis erudiendos incliaet.

## VI.

Id etiam placuit, ut pro reverentia principis, ac regiæ ſedis honore, vel metropolitani civitatis ipſius conſolatione, convicini Toletanæ ſedis epiſcopi, juxta quod ejuſdem pontificis admonitionem acceperint, ſingulis per annum menſibus eadem in urbe debeant commorari: meſſivis tamen ac vindemialibus feriis relaxatis. Nos autem immortali Deo, & glorioſo Cindaſvintho principi, ob cujus votum in hac urbe ſancta devotione convenimus, gratias unanimiter referentes optabili anniſu depoſcimus, ut ſanctæ eccleſiæ catholicæ fidei ſemper ac pacis cumuletur * affectus, & memorato principi cum (c) poſteritate præſentis regni, futuri etiam largiantur præmia gaudii; ipſo præſtante qui in Trinitate unus Deus vivit & gloriatur in ſæcula ſæculorum. Amen.

## (d) SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

Orontius Chriſti nomine ſanctæ eccleſiæ Emeritenſis metropolitanus epiſcopus hæc ſtatuta definiens * ſubſcripſi.

Ego Antonius Dei miſericordia ſanctæ Hiſpalenſis eccleſiæ metropolitanus epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

Protaſius Tarraconenſis eccleſiæ metropolitanus epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

Hilarius gratia Chriſti epiſcopus eccleſiæ Complutenſis ſimiliter ſubſcripſi.

Silicius ſanctæ eccleſiæ Elborenſis epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

* Recimirus ſanctæ eccleſiæ Dumienſis epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

Deodatus ſanctæ eccleſiæ * Egabrenſis epiſcopus ſtatuta hæc definiens ſubſcripſi.

Epartius Dei miſericordia epiſcopus eccleſiæ Italicenſis hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

Stephanus Dei miſericordia Aſtigitanæ eccleſiæ epiſcopus hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

Egila in Chriſti nomine epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Oxomenſis hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

In Chriſti nomine Anſericus eccleſiæ ſanctæ Segobienſis epiſcopus hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

Ubidericus eccleſiæ Segontienſis epiſcopus hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

* Ubi-

(a) [illegible] (b) Vall. [illegible] (c) [illegible] (d) [illegible]

* Ubinibal Dei miſeratione eccleſiæ Illicitanæ, qui & Erothaus epiſcopus hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi. (* Viatbol.)

Ego Mauriſius in Chriſti nomine epiſcopus ſanctæ eccleſiæ * Abelenſis hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi. (* Orcitana.)

Joannes Dei gratia ſanctæ eccleſiæ Caurienſis epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

Egeredus ſanctæ eccleſiæ Salmanticenſis epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

Servuldei ſanctæ eccleſiæ * Caliebrenſis epiſcopus hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi. (* Calabrenſis.)

Balconius etſi indignus epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Lucenſis hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

Gotomarius ſanctæ eccleſiæ Irienſis indignus epiſcopus hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

Farnus ſanctæ Viſenſis eccleſiæ etſi indignus epiſcopus hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

Sona eccleſiæ Britanenſis etſi indignus epiſcopus hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

Gaudeſtens ſanctæ eccleſiæ * Aurienſis epiſcopus hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi. (* Aurienſis.)

* Ubitaricus ſanctæ eccleſiæ Lamecenſis epiſcopus hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi. (* Ubiricus.)

Armenius ſanctæ eccleſiæ * Egitanæ Dei gratia epiſcopus hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi. (* Egdiana.)

Adimirus ſanctæ eccleſiæ Tudenſis epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

* Annianus ſanctæ eccleſiæ Valentiæ ſimiliter ſubſcripſi. (* Aniano.)

Donumdei ſanctæ eccleſiæ Emeritanæ epiſcopus ſimiliter ſubſcripſi.

*Presbyteri & diaconi vicarii.*

Ego Valentinianus archipresbyter agens vicem domini mei Leudefredi Cordubenſis eccleſiæ epiſcopi hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

Criſpinus in Chriſti nomine abbas agens vicem domini mei * Neufridi Olyſſipponenſis eccleſiæ hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi. (* Neufredi.)

Ubilienſis presbyter agens vicem domini mei Pimenii epiſcopi Pacenſis eccleſiæ hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

Paulus presbyter agens vicem domini mei Candidati epiſcopi * Aſturienſis eccleſiæ hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi. (* [illegible])

Magnus presbyter agens vicem domini mei Marci epiſcopi Caſtellonenſis eccleſiæ hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

Reparatus presbyter agens vicem domini mei Theudefredi epiſcopi Pacenſis eccleſiæ hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

Conſtantius presbyter agens vicem domini mei Theuderedi epiſcopi Pacenſis eccleſiæ hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

Clemens decanus agens vicem domini mei Joannis epiſcopi Eliplenſis eccleſiæ hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

Ambroſius diaconus agens vicem domini mei * Giberici epiſcopi Mentetanæ eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi. (* Oretani.)

* Aguila diaconus agens vicem domini mei * Vigitini epiſcopi Bigaſtrenſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Matacellus diaconus agens vicem domini mei * Duniani epiſcopi Malacitanæ eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

## Notæ Garsiæ Loaisæ.

a *Toletanum VIII.* ) Fuit nationale, nam in eo quatuor metropolitani ſubſcripſerunt, Oroncius Emeritenſis, Antonius Hiſpalenſis, Eugenius Toletanus, Protaſius Tarraconenſis.

b *Chindaſvindus.* ) Sunt qui affirmant nomen fuiſſe Chindum et Gundum, [illegible] Suindum, & [illegible] bendum, Chindus Suindus. Ejus uxor erat Reciberga. In [illegible] Gothico manuſcripto Eugenio Toletano hæc carmina de morte conjugis Chindaſvindi tribuuntur.

*Si dare pro morte gemmas licuiſſet & aurum,*
*Nulla mihi poterant regum diſſolvere vitam:*
*Sed quia fors una cunctis mortalibus inſtat,*
*Nec * præmium redimit reges, nec ſletus egentes,*
*Hinc ego te, conjux, quia placere fata nequivi,*
*Funere perfunctam, ſanctis commendo tuendam;*
*Ut cum flamma urens veniet comburere terras,*
*Cetibus ipſorum mereris ſociata reſurgas.*
*Et nunc cara mihi jam Reciberga valeto:*
*Quodque pare ſervorum rex Cindus Suindus, amato.*
*Reſtat & dicere ſummam*
*Quo tenuit vitam, ſimul & connubia noſtra.*
*Fœdera conjugii ſeptem fere duxit in annis,*
*Undecies binis annum cum menſibus eſſe.*

(* Lana pretium.)

c *Officii palatini.* ) Etſi commune id nomen ſit omnibus qui militant in palatio & familia imperatorum & regum Gothorum, tamen erat peculiaris ordo militiæ palatinæ, ut patet ex titulo de palatinis C. lib. 12. & C. Theodoſiano, l. 6. tit. 30. Minores hi erant comitibus, atque hi qui dicebantur agentes in rebus, hi mittebantur ad peragenda negotia principis in provinciis, & ad exigendum cenſum, ut conſtat ex conſtitutione novella Theodoſii & Valentini imperatorum, tit. 43. de palatinis. Hi milites palatini, declinante imperio, prætorianis ſucceſſere. (Cap. 2. Palatini qui.)

d *Minimum ſumptum.* ) Quod ſacerdos jejunus ſacrificium offerat, decrevit Soter pontifex maximus, ut eſt apud Gratianum de conſecr. diſt. 1. c. Ut illud, & concilio Autiſiodorenſi c. 19. & primo Bracaren. c. 16. & ſecundo c. 10. & Saleguntſtadienſi c. 4. & III. Carthaginenſi c. 29. & in Trullana ſynodo c. 29. (Cap. 2. Miſſa a jejunio celebranda.)

e *In morientis epiſcopi exequiis.* ) De hac re decrevit conc. Rhegen. c. 5. & 6. ac Valentinum Hiſpaniæ c. 2. Arelat. II. c. 5. *Qui defunctum, (inquit) epiſcopum advenerit ſepelire, præter expenſam neceſſariam nihil præſtito pro fatigatione depoſcat.* Unde in codice alio Toletano pro Valentini. De exequiis mortuorum ſupra diximus. Nec de epiſcopi electione tractatus haberi poteſt, epiſcopi defuncti corpore nondum tradito ſepulturæ, cum ſit contra canonicas ſanctiones, ut in c. Bonæ memoriæ 36. de electione. (Cap. 3. Pro exequiis quid accipere liceat.)

f *Duos ſolidos.* ) Hoc dabatur propter honorem cathedræ epiſcopalis, hodieque *el cathedratico* vocatur, ex concil. Bracar. II. c. 2. (Cap. 4. Cathedraticum quid.)

g *Quinquagenarium numerum evectionis.* ) Evectionum frequens mentio eſt in imperialibus conſtitutionibus. Has Budæus diplomata ſeu chartulas interpretatur, ſigno principis obſignatas, quibus poteſtas permittitur aliquid evehendi. Cujacius vero diplomata, ſeu codicillos affirmat, quibus curſu publico utendi facultas dabatur, quæ & ſynthemata & tractorias dici ait. Unde codice de curſu publico cavetur ut evectiones ab omnibus petantur. Hoc nomine etiam tributum ſive vectigalia ſignificari in dictionario ſuo annotavit Albericus. Hic nihil aliud evectiones illæ denotare videntur, quam numerum illum equorum, jumentorum, ſeu curruum, quos epiſcopi eccleſias viſitantes in comitatu ſuo ducebant: quorum numerus quo major erat, eo majoribus impenſis pro ſuſtentatione ejus opus erat. Ne vero hac in re epiſcopi modum excederent, provide hic patrum conſilio cavetur. In hac ſignificatione etiam accepit ſummarium decreti, equitaturaſque barbaro vocabulo vocat. Idem in extr. l. 3. de cenſibus & exactionibus, ubi pontifex de eadem re ita ſtatuit: *Hujuſmodi etiam moderationes & taxationes ad prælatos quoſlibet, qui prætextu cujuſvis conjunctionis in monaſteriis, ſive locis aliis eccleſiaſticis, gratis recipiuntur, ad pabulum caritatis extendimus, & etiam prorogamus: proviſo nihilominus, quod in locis quibuslibet, ſecundum quod major vel minor rerum copia fuerit in eiſdem, nec non juxta majorem vel minorem perſonarum & evectionum numerum hujuſmodi viſitantium, expenſarum majorum vel minorum debita moderatio teneatur: ita tamen quod majores expenſæ non excedant ſummam ſuperius limitatam.* Sunt qui evectionem non aliud quam exactionem ſignificare exiſtiment. Et hodie in ſancto conc. Trident. ſeſſ. 24. c. 3. de auctoritate, modo, & ordine viſitandi eccleſias, atque etiam de ſtipendio, quid obſervandum ſit ſtatuit, & quod viſitantes modeſto contenti equitatu famulatuque ſtudeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, viſitationem ipſam abſolvere. (Evectiones quæ.)

h *Quinquagenarium.* ) Alias quinarium, verum male, ut patet ex Alexandri pontificis III. conſtitutionum ſacrarum part. 2. c. 6. & part. 1. c. 4. *Statuimus, (inquit) quod archiepiſcopi parochias viſitantes, pro diverſitate provinciarum, & facultatibus eccleſiarum, quadraginta, vel quinquaginta evectionis numerum non excedant, &c.* Turonenſis etiam ſynodus exactionibus epiſcoporum, ſecundum provinciæ morem modum imponit, conc. 12. Toler. c. 6. Libet in calce hujus concilii apponere quæ Rodericus Toletanus de libris moralium divi Gregorii ſcribit, ſic enim inquit l. 2. c. 19. *Et fuit in hoc concilio* (de ſeptimo agit) *magna turbatio, eo quod liber moralium,* quem (De inventione lib. S. Gregorii Rodericus Toletanus epiſcopus.)

# JOANNIS DOMINICI MANSI

## IN CONCILIUM TOLETANUM ANNI INCERTI

## PRÆMONITIO.

*Quod proxime ſubdo Concilium Toletanum pro majori ſui parte eruditis dudum innotuerat, cum plu-
ra ex eo derivata ſint in Decretales Gregorii V. tit.* XXIII. de officio archidiaconi, *&* XXIV.
*de* officio cuſtodis. *Reliqua ſuppeditavit mihi vetuſtus Codex Bibliothecæ Capituli Cathedralis Lu-
cenſis ſignatus N. 124. in quo inter addetamenta Codicis Burchardi adjuncta hæc ipſa fragmenta in
decretalibus edita cum cæteris mox edendis leguntur. Cum vero ibidem præmittantur geminæ fidei
profeſſiones, non quidem ſub titulo Concilii Toletani, ſed hoc tantummodo:* Incipit fides catholica
Nicæni Concilii eccleſiæ Romanæ directa, *neque hanc invenerim in Concilio Nicæno reipſa conveni-
re, hanc ipſam ſub hoc titulo Concilii Toletani dare conſtitui, ratus nulli alteri Concilio quam
Toletano huic convenire eo ductus argumento, quod Toletanis cæteriſque Hiſpaniæ Patribus ſolemne
fuerit in conciliis fidei confeſſionem præmittere peculiarem, tum & alteram addere Concilii Nicæni.
Id vero adamuſſim Concilio Toletano mox promendo convenit.*

# CONCILIUM TOLETANUM

## ANNO INCERTO HABITUM.

*Incipit fides catholica Nicæni Concilii Eccleſiæ Romanæ directa.*

CRedimus in unum Deum Patrem omnipotentem, & in unum unigenitum filium eſus Jeſum Chriſtum Deum & Dominum Salvatorem noſtrum, & Spiritum S. Deum; non tres, ſed Patrem, & Filium & Spiritum S. unum Deum eſſe confitemur. Non ſic unum Deum quaſi ſolitarium; nec eumdem quod ipſe ſibi pater ſit ipſe & filius; ſed patrem verum, qui genuit filium verum, ut eſt Deum de Deo, Lumen de Lumine, vitam ex vita, perfectum de perfecto, totum a toto, plenum a pleno, non creatum ſed genitum, non ex nihilo, ſed ex patre unius ſubſtantiæ cum patre.

Spiritum vero Sanctum Deum non ingenitum, neque genitum; non creatum, nec factum; ſed patris & filii, ſemper in patre & filio coæternum veneramur. Unum tamen Deum, quia ex uno patre totum quod patris eſt Deus natus eſt filius, & in patre totum quod ineſt totum genuit in filium. Pater filium generans non minuit nec amiſit plenitudinis ſuæ deitatem. Totum autem quod pater eſt id eſſe & filium ab eo natum certiſſime credentes cum Spiritu S. unum Deum confitemur. Credimus Dominum Jeſum Chriſtum Deum noſtrum Dei filium per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo & in terra, viſibilia & inviſibilia, propter noſtram ſalutem deſcendiſſe de cælo, qui nun-
C quam deſierit eſſe in cœlo; & natum de Spiritu S. & Virgine verbum carnem factum non amiſit quod fuerat, non demutatum, ſed Deum permanentem, etiam hominem natum non putative ſed vere, non aerium, ſed corporeum, non phantaſiam, ſed carnem, oſſa, ſanguinem, ſenſum, & animam habentem. Ita verum hominem & verum Deum, verum hominem fuiſſe nullo modo ambigimus confitendum hunc. Et idem (ſic) Dominum Jeſum Chriſtum adimpleſſe leges & prophetas, paſſum, ſub Pontio Pilato crucifixum ſecundum ſcripturas tertia die reſurrexiſſe; aſſumptum in Cœlum ſedere

A ad dexteram patris, inde venturum judicare vivos & mortuos. Expectamus in hujus morte & ſanguine emundatos remiſſionem peccatorum conſequutos reſuſcitandos nos ab eo in his corporibus; & in eadem carne qua natus & paſſus, & mortuus eſt & reſurrexit, & animam cum carne, vel corpore noſtra, accepturos ab eo aut vitam æternam præmium bonorum meritis, aut ſententiam pro peccatis æterni ſupplicii.

*De eodem Concilio.*

CRedimus in unum Deum patrem omnipotentem viſibilium, nec non & inviſibi-
B lium factorem; & in unum dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium Dei natum ex patre unigenitum, hoc eſt ex ſubſtantia patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non creatum omouſion hoc eſt ejuſdem cum patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt cœleſtia & terrena. Qui propter nos homines & propter ſalutem noſtram deſcendit, & incarnatus eſt; & homo factus paſſus eſt & reſurrexit tertia die. Aſcendit in Cœlum venturus inde judicare vivos & mortuos. Et in Spirium S.

Eos autem qui dicunt erat tempus quando non erat; & priuſquam naſceretur non erat, & quia nullis exiſtentibus factus aut ex alia
C ſubſtantia ideſt eſſentia dicunt eſſe epeton, ideſt convertibilem, aut mutabilem filium Dei, hos anathematizat catholica & apoſtolica eccleſia.

## EX CONCILIO TOLETANO.

OFficium vero archidiaconi eſt evangelium quando voluerit legere, vel cui de diaconibus præceperit; & quando epiſcopus Miſſam canit. Ad juſſionem illius induant ſe Levitæ veſtimentis ſacris, qualiter cum pontifice ad Miſſam procedant; & omnem querimoniam ſeu cauſam, vel juſtitiam presbyterorum, diacono- Can. officium vero archidiaconi. De offic. archid.

cono-

conorum, ſubdiaconorum ipſe debet acolyta- re, ordinare, & facere. Ideo vero ſtrenuus, providus, cautus vicem epiſcopi ſui agens epi- ſcopii totius curam habeat; & omne officium eccleſiaſticum providendo lectiones ac reſponſo- ria in matrice eccleſia dare debet, & auſcultare; in tantum ut nullus evangelium, epiſto- lam, reſponſorium, vel quamlibet lectionem in eccleſia legat vel cantet, donec ante ipſum legatur ſeu cantetur ad auſcultandum.

Acolythos quoque ipſe ordinet; quis eorum candelabra, quis thuribula deferre, quiſve mi- norum in eccleſia aliqua officia agere debeat.

*Item de officio archipreſbyteri.*

## EX CONCILIO TOLETANO.

OFficium archipresbyteri de urbe conſtat quando ibi præſul defuerit in vicem ejus officium inchoare, benedictiones presbyterales in eccleſia dare, Miſſam quando voluerit canere, vel cui de ſacerdotibus juſſerit. Quando vero epiſcopus Miſſam canit debet præcipere Sacerdotibus, ut induant ſe veſtimentis ſacris, & qualiter cum ipſo ad Miſſam procedant. Debet etiam præcipere cuſtodi eccleſiæ ut in ſacrario euchariſtia Chriſti propter infirmos non deſit. Debet infirmis providere, & providendo præcipere ſacerdotibus ne forte ſine confeſſione vel confirmatione corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti moriantur. Confeſſiones vero C peccatorum de urbe, vel qui a foris veniunt recipere cum cæteris ſacerdotibus; & exinde per juſſionem pontificis magna adhibenda debet fore illi cura. Ad chriſtianos quoque & baptizandos infantes & ad ſuccurrendum omnia a ſacerdotibus per juſſionem illius fiant.

*De Cuſtode.*

CUſtos eccleſiæ ſollicitus eſſe debet de omni ornamento eccleſiæ, & luminariis A ſeu incenſo, nec non panem & vinum omni tempore ad Miſſam præparatum habere debet; & omnia utenſilia, quæ ad ſacrarium pertinent, ſimiliter præparata habere debet. Debet etiam per ſingulas horas canonicas ſignum ex conſenſum archidiaconi ſonare, & omnes oblationes & eleemoſinas ſeu decimas cum ejuſdem conſenſu abſente epiſcopo inter fratres dividere. In his tribus eccleſiæ columnis (ut ſancta ſanxit ſynodus) conſiſtere mater alma debet eccleſia.

Et ad hoc opus tales ordinentur quales plus meliores & ſanctiores eſſe videntur, ut nulla negligentia in ſancta eccleſia eſſe videatur. Hi tres provide * miniſteriales ſanctæ eccleſiæ ſimul- juncti uno animo & conſilio peragant & per- B fecte; & non ſit invidia neque zelus inter illos. [* l. miniſteriales]

*De officio ſacriſtæ.*

## EX CONCILIO TOLETANO.

UT ſciat ſe ſacriſta ſubjectum eſſe archidiacono, & ad ejus curam pertinere cuſtodiam ſacrorum vaſorum, ac veſtimentorum eccleſiaſticorum, ſeu totius theſauri eccleſiaſtici, nec non quæ ad Luminaria pertinent, ſive in cera, ſive in oleo, ſive ad diſtributionem ſacri C chriſmatis.

„ Poſtremum hoc caput non deeſt quidem in Codice „ Lucenſi, ſed exceptum ſcribitur ex ordine Romano, „ & quidem melius cum phraſim ſervet ordinis Romano „ ſolemnem, ut ſciat &c. ſic enim incipit canon alter ex „ ordine Romano acceptus ut primicerius ſciat &c. Cæ- „ terum cum in cap. ut ſciat de officio ſacriſtæ ſcriptum „ ſit ex *Concilio Toletano*, idem hic dandum cenſui ſer- „ vata tamen noſtri Codicis lectione, in qua verba po- „ ſtrema abjecta ſunt, quæ in canone edito non le- „ guntur. “

ANNO CHRISTI 648.

# [a] TYPUS PAULI CONSTANTINOPOLITANI

ANNO CHRISTI 648.

## SUASU A CONSTANTE IMPERATORE

### [b] ſexta indictione, anno Chriſti DCXLVIII. promulgatus.

*Unius voluntatis in Chriſto aſſertoribus & impugnatoribus ſilentium indicitur.*

COnſuetudinem habentes de omnibus curam agere & intendere quæ reſpiciunt ad utilitatem Chriſtianiſſimæ noſtræ reipublicæ &c. *Extat inferius nunc primum Græce vulgatus ex codice MS. bibliothecæ Barberinæ Romæ ad nos miſſo cum hactenus Latine tantum ex verſione veteri quidem, ſed minus polita innotuiſſet eruditis ſcriptoribus, in actis conciliis Lateranenſis ſub Martino I. ſecretario, ſive actione IV.*

NOTÆ SEVERINI BINII.

De typo judicium concilii Lateranenſis quale? a *Typus.*) Qua occaſione hoc edictum Conſtantis imperatoris, quod typus nominatur, promulgatum fuerit, dixi ſupra in notis ad vitam Theodori papæ, verbo *Theodorus*.

Quid de eo Lateranenſis ſynodus ſub Martino celebrata ſenſerit, prædicto ſecretario IV. ſubjungitur his verbis: *Sancta Synodus dixit: Relegimus typus bonum quidem intentum habere dignoſcitur, diſſonantem autem veritatem intentui continet. Bonum eſt namque procul dubio, & omnibus timentibus Deum deſiderabile, cohibere diſſenſio-* D *nes, & altercationes pro cauſa fidei: ſed non eſt utile & bonum cum malo deſtruere bonum, id eſt cum hæreticis orthodoxorum patrum verba & dogmata.* Quod ſi quis obiiciat de epiſtolis Honorii, quibus de hac controverſia ſilentium indicitur orientalibus, idem eſſe ſentiendum quod de typo Conſtantis in ſynodalibus judiciis definitum fuit; reſpondendum eſt ſub temporis diſtinctione: quando enim hæc controverſia cœpit oriri, ſancte & pie mandavit Honorius papa de ea taceri, ejuſdemque diſcuſſione & agitatione ceſſari. Nequaquam enim eſt neceſſe ab eccleſia definiri omnes controverſias, quæ curioſitate diſputantium multorum oriuntur: ſed ſatis eſt ad ſobrietatem ſapere, id eſt ea ſectari quæ ab eccleſia definita ſunt. Quando autem curioſa diſputatione indictum ſilentium adverſarii violaſſent, & per publicas aſſertiones publice affixas hæreſim ſuam promulgaſſent, eamque conciliorum ſententiis confirmaſſent, locus ſilentio nec eſſe debuit, neque eſſe potuit, ſed potius damnatis erroribus recta & orthodoxa fides promulganda erat. Vide Baronium anno 648. n. 8. [An typus a Theodoro condemnatus cauſæ Honorii aliquid præjudicet?]

E b *Sexta indictione.*) Hoc tempore Typum a Conſtante promulgatum fuiſſe aſſeritur in actis ſancti Maximi apud Surium. Interrogatus enim ſanctus Maximus cur cum ſede Conſtantinopolitana non communicaret, reſpondit. *Quia ſanctas quatuor ſynodos ejecerunt, per novem Alexandriæ facta capitula, & per ecthesin, id eſt expoſitionem a Sergio in hac urbe factam, & per typum denique ſexta indictione expoſitum, & quod ea quæ per ecthesin dogmatizaverunt, per typum repudiarunt, ac ſeipſos toties deſtruxerunt.* Hæc de tempore promulgati typi ſancti Maximi. [Quo tempore typus editus.]

SYNO-

ANNO CHRISTI 647. 650.

ANNO CHRISTI 647. 650.

# SYNODUS NESTORIANA IN COENOBIO

## S. SIMEONIS, forte prope Seleuciam, Neſtorianorum,

*Ad recipiendum ad communionem Sahadunam epiſcopum, qui ſæpius ad Catholicos deſciſcens, tandem in communionem Neſtorianorum admitti poſtulabat,*

## MAREME NESTORIANORUM CATHOLICO PRÆSIDENTE

### Inter annum 647. & 650. celebrata.

[illegible]

MAremes, qui ab anno Chriſti 647. ad 650 A Neſtorianorum cathedram ſupremam occupavit, Sahadunam epiſcopum, qui ſæpe a Neſtorianis ad Romanos tranſierat, iterum reſipiſcentem admitti volebat ad communionem. Ejus rei cauſa concilium indixit ad cœnobium S. Simeonis, ubi ipſe degebat, in quo Sahadunas, licet nonnullis repugnantibus, admiſſus fuit. Ad hanc ſynodum Jeſujabus Adjabenus metropolita epiſtolam dedit, qua demonſtrare nititur Sahadunam ſæpius redeuntem & ſæpius etiam recedentem admitti nequaquam oportere. Integram illam hic referre juvat, tum quod ad concilium iſtud pertineat, tum etiam quod de ſynodis octo, in quibus Sahadunas apoſtaſiæ ſuæ renunciavit, mentionem injiciat. Has vero ſynodos inter annum 628. & 650. collocandas Aſſemanus, ex quo hæc omnia deſumpſi, ex eo demonſtrat, quod Sahadunas Neſtorianiſmo renunciaverit poſtquam cum eodem Jeſujabo ad Romanorum terras anno illo 628. profectus eſt, ut ex Margenſi Arabo ſcriptore idem Aſſemanus tom. 3. pag. 107. evincit. En vero ex eodem Aſſemano Jeſujabi epiſtolam.

## JESUJABI METROPOLITÆ ADJABENORUM NESTORIANI

*Ad epiſcopos regionis Garmacrum in ſynodum collectos.*

IMminens metus, o Beati, invitum me cogit B ſcribere quæ nolebam. Ut autem iſthæc ſcribere cogerer, plures tentationes, quæ antehac acciderunt, me docuere. Pauca igitur de pluribus dicam. Dudum ſcilicet quum ad vos veniſſem, intellexi; poſtea illud ipſum etiam audivi Catholicum ad vos frequenter ſcribere; & nunc rurſus accepi, eundem propediem ad vos eſſe venturum. Et hæc omnia, tum epiſtolarum ſcriptionem, tum Catholici acceſſum, eo collimare, ut religioſitati veſtræ perſuadeant, Sahadunam ad Dei eccleſiam vi deductum recipere: quum nimirum nec Sahadunas, nec Dei eccleſia id velint. Sahadunas enim quum hactenus nec ad tempus ad eccleſiam accedere voluerit, quid? exiſtimatis ne illum ſe adduci paſſurum, C ut ab iis quæ præpoſtere impieque loquutus eſt, & adverſus veram fidem ſcripſit, diſcedat? minime vero: ſed & nunc in perverſitate ſuæ religionis perſiſtit, noſtramque anathematizat fidem, atque pleno ore blaſphemiis inſectatur, infirmo fultus præſidio ab urbe, quam Diabolus eccleſiæ erectam, illi tradidit. Neque modo Dei eccleſiæ communionem ſincere petit. Sed nec Dei eccleſia unquam voluit aut modo vult in ſuam communionem illum recipere, qui ejus fidem anathematizat, & ejus dogmata depravat, & perſonas ejus blaſphemat. Quum ergo nec Sahadunas ingreſſum in eccleſiam quærat, neque Sahadunæ ingreſſum eccleſia optet, equidem non intelligo, quanam cogitatione aguntur D qui ſe hac cura onerarunt ſcribendi aut legendi, aut loquendi, aut petendi ingreſſum hominis hujus indolis & ingenii. Quidnam porro, o Beati, Sahaduna intentatum reliquit, ut nobis probaret, a noſtra religione ſeſe abhorrere, ut illud modo efficiens credatur alienus & ſegregatione dignus. At quiſpiam fortaſſe, Domino ſcilicet noſtro & Paulo mitior, nobis objiciet illud ſeptuagies ſepties. Sed, o Beati, hæreticis certus ſtatuitur terminus, & quidem ſatis cognitus: neque vulgare delictum eſt, quod contra fidem admittitur crimen. Etenim Dominus quidem per oculum dexterum & manum dexteram, & per celerem utriuſque ſectionem, ejus, qui fidem depravat, abſciſſionem circumſcripſit. Paulus vero Domini interpres prima & ſecunda vice hæretici ſegregationem definivit, ſubdiditque ſtatim cauſam celeris reſciſſionis: ut qui nempe non ignorabat futuros nos ipſo mitiores & meliores, eundemque proinde de præcipiti feſtinatoque judicio ſine miſericordia incuſaturos. Scitote, inquit, quod qui hujuſmodi eſt, ſubverſus eſt & delinquens, & ſuo judicio eſt condemnatus. Age vero quando Apoſtolicæ legi ſtare nolimus; præſtitutum ſeptuagies ſepties numerum evoluto quinquennio jam longe exceſſimus: & ut hoc prætermittam, quod ego ſeorſim, quemadmodum & ſinguli veſtrum, frequenter illum corripuimus, ea tantum quæ in conventibus ſynodicis, & Catholico præſente acta ſunt, commemorabo. Octies ſiquidem Sahadunas Eccleſiæ fidem ſuſcepit, ſuumque errorem in univerſali ſynodo anathematizavit; ter quidem priora cum ſubſcriptione & ſigillo; quinquies vero confeſſione oris coram ſynodo & totidem vicibus ad ſuam impietatem reverſus eſt, velut canis ad vomitum; quando nec ipſe defecit negando & confitendo, & rurſus quod confeſſus fuerat abjurando; neque nos viciſſim defecimus illum quotidie ſtulto cum labore ſuſcipiendo. Poſtremum vero videns Deus, qui per Paulum loquutus fuit, ſtolidam noſtram commiſerationem a multiplici Sahadunæ inconſtantia minime ſuperatam fuiſſe, ſtatu ſuo hominem abduxit disjecitque procul: ad partes nempe hæ-

pe hæreticorum, ubi ille Beelphegor initiatus, omnibus nequitiæ modis pravam eorum communionem approbans, plures libellos blaſphemiarum plenos adverſus nos, noſtram fidem, noſtroſque doctores in omnibus heterodoxorum ſynodis ſcripſit divulgavitque. Quum ipſe nullam ad pravitatem ſuam indicandam omiſerit rationem, quia eam in publicum proferret, eumque noſter quoque Deus & Dominus Jeſus Chriſtus procul a republica incolatus noſtri abegerit; illum nihilominus miſſo nuncio revocamus, & deducimus adverſus Dei nutum, & adverſus ſuam ipſius providentiam. Venitque ille prædicans a Jeruſalem uſque ad Illyricum, coram Throno ſcilicet catholico orthodoxorum, condemnationem noſtram: profeſſus ſe veniſſe, ut nos ad ſuam fidem traduceret. Quum autem res in eo ſtatu repeꝛiſſet, in quo reperit, deſpexit nos, & ad locum abiit, quo abiit; ad populum nempe pauperem, quem Diabolus ab eccleſia diſtractum ipſi tradiderat. Illud vero magis mirandum eſt, quod poſt talia flagitia, qualia ſunt quæ retuli, quum Sahadumas dedignatus fuerit ad Catholicum & ad ejus fidem, honorem, & communionem accedere, illumque cum deſpectu reliquerit, & ad populum ſuum ſe receperit, quum, inquam, hæc Sahadumas auſus fuerit, miror, qua ratione nunc pro illo ad vos ſcribatur, ut eum revocetis, velut quibus poteſtas & jus eſt illum revocandi: libellus etiam vobis mittatur continens ea, quæ ab illo ſubſignari oporteat: voſque ſimiliter ſcribatis, de ejus revocatione in ſpecie tractantes, revera defectionem procurantes, ajenteſque, cunctari oportere, & expectari Catholici adventum. Unum itaque poſt hæc reſtat, ut ſi Sahadumas aliquod obedientiæ ſpecimen præbeat, ſicut ſæpius præbuit, continuo admittatur ad ſanctorum communionem. At ego gratias interim habeo Sahadumæ, divinæ potius dicam providentiæ, quod ipſe haud prorſus ſe adduci paſſurus eſt, ut juxta morem pareat. Secus intra ſanctam eccleſiam modo habebimus venerabilem epiſcopum, cujus libris univerſus orbis plenus eſt adverſus fidem noſtram conſcriptis, in quibus nos Paulianiſtas, & duorum filiorum aſſertores appellat: & quidem dudum ille nos nec epiſcopos, nec orthodoxos cenſet, ſed quotidie verbo & ſcripto anathematizat quoſcumque aſſerentes duas ineſſe Chriſto hypoſtaſes, & negantes unam tantummodo hypoſtaſim eſſe Chriſtum. Id vero, qui ejus dicta exceperunt, teſtantur, & vulgata ubique ejus ſcripta confirmant. Scripſit enim & obtulit plures libellos in omnibus terris Romanorum, prædicens, ſe a nobis expulſum fuiſſe, quod nobiſcum communem fidem haud quaquam haberet, ſibique ipſorum religio placeret. Nihilominus placemus nobis adhuc & inſtamus, ut talem hominem tanquam unum ex nobis cenſeamus, & putamus adhuc homines nos eſſe, & hominum mentem nos habere. Aſt nunc parco verbis, ne acerbus videar, & ultra progredior, & gratias ago quamplurimas Dei clementiæ, quod minime permiſerit Sahadumam, ut nos falleret, ſicut antehac ſolebat. Alioquin haberemus, ut modo dicebam, egregium epiſcopum, cujus adverſus nos ſcripta libros, quos Xenajas (*Philoxenus Magugenſis*) adverſus Patres conſcripſit, exſuperant. Idcirco miſerabiliter clamo ad vos, & oro, obteſtorque, ut a ſchiſmate caveatis, ne ſcilicet eccleſia perturbetur, o beati viri. Porro etſi eximium quippiam vobis videatur, quod unus aliqualem me eſſe comperio, a veſtra ſynodo diſſideat in ſuſceptione hominis, qui fidem corrupit; at parvi profecto non ſunt, qui ad mortem uſque pro veritate decertant, quamvis abſit, ut unus ſit, quemadmodum aliquando fuit; ſed orthodoxæ veritatis nomen per Altiſſimi gloriam ubique triumphat. Qua de re audite quod vobis narro novum miraculum, quod Deus in eccleſia ſua nunc in fine temporum ad confirmandum teſtimonium fidei ſuæ in mundo edidit, ut Deus, hominum amator, qui nunquam reliquit, aut relinquet ſe abſque teſtimonio. Dæmonas nimirum illos, qui a trecentis circiter annis a Cyrilli tempore & deinceps fidei verbum depravabant in terris Romanorum illa aſſertione unius hypoſtaſis, unius ſcilicet naturæ, eorumque ſimiles, virtutis ſuæ potentia modo illinc expulit & una cum ipſis ex diptycis & ex univerſa eccleſia Romani Imperii abraſit; Cyrillum, inquam, & Severum, atque alios quoſcumque, qui non diſſimili ac illi fato in impietate periere; illi vero qui in vivis ſunt, & communem cum prædictis tenent ſententiam, in varias Romani Imperii partes projecti, crimen exilio luunt, ſive patriarchæ, ſive epiſcopi, ſive quavis alia dignitate ſpectandi. Cujus rei teſtes oculatos apud nos habemus fratres monachos noſtros, qui univerſo orbe luſtrato ad nos poſtliminio redierunt. En itaque magna Roma, & ſocia ejus Ravenna, & univerſa Italia, atque omne regnum Longobardorum, & Francorum, Africa quoque & Sicilia, Thracia univerſa & Creta, Rhodus etiam & Chius, & omnes inſulæ atque Conſtantinopolis & univerſa ejus ditio, Aſia quoque, & Bithynia, & Lycaonia & Pamphilia, Galatia, & Iſauria, & univerſa Græcia & Jeruſalem & Cyprus & plurimi ex Palæſtina & Phænicia, duas hypoſtaſes, & duas operationes & proprietates Chriſti unanimi conſenſu profitentur. Sed & omnes epiſcopos aliter ſentire convinctos in exilium pellunt. Cyrillum inſuper impium, qui doctrinam de unica hypoſtaſi & proprietate atque operatione Chriſti primus invexit, anathematizarunt & ex diptycis eccleſiaſticis expunxerunt. Et vero miraculi ſpeciem habet, quod illi qui per tria circiter ſæcula errorem ſequuti fuerant, ex Dei gratia ad veritatis agnitionem redierint; nos contra qui per ſex fere ſæcula in vera fide & doctrina firmi perſtitimus, nunc in errorem imprudentes impellamur opera iſtorum Dæmonum, qui a Romanorum ditione abacti fuere; & quum illi Cyrillum fidei ipſorum depravatorem e ſacris diptycis per tria ſæcula modo abraſerint, nos inanimem Cyrilli abortivum, nempe Sahadunam, fatuum hominem, in eccleſiam Dei cum honore ſanctorum admittendum eſſe contendamus; quum præſertim ille contra quotidie clamet, ſe de noſtra communione haudquaquam eſſe, noſque univerſos in errore verſari, ſeque ſatagere, ut nos ad ſuam fidem traducat, & ad hunc ſcopum e terris Romanorum huc reverſiſſe. Hæc proinde intuemini, o Sancti ſacerdotes, & ſedulo ſatagite, ut cuſtodiatis intemeratam noſtram fidem, & viriliter ſtate in cuſtodia Domini, in qua fuiſtis conſtituti, ne dæmones illi, qui ex occidente virtute Dei abacti fuere, per cuniculos in orientem noſtrum irrepant, viliſſimi hominis opera, qui Sahadunas appellatur, noſque in fine mundi infamia hujuſmodi laboremus. Recolite, ut viros doctiſ-

doctiſſimos decet, quæ ſcripta ſunt: per exiguos nimirum & faciles aditus nequitiam hujuſmodi in Romanorum terras intromiſſam fuiſſe, & viros admirandos atque inclytos doctores cecidiſſe atque naufragium paſſos fuiſſe, & ſeipſos flevisse demum, quum ad indigna perpetranda inducti fuiſſent, ad anathematizandam videlicet fidem patrum & benefactorum ſuorum, quorum memoria literis conſignata manet in ſempiternum ad noſtram doctrinam & admonitionem: quoniam finis ſæculorum pervenit ſuper nos. Ecquis vero norit non eſſe iſta initia dolorum adventus Sathanæ? Quod ſi ſub initium dolorum naufragium patimur, quæ nobis ſpes ſupereſt ad ea quæ ventura ſunt? Satagamus ergo, ſicut boni antiſtites, ut ſimus exemplaria virtutum eccleſiæ Dei, ad cujus miniſterium ſegregati fuimus. Ipſe autem miſericors & bonus Deus, qui in poteſtate habet, ut omnem in timentibus ſe gratiam abundare faciat, infirmitatem noſtram ſua miſericordia corroboret, ut faciamus voluntatem ejus omni tempore cunctis diebus vitæ noſtræ. Amen.

# a CONCILIUM ROMANUM

## QUO PAULUS CONSTANTINOPOLITANUS EPISCOPUS

### Et Pyrrhus in hæreſin Monothelitarum relapſus condemnati ſunt, anno Chriſti redemptoris DCXLVIII.

Occaſio concilii hujus quæ.

a *Concilium.*) Cum Paulus epiſcopus Conſtantinopolitanus a pontifice per literas paterne admonitus non reſipiſceret, ſed potius reddita epiſtola (quæ extat in concilio Lateranenſi ſecretario 4.) hæreſin ſuam teſtimoniis ſcripturarum, patrum, & conciliorum corroboraret, adeoque pius pontifex de futura converſione hominis ſuperbi & contumacis parum ſperaret, neceſſarium eſſe putavit, ut apoſtolica ſecuri ad arborem admota, arbor periculoſa & inutilis ſuccideretur. Quamobrem hanc ſynodum indicens mandavit, ut quæ in Africanis conciliis adverſus novam hæreſin, novumque hæreſeos patronum ſtatuta ac decita fuerunt, diligenter inquirantur & communicantur. Quibus omnibus ſedulo peractis, hæreſin Monothelitarum cum typo a Conſtante promulgato condemnavit. Paulum epiſcopum non ſemel excommunicavit, ſede Conſtantinopolitana per ſententiam privavit. Similis ſententia hoc eodem concilio pronuntiata eſt in Pyrrhum, qui poſt abjuratam hæreſin opera Olympii exarchi ad vomitum rediit. De quibus vide quæ habet Anaſtaſius in vita Theodori papæ, quæque ibidem prolixius notavi.

Acta concilii.

OBSERVATIO P. ANTONII PAGI
Ad ann. Ch. 648. n. 14 & ſeqq.

Hac in Synodo Pyrrhi damnationem factam eſſe inter omnes convenit, neque id in dubium vocari poteſt, cum Anaſtaſius, Theophanes, & Auctor libelli ſynodici ſupra a Labbeo allatus illam ea de cauſſa coactam dicant. Paulus etiam CP. Epiſcopus a Theodoro Papa damnatus eſt, ſed non in hoc concilio Romano, verum eo jam celebrato, ut colligitur ex Anaſtaſio, qui ubi ſermonem habuit de Synodo adverſus Pyrrhum habita, narrat translationem corporum SS. Martyrum Primi & Feliciani, aliaque a Theodoro Papa geſta: & poſtea ſubdit: *Tunc ſanctiſſimus Theodorus papa ſcripſit Paulo patriarchæ regiæ civitatis, tam rogans, quamque regulariter increpans, nec non per Apocriſiarios*, &c. Quare Anaſtaſius manifeſte indicat, alio tempore Pyrrhum, alio Paulum anathematizatum eſſe: illum quidem in ſynodo Romana; hunc vero poſtquam ab Apocriſiariis ſuis accepit vitium Pauli jam deſperatum, neque amplius lenocinniis, ſed ferro & igne anathematum curandum. Hinc neque Auctor libelli ſynodici, neque Theophanes ad annum Heraclii XX. qui ſoli ex Antiquis de Synodo Romana cum Anaſtaſio locuti ſunt, de Paulo verba fecere, ſed tantum de Pyrrho, adverſus quem ideo Romanam Synodum congregatam fuiſſe inſinuant. Cumque iidem tres ſcriptores de concilio Romano diſſerentes, ne verbum quidem de typo habeant, evidenter apparet verum eſſe quod ſcribit Combefiſius in hiſt. hæreſ. Monoth. typum a Theodoro papa damnatum non fuiſſe. Certe ſi Theodorus typum damnaſſet, Imperator, ubi Martini creationem accepit, hunc non ſollicitaſſet, ut typo conſentiret, ſed ut decretum adverſus typum latum reſcinderet, poſtulaſſet. Aſt falſum eſt, quod ait Combefiſius, a Theodoro Paulum non fuiſſe damnatum. Ejus conjecturas vel unum teſtimonium abbatum & monachorum Græcorum in libello oblato ſynodo Lateranenſi & ſecretario II. recitato evertit: *Cum quibus*, inquiunt, *& Typum, qui nunc contra orthodoxam fidem factus eſt ex ſubreptione, non ex ſtudio aut mente piiſſimi noſtri imperatoris, ſed ſuaſione importuna, & falſiloquio Pauli depoſiti a prædeceſſore veſtra ſanctitatis Theodoro* &c. Porro non videtur Paulus ante annum 649. ac paulo ante mortem Theodori ab hoc pontifice damnatus; cum ea quæ narrat Anaſtaſius adverſus Apocriſiarios facta initio Martini Pontificatus, videantur referenda ad ſuperiora ac Theodori tempora.

# SIGEBERTI FRANCORUM REGIS EPISTOLA.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Ad hæc ferme tempora, S. Sulpitio pio Bituricenſi antiſtite ad ſuperos translato, aut ſponte abjecto epiſcopali onere monaſticam in ſuburbano cœnobio a ſe conſtructo vitam agente, Wulfoledus ejus ſucceſſor ſynodum provincialem indixerat, ad quam ne ſe conferret, Deſiderius epiſcopus Caturcenſium (qui tum cum Arvernis Ruthenenſibuſque ad Auſtraſiæ regnum ſpectabant) prohibitus fuit a Sigeberto Metenſium rege; ut ejus ad Deſiderium demonſtrat epiſtola, quæ inter Francicas a Marquardo Frehero & Andrea Ducheſnio editas deliteſcit, & eſt ordine 79.

*Domno ſancto & apoſtolico in Chriſto patri Deſiderio Siggebertus rex.*

DUm fabula currente a pluribus & fidelibus noſtris cognovimus, quaſi vocari vos ab VVulfoledo epiſcopo eodemque patre noſtro ſynodali concilio Kal. Septembris in regno noſtro: ignoramus in quo loco una cum reliquos fratres & comprovinciales veſtros debeatis conjungere. Licet nos ſtatuta canonum & eccleſiaſticas regulas, ſicut parentes noſtri in Dei nomen conſervarunt, ita & nos conſervare optamus: tamen dum ad noſtram antea notitiam non fuit perlatum, ſic nobis cum noſtris proceribus convenit, ut ſine noſtra ſcientia ſynodale conſilium in noſtro regno non agatur,

nec

nec ad dictas Kalendas Septembris nulla conjunctio ſacerdotum ex his, qui ad noſtram ditionem pertinere noſcuntur, non fiatur. Poſtea vero opportuno tempore, ſi nobis antea denuntiatur, utrum pro ſtatu eccleſiaſtico, an pro regni utilitate, ſive etiam pro qualibet rationabili conditione conventio eſſe decreverit, non abnuimus. Sic tamen, ut diximus, ut in A noſtri prius deferatur cognitionem. Proinde præſentia ſcripta ſanctitati veſtræ deſtinare curavimus: per quæ petimus, ut pro nobis orare dignetis, & ad iſtam conjunctionem, priuſquam noſtram cognoſcatis voluntatem, penitus accedere non debeatis. Et ut certius credatis, hunc indiculum manu propria ſubter ſubſcripſimus. Siggybertus rex ſubſcr.

## PSEUDO-SYNODUS THESSALONICENSIS

*Gemina a Paulo ejus urbis epiſcopo Monothelita celebrata anno circiter* 649.

QUod per totum orientem glicebat, Monothelitici dogmatis virus, in Illyrium uſque pervadens Paulum Theſſalonicenſem epiſcopum totius provinciæ metropolitanum infecerat. Qua de cauſa coacta ſynodo provinciæ ſuæ forte Theſſalonicæ hæreſim ſtabilivit, conditis in ea capitibus duodecim, quibus impiam illam ſententiam ſuam comprehendit ac conſignavit. His peractis capita illa una cum ſynodica epiſtola tranſmiſit ad ſanctum Martinum pontificem, nec forte ab aliis delata ſunt, quam a Pithano epiſcopo & Ignatio diacono, quos apocriſariorum ejus munus Romæ geſſiſſe Martinus in epiſtola ad eundem data in Labbeo num. XII. legitur. Offenſus his Martinus anathemati Paulum ſubjicere meditabatur; ſed precibus apocriſariorum ejus motus legatos ſuos miſit cum mandatis, ut quam ipſi deferebant fidei confeſſionem, ſignari a Paulo juberent. Venerunt illi, ſed Pauli dolis circumventi pro eo ut quam attulerunt fidei formulam ab eo ſignandam curarent, quam in ſynodo tunc coacta Paulus excudit ſyngrapham, ejus manu ſignatam, acceperunt, in qua omnia quidem B quæ in Martiniana formula continebantur expreſſerat, illud vero reſecuerat, quod Martinus in ſua adjecerat: *Omnia anathematizo quæcumque Romana eccleſia anathematizat*. Fraudem illico ſenſit Martinus, qui primo quidem legatos male geſtæ legationis reos poſtulavit, & canonicæ correctioni ſubjecit. Tum vero anathematis ſententiam latam die I. Novembris indictione VIII. ideſt anni 649. dixit in Paulum ejuſque *literas ſynodales*, *& quæ prius*, *& quæ nunc*, ait, *a te miſſæ ſunt*: ſicut & ea omnia damnavit quæ *ſynodaliter ab eo geſta ſunt*, *& quæ prius*, *& quæ nunc*. Neque his contentus damnatum illum eo etiam nomine voluit quod in *præfato ſecundo ſynodali ſuo ſubſtulerit & hoc*: C *Omnia anathematizare quæcumque anathematizamus*. De his vero omnibus per literas ſuas eundem Paulum certiorem fecit, monens ut tandem reſipiſcens eos omnes damnaret quos Romana eccleſia e cœtu ſuo abjecerat. Ex his literis, quarum verba in hac noſtra narratione expreſſimus, utriuſque ſynodi cognitionem aſſequuti ſumus, quæ Collectores hucuſque fugierunt.

# VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA

## MARTINI PAPÆ I.

ANNO CHRISTI 649.

MArtinus, ᵃ de civitate Tudertina, provincia Tuſciæ, ᵇ ſedit annos ſex, * menſem unum, dies vigintiſex. ᶜ Hujus temporibus Paulus Conſtantinopolitanæ urbis epiſcopus inflatus ſuperbiæ ſpiritu adverſus rectum ſanctæ Dei eccleſiæ dogma, audacter præſumpſit, paternis definitionibus contraire. (*a*) Inſuper ſtuduit * ad cooperimentum proprii erroris * (*b*) quorumdam ſubreptioni, ut & clementiſſimo principi ſuaderet typum exponere, * qui catholicum dogma deſtrueret. In quo typo omnes omnino voces ſanctorum patrum cum nefandiſſimorum hæreticorum * dictionibus enervavit, ſcilicet nec unam, nec duas voluntates, aut operationes in Chriſto domino noſtro definiens confiteri. Qua de re hujuſmodi pravitatem ſuam defendens, quod nunquam nec a prioribus hæreticis præſumptum eſt, * ipſe (*c*) in lite præſumere ſtuduit * in tantum, ut altare (*d*) ſanctæ noſtræ ſedis, quod erat in domo Placidiæ ſacratum in venerabili oraculo, ſubvertens, diriperet. Prohibens ne adorandam D & immaculatam hoſtiam apocriſarii noſtri ibidem Deo offerre valeant, nec communionis ſacramenta percipiant. Qui videlicet apocriſarii (*e*) ex præceptione apoſtolicæ auctoritatis (*f*) * commoverunt eum, ut de tali hæretico intentu recederet. Nec non & conteſtari viſi ſunt, perſecutionibus diverſis cum aliis orthodoxis viris, & venerabilibus ſacerdotibus, * inſecutus eſt eos, quoſdam eorum cuſtodiæ retrudens, alios in exilium deportans, alios autem verberibus * (*g*) committens. Quibus pene omnem mundum conturbantibus, ex diverſis locis querelam contra eos ad apoſtolicam noſtram ſedem plurimi orthodoxi detuliſſe monſtrantur. Conjurantes, ut totius malitiæ, tantæque everE ſionis per apoſtolicam auctoritatem * (*h*) abſcindant commentum: quatenus minime * totius corpus catholicæ eccleſiæ nocibilis eorum * ætheſeos languor diſrumpere valeat. Tunc Martinus ſanctiſſimus ac (*i*) beatus epiſcopus miſit, & congregavit epiſcopos in urbem Romam numero centum & quinque, & fecit ſynodum ſecun-

Margin notes (left): ANNO CHRISTI 649. * B. menſ. I d. 22. — ad opertimentum. — * quibuſdam ſubreptionibus, — * quo — * edictionibus — * illicite — * in tantum vero veſaniæ prorupit, ut altare

Margin notes (right): ANNO CHRISTI 649 * commonuerunt eum, ut ab hujus hæreſis intentione recederet. Nec non & conteſtati eum juſſi ſunt: — * at ille inſecutus — * C ſubmittens. — * abſcinderetur — * totum corpus — * executionis

Dantur variantes ex cod. Luc. 490. (a) *Et ſuper.* (b) *quorumdam ſubreptionibus.* (c) *illicite.* (d) *ſanctæ*, deeſt. (e) *ut de ex.* (f) *commonuerunt.* (g) *ſubmittens.* (h) *abſcindatur.* (i) *Beatiſſimus*

cundum * inſtitutum patrum orthodoxorum in A eccleſia ſalvatoris juxta epiſcopium Lateranenſe. Sedentibus epiſcopis & presbyteris, adſtantibus diaconis & clero univerſo, condemnaverunt Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum, patriarchas Conſtantinopolitanos, qui novitates contra immaculatam fidem præſumpſerunt innectere. Quippe quoniam ipſam excludere properantes, hæreticorum dogmatum contra catholicam Dei eccleſiam confuſionem * concinnaverunt, anathematis ultione * perculſi ſunt. Quæ ſynodus hodie archivis eccleſiæ continetur. Et faciens exemplaria, per omnes tractus orientis & occidentis direxit, & per manus orthodoxorum fidelium diſſeminavit. [d] Ipſis diebus direxit imperator in B Italiam Olympium cubicularium & exarchum ad regendam omnem Italiam, præcipiens, & dicens: Oportet gloriam tuam, ut ſicut nobis ſuggeſſit Paulus patriarcha, hujus a Deo conſervandæ urbis peragere. Et ſi quidem inveneris provinciam ipſam conſentientem in typo a nobis expoſito * tenere omnes, qui ibi ſunt, epiſcopos & hæreticos * poſſeſſorum, atque habitatorum, & peregrinos. (a) & in eodem ſubſcribant. Si autem quomodo nobis ſuggeſſit Platon glorioſus patricius, & Eupraxius glorioſus, (b) potueritis ſuadere exercitui ibidem conſiſtenti, jubemus teneri Martinum, qui hic erat apocriſiarius in regia urbe. Et poſtmodum omnes eccleſias relegere eum, quia factus eſt C a nobis orthodoxus typus, & omnes epiſcopi Italiæ in ipſo ſubſcribant. Si autem * inveneritis contrarium in tali cauſa, exercitum tacitum habetote donec * obtinueritis provinciam, & potueritis vobis exercitum * aggregare (c) * tamen Romanæ civitatis, atque Ravennatis, ut ea, quæ a nobis præcepta ſunt, quantocyus explere * valeatis. Qui prædictus Olympius, veniens in civitatem Romanam, invenit ſanctam Romanam eccleſiam coadunatam cum omnibus epiſcopis Italiæ, ſeu ſacerdotibus vel clero. Et volens implere ea quæ ei juſſa ſunt, (d) amans ſecum * exercitum virtutis, voluit ſchiſma ſanctæ eccleſiæ intromittere. Hoc per pluriṁum tempus actum eſt. Et non illum D omnipotens Deus permiſit quæ nitebatur perficere. Videns ergo ſe a S. Dei catholica atque apoſtolica eccleſia ſuperatum, neceſſe habuit de ſua quaſi mala intentione declinare, ut quod non potuit per manum armatam facere, * ſub hæretico modo per miſſarum ſolennia in eccleſia Dei S. genitricis ſemperque virginis Mariæ ad præſepe perficeret. Nam dum communionem ei porrigeret ſanctiſſimus papa, voluit eum (e) crudeliter interficere, ut demandarat ſuo ſpathario. Sed omnipotens Deus, qui ſolitus eſt ſervos ſuos orthodoxos circumtegere, & ab omni malo eripere, ipſe excæcavit ſpatharium Olympii exarchi, & non eſt permiſſus videre pontificem, quando exarcho communionem porrexit, vel * pacem dedit, ut ſanguis ejus effunderetur, & catholica Dei eccleſia hæreſi (f) * ſubjugaretur. Quod poſtmodum prædictus armiger diverſis cum jurejurando profeſſus eſt. Videns ergo Olympius exarchus, quia manus Dei circumtegebat Martinum ſanctiſſimum papam, neceſſe habuit ſe A cum pontifice concordare, & omnia quæ ei juſſa fuerant, eidem ſanctiſſimo viro indicare. Qui facta pace cum S. Dei eccleſia, colligens exercitum, profectus eſt Siciliam adverſus gentem Saracenorum qui ibidem habitabant. Et peccato faciente, major interitus in exercitu Romano pervenit, & poſt hoc iſdem exarchus morbo interiit. [e] Deinde directus eſt ab imperatore Theodorus exarchus, qui cognomento Calliopa dicitur, cum Theodoro imperiali cubiculario, qui & * Pellurius dicebatur, cum juſſione. Qui tollentes ſanctiſſimum Martinum papam de eccleſia ſalvatoris, quæ & Conſtantiniana appellatur, perduxerunt Conſtantinopolim: & (g) nec ſic acquievit. Deinde directus B eſt prædictus ſanctiſſimus vir in exilium, in locum, qui dicitur * Cerſona. [f] Et ibidem, ut Deo placuit, vitam finivit in pace Chriſti confeſſor. Qui & [g] multa mirabilia operatur uſque in hodiernum diem. [h] Fecit autem ordinationes duas per menſem Decembrem, presbyteros undecim, diaconos quinque epiſcopos per diverſa loca, nu. 33. * Depoſitus (b) die 16. menſis Septembris, (i) & ceſſavit epiſcopatus dies 28.

* Pelagius.
* B. Cherſona.
* Depoſitio ejus celebratur 15. Kalendas Octobris B. 12. Novembris.

## Notæ Severini Binii.

*Quando Martinus pontificatum adeptus ſit.*

a *Martinus.*) Anno Chriſti 649. die prima menſis Julii poſt interregnum unius menſis & ſexdecim dierum, Martinus ex Tuſcia oriundus, thronum apoſtolicum conſcendit. Hunc Novatianæ hæreſeos ſectatorem fuiſſe calumniantur novatores hæretici, ideo quod in epiſtola 11 ad Amandum docuerit non eſſe dandam veniam presbyteris vel diaconis poſt ordinationem ſuam peccantibus. Sed ſi pontificis epiſtolam ſequeſtrato omni affectu attente legiſſent, vel etiamnum legerent, ſine dubio ipſos ſuæ malitiæ & ignorantiæ puderet. Cum enim Amandus Trajectenſis epiſcopus, pravos mores eccleſiaſticorum pertæſus, a Romano pontifice vacationem ab epiſcopatu per literas petiviſſet, Martinus merito id, quod cum incommodo eccleſiæ Trajectenſis petiverat, illi negavit, & ad diſciplinam eccleſiaſticam bonem relo mandam eumdem admonuit, ut presbyteros & diaconos graviter peccantes a gradu ſuo deponat, & ſi reſipuerint, veniamque petierint, eos quidem abſolvat, ſed nunquam ſuis gradibus ac dignitatibus reſtituat. Unde patet, quod Martinus non tam de peccatorum venia, quam de reſtitutione ad ſacra miniſteria loquatur. Vide Bellarm. lib. 4 de Rom. pontif. cap. 12.

*Martinus contra calumniam Magd. defenditur.*

D Hic per S. Landelinum Cameracenſis eccleſiæ presbyterum, & S. Amandum * Leodienſem epiſcopum, & S. Follianum Hiberniæ apoſtolum, impertita ipſis prædicandi facultate, multos infideles ad eccleſiam perduxit.

*Gentium converſio ſub Martino.*
* Trajectenſem

*Quamdiu ſederit.*

b *Sedit annos ſex*) Baronius in appendice tom. 11. corrigens id, quod prioribus editionibus de tempore ſedis S. Martini ſenſerat, ait, eum annis quinque, menſibus quatuor atque diebus duodecim, eccleſiæ regimen adminiſtraſſe.

*Anaſtaſius emendatur.*

c *Hujus temporibus Paulus Conſtantinopolitanæ urbis epiſcopus.*) Hæc quæ deinceps ſequuntur apud Anaſtaſium vere ſub pontificatu Theodori contigiſſe, adeoque hoc loco male recenſeri, ſupra annotavi in notis ad vitam ejuſdem Theodori.

d *Ipſis diebus, &c.*) Quæ hic ab Anaſtaſio enarrantur, contigerunt circa tempora illa, quibus habita in urbe Lateranenſi ſynodo, pontifex Monothelitarum hæreſim condemnaverat. Vide Baron. ann. 649.

*Ob tres calumnias Martinus capitur & relegatur.*

E e *Deinde directus eſt ab imperatore Theodorus.*) Cum imperator cognoviſſet, per Olympium apud ſanctum Martinum papam nihil effectum fuiſſe, ipſamque Monothelitarum hæreſim una cum typo quem promulgaverat, damnatam eſſe, confictis in pontificem tribus calumniis, quaſi fidem a majoribus traditam mutaſſet, cum Sarracenis conſpiraſſet, atque contra Dei genitricis Mariæ cultum neſcio quid locutus, illegitime pontificatum occupaſſet, juſſu Heraclii, atque opera Theodori Calliopæ exarchi, per vim militarem e baſilica Conſtantiniana pontifex abductus, abſtractuſque e palatio Lateranenſi, & in na-

(a) ut in. (b) potueritis. (c) [illegible] (d) armans.
(e) eum interficere. & demandaret &c. (f) [illegible] (g) nec ſic [illegible]
(h) die XVII. (i) deſunt reliqua.

in navim conjectus, aſportatus eſt in orientem, mandato clericis dato, ne abductum ſequerentur. Capto pontifici, quantumvis morbo podagrico affligeretur, inhibitum fuit, ne in terram conſcenderet e navi, omneque humanitatis officium illi negatum eſt, eo conſilio, ut integro anno inter Cycladas detentus, his ærumnis a conſtantia ſolita amoveretur. Poſt exactum annum unum, tandem adduxerunt illum Conſtantinopolim, ubi poſt lapſum 93. dierum, quibus omnium alloquio dedignabatur, in judicium adductus, accuſatus, & per falſos ac perjuros teſtes convictus, gladio addicitur, pontificalibus ornamentis exuitur, urbis opprobrio exponitur, catenisque oneratus in carcerem retruditur: jamque gloriam martyrii conſecutus fuiſſet, niſi Paulus Conſtantinopolitanus epiſcopus morti vicinus obſtitiſſet. Nam cum illi imperator poſtridie quam hæc geſta fuerant, retuliſſet, quæ in ſanctiſſimum pontificem commiſſa erant, ſuo ſe ipſum judicio condemnans, teſte Anaſtaſio in epiſtola hac de re ad occidentales ſcripta, *converſus ad parietem dixit: Hei mihi! & hoc ad abundantiam judiciorum meorum actum eſt: numquidnam, domine, non eſt miſerabile talia pati pontificem? Tunc attentius adjuravit imperatorem ſufficere ei in his quæ paſſus eſt, nihilque amplius ſuſtinere.* Quod cum beatus papa audiſſet, ægre tulit, expectans per gladium conſummare martyrium. Poſt aliquot dies igitur ſuos jam ante conſolatus, navigio in Cherſonam tranſvectus eſt clanculum, ut ibidem in exilio fame, aliiſque corporis calamitatibus conſumptus, diem extremum claudere cogeretur.

Quas pœnas quaſque afflictiones Martinus Conſtantinopoli pertulerit.

Cherſonæ conſtitutus, duas poſtremas ſcripſit epiſtolas, quibus indicat, quas ibi aeris injurias, quamque corporis inediam ſuſtineat.

De relegato Martino pontifice Theodorus exarchus Romæ certior factus, curavit quod mandarat Conſtans imperator, ut quantumvis reluctaretur clerus Romanus, Martino ſucceſſor deſignaretur. Ad majus incommodum evitandum, tandem univerſi cleri conſenſu electus eſt Eugenius iſta conditione, ut ſaltem eo tempore, quo vivebat ſanctus Martinus, vicaria præfectura eccleſiæ præeſſet, idque ne invitis ab imperatore obtruderetur Romanus epiſcopus, qui ejuſdem cum ipſo hæreſeos propugnator eſſet. Hæc ex epiſtolis ſancti Martini papæ & Anaſtaſii bibliothecarii quæ eſt 16. inter epiſtolas Martini, Baronius in annalibus.

Eugenius Martino adhuc viventi ſubrogatur.

f *Et ibidem vitam finivit.*) Anno Chriſti 654. duodecimo die menſis Novembris, quando pontificatum annis quinque, menſibus 4. & 14. diebus adminiſtraſſet.

* Errat ut dicemus in notis.

g *Multa mirabilia operatur uſque in hodiernum diem.*) Refert de eo Audoenus in vita ſancti Eligii apud Surium 1. Novembris, quod adhuc vivens, Conſtantinopoli cuidam per orationem lumen reſtituerit. Gregorius II. ejus nominis pontifex in epiſtola ad Leonem Iſauricum imperatorem hæreticum, hæc de ſancto Martino poſt alia ſubjungit. *At beatum Martinum eſſe ſanctum teſtatur civitas Cherſonenſis & Boſphori, in quam relegatus eſt; & totus ſeptemtrio atque incolæ ſeptemtrionis, qui ad ſepulchrum ejus confluunt, & morborum curationes experiuntur.* Refert Baronius anno 654. num. 6. ſe a viro quodam maxime pio & fide integro accepiſſe, quod in hanc uſque diem memoria ſancti Martini papæ a Græcis adhuc frequentetur; quodque populus frequenti cœtu ad ſepulcrum ejus confluens, gratias curationum accipiat, & alia juſta petita impetret. Probabile eſt, quod dum corpus ejus Romam tranſlatum fuit, Cherſoneuſes unam partem ipſius ſibi aſſervarint.

Miraculis ſanctus Martinus claruit.

h *Fecit ordinationes duas per menſem Decembrem.*) Unam tantum ordinationem menſe Decembris feciſſe potuit, quem primo tantum anno pontificatus ſui menſe Decembri Romæ habitaſſe, ex iis quæ ſupra dixi, conſtat. Anno enim ſecundo pontificatus ſui Roma abductus, reliquos annos exegit in exilio, ut patet ſupra. Baronius prædicto anno num. 8.

Anaſtaſius emendatur.

i *Ceſſavit epiſcopatus ejus dies* 28.) Non eſt probabile quod tam brevi temporis ſpatio obitus ſancti Martini Romam perferri potuerit. Unde quod in aliis codicibus abeſt, huic ſubrepſiſſe videtur.

Quamdiu ſedes vacaverit.

## EPISTOLA I. MARTINI PAPÆ I.

### AD OMNES FIDELES.

*Damnat hæreſim Monothelitarum, & acta ſynodi exponit, monens ut in fide catholica perſiſtant.*

GRATIA vobis & pax multiplicetur in agnitione & communione ſancti Spiritus, *&c. Extat infra in concilio Lateranenſi ſub Martino papa in fine conſultationis* 5.

## II. AD AMANDUM TRAJECTENSEM

### EPISCOPUM.

*Dilectiſſimo fratri Amando Martinus.*

FRATERNITATIS tuæ ſtudio pietatis congeſtam epiſtolam ſuſcipientes, animos noſtros revelari cognoſcimus, *&c. habetur infra in concilio Lateranenſi ſecretario* 5.

## III. AD CONSTANTEM * IMPERATOREM.

Nunciat Monothelitarum hæreſim in concilio, cujus acta tranſmittit, damnatam, ipſumque ad eamdem hæreſim damnandam hortatur.

* Hæ undecim ſequentes beati Martini epiſtolæ Græce exstant in vetuſto manuſcripto Græco codice concilii ab eodem pontifice Romæ in Laterano celebrati contra hæreſim Monothelitarum. Nos eas e cod. Barberinæ biblioth. Romæ ad nos emin. S. R. E. Card. Franciſci Barberini ſtudio atque humanitate tranſmiſſo deſcriptas tibi nunc exhibemus.

Δεσπότῃ εὐσεβεστάτῳ καὶ γαληνοτάτῳ νικητῇ τροπαιούχῳ υἱῷ ἀγαπῶντι τὸν Θεὸν καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν Κωνσταντίνῳ Αὐγούστῳ Μαρτῖνος ἐπίσκοπος δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ καὶ πᾶσα ἡ σύνοδος, ἡ ἐν ταύτῃ τῇ πόλει Ῥώμῃ συναχθεῖσα.

* Hanc & ſeqq. ex codice Barberino exhibemus.

*Domino piiſſimo & sereniſſimo victori triumphatori, filio diligenti Deum & dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Conſtantino * Auguſto, Martinus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, & univerſa ſynodus in hac urbe Roma congregata.*

* Conſtanti.

ΤΩ͂Ι ἐπουρανίῳ βασιλεῖ τῶν αἰώνων Χριστῷ τῷ Θεῷ διὰ σαρκὸς ἐπὶ γῆς φανέντι τῆς νοερῶς ἐμψυχωμένης καὶ ἑνωθείσης αὐτῷ καθ' ὑπόστασιν, τὰ ἀπὸ γῆς δῶρα, προθύμως οἱ μάγοι προσήγαγον. οὐ μᾶλλον τῆς αὐτοῦ θείας ὄντα δόξης ἐπάξια, (ἀσύγκριτος γάρ), ἢ τῆς αὐτῶν προθυμίας δηλωτικά. ἡ μὲν γάρ ἐστιν ἄπειρος, ἡ δὲ διαφερόντως φιλόθεος. Ὑμῖν δὲ γαληνότατοι τοῖς ἐπὶ γῆς δι' αὐτοῦ βασιλεύουσι, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐπειγομένοις διὰ τῆς ἀρετῆς, τὰ ἐξ οὐρανοῦ καὶ εἰς οὐρανοὺς ἀνακομίζοντα τοὺς δεχομένους σὺν παρρησίᾳ πολλῇ προσάγομεν τίμια δῶρα πάντες ἡμεῖς, οἱ αὐτοῦ χάριτι τυγχάνειν ὑπάρχοντες ἱερεῖς, τουτέστι τὰ σωτήρια τῶν ἁγίων πατέρων τε καὶ Συνόδων κηρύγματα πρὸς ἔνδειξιν ἀληθῆ τῆς εἰς αὐτὸν τὸν

COElesti ſæculorum regi Chriſto Deo qui per carnem una cum mente animatam, & ipſi ſecundum hypoſtaſim unitam, in terris apparuit, Magi terrena munera prompte obtulerunt, non magis quæ divina gloria ipſius digna eſſent (eſt enim incomparabilis) quam quæ promptam eorum voluntatem declararent: illa enim infinita eſt, hæc ſingularem Deo amorem exhibet. Vobis autem, sereniſſime, qui in terra per ipſum regnatis & ad eum properatis, cum multa libertate pretioſa [1] offerimus dona, qui omnes per gratiam ſacerdotes ejus exiſtimus; ſalutaria nempe ſanctorum patrum & ſynodorum præconia, ad veram oſtenſionem internæ erga ipſum dominum ac Deum noſtrum caritatis, & erga vos, qui ſinceri ejus eſtis

1 In Græco additur, *quæ de cælo ſunt, & ad cælos perducunt eos, qui eas ſuſcipiunt.* Hard.

Jacob. 1. 17. cœlis miniſtri. Et quoniam *omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a patre luminum*: tamquam ſplendidum aurum poſſidemus firmam in eum & ſinceriſſimam confeſſionem: theologiam vero, thus pūrum & eximium & optimi odoris: myrrham conſervatricem bonorum, & contrariorum expultricem doctrinam. Hæc enim ſtabiliter cuſtodita, erunt ditioni veſtræ corona decoris, & diadema gloriæ in manu domini. Nam regni ornamentum eſt veritatis cognitio, ſplendida & immarceſcibilis, quæque invenitur his qui eam quærunt: quoniam hæc dignos ſe circuit quærens, & iis ſe oſtendit, qui eam non tentant. Quapropter vobis, optime imperator, ut dominum quærentibus in ſimplicitate cordis, & in mentis bonitate de eo ſentire properantibus, ſtudiumus ejus annunciare ſalutare hac relationis noſtræ mediocritate. Nobis enim per Amos prophetam de ſe annunciare præcepit,
Amos 3. dicens: *Sacerdotes audite, & teſtificamini domus Iſrael, dicit dominus Deus omnipotens.* Edocemus igitur pium veſtrum ac ſerenum imperium, quod in hac Dei amante & cultrice veſtra urbe Roma convenientes nos omnes, qui ad manſuetudinem veſtram confugimus, ex apoſtolica & ſpirituali unanimitate & conſenſu, in eadem mente & eadem ſententia, piam orthodoxæ fidei definitionem confirmavimus, & congruenter infirmavimus C inconvenientem hæreticorum ſermonem, qui quondam quique nunc propriorum ſenſuum pravitate ſe a veritate ſepararunt, qui intra ſeipſos non recte ratiocinati, dixerunt non habere in humanitatis ſuæ natura voluntatem aut operationem naturalem, ipſum, qui propter nos humanatus eſt, dominum: ſed ſine voluntate ipſum exiſtere, ac ſine operatione, intangibilemque & inanimem eſſe: & quidem, cum patrum doctrina, teſtem veritatis propriam habentes naturam, ad redarguendam eam, quæ de hoc ab iis dogmatizatur, ab ſurditatem, cum ſubſtantiam ſuam videant ab D ipſo creatore voluntate præditam & operatione factam eſſe. Quomodo igitur a ſe fabricatam, & propria incarnatione aſſumptam a naturali voluntate & operatione deminuit? non vere faciens ſubſtantiæ noſtræ in ſe fidem, ſed imaginarie & fallaciter diſpenſationem ſecundum illos perpetrans, qui ob hoc unam divinitatis ejus atque humanitatis voluntatem & operationem eſſe dogmatizarunt. Quapropter ab omnibus fere aliarum provinciarum Deo amabilibus epiſcopis, & ab apoſtolicis pontificibus in hac ſeniore Roma conſtitutis, in dilectione admonitis, ut ab ejuſmodi damnabili novitate abſtinerent, ad correctionem non venerunt, ſed in deterius pro E greſſi ſunt, divinam ejus voluntatem & operationem in humanam contrahentes: ac veluti aſſerentes, nullam ullo modo cum in utraque earum, ex quibus & in quibus eſt, naturarum, voluntatem & operationem habere, ſed abſque voluntate naturam eſſe, & abſque operatione: quod omnium tum ſanctorum patrum, tum œcumenicorum quinque conciliorum definitiones evertit, quæ per omnia perfectum eumdem in divinitate, & in humanitate perfectum prædicaverunt: tantum abſque peccato. Nam in peccato naturæ perfectio non conſpicitur, ſed vitium agnoſcitur noſtræ tranſgreſſionis. Quod ſi perfectus eſt,

A κύριον ἡμῶν, καὶ Θεὸν, καὶ ὑμᾶς τοὺς αὐτοῦ γνησίους θεράποντας, ἐνδιαθέτου στοργῆς, ἐπειδὴ πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον, ἄνωθέν ἐστι καταβαῖνον ἐπὶ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων, χρυσὸν ὥσπερ διαυγῆ κεκτημένους, τὴν στεῤῥὰν εἰς αὐτὸν καὶ εἰλικρινεστάτην ὁμολογίαν. λίβανον δὲ καθαρὸν καὶ ὑπερφυᾶ καὶ εὐώδη θεολογίαν, καὶ σμύρναν τὴν φυλακτικὴν τῶν καλῶν καὶ ἀπωστικὴν τῶν ἐναντίων διδασκαλίαν. ἔσονται γὰρ ταῦτα παγίως, τῷ ὑμετέρῳ συντηρούμενα κράτει, στέφανος κάλλους, καὶ διάδημα δόξης, ἐν χειρὶ κυρίου. κόσμος γὰρ βασιλείας ἐστὶν, ἡ τῆς ἀληθείας ἐπίγνωσις, λαμπρὰ καὶ ἀμάραντος οὖσα, καὶ εὑρισκομένη τοῖς ἐπιζητοῦσιν αὐτὴν, ὅτι τοὺς ἀξίους αὐ- B τὴ περιέρχεται ζητοῦσα καὶ ἐμφανίζεται τοῖς μὴ πειράζουσιν αὐτὴν, οὗ χάριν ὑμῖν, κράτιστε βασιλέων, ὡς ἐν ἁπλότητι καρδίας ἐπιζητοῦσι τὸν κύριον καὶ ἐν ἀγαθότητι διανοίας, τὰ περὶ αὐτοῦ φρονεῖν ἐπειγομένοις, ἐξαγγέλλειν αὐτοῦ τὸ σωτήριον ἐσπουδάσαμεν, διὰ τῆσδε τῆς μετρίας ἡμῶν ἀναφορᾶς. ἡμῖν γὰρ παρακελεύεται διὰ Ἀμὼς τοῦ προφήτου, τὰ περὶ αὐτοῦ διαγγέλλειν, φάσκων· ἱερεῖς ἀκούσατε, καὶ ἐπιμαρτύρατε τῷ οἴκῳ Ἰσραὴλ, λέγει κύριος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ. ἐκδιδάσκομεν οὖν τὸ εὐσεβὲς ὑμῶν καὶ γαλήνιον κράτος, ὅτι κατὰ τήνδε τὴν φιλόχριστον καὶ δουλικὴν ὑμῶν τῶν Ῥωμαίων πόλιν ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνελθόντες ἡμεῖς ἅπαντες οἱ τῆς σῆς ἡμερότητος πρόσφυ- C γες ἐξ ἀποστολικῆς, ἤγουν πνευματικῆς ὁμοψυχίας τε καὶ συμφωνίας ἐν τῷ αὐτῷ νοῒ καὶ τῇ αὐτῇ γνώμῃ, τὸν εὐσεβῆ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως συνοδικῶς ἐκυρώσαμεν ὅρον, ἀπεκυρώσαμεν δὲ προσηκόντως, τὸν τῶν αἱρετικῶν ἀσύμβατον λόγον, τῶν τε πάλαι καὶ τῶν νῦν σκολιότητι τῶν οἰκείων λογισμῶν ἀπὸ τῆς ἀληθείας ἑαυτοὺς χωρισάντων, οἵτινες εἶπον ἐν ἑαυτοῖς λογισάμενοι οὐκ ὀρθῶς μὴ ἔχειν θέλησιν ἢ ἐνέργειαν φυσικὴν ἐν τῇ φύσει τῆς κατ' αὐτὸν ἀνθρωπότητος αὐτὸν τὸν δι' ἡμᾶς ἐνανθρωπήσαντα κύριον· ἀλλ' ἀνεθέλητον ὑπάρχειν αὐτὸν καὶ ἀνενέργητον, ἀναφ- D τέν τε καὶ ἄψυχον, καίτοι σὺν τῇ πατρικῇ διδασκαλίᾳ, μάρτυρα τῆς ἀληθείας, τὴν οἰκείαν ἔχοντες φύσιν, εἰς ἔλεγχον τῆς περὶ τούτου δογματιζομένης αὐτοῖς ἀτοπίας, θελητικὴν ὁρῶντες καὶ ἐνεργητικὴν τὴν ἑαυτῶν οὐσίαν ὑπ' αὐτοῦ γενομένην τοῦ κτίσαντος. πῶς οὖν τὴν ὑπὸ δημιουργηθεῖσαν ὑπ' αὐτοῦ προσληφθεῖσαν τῇ οἰκείᾳ σαρκώσει κατὰ φυσικὴν ἀπεμείωσε θέλησιν καὶ ἐνέργειαν, οὐ πιστωσάμενος ἀληθῶς ἐν ἑαυτῷ τὴν ἡμετέραν οὐσίαν, ἀλλὰ φαντάσας ἀπατηλῶς κατ' ἐκείνους τὴν οἰκονομίαν, οἱ διὰ τοῦτο καὶ μίαν τῆς θεότητος αὐτοῦ καὶ τῆς ἀνθρωπότητος ὑπάρχειν ἐδογμάτισαν θέλησιν καὶ ἐνέργειαν. ἐφ' οἷς ἐκ πάντων σχεδὸν τῶν ἑτέραις ἐπαρχίαις παροικούντων E θεοφιλῶν ἐπισκόπων, καὶ τῶν κατὰ ταύτην ἱδρυμένων τὴν πρεσβυτέραν Ῥώμην ἀποστολικῶν ἀρχιερέων ἀγαπητικῶς ὑπομιμνησκόμενοι καὶ νουθετούμενοι τῆς τοιαύτης αὐτῶν ἐπιβλαβοῦς ἀπέχεσθαι καινοτομίας, εἰς διόρθωσιν μὲν, οὐκ ἦλθον· ἐπὶ δὲ τὸ χεῖρον προέκοψαν, συνελόντες τῇ κατ' αὐτὸν ἀνθρωπίνῃ, καὶ τὴν θείαν αὐτοῦ θέλησιν καὶ ἐνέργειαν· οἷα μηδαμῶς μηδεμίαν ἔχειν αὐτὸν ἐν ἑκατέρᾳ τῶν ἐξ ὧν καὶ ἐν αἷς ἐστιν ἀποφηνάμενοι φύσεων θέλησιν καὶ ἐνέργειαν. ἀλλ' ἀνεθέλητον εἶναι φύσει καὶ ἀνενέργητον. ὅπερ πάντων τε καὶ πασῶν τῶν ἁγίων πατέρων καὶ τῶν οἰκουμενικῶν πέντε συνόδων, ἀνατρέπει τοὺς ὅρους κατὰ πάντα τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν θεότητι, καὶ τέλειον τὸν αὐ-

τὸ αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι κηρυξάντων, μόνης δίχα τῆς ἁμαρτίας, οὐ γὰρ ἐν ἁμαρτίᾳ τὸ ἐντελὲς ὁρᾶται τῆς φύσεως, ἀλλὰ τὸ ἐμπαθὲς τῆς ἡμῶν ἐπιγινώσκεται παραβάσεως· εἰ δὲ τέλειον κατὰ πάντα, δηλονότι καὶ κατὰ θέλησιν καὶ ἐνέργειαν, ὥσπερ καὶ φύσιν ἄναρχόν τε καὶ ἄκτιστον καὶ κατὰ ἀνθρωπίνην θέλησιν καὶ ἐνέργειαν, ὥσπερ καὶ φύσει ἠργμένην τε καὶ κτιστὴν τελείωσιν ὁ αὐτός, τὸν γὰρ κατά τι μειοῦν, ἀθετεῖ προδήλως τὸν τοῦ τελείου λόγον ἐνορᾶσθαι μηδαμῶς αὐτὸν συγχωρῶν, διὰ τὴν τοῦ κατὰ φύσιν προσήκοντος ἔλλειψιν, ἣν οἱ δι' ἐναντίας, φαμὲν δή, Θεόδωρος ὁ τῆς Φαρὰν ἐπίσκοπος γεγονώς, καὶ Κῦρος ὁ Ἀλεξανδρείας, Σέργιος ὁ τῆς βασιλίδος, καὶ οἱ τούτου διάδοχοι, Πύρρος καὶ Παῦλος, ἐν πρώτῃ τε καὶ δευτέρᾳ συντάξει τῶν οἰκείων δογμάτων, οὐ μόνον ἐνήργησαν, ἀλλὰ καὶ ἐσπούδασαν, τὴν μὲν δι' ἐκθέσεως αὐτοῖς κυρωθῆναι, τὴν δὲ διὰ τύπου βεβαιωθῆναι, κατὰ τῆς πίστεως· ὑφαρπάσαντες ἀθεμίτως τὰς τῆς ἡμετέρας γαληνότητος ἀκοάς, ὥσπερ οὖν καὶ τὰς τοῦ ἐν μακαρίᾳ τῇ μνήμῃ πάππου τῆς ἡμῶν ἡμερότητος, ἵνα τὸν ἑαυτῶν πανούργως ἑτέροις προστρίψωνται μῶμον, καὶ διπλᾶς ἐκ χειρὸς κυρίου τούτου χάριν δέξωνται τὰς ἑαυτῶν ἁμαρτίας, ταυτὸν δὲ λέγειν τὰς ὑπὲρ αὐτῶν δικαίας ἐκτίσεις, ὡς αὐτοί τι παρανομήσαντες· ἐξ ὧν οὐκ ὀλίγος τάραχος ἐν τοσούτοις χρόνοις συνέχει τὴν σύμπασαν γῆν· οὐχ ὅτι μὴ μόνον τῶν εὐσεβῶν σκανδαλιζομένων λαῶν. ἀλλ' ἤδη που καὶ τῶν ἀθέων βαρβάρων τὸ μέγα τῆς ἡμῶν ὁμολογίας διακωμῳδούντων μυστήριον τῷ μὴ τὴν πρώτην μόνον καὶ κορυφαιοτάτην ὑπὸ τῶν ἐναντίων ἀθετηθῆναι πίστιν, ἀλλὰ καὶ τὴν αὐτῆς ἐπινοηθεῖσαν θᾶττον ὑπ' αὐτῶν καταργηθῆναι τῇ τῆς καινοτέρας ἀντεισφορᾷ κακίστης αἱρέσεως. ὡς μηδὲ γινώσκειν ἔτι λοιπὸν ἐκείνους, τί τὸ πιστευόμενον ἐστὶν αὐτοῖς, ἢ δοξαζόμενον, ἐξ ἀνενδότου τῶν οἰκείων περιτροπῆς. οὗ χάριν ἐκ πάντων σχεδὸν τῶν εὐσεβῶν ἱερέων τε καὶ λαῶν τὰς ἐκβοήσεις κατ' αὐτῶν δικαίως ὁ Ἀποστολικὸς δεχόμενος θρόνος, ἐνευχομένων αὐτὸν καὶ διαμαρτυρομένων μὴ μέχρι τέλους οὕτως ὑπ' αὐτῶν κινδυνεύσασαν παριδεῖν τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν· ἀλλὰ διαναστῆναι προθύμως καὶ περισώσασθαι δι' ἀκριβοῦς τῶν πατρικῶν καὶ συνοδικῶν ὅρων παραφυλακῆς, τὴν ἀμώμητον ἡμῶν τῶν Χριστιανῶν πίστιν, πάντας ἡμᾶς ἱεραρχικῶς συνεκάλεσε πρὸς τὸ παρ' ἡμῶν ἅπαντα ψηλαφηθῆναί τε καὶ κριθῆναι κανονικῶς, διὰ πράξεως ὑπομνημάτων τῶν ἐναντίων τὰ δόγματα· περὶ ὧν καὶ εἰπεῖν ἀπετόλμησαν εἰς ἀπάτην τῶν ἀκεραιοτέρων. ταῦτα τῆς εὐσεβείας ὑπάρχειν τὰ δόγματα, ἃ παραδεδώκασιν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου γενόμενοι, καὶ οἱ καθεξῆς τούτων μαθηταὶ καὶ διάδοχοι θεόπνευστοι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας διδάσκαλοι· ταυτὸν δὲ λέγειν αἱ ἅγιαι καὶ οἰκουμενικαὶ πέντε σύνοδοι· διὸ πρὸς ἀπόδειξιν τῆς ἀληθείας καὶ ἀπογύμνωσιν τῆς τῶν ἐναντίων συκοφαντίας τὰ τούτων ἄτοπα δόγματα, καὶ τὰ τῶν ἁγίων πατέρων τε καὶ συνόδων, εὐσεβῆ κηρύγματα κατὰ διαστολὴν ἀκριβῶς παραθέμενοι, καὶ μηδεμίαν εὑράμενοι τούτων πρὸς ἐκεῖνα συγγένειαν· ὥσπερ οὐδὲ σκότους παντελῶς πρὸς τὸ φῶς. τὰ μὲν ὡς ἔφαμεν, ὁριστικῶς ἐκυρώσαμεν. ἤγουν τὰ σωτήρια τῶν ἁγίων πατέρων τε καὶ συνόδων θεσπίσματα, τὰ δὲ συμφώνως, κατεκρίναμεν ἅπαντες, ὡς ἐναντία τῶν εὐσεβῶν ὅρων ὑπάρχοντα καὶ πολέμια, καὶ αὐτούς τε τοὺς αἱρετικοὺς ἤγουν τοὺς εἰρημένους ἄνδρας μετὰ τῆς ἐξηγήσεως αὐτῶν καὶ παρὰ διδαχῆς, γενομένης ἐκθέσεως καὶ τοῦ ῥηθέντος τύπου καὶ πάντων

A videlicet perfectus ſecundum divinam voluntatem & operationem, quemadmodum & juxta naturam principii expertem atque increatam: & ſecundum humanam quoque tum voluntatem, tum operationem, ut & ſecundum naturam creatam, & quæ principium habuit. Qui vero in aliquo eum imminuit, manifeſte evertit perfecti rationem, eam conſpici nullo modo permittens propter ejus quod naturæ convenit defectum: quem adverſarii, Theodorus videlicet, qui Pharan epiſcopus fuit, & Cyrus qui Alexandriæ, Sergius qui regiæ urbis, ac eorum ſucceſſores Pyrrhus & Paulus, in prima & ſecunda conſcriptione dogmatum ſuorum non ſolum poſuerunt, ſed B etiam ſtuduerunt, ut ſibi illa per * expoſitionem, hæc per * formulam confirmaretur, idque contra fidem: nefarie ſubrepentes veſtræ ſerenitatis auribus, ut & antea auribus beatæ memoriæ avi manſuetudinis veſtræ: ut culpam ſuam callide aliis aſpergerent, deque manu domini hanc ob cauſam duplicia peccata ſua reciperent, juſtas videlicet pro iis pœnas, utpote qui ea peccaverint, ex quibus non exigua perturbatio tamdiu univerſam terram vexat: quod non ſolum pii populi ſcandalizentur, ſed impii etiam barbari magnum confeſſionis noſtræ myſterium traducant: quia non ſolum prima ac potiſſima fides ab adverſariis labefactetur, ſed ea etiam, quam ex- C cogitarunt, ſtatim ab iis evacuetur, oppoſita nova peſſimæ hæreſeos pravitate: ut de cetero ne illi quidem intelligant, quid ab illis credatur aut exiſtimetur, propter obſtinatam propriarum opinionum everſionem. Quocirca omnium fere piorum ſacerdotum & populorum contra eos clamores apoſtolica ſedes accipiens, orantium atque obteſtantium, ne uſque in finem catholicam eccleſiam ab ipſis in periculum adductam negligamus, ſed exurgamus acriter, & immaculatam Chriſtianam fidem diligenti paternarum & ſynodicarum traditionum obſervatione conſervemus: nos omnes ſacerdotali ordine convocavit, ut a nobis omnia adverſariorum dogmata tracten- D tur, & canonice per commentariorum acta judicentur, de quibus opinionibus ſuis ad ſimpliciores fallendos auſi ſunt dicere, hæc pietatis eſſe dogmata, quæ tradiderunt qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis, quique deinceps eorum diſcipuli & ſucceſſores fuere, catholicæ eccleſiæ divinitus inſpirati doctores, id eſt, ſanctæ & œcumenicæ quinque ſynodi. Ad veritatis igitur oſtenſionem, & denudationem calumniæ adverſariorum, abſurdam illorum doctrinam, & piam ſanctorum patrum ſynodorumque prædicationem, adverſa dilucide inter ſe comparantes, nec horum ad illa ullam convenientiam & cognationem invenientes, quemadmodum nec E tenebris prorſus ad lucem; hæc, ut diximus, definientes ſancivimus, ſalutaria nempe ſanctorum patrum & ſynodorum decreta: illa vero omnes, ut piis definitionibus contraria & inimica, una voce damnavimus, ipſoſque etiam hæreticos, prædictos nempe homines, una cum ipſorum expoſitione & præfata formula, orta ex ſuggeſtione & pravo eorum dog-

* ἔκθεσιν, τύπον.

dogmate. cumque omnibus, quæ pro iis acta ſcriptaque ſunt: ut veſtram in omnibus ſine ulla macula felicem converſationem tueamur, quæ adverſariorum ſcriptis gravatur. In quam auſi ſunt religioſis Africæ epiſcopis dicere, ſcribentes, quod mente conſilioque regio vere excitati, memoratam piam formulam expoſuiſtis, præcipientem de nimia obſervatione paulum ſine damno remittere. Hæc autem ſcripſerunt ſanctis patribus nullo modo auſcultantes, quod in iis quæ ad Deum pertinent, inque divinis prædicationibus, id quod parum abeſt, paulumque mutatum eſt, non parvum tamen eſt ducendum. Sed in eo vel maxime veſtræ poteſtati labem, ut dictum eſt, inurere properarunt in eo, quod illam formulam præter exactam rationem eſſe teſtati ſunt, & ſcripto aliis ſignificarunt. Quorum in his nequitiam & fraudem averſantes, cum his ipſis & eorum hæreſim canonice damnavimus, ubique omnibus & ante omnes veſtræ divinitus ſtabilitæ ſerenitati notum facientes per ea quæ ſynodice a nobis pro orthodoxa fide in præſenti acta ſunt, quod duas ejuſdem & unius Chriſti Dei edicunt theologi naturas ſive ſubſtantias confiteri, ſecundum hypoſtaſim unitas inconfuſe & indiviſe: & duas juxta naturam voluntates, duaſque juxta naturam operationes, divinam & humanam, increatam & creatam conjuncte unitas, ad veram confirmationem, quod Deus natura perfectus, & homo natura itidem perfectus, idem proprie eſt, & unus Chriſtus ac filius: quodque omnes ſanctis patribus contraeuntes hæretici, quique confuſione, quique diviſione propriis dogmatibus depravati ſunt, impie unam in eo voluntatem & unam operationem ſunt confeſſi: alii quidem, ut per inanem ſpeciem; alii vero, ut per nudam nominum ſimilitudinem, ſive per puram ambiguitatem, magnum incarnationis Chriſti myſterium temerarie reprobarent. Unde nos ad pietatem veſtram confugientes, ut utrorumque tum paternorum piorumque decretorum, tum impiorum hominum ac dogmatum differentiam veſtræ poteſtati aperte exhiberemus, hæc a nobis ſynodice acta una cum eorum Græca interpretatione miſimus, orantes atque hortantes ſerenitatem veſtram divinæ ſapientiæ deditam, ut hæc diligenter legere dignetur, pietatiſque legibus memoratos hæreticos una cum eorum hæreſi condemnet, ac religionis divinæ rationibus ſolam nobiſcum, qui minimi ſumus, ſanctorum patrum & ſynodorum orthodoxam confeſſionem ſanciat, ad catholicæ eccleſiæ commendationem & laudem, & ad incolumitatem reipublicæ veſtræ, Chriſtum amantis, ipſique ſervientis. Solet enim una cum orthodoxa fide ſtatus reipublicæ florere, ac veſtræ poteſtati merito hoſtes ſubjugabit dominus, a veſtra ſerenitate recte creditus, ad vindictam inimicorum creaturam armans. Induet enim lorica juſtitiæ pietatem veſtram, galeaque muniet, judicio vero ac ſimulationis experte: & clypeum præbebit, inexpugnabilem religionem, ad ſubjiciendum pedibus ejus barbaras omnes gentes, quæ bella volunt: utque victorem efficiat, rebus contra vitia pariter & homines feros præclare gerendis: & religioſorum laborum

Unitas parvo momento ſcinditur.

A τῶν ὑπὲρ αὐτῶν πεπραγμένων αὐτοῖς γεγραμμένων, ἵνα τὴν ὑμετέραν ἐν πᾶσιν ἀκηλίδωτον διαφυλάξωμεν ἀπὸ τῶν ἐναντίων ἐγγράφως βαρυνομένην. καθ' ἧς καὶ λέγειν ἐτόλμησαν τοῖς κατὰ τὴν Ἀφρικὴν εὐλαβέσιν ἐπισκόποις, ἐπιστέλλοντες, βασιλικῷ πρὸς ἀλήθειαν φρονήματί τε καὶ βουλεύματι διαναστάντες τὸν εἰρημένον εὐσεβῆ τύπον ἐξέθεσθε, τῆς ἄγαν ἀκριβείας ἀβλαβῶς ἐνδοῦναι μικρὸν διαγορεύοντα. ταῦτα δὲ γεγραφήκασιν, οἷα μηδαμῶς τῶν ἁγίων πατέρων ἐπακούσαντες, ὡς οὐ μικρὸν τὸ παρὰ μικρὸν ἐν τοῖς περὶ Θεοῦ καὶ θείοις ὑπάρχει κηρύγμασιν. ἀλλ' ἔσπευσαν ἐν τούτῳ δὴ μάλιστα τὴν οἰκείαν ὡς εἴρηται τῷ ὑμετέρῳ κράτει προσεμψασθαι λώβην ἐν τῷ παρὰ τὴν B ἀκρίβειαν ἔχειν αὐτῆς τὸν τύπον μαρτύρασθαι, καὶ ἄλλοις ἐγγράφως κατασημαίνειν· ὧν τὴν ἐπὶ τούτοις αὐτοῖς καὶ τὴν αἵρεσιν αὐτῶν κανονικῶς κατακρίναντες, πανταχοῦ τοῖς πᾶσι καὶ πρὸ πάντων τῇ ὑμετέρᾳ θεοστηρίκτῳ γαλήνῃ γνωρίσαντες διὰ τῶν συνοδικῶς ἡμῖν ὑπὲρ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως ἐπὶ τοῦ παρόντος πραχθέντων ὡς δύο τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑνὸς Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ κηρύττουσιν οἱ θεολόγοι τὰς φύσεις, ἤγουν οὐσίας ὁμολογεῖν, καθ' ὑπόστασιν ἡνωμένας ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως, καὶ δύο τὰς κατὰ φύσιν θελήσεις καὶ δύο τὰς κατὰ φύσιν ἐνεργείας, θείαν καὶ ἀνθρωπίνην, ἄκτιστον καὶ κτιστήν. συμφυῶς ἡνωμένας εἰς πίστωσιν ἀληθῆ, τοῦ Θεὸν φύσει τέλειον καὶ ἄνθρωπον φύσει C τέλειον τὸν αὐτὸν κυρίως ὑπάρχειν, καὶ ἕνα Χριστὸν καὶ υἱόν, καὶ ὅτι πάντες οἱ αἱρετικοὶ τοῖς ἁγίοις ἀντιρρόπως ἰόντες πατράσιν, οἵ τε τῇ συγχύσει καὶ τῇ διαιρέσει τῶν οἰκείων δογμάτων καταφθαρέντες, μίαν θέλησιν καὶ μίαν ἐνέργειαν, ἐπ' αὐτοῦ δυσσεβῶς ὡμολόγησαν· οἱ μέν, ἵνα διὰ κενῆς φαντασίας, οἱ δέ, ἵνα διὰ ψυχῆς ὁμωνυμίας, τὸ μέγα τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Χριστοῦ μυστήριον προπετῶς ἀθετήσωσιν. ὅθεν ἡμεῖς οἱ τῆς ὑμετέρας πρόσφυγες εὐσεβείας, ἵνα τὴν ἑκατέρων τουτέστι τῶν τῆς εὐσεβείας πατέρων καὶ ὅρων καὶ τῶν ἀσεβῶν ἀνδρῶν καὶ δογμάτων D τῷ ὑμετέρῳ κράτει τὴν διαφορὰν ἐκφανῶς παραστήσωμεν, αὐτὰ τὰ παρ' ἡμῶν συνοδικῶς πραχθέντα, μετὰ τῆς τούτων πρὸς τὴν ἑλλάδα φωνὴν ἑρμηνείας ἀπεστείλαμεν, δεόμενοι καὶ παρακαλοῦντες, τούτοις ἐπιεικῶς ἐντυχεῖν ἀξιῶσαι τὴν θεόσοφον ὑμῶν γαληνότητα. νόμοις μὲν εὐσεβείας τοὺς εἰρημένους αἱρετικοὺς μετὰ τῆς αὐτῶν αἱρέσεως, καταδικάσαι· λόγοις δὲ θεοσεβείας, μόνην σὺν ἡμῖν κυρῶσαι τοῖς ἐλαχίστοις, τὴν τῶν ἁγίων πατέρων τε καὶ συνόδων, ὀρθόδοξον ὁμολογίαν· εἰς σύστασιν μὲν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ἀσφάλειαν δέ, τῆς φιλοχρίστου καὶ δουλικῆς ὑμῶν πολιτείας. ἐπειδὴ συνακμάζειν εἴωθέ πως ἀεὶ τῇ ὀρθοδόξῳ πίστει, καὶ ἡ τῆς πολιτείας συντήρησις. E συνεκπολεμήσει γὰρ τῷ ὑμετέρῳ κράτει δικαίως τοὺς πολεμίους, ὁ παρὰ τῆς ὑμετέρας γαλήνης ὀρθῶς πιστευόμενος κύριος, ὁπλοποιῶν τὴν κτίσιν, εἰς ἄμυναν τῶν ἐχθρῶν. ἐνδύσει γὰρ θώρακα δικαιοσύνης, τὸ εὐσεβὲς ὑμῶν κράτος, καὶ περιθήσει αὐτῷ κόρυθα, κρίσιν ἀνυπόκριτον. παρέξει τε ἀσπίδα ἀκαταμάχητον ὁσιότητα, πρὸς τὸ ὑποτάξαι ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ, πάντα τὰ βάρβαρα φῦλα, τὰ τοὺς πολέμους θέλοντα, καὶ νικηφόρον ἀναδείξει τοῖς κατὰ παθῶν ὁμοίως καὶ ἀνδρῶν ἀτιθάσσων ἀριστείοις ἀν-

δρα-

1 Lege, διὰ ψιλῆς, ut recte in Latino, per nudam. Harduinus.

δραγαθίαις, καὶ ἱερᾶς ὁσίων καμάτων τὴν αἰωνίαν μετὰ τῶν ἀπ' αἰῶνος ἁγίων κληρούμενον, ἀπόλαυσιν καὶ ἀνάπαυσιν. τὴν εὐσεβεστάτην τοῦ δεσπότου βασιλείαν, ἡ ἄνωθεν χάρις διαφυλάξοι, καὶ πάντων τῶν ἐθνῶν τοὺς αὐχένας αὐτῷ ὑποτάξοι.

Μάξιμος ἐπίσκοπος τῆς ἐν Ἀκυληΐᾳ ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας τῇ παρούσῃ ἀναφορᾷ τῇ παρ' ἡμῶν γενομένῃ ὑπέγ.

Δευσδέδιτ ἐπίσκοπος Καράλλεως, ὁμοίως.

Μαῦρος ἁμαρτωλὸς καὶ ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς ἐν Κεσηνῇ ἁγίας ἐκκλησίας, τὸν τόπον ἀναπληρῶν Μαύρου τοῦ ἁγίου ἐπισκόπου τῆς ἐν Ῥαβέννῃ ἁγίας ἐκκλησίας τῇ παρούσῃ ἀναφορᾷ καὶ παρ' ἡμῶν γενομένῃ ἐπέγραψα.

Δευσδέδιτ πρεσβύτερος τὸν τόπον ἀναπληρῶν Μαύρου τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου τῆς ἐν Ῥαβέννῃ ἁγίας ἐκκλησίας τῇ παρούσῃ ἀναφορᾷ καὶ παρ' ἡμῶν γενομένῃ, ὑπέγ.

Καὶ οἱ λοιποὶ ἐπίσκοποι τῆς συνόδου, ὁμοίως.

A præmium reddat, æternam cum ſanctis, qui a ſæculo ſunt, fruitionem & quietem. Piiſſimum domini imperium ſuperna gratia cuſtodiat, & omnium gentium cervices ei ſubdat.

Maximus epiſcopus ſanctæ Dei Aquilejenſis eccleſiæ, præſenti a nobis factæ relationi ſubſcripſi.

Deuſdedit epiſcopus Caralitanus, ſimiliter.

Maurus peccator & indignus epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Cæſenæ, locum implens Mauri ſancti epiſcopi ſanctæ eccleſiæ Ravennæ, præſenti relationi a nobis factæ ſubſcripſi.

B

Deuſdedit presbyter, locum implens Mauri ſanctiſſimi epiſcopi ſanctæ eccleſiæ Ravennæ, præſenti relationi a nobis factæ ſubſcripſi.

Et ceteri epiſcopi ſynodi ſimiliter.

# IV. AD ECCLESIAM CARTHAGINENSEM.

Probat fidei confeſſionem, quam miſerant; ad eamdem tuendam ipſos excitat: acta Concilii Lateranenſis contra Monothelitas exponit.

Hanc & ſeqq. ex codice Barberino exhibemus.

Τῷ κατὰ συμφωνίαν πνευματικὴν ἐκλεκτῷ γενομένῳ τῆς Καρθαγενησίων καθολικῆς ἐκκλησίας καὶ πᾶσι τοῖς ὑπ' αὐτὸν τελοῦσιν ἐπισκόποις καὶ κληρικοῖς καὶ φιλοχρίστοις λαοῖς. Μαρτῖνος δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ κατὰ χάριν αὐτοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ῥωμαίων ἁγίας καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας.

Πᾶσα μὲν ἀρετὴ, ἀγαπητοὶ ἀδελφοὶ, συναύξειν εἴωθέ πως τοῖς ἐναρέτοις, τὴν πρὸς ἀλλήλους ἀγχιστάτην στοργὴν, οἰκειότητι γνώμης θεοφιλοῦς καὶ πολιτείας ἄλυτον ἐν ἑαυτοῖς συντηροῦσιν ἀεὶ, τὸν τῆς ἀγάπης δεσμόν. ὁ δὲ τῆς πίστεως λόγος, οἷα ῥίζα τις ὑπάρχων καὶ πυθμὴν τῶν ἀρετῶν, ὅλοις καὶ αὐτῷ τῷ ὑπὲρ πάντας Θεῷ, τοὺς εἰς αὐτὸν ὀρθοδόξως πιστεύοντας, πνευματικῶς ἀνακίρνησι. καὶ τοσοῦτον ἑνίζει κατὰ τὸν συμφώνως πρεσβευόμενον αὐτοῖς ὅρον τῆς πίστεως, ὥστε καὶ ἀπ' ἀλλήλων μᾶλλον ἢ ἑαυτῶν τούτων ἕκαστον ἐπιγινώσκεσθαι παρασκευάζειν κατὰ τὴν ἀδιαίρετον χάριν τοῦ πνεύματος. καὶ τοῦτο μαρτυρεῖ σαφῶς ἡμῖν, ἡ βίβλος τῶν πράξεων, οὕτω διαρρήδην κηρύττουσα. τοῦ δὲ πλήθους τῶν πιστευόντων, ἦν ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία, καὶ δυνάμει μεγάλῃ ἀπεδίδουν οἱ ἀπόστολοι τὸ μαρτύριον τοῦ κυρίου Ἰησοῦ τῆς ἀναστάσεως. χάρις τε μεγάλη ἦν ἐπὶ πάντας αὐτούς. ὅθεν τούτοις αὐτοῖς, τουτέστι πίστει καὶ ἀρετῇ τὸν σύνδεσμον τῆς ἀγάπης καὶ ὑμᾶς ἀδελφοὶ κεκτημένους γινώσκοντες πρός ἡμᾶς τε καὶ ἀλλήλους καὶ τὴν πηγαίαν τῶν ἀγαθῶν αἰτίαν τὸν κύριον ἡμῶν καὶ Θεὸν Ἰησοῦν Χριστόν. ἔτι δὲ πρὸς τούτοις πάλιν τῷ συγγενεῖ τῆς ὁμολογίας πορθμοῦ δίκην εὐκόλως ἡμῖν ἐξυπηρετουμένοις εἰς τὴν τῶν κατὰ ψυχὴν εὐσεβῶν νοημάτων φανέρωσιν, εἰκότως ὑμᾶς ἐγκαρδίως γνησιώτερον ἀσπαζόμεθα. μάλιστα καθάπερ λαμπτῆρας ἀειφανεῖς τοὺς χαρακτῆρας τῆς ὑμετέρας ὁμολογίας ἐνσημηναμένων ἡμῖν. ἤγουν τῷ καθ' ἡμᾶς ἀποστολικῷ θρόνῳ διὰ τῶν ἡμετέρων συνοδικῶν γραμμάτων, οὓς ἐν ὑμῖν ἐμόρφωσε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον διὰ τοῦ ῥήτορος τῆς καθο-

C *Electo ſpirituali conſenſu catholicæ Carthaginenſium eccleſiæ, & omnibus qui ei ſubſunt, epiſcopis, clericis, populiſque Chriſti amantibus, Martinus ſervus ſervorum Dei ejus gratia epiſcopus ſanctæ catholicæ, & apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ.*

Omnis quidem virtus, dilecti fratres, bonis viris inter ſe conciliare ſolet generoſiſſimum amorem, qui neceſſitudine religioſæ mentis & converſationis, indiſſolubile caritatis vinculum ſemper in ſe conſervant. Fidei vero verbum, ſicut radix quædam ac fundamentum virtutum, univerſos univerſis, atque ipſi, qui ſuper omnes eſt, Deo,
D eos qui orthodoxe in eum credunt, ſpiritualiter contemperat, eoſque juxta regulam fidei, quæ una voce ab iis prædicatur, ſic unit, ut omnes ab invicem magis quam a ſeipſis cognoſci faciat, per indiviſibilem Spiritus gratiam. Atque hoc nobis aperte Actorum liber teſtatur hoc modo manifeſte prædicans: *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una. Et virtute magna reddebant apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Jeſu Chriſti domini noſtri, & gratia magna erat in omnibus illis.* Unde his ipſis, id eſt fide ac virtute, vinculum caritatis vos quoque, fratres, habere cognoſcentes, & erga nos, & adinvicem, atque ad bonorum fontem
E dominum noſtrum ac Deum Jeſum Chriſtum quæque præterea confeſſionis conjunctione, ultro citroque quaſi transferendo, facile nobis ſubminiſtratur, ad declarationem piorum, qui in mentibus noſtris ſunt, ſenſuum; vos merito de ſincero corde ampleſtimur, cum maxime tanquam perennes lucernas, confeſſionis veſtræ characteres nobis expreſſeritis, ſive huic apoſtolicæ ſedi, per ſynodales literas veſtras: quos [b] in nobis Spiritus ſanctus informavit per eccleſiæ catholicæ oratorem, glorioſum nempe Auguſtinum; quibuſque cum vos patriſſare compere-

Act. 4.

[b] ... Hard.

pererimus, & univerſum in vobis doctoris decus in veſtris piiſſimis dogmatibus efferre atque exprimere, neceſſario his beati Jeremiæ verbis vos omnes collaudamus; *Recordatus ſum miſericordiæ adoleſcentiæ tuæ, & dilectionis perfectionis tuæ.* Adoleſcentiam appellans, miſericordiæ vigorem, ſive fidei radicem, ſicuti a S. Paulo dictum eſt: *Credere enim primum oportet accedentem ad Deum, quod eſt, & quærentibus ſe retributor.* Dilectionis vero perfectionem, impletionem mandatorum. *Nam qui diligit me*, inquit dominus, *mandata mea ſervabit:* &; *Ego & Pater ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Unde & in virum perfectum & in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti B perveniunt ii, qui hæc ſecundum vos ſtudioſe ſervant. Horum igitur & nos cum virtute conjunctorum inſigniumque dogmatum memores, non infructuoſum effecimus veſtrum æmulandum conſenſum; ſed per ſpiritualem in altari interceſſionem Deo tanquam dona offerentes eorum quæ a vobis ſynodaliter geſta ſunt, manifeſte exultantes, & intercedentes pro ſalute veſtra, ea domino obtulimus in odorem ſuavitatis, ſive oſtenſionem ſinceræ in ipſum confeſſionis, ac per utilem eorum recitationem vos præcones veritatis ubique omnibus exhibuimus. Odor erit enim *vitæ* ex vita iis qui noſtram fidem aperte imitantur. Ut autem C hujuſmodi noſtri ſacrificii pretioſum opus vobis quoque ipſis penitus certum faceremus, ea quæ in præſenti a nobis geſta ſunt, continentia, ſicuti dictum eſt, veſtrorum ſermonum ſplendorem & coruſcationem una cum noſtris encycliis literis ad vos miſimus per Theodorum & Leontium religioſos monachos ſanctæ Lauræ; ut ſcienter intuentes noſtra dogmata, (noſtra enim, ſecundum indiviſam Spiritus communionem veſtra ſunt) id eſt apoſtolicas & paternas eccleſiæ catholicæ prædicationes, dicatis, & ipſi, in divina agnitione facti, nequaquam in exceſſu mentis, verum ſemper mentibus vigilantes: *Hoc nunc os ex oſſibus noſtris, & caro de car-* D *ne noſtra*: eamdem quippe in ſenſibus verbiſque veritatis cognationem per omnia & conſpirationem invenientes. Hæc vera fides vocabitur, Deo quidem ante omnia ſæcula præcognita, nunc vero propter nos manifeſtata, nobiſque omnibus, qui in ipſum orthodoxe credimus, donata: quod ab ipſo, qui vere creditur, Chriſto accepta, per ſalubrem prædicationem data eſt in ſalutem animarum noſtrarum, propter quam non ſolum patrem & matrem omnino derelinquet pius homo & orthodoxus, ſed ſuam etiam ipſius animam, eique ſoli adhærebit per integram & inculpatam paternæ doctrinæ unitatem. *Myſterium enim hoc magnum* E *eſt. Dico autem*, ait divinus apoſtolus, *in Chriſto & in eccleſia.* Cognoſcite igitur, dilectiſſimi, vocationem veſtram, firmiter hanc cuſtodientes, ſicut eam per memoratos ſanctos patres, & univerſales quinque ſynodos accepiſtis; quandoquidem & noſipſos, ut ante a nobis dictum eſt, hortati eſtis, hujus fructum offerre Deo, veſtrum nobis per ea quæ ſynodaliter ſcripſiſtis, zelum demonſtrantes. Ne ſimus igitur propriæ confeſſionis prævaricatores per coactionem vel per fraudem eorum, qui nos, ut veriſimile eſt,

*Jere. 2. juxta 70.*

*Hebr. 11.*

*Joan. 14.*

*Communio ſanctorum egregie declarata.*

*Gen. 2.*

*Conſtantia in fide catholica.*

*Unitas fidei.*

*Epheſ. 5.*

A λικῆς ἐκκλησίας· Αὐγουστίνου λέγω τοῦ περιδόξου. δι' ὧν παξώζοντας ὑμᾶς δραμόμενοι καὶ ὅλον ἐφ' ἑαυτῶν τὸν τοῦ διδασκάλου κόσμον ἐν τοῖς εὐσεβέσιν ὑμῶν ἐπικομιζομένους τε καὶ χαρακτηρίζοντας δόγμασιν, ἀναγκαίως τοῖς τοῦ μακαρίου Ἱερεμίου ῥήμασι, πάντας ὑμᾶς ἀνευφημοῦντες λέγομεν, ἐμνήσθην ἐλέους νεότητός σου καὶ ἀγάπης τελειώσεώς σου. νεότητα λέγων ἐλέους τὴν ἀκμὴν, ἤγουν τὴν ῥίζαν τῆς πίστεως, κατὰ τὸ εἰρημένον τῷ ἁγίῳ Παύλῳ· πιστεῦσαι γὰρ δεῖ πρῶτον τὸν προσερχόμενον τῷ Θεῷ, ὅτι ἐστὶ, καὶ τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεται. ἀγάπην δὲ τελειώσεως, τὴν ἐκπλήρωσιν τῶν ἐντολῶν. ὁ γὰρ ἀγαπῶν με, φησιν ὁ κύριος, τὰς ἐντολάς μου τηρήσει, κἀγὼ καὶ B ὁ πατὴρ ἐλευσόμεθα καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσωμεν. δι' ὧν καὶ εἰς ἄνδρα τέλειον εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ καταντῶσιν οἱ ταῦτα καθ' ὑμᾶς σπουδαίως φυλάσσοντες. τούτων τοιγαροῦν καὶ ἡμεῖς τῶν ἐναρέτων ὑμῶν καὶ ἐπισήμων δογμάτων μνησθέντες, οὐκ ἄκαρπον ὑμῶν τὴν ἀξιοζήλωτον συνδρομὴν ἐποιησάμεθα. ἀλλ' ὥσπερ δῶρα τῷ Θεῷ προσκομίζοντες διὰ πνευματικῆς ἐντεύξεως ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ τῶν παρ' ἡμῖν συνοδικῶς πραχθέντων ἐναργῶς ἐπαγαλλόμενοι καὶ κατευξάμενοι ὑπὲρ τῆς ὑμῶν σωτηρίας ταῦτα τῷ κυρίῳ προσεκομίσαμεν εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, ἤγουν ἀπόδειξιν τῆς εἰς αὐτὸν εἰλικρινοῦς ὁμολογίας, κήρυκας ὑμᾶς ἀληθείας πανταχοῦ τοῖς πᾶσι παραστησάμενοι, διὰ τῆς αὐτῶν ἐπωφελοῦς ἀναγνώσεως. C ὀσμὴ γὰρ ἔσεται ζωῆς ἐκ ζωῆς τοῖς τὴν ἡμετέραν πίστιν ἐναργῶς μιμουμένοις. ἵνα δὲ τῆς τοιαύτης ἡμῶν ὑπὲρ ὑμῶν ἱερουργίας τὸ τίμιον ἔργον καὶ ὑμῖν αὐτοῖς ἐν πληροφορίᾳ πάσῃ ποιήσωμεν, αὐτὰ παρ' ἡμῶν ἐπὶ τοῦ παρόντος πραχθέντα συνειλημμένον ἔχοντα καθὼς εἴρηται τὸ διαυγὲς, ἤτοι τὸ μαργαρῶδες τῶν ὑμετέρων λόγων, μετὰ τῆς ἐγκυκλίου ἡμῶν ἐπιστολῆς, πρὸς ὑμᾶς ἀπεστείλαμεν διὰ Θεοδώρου καὶ Λεοντίου τῶν εὐλαβῶν μοναχῶν τῆς ἁγίας λαύρας, ἵνα τοῖς ἡμετέροις ἐπισημένως ἐνατενίσαντες δόγμασιν, ὑμῶν γάρ εἰσι τὰ ἡμέτερα κατὰ τὴν ἀδιαίρετον κοινωνίαν τοῦ πνεύματος, τουτέστι λέγειν τοῖς ἀποστολικοῖς καὶ πα- D τρικοῖς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας κηρύγμασιν, εἴπητε καὶ ὑμεῖς ἐν ἐπιγνώσει θείᾳ γενόμενοι, μὴ ἐκστάντες ὅλως κατὰ ψυχὴν, ἀλλὰ γρηγοροῦντες ἀεὶ τῇ διανοίᾳ, τοῦτο νῦν ὀστοῦν ἐκ τῶν ὀστῶν ἡμῶν, καὶ σὰρξ ἐκ τῆς σαρκὸς ἡμῶν. ἅτε δὴ τὴν αὐτὴν ἐν τοῖς ὑπὲρ ἀληθείας νοήμασί τε καὶ ῥήμασι διὰ πάντων εὑρίσκοντες συγγένειάν τε καὶ σύμπνοιαν, αὕτη κληθήσεται πίστις ἀληθὴς προεγνωσμένη μὲν τῷ Θεῷ πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, φανερωθεῖσα δὲ νῦν δι' ἡμᾶς, καὶ χαρισθεῖσα πᾶσιν ἡμῖν τοῖς εἰς αὐτὸν ὀρθοδόξως πιστεύουσιν, ὅτι ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἀληθῶς πιστευομένου Χριστοῦ ληφθεῖσα διὰ τοῦ σωτηρίου κηρύγματος, δεδώρηται πρὸς περιποίησιν τῶν ἡμετέρων ψυχῶν. δι' E ἣν οὐ μόνον πατέρα καὶ μητέρα καταλείψει πάντως ὁ εὐσεβὴς καὶ ὀρθόδοξος ἄνθρωπος, ἀλλὰ καὶ τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, καὶ αὐτῇ μόνῃ προσκολληθήσεται κατὰ τὴν ἀπαθῆ τε καὶ ἄμεμπτον, τῆς πατρικῆς διδασκαλίας ἑνότητα. τὸ γὰρ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστὶν, ἐγὼ δὲ λέγω, φησὶν ὁ θεῖος ἀπόστολος, εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν. κατανοήσατε οὖν ἀγαπητοὶ τὴν κλῆσιν ὑμῶν βεβαίως ταύτην φυλάσσοντες, καθὼς αὐτὴν παρελάβετε, διὰ τῶν εἰρημένων ἁγίων πατρῶν, καὶ τῶν οἰκουμενικῶν πέντε συνόδων. ἐπειδὴ καὶ ἡμᾶς αὐτοὺς συνοδικῶς ὑπὲρ ὑμῶν προείρηται, καρποφορῆσαι ταύτην

τῷ

τῷ Θεῷ προσρέψαθε, τὸν ὑμέτερον ἡμῖν δι' ὧν συνοδικῶς γεγραφήκατε ζῆλον ἐπιδειξάμενοι. μὴ οὖν τῆς οἰκείας ὁμολογίας παραβάται γενηθῶμεν, δι' ἀνάγκην ἢ ἀπάτην τῶν ὡς εἰκὸς προσβαλλόντων ἢ πειραζόντων ἡμᾶς. ἵνα μὴ τῆς παραβασίας εἰσπραχθῶμεν ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως εἰς αἰῶνας αἰώνων τὸν λόγον. εἰ γὰρ ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος ἐγένετο βέβαιος καὶ πᾶσα παράβασις καὶ παρακοὴ ἔλαβεν ἔνδικον μισθαποδοσίαν, πῶς ἡμεῖς ἐκφευξόμεθα τηλικαύτης ἀμελήσαντες σωτηρίας. ἥτις ἀρχὴν λαβοῦσα λαλεῖσθαι διὰ τοῦ κυρίου, ὑπὸ τῶν ἀκουσάντων, ἤγουν τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ τῶν καθεξῆς αὐτοῦ μαθητῶν, εἰς ἡμᾶς ἐβεβαιώθη, ἐπιμαρτυροῦντος τοῦ Θεοῦ σημείοις καὶ τέρασι καὶ ποικίλαις δυνάμεσι, καὶ πνεύματος ἁγίου μερισμοῖς. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ γραφικαῖς καὶ λογικαῖς ἀποδείξεσι, καὶ πᾶσιν ἁπλῶς, οἷς τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας ἐπιστώσαντο χρόνοις τοσούτοις. ὅπερ καὶ ἡμεῖς συνοδικῶς ἐκυρώσαμεν εἰς σύστασιν μὲν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, κατάκρισιν δὲ τῶν ταύτην πάλαι καὶ νῦν πολεμησάντων αἱρετικῶν, καὶ μάλιστα, τῶν ἐπὶ τῶν καθ' ἡμᾶς ἀναφυέντων χρόνων, Θεοδώρου φαμὲν τοῦ γενομένου τῆς Φαρὰν ἐπισκόπου, καὶ Κύρου τοῦ Ἀλεξανδρείας, καὶ Σεργίου τοῦ Κωνσταντινουπόλεως, καὶ τῶν αὐτοῦ διαδόχων, τῶν μὲν, ἄχρι τέλους οὐ μετανοησάντων, τῶν δὲ, μέχρι τῆς σήμερον, τὴν αἵρεσιν ἰταμῶς ἐκδικούντων. καὶ διὰ τοῦτο ποτὲ μὲν μίαν, ποτὲ δὲ παντελῶς οὐδεμίαν θέλησιν καὶ ἐνέργειαν τῆς θεότητος καὶ τῆς ἀνθρωπότητος, τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ τοὺς πρὸ αὐτῶν ἀσεβεῖς αἱρετικοὺς ἀνοσίως ὁμολογούντων, ἀνταλλαξάμενοι τῆς ὀρθοδόξου τῶν πατέρων πίστεως, τὰς ἐπινοηθείσας αὐτοῖς καὶ ἐξ εἰσηγήσεως αὐτῶν γεγενημένας κατὰ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐκθέσεις καὶ τύπους. ἐξ ὧν οὐκ ἀθωωθήσονται τῆς ἐπικειμένης αὐτοῖς ἐκ τῶν ἁγίων πατέρων τε καὶ συνόδων φοβερᾶς ἀπειλῆς. μᾶλλον δὲ τῆς τοῦ Θεοῦ φοβερωτάτης κρίσεως. τί γὰρ εὕροσαν ἐν τῇ ὀρθοδόξῳ πίστει πλημμέλημα, ὅτι ἀπέστησαν μακρὰν ἀπ' ἐμοῦ, λέγει κύριος, καὶ ἐπορεύθησαν ὀπίσω τῶν ματαίων καὶ ἐματαιώθησαν. οὐ γὰρ εἶπον οἱ ἱερεῖς αὐτῶν, ποῦ ἐστι κύριος, καὶ οἱ ἀντεχόμενοι τοῦ νόμου μου οὐκ ἠπίσταντό με, καὶ οἱ ποιμένες ἠσέβουν εἰς ἐμὲ, καὶ οἱ προφῆται αὐτῶν προεφήτευον τῇ Βααλ, καὶ ὀπίσω ἀνωφελοῦς ἐπορεύθησαν. διὰ τοῦτο κριθήσομαι πρὸς αὐτοὺς, λέγει κύριος. νοήσατε γὰρ σφόδρα καὶ ἴδετε, εἰ γέγονε τοιαῦτα, εἰ ἀλλάξονται ἔθνη θεοὺς αὐτῶν, καὶ οὗτοι οὐκ εἰσὶ θεοί. ὁ δὲ λαός μου ἠλλάξαντο διὰ τῆς ἀπάτης τῶν εἰρημένων ἀνδρῶν, τὴν δόξαν αὐτοῦ ἐξ ἧς οὐκ ὠφεληθήσεται. διὸ παρακαλοῦμεν ὑμᾶς, ἀγαπητοὶ ἀδελφοὶ, ἀξίως περιπατῆσαι τῆς κλήσεως, ἧς ἐκλήθητε διὰ πάσης ταπεινοφροσύνης καὶ πρᾳότητος μετὰ μακροθυμίας ἀνεχόμενοι ἀλλήλων ἐν ἀγάπῃ· σπουδάζοντες τηρεῖν τὴν ἑνότητα τοῦ πνεύματος, ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης, ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα καθὼς καὶ ἐκλήθητε ἐν μιᾷ ἐλπίδι τῆς κλήσεως ἡμῶν, εἷς κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα, μὴ ἐγκαταλείποντες τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν, καθὼς ἔθος τισὶν, οἷς τὸ κρῖμα ἔκπαλαι οὐκ ἀργεῖ, καὶ ἡ ἀπώλεια αὐτῶν οὐ νυστάζει. πεπείσμεθα δὲ περὶ ὑμῶν, ἀγαπητοὶ ἀδελφοὶ, ὅτι εὐκοπώτερον ἡγεῖσθαι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν, ἢ ἰῶτα ἓν, ἢ μίαν κεραίαν. ὅπερ ἐστὶ θεότης τοῦ αὐτοῦ καὶ ἀνθρωπότης, σχήματι σταυροῦ τυπούμεναι μυστικῶς, τοῖς νοητῶς νοοῦσι τὰ παρακείμενα, ἐκ τῆς παραδοθείσης ἡμῖν ἐκ τῶν

A vel impetunt, vel tentant: ne in die judicii rationem prævaricationis in ſæcula ſæculorum repoſcamur. *Si enim qui per angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit juſtam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, ſi tantum neglexerimus ſalutem? quæ cum initium accepiſſet enarrari per dominum, ab eis qui audierunt, nempe a ſanctis apoſtolis,* * *ac deinceps ab eorum diſcipulis, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, & portentis & Spiritus ſancti diſtributionibus:* enimvero & demonſtrationibus tum ex ſcriptura, tum ex argumentis, ac iis plane omnibus, quibus veritatis præconium tam mul- B tis temporibus patres confirmarunt, quod & nos ſynodaliter ſanximus, ad ſtabilimentum & commendationem eccleſiæ catholicæ, damnationem vero hæreticorum, qui & olim & nunc eam oppugnarunt, eorumque præſertim qui temporibus noſtris exorti ſunt: Theodori, inquam, qui Pharan fuit epiſcopus, & Cyri, qui Alexandriæ, & Sergii, qui Conſtantinopolis, ejuſque ſucceſſorum, quorum alii uſque in finem non pœnituerunt: alii ad hanc diem uſque hæreſim pertinaciter defendunt: & idcirco aliquando unam, aliquando vero nullam prorſus voluntatem & operationem divinitatis atque humanitatis domini noſtri Jeſu Chriſti juxta im- C pios, qui eos præceſſerunt, hæreticos confitentur: commutantes orthodoxam patrum fidem in eas quas excogitarunt, & contra catholicam eccleſiam induxerunt, * expoſitiones & formulas. Unde non immunes erunt ab ea, quæ ipſis irrogata a ſanctis patribus ac ſynodis eſt, horribili comminatione, vel potius a tremendo Dei judicio. Quid enim in fide orthodoxa invenerunt iniquitatis? *Quia elongaverunt a me, dicit dominus, & ambulaverunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt. Non enim dixerunt ſacerdotes eorum, ubi eſt dominus? & tenentes legem neſcierunt me, & paſtores prævaricati ſunt in me: & prophetæ prophetaverunt in Baal, & inutilia ſecuti* D *ſunt. Propterea adhuc judicio contendam cum eis, ait dominus: Conſiderate enim vehementer, & videte ſi factum eſt hujuſmodi; ſi mutavit gens Deos ſuos, & certe ipſi non ſunt dii. Populus vero meus mutavit gloriam ſuam: de quo nihil ei proderit.* Quocirca obſecramus vos, fratres dilectiſſimi, *ut digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes invicem in caritate, ſoliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis: unum corpus & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus dominus, una fides, unum baptiſma: non deſerentes collectionem veſtram: perditio eorum non dormitat.* E Perſuaſi autem ſumus de vobis, dilecti fratres, quod facilius putatis, cœlum & terram tranſire, quam iota unum, aut unum apicem: quod eſt divinitas ejus atque humanitas, myſtice in figuram crucis formatæ; iis qui propoſita intellectualiter præcipiunt ex tradita nobis a ſanctis patribus & ſynodis fide, quam vos quoque literis ad nos datis, & ſynodaliter confeſſi eſtis: qua pie prædicaſtis, ipſum ſolum potentem Deum ac dominum noſtrum Jeſum Chriſtum duas habere naturas in hypoſtaſi inconfuſe & indiviſe unitas, duaſque naturales voluntates,

* vel, ac ejus diſcipulis.

* vel, ectheſes ac typos.

Mich. 1

Epheſ. 4

ac duas naturales operationes, increatam & A creatam, divinam & humanam, cohærenter unitas; ad demonſtrandum eumdem & unum dominum noſtrum ac Deum, perfectum in divinitate, & perfectum eumdem in humanitate abſque ſolo peccato eſſe, ut Deo & patri conſubſtantialem ſecundum ejus divinitatem, & perpetuæ virgini conſubſtantialem ſecundum ejus humanitatem, & totum eumdem in propriis ſempiterne ac principio, eumdemque totum in noſtris, in ultimis temporibus, ſine diminutione ac ſine phantaſia. Nam in hac prædicatione divina firmiter fundamentum eccleſiæ integrum ſtat, inconcuſſum ſignaculum habens veræ patrum confeſſionis. Advertite igitur diligenter, fra- B tres, ne quis deſit gratiæ Dei, quæ per ipſos ſanctos nobis tradita eſt, ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, ac per eam inquinentur multi, ſcientes, quod *non ad tractabilem & accenſum ignem acceſſimus, ſed ad Siòn montem, & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cæleſtem, & multorum millium angelorum frequentiam, & eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cælis, & judicem omnium Deum, & ſpiritus juſtorum perfectorum, & teſtamenti novi mediatorem Jeſum, & ſanguinem aſperſionis melius loquentem quam Abel*: & horribiliter ac minaciter redarguentem eos, qui orthodoxæ in ipſum fidei prævaricatores ſunt. C Propter quod remiſſas manus & ſoluta genua erigentes, & greſſus rectos facientes pedibus noſtris, ad bravium ſupernæ vocationis properemus, obliviſcentes quidem hæreticos, qui poſt ſenſum ſuum ambulaverunt; ad patres vero, qui ante nos in orthodoxa fide conſummati ſunt, noſmetipſos extendentes; qui nobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem; cujus cauſa offerimus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus. *Talibus enim hoſtiis promeretur Deus*. Itaque regnum immobile ſuſcipientes, habemus gratiam, per quam ſerviamus placentes Deo cum me- D tu & reverentia; etenim Deus noſter ignis eſt conſumens adverſarios, quem ut lucem inacceſſibilem, & ſplendorem gloriæ, & characterem paternæ ſubſtantiæ, digni efficiamini poſterius nobiſcum videre, id eſt cum ſanctis qui a ſæculo fuerunt, per ſinceram in ipſum & orthodoxam fidem, forte ſecundum promiſſum vobis diſtribuentem quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe: cui cum Patre & Spiritu ſancto gloria, honor, poteſtas, adoratio nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Hebr. 12. 18. 22. &c.

Hebr. 13. 15.

Hebr. 12.

A ἁγίων πατρῶν ϗ συνόδων πίστεως, τῆς ϗ παρ' ὑμῶν ἐγγράφως πρὸς ἡμᾶς ἐν συνοδικῶς ὁμολογηθείσης, δι' ἧς εὐσεβῶς ἐκηρύξατε αὐτὸν τὸν μόνον δυνάστην Θεὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, δύο κεκτῆσθαι φύσεις καθ' ὑπόστασιν ἡνωμένας ἀσυγχύτως ϗ ἀδιαιρέτως, ϗ δύο φυσικὰς θελήσεις, ϗ δύο φυσικὰς ἐνεργείας, ἄκτιστον ϗ κτιστὴν, θείαν ϗ ἀνθρωπίνην συμφυῶς ἡνωμένας, ὡς ἀπόδειξιν ἀληθῆ, τοῦ τὸν αὐτὸν ϗ ἕνα κύριον ἡμῶν ϗ Θεὸν, τέλειον ἐν θεότητι, ϗ τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι, μόνης δίχα τῆς ἁμαρτίας ὑπάρχειν ὡς ὁμοούσιον τῷ Θεῷ ϗ πατρὶ, κατὰ τὴν αὐτοῦ θεότητα, ϗ ὁμοούσιον τῇ ἀειπαρθένῳ κατὰ τὴν αὐτοῦ ἀνθρωπότητα, ϗ ὅλον τὸν αὐτὸν, ἐν τοῖς ἰδίοις, B ἀνάρχως ϗ ἀϊδίως, ϗ ὅλον τὸν αὐτὸν, ἐν τοῖς ἡμετέροις ἐπ' ἐσχάτων τῶν αἰώνων ἀμειώτως ϗ ἀφαντασιάστως. ἐν τούτῳ γὰρ τῷ θείῳ κηρύγματι βεβαίως ὁ τῆς ἐκκλησίας θεμέλιος ἕστηκεν ἀρραγὴς, ἀσάλευτον ἔχων τὴν σφραγῖδα τῆς ἀληθοῦς τῶν πατέρων ὁμολογίας. σκοπήσατε οὖν ἀκριβῶς ἀδελφοὶ, μήτις ὑστερῶν ἀπὸ τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ τῆς δι' αὐτῶν τῶν ἁγίων παραδοθείσης ἡμῖν, μήτις ῥίζα πικρίας ἄνω φύουσα, ἐνοχλεῖ, ϗ δι' αὐτῆς μιανθῶσι πολλοὶ γινώσκοντες, ὡς οὐ ψηλαφωμένῳ ϗ κεκαυμένῳ πυρὶ προσεληλύθαμεν Σιὼν ὄρει ϗ πόλει Θεοῦ ζῶντος, Ἱερουσαλὴμ ἐπουρανίῳ, ϗ μυριάσιν ἀγγέλων ἐν πανηγύρει, ϗ ἐκκλησίᾳ πρωτοτόκων ἀπογεγραμμένων ἐν C οὐρανοῖς, ϗ κριτῇ Θεῷ πάντων ϗ πνεύμασι δικαίων τετελειωμένοις, ϗ διαθήκης νέας μεσίτῃ Ἰησοῦ ϗ αἵματι ῥαντισμοῦ κρεῖττον λαλοῦντι παρὰ τὸν Ἄβελ, ϗ ἐλέγχοντι φοβερῶς ϗ ἀποτόμως τοὺς παραβάτας γινομένους τῆς εἰς αὐτὸν ὀρθοδόξου πίστεως διὰ τὰς παρειμένας χεῖρας ϗ τὰ παραλελυμένα γόνατα ἀνορθώσαντες, ϗ τροχιὰς ὀρθὰς ποιήσαντες τοῖς ποσὶν ἡμῶν, ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως, σπεύδωμεν, ἐπιλανθανόμενοι μὲν τῶν ὀπίσω τῆς ἑαυτῶν διανοίας πορευθέντων αἱρετικῶν, τοῖς ἔμπροσθεν τετελειωμένοις, ἡμῶν ἐν ὀρθοδόξῳ πίστει πατράσιν ἐπεκτεινόμενοι. οἵτινες ἡμῖν ἐλάλησαν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ὧν ἀναθεωροῦντες τὴν ἔκβασιν τῆς ἀναστροφῆς, μιμεῖσθε D τὴν πίστιν. ἧς χάριν ἀναφέρομεν θυσίαν αἰνέσεως διὰ παντὸς τῷ Θεῷ, τουτέστι καρπὸν χειλέων ὁμολογούντων, τῷ ὀνόματι αὐτοῦ, τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεός. βασιλείαν οὖν ἀσάλευτον παραλαβόντες, ἔχομεν χάριν δι' ἧς λατρεύομεν εὐαρίστως τῷ Θεῷ μετ' εὐλαβείας ϗ αἰδοῦς. ϗ γὰρ ὁ Θεὸς ἡμῶν πῦρ καταναλίσκον τοὺς ὑπεναντίους, ὃν ὡς φῶς ὄντα κατὰ φύσιν ἀπρόσιτον, ϗ ἀπαύγασμα τῆς δόξης ϗ * χαρακτὴρ τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως, ἀξιωθείητε νῦν τε ϗ ὕστερον σὺν ἡμῖν κατιδεῖν, ταυτὸν δὲ λέγειν τοῖς ἀπ' αἰῶνος ἁγίοις διὰ τῆς εἰς αὐτὸν εἰλικρινοῦς, ϗ ὀρθοδόξου πίστεως κληροδοτοῦντος κατ' ἐπαγγελίαν ὑμῖν, ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, ϗ οὖς οὐκ ἤκουσε, ϗ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, ἃ ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν, μεθ' οὗ τῷ πατρὶ σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι, δόξα, τιμὴ, κράτος, προσκύνησις, νῦν ϗ ἀεὶ ϗ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

* pro χαρακτῆρα. Hard.

V. AD

## XV. AD JOANNEM EPISCOPUM PHILADELPHIÆ.

Conſtituit eum in oriente vicarium cum poteſtate conſtituendi epiſcopos, & presbyteros, lapſoſque ad fidem redeuntes in priſtino dignitatis gradu collocandi: improbat Macedonii & Petri electionem ab hæreticis factam: mittit acta concilii publicanda.

*Hanc & ſeqq. ex codice Barberin. exhibemus.

Ἰωάννῃ ἐπισκόπῳ Φιλαδελφείας Μαρτῖνος δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἁγίας αὐτοῦ καθολικῆς, καὶ Ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, ἐπίσκοπος.

A

Πιστὸς ὁ λόγος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, ὃν περὶ σοῦ κατηχήθημεν, ἀγαπητὲ ἀδελφέ. ἔκ τε τῶν πρὸς ἡμᾶς παρὰ σοῦ γραφέντων, καὶ ἐκ τῶν ἤδη πεῖραν λαβόντων, τῆς πνευματικῆς σου κατὰ Θεὸν ἀγωγῆς· τουτέστι Στεφάνου τοῦ ἀγαπητοῦ συνεπισκόπου ἡμῶν, καὶ συνεκδήμων αὐτοῦ γινομένων, ἐκ τῶν αὐτόθι μοναχῶν, τῆς τοῦ ἁγίου Θεοδοσίου μονῆς. ἐγνώρισαν γὰρ ἡμῖν ἐν ἐκείνοις ἔχειν σε τὴν σπουδὴν, ἐν οἷς τὸν ἐπίσκοπον ὑπάρχειν ὁ Ἀποστολικὸς ὁρίζεται B λόγος, νηφάλιον, σώφρονα, κόσμιον, φιλόξενον, διδακτικὸν, πρᾷον, ἄμαχον, ἀφιλάργυρον, τῆς ἰδίας ἐκκλησίας καλῶς προϊστάμενον· ταῦτα τοίνυν ἀκούσαντες, χάριν ἔχομεν τῷ Θεῷ, ᾧ λατρεύομεν ἐκ νεότητος ἡμῶν, τῷ δυναμώσαντι ὑμᾶς, σὺν πᾶσι τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν, εἰς τὸ μέτρον τῆς τοιαύτης καταντῆσαι θεοφιλοῦς ἀρετῆς. ἐπειδὴ τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσι, πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθὸν, ὃς ἡμῖν καὶ πάντα τῆς θείας αὐτοῦ δυνάμεως, τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν δεδώρηται, [illegible]ῆς ἐπιγνώσεως τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς, ἰδίᾳ δόξῃ καὶ ἀρετῇ, δι' ὧν τὰ τίμια καὶ μεγάλα ἐπαγγέλματα, δεδώρηται. ἵνα διὰ C τούτων γινώμεθα θείας κοινωνοὶ φύσεως, ἀποφυγόντες τὴν ἐν κόσμῳ ἐπιθυμίαν φθορᾶς. οὕτω τοιγαροῦν προβαίνοντα ἐν κυρίῳ, καὶ τὰς ἀναβάσεις εἰς αὐτὸν ποιούμενον, ἀπὸ δόξης πρὸς δόξαν, προτρεπόμεθα τὴν σὴν ἀγάπην εὐλαβέστατε ἀδελφὲ, τὸν ἡμέτερον αὐτόθι τόπον πληρῶσαι, τουτέστιν ἐν τοῖς μέρεσι τῆς ἀνατολῆς, ἐν πᾶσι τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς κεφαλαίοις· ἵνα ἐν τούτῳ μάλιστα δεόντως ἀναζωπυρήσῃς τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, ὅ ἐστιν ἐν σοὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῆς ἱερατικῆς ἀξίας· καὶ τῆς ἡμετέρας ἀποστολικῆς τοποτηρησίας. οὐ γὰρ ἔδωκεν ἡμῖν ὁ Θεὸς πνεῦμα δειλίας, ἀλλὰ δυνάμεως, καὶ ἀγάπης καὶ σωφρονισμοῦ πρὸς τὸ πᾶσαν μὲν αἵρεσιν ἐξαφανίζειν, ἀντικειμένην τῷ D λόγῳ τῆς πίστεως· πᾶσαν δὲ καταπαλαίειν ἐμπάθειαν, ἀρετῆς θείας οὖσαν ἀντίπαλον. ὡς ἂν οὕτως ἐν κυρίῳ κατευοδούμενος, καὶ τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃς, καὶ καταστήσῃς κατὰ πᾶσαν πόλιν, τῶν ὑπό τε τὸν Ἱεροσολύμων θρόνον τελουσῶν, καὶ τῶν ὑπὸ τὸν Ἀντιοχείας, ἐπισκόπους καὶ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους· τοῦτό σοι ποιεῖν ἐκ παντὸς τρόπου προστασσόντων ἡμῶν, ἐξ ἀποστολικῆς αὐθεντίας τῆς κεχαρισμένης ἡμῖν παρὰ κυρίου διὰ Πέτρου τοῦ παναγίου καὶ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων· διά τε τὴν στένωσιν τοῦ καθ' ἡμᾶς καιροῦ, καὶ τὴν συνοχὴν τῶν ἐθνῶν· ἵνα μὴ εἰς τέλος ἐν τοῖς μέρεσιν ἐκεί- E νοις ἐκλείψῃ τῆς ἱερατικῆς εὐπρεπείας ὁ ἐξαίρετος κόσμος, καὶ ἐκ τοῦ λοιποῦ ἀγνοηθῇ τὸ μέγα τι, καὶ

*Joanni epiſcopo Philadelphiæ Martinus ſervus ſervorum Dei, ſanctæ ejus catholicæ & apoſtolicæ Romanorum eccleſiæ epiſcopus.*

Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quem de te accepimus, dilecte frater, & ex iis quæ ad nos a te ſcripta ſunt, & ab iis qui experimentum jam cœperunt ſpiritualis tuæ ſecundum Deum converſationis, Stephano nempe dilecto coepiſcopo noſtro, & comitibus ejus, monachis manſionis ſancti Theodoſii. Notum enim fecerunt nobis ſtudium te de iis habere, in quibus epiſcopum eſſe oportere apoſtolicus B ſermo determinat: *Sobrium, prudentem, ornatum, hoſpitalem, doctorem, modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſuæ eccleſiæ bene præpoſitum.* (1. Tim. 3.) Hæc igitur audientes, gratiam habemus Deo, cui ſervimus a juventute noſtra, qui confortavit vos cum omnibus qui eum diligunt, ut ad menſuram perveneritis hujuſmodi Deo amabilis virtutis: quoniam iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, omnia cooperatur, qui nobis etiam omnia divinæ ejus virtutis, quæ ad vitam & pietatem pertinent, donavit per cognitionem ejus qui vocavit nos propria gloria & virtute, per quæ pretioſæ magnæque promiſſiones do- C natæ ſunt, ut per hæc ſimus divinæ conſortes naturæ, fugientes ejus quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem. Sic igitur procedentem in domino, & aſcenſiones ad eum facientem de gloria in gloriam, caritatem tuam exhortamur, religioſiſſime frater, noſtram iſtic vicem implere id eſt, in orientis partibus, in omnibus eccleſiaſticis functionibus atque officiis: ut in hoc maxime, ſicut oportet, ſuſcites gratiam Dei, quæ in te eſt per impoſitionem ſacerdotalis dignitatis, & noſtræ apoſtolicæ vicis. *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed fortitudinis, & dilectionis, & prudentiæ ad tollendam omnem hæreſim,* (2. Tim. 1.) quæ verbo fidei D adverſatur, & ad omne vitium expugnandum, quod virtuti divinæ contrarium ſit; ut ſic proſperans in domino, ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per omnem civitatem earum quæ ſedi tum Hieroſolymitanæ, tum Antiochenæ ſubſunt, epiſcopos & presbyteros, & diaconos: hoc tibi omni modo facere præcipientibus nobis ex apoſtolica auctoritate, quæ data eſt nobis a domino per Petrum ſanctiſſimum, & principem apoſtolorum; propter anguſtias temporis noſtri, & preſſuram gentium: ne uſque in finem in illis partibus deficiat ſacerdotalis E decoris eximius ordo, ac ne inde de cetero noſtræ religionis magnum & venerandum myſterium ignoretur: Si jam non ſit ſacer-

Sublato ſacerdotio religionis ignorantia ubi pit

cerdos, & ſacrificium aut ſpirituale libamen, quod jugiter Deo in odorem ſuavitatis pro ſalute populi offeratur. Nam oportet in hoc maxime tempore paſtoribus ſpiritualibus frequentari ac muniri quæ ubique ſunt Dei catholicas eccleſias, quo juxta ipſius domini prædictiones, tribulationes propter peccata noſtra venerunt, quales non fuerunt ab initio mundi uſque modo, neque fient, cum quibus & magnæ ſcandalorum tentationes, ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Quocirca ne differas omnimodo, dilecte, implere, juxta præceptum noſtrum, epiſcopis, & presbyteris, & diaconis, quæ iſtic ſunt catholicas eccleſias, qui per propriam eorum converſationem in omnibus bonis teſtimonium habeant. *Oportet enim epiſcopum*, ſicut beatus Paulus dicit, *ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum: ſed hoſpitalem, benignum, prudentem, juſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere: presbyteros ſobrios, prudentes, ſanos in fide, in dilectione, in patientia: diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes. Hoc enim faciens, & teipſum ſalvabis*, & rationabiles Dei greges, incurſum effugientes luporum, hujuſmodi ſacerdotum diligentia. Dolor enim mihi eſt magnus, & inceſſabilis moleſtia cordi meo, quoadusque per veſtrum in Chriſto ſtudium, hoc opus abſolutum videam, quando quidem hoc & prius apoſtolica hæc ſedes fieri præcepit per memoratum Stephanum, dilectum coepiſcopum noſtrum. Sed hoc ſalutare propoſitum ad effectum venire prohibuerunt, qui talia prohibere dignos ſeipſos præſtiterunt: qui pro arbitratu ſuo, ea quæ ædificationis ſunt, nota ei omnino non fecerunt, nempe præcepta demandatæ vicis apoſtolicæ hujus cathedræ, quibus juſſus eſt electiones ibi facere eorum, qui ad curam Chriſtianiſſimi populi deligendi ſunt: ſolummodo autem ei ſignificarunt de depoſitione, timorem domini minime cogitantes, neque in his formidabilem ejus indignationem. Quoniam igitur, ut noſti, dilecte frater, in ædificationem magis quam in deſtructionem a domino poteſtatem accepimus: ſtudio tibi ſit, ea quæ ædificationis ſunt operari, dato tibi per nos ejus diſcipulos apoſtolico præcepto & poteſtate: & gratia dignos promovere nequaquam dubites ad incolumitatem & ſecuritatem eccleſiæ catholicæ, cum magna dilectione exhortans eos, qui jam depoſiti ſunt, converti ad dominum; poteſt enim eos rurſum in admirabilem lucem ſuam adducere, qui hæc facit & immutat, prout utilius eſt. Quocirca etiam hortatur propheta dicens eis: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur*: quæ vero ſignantur lumine. Et: *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Lavamini, mundi eſtote, auferte novitates cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite a commentitiis veſtris*

*Malis temporibus ſatagendum maxime ut numeroſius ubique ſit clerus, qualis hic ponitur. Matth. 24.*

*Eſa. 1.*

A σεβάσμιον, τῆς ἡμετέρας θρησκείας μυστήριον· οὐκ ὄντος ἱερέως ἔτι καὶ θυσίας, ἢ σπονδῆς εἰς ὀσμὴν εὐωδίας τῷ Θεῷ προσαγομένης ἐνδελεχῶς ὑπὲρ τῆς τοῦ λαοῦ σωτηρίας. δέον γάρ ἐστιν ἐπὶ τοῦ παρόντος μάλιστα καιροῦ, σπουδῇ πάσῃ κατασκευασθῆναι ποιμέσι πνευματικοῖς τὰς πανταχοῦ τοῦ Θεοῦ καθολικὰς ἐκκλησίας, ἵνα καὶ κατὰ τὰς αὐτοῦ τοῦ κυρίου προρρήσεις, αἱ θλίψεις παραγίνονται διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, αἱ οὐ γεγόνασιν ἀπ' ἀρχῆς κόσμου, ἕως τοῦ νῦν, οὐδ' οὐ μὴ γένωνται, μεθ' ὧν καὶ οἱ μεγάλοι πειρασμοὶ τῶν σκανδάλων, ὥστε πλανηθῆναι, εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς. διὸ μὴ ἀναβάλλῃ παντοίως ἀγαπητὲ πληρῶσαι κατὰ τὴν ἡμετέραν πρόσταξιν ἐπισκόπων, καὶ πρεσβυτέρων, καὶ διακόνων, τὰς αὐτόθι καθολικὰς ἐκκλησίας ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς μεμαρτυρημένων, διὰ τῆς B οἰκείας αὐτῶν ἀναστροφῆς. δεῖ γὰρ τὸν ἐπίσκοπον, καθά φησιν ὁ μακάριος Παῦλος, ἀνέγκλητον εἶναι ὡς Θεοῦ οἰκονόμον, μὴ αὐθάδη, μὴ ὀργίλον, μὴ πάροινον, μὴ πλήκτην, μὴ αἰσχροκερδῆ, ἀλλὰ φιλόξενον, φιλάγαθον, σώφρονα, δίκαιον, ὅσιον, ἐγκρατῆ, ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, ἵνα δυνατὸς εἴη καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν· πρεσβυτέρους ὁμοίως, νηφαλίους, σώφρονας, ὑγιαίνοντας τῇ πίστει, τῇ ἀγάπῃ, τῇ ὑπομονῇ· διακόνους ὡσαύτως, σεμνοὺς, μὴ διλόγους, μὴ οἴνῳ πολλῷ προσέχοντας, μὴ αἰσχροκερδεῖς. τοῦτο γὰρ ποιῶν, καὶ σεαυτὸν σώσεις καὶ τὰ λογικὰ τοῦ κυρίου θρέμματα, τὴν C τῶν λύκων ἐκφεύγοντα καταδρομὴν, διὰ τῆς τῶν τοιούτων ἱερέων ἐπιμελείας. λύπη γάρ μοί ἐστι μεγάλη, καὶ ἀδιάλειπτος ὀδύνη τῇ καρδίᾳ μου μέχρις ἂν διὰ τῆς ὑμετέρας ἐν κυρίῳ σπουδῆς, τοῦτο τὸ ἔργον ἀκούσω πεπληρωμένον. ἐπειδὴ τοῦτο καὶ πρότερον ὁ καθ' ἡμᾶς Ἀποστολικὸς γενέσθαι προσέταξε θρόνος, διὰ τοῦ ῥηθέντος Στεφάνου, τοῦ ἀγαπητοῦ συνεπισκόπου ἡμῶν. ἀλλ' ἐνεπόδισαν εἰς ἔργον προβῆναι, τὴν τοιαύτην σωτήριον πρόθεσιν, οἱ τὰ τοιαῦτα διακωλύειν ἀξίους ὄντας ἑαυτοὺς παραστήσαντες, οἵτινες κατὰ τὸ ἠθέλησαν τὰ μὲν τῆς οἰκοδομῆς αὐτῷ παντελῶς οὐκ ἐγνώρισαν, ἤγουν τὰ περὶ τῆς τοποτηρησίας προκείμενα τῆς καθ' ἡμᾶς ἀποστολικῆς καθέδρας, δι' ὧν προσετάγη D ποιῆσαι τὰς χειροτονίας αὐτόθι, τῶν ὀφειλόντων χειροτονηθῆναι πρὸς ἐπιμέλειαν τοῦ χριστιανικωτάτου λαοῦ· μόνον δὲ τὸ τῆς καθαιρέσεως αὐτῷ κατεμήνυσαν, οὐκ ἐννοήσαντες τὸν τοῦ κυρίου φόβον, οὐδὲ τὴν ἐπὶ τούτοις αὐτοῦ φοβερὰν ἀγανάκτησιν. ἐπειδὴ οὖν ὡς οἶδας ἀγαπητὲ ἀδελφὲ πρὸς οἰκοδομὴν μᾶλλον ἢ καθαίρεσιν παρὰ τοῦ κυρίου τὴν ἐξουσίαν ἐλάβομεν, σπούδασον αὐτὸς τὰ τῆς οἰκοδομῆς ἐνεργῆσαι τῇ δεδομένῃ σοι παρ' αὐτοῦ δι' ἡμῶν τῶν αὐτοῦ μαθητῶν ἀποστολικῇ προστάξει καὶ ἐξουσίᾳ· καὶ τοὺς ἀξίους τῆς χάριτος προβάλλεσθαι μηδαμῶς ἐνδοιάσῃς πρὸς ἀσφάλειαν E τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας προτρεπόμενος, λίαν ἀγαπητικῶς, καὶ τοὺς ἤδη καθαιρεθέντας ἐπιστρέψαι πρὸς κύριον· δύναται γὰρ αὐτοὺς καὶ πάλιν, εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ φῶς ἀγαγεῖν, ὁ ποιῶν πάντα καὶ μετασκευάζων πρὸς τὸ λυσιτελέστερον. διὸ καὶ παραινεῖ λέγων αὐτοῖς ὁ προφήτης· προσέλθετε πρὸς αὐτὸν καὶ φωτίσθητε, καὶ τὰ πρόσωπα ὑμῶν οὐ μὴ καταισχυνθῇ τῷ ἀληθινῷ φωτὶ σημειούμενα· καὶ ἐὰν ὦσιν αἱ ἁμαρτίαι ὑμῶν ὡς φοινικοῦν, ὡς χιόνα λευκανῶ. ἐὰν δὲ ὦσιν ὡς κόκκινον, ὡς ἔριον λευκανῶ. καὶ ἐὰν θελήσητε καὶ εἰσακούσητέ μου, τὰ ἀγαθὰ τῆς γῆς φάγεσθε.

A γνῶτε. μόνον λούσασθε, καθαροὶ γένεσθε, ἀφέλετε τὰς πονηρίας ἀπὸ τῶν ψυχῶν ὑμῶν ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν μου· παύσασθε τῶν ἑτεροδόξων ὑμῶν δογμάτων· μάθετε καλῶς ὁμολογεῖν, ἐκζητήσατε τὴν ὀρθόδοξον πίστιν· καὶ δεῦτε καὶ εἰσδέξομαι ὑμᾶς λέγει κύριος. ἱκανῶς οὖν δι' αὐτοὺς ἀποροῦμαι, μέχρις ἂν πάλιν μορφωθῇ Χριστὸς ἐν αὐτοῖς διὰ τῆς πίστεως. ὅθεν καὶ ἀδιαλείπτως ὑπὲρ αὐτῶν ἔχω νυκτὸς καὶ ἡμέρας μετὰ δακρύων τὴν δέησιν, ἵνα αὐτὸς ὁ δι' ἡμᾶς σαρκὶ πεπονθὼς ἑκουσίως, πάλιν αὐτοὺς τῇ δυνάμει τοῦ ἰδίου καὶ ζωοποιοῦ αἵματος, πρὸς ἑαυτὸν καὶ ἡμᾶς, ἀλύτως ἑνώσῃ, δι' ὁμονοίας εἰλικρινοῦς. εἰδὼς οὖν ἀγαπητὲ τὴν τοιαύτην ἡμῶν περὶ αὐτῶν ἀθυμίαν, μὴ παύσῃ διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ Θεοῦ, B συντόνως αὐτοὺς παρακαλῶν, καὶ τὸ προφητικὸν αὐτοῖς ὡσημέραι καταπᾴδων ῥητὸν τὸ φάσκον· μὴ ὁ πίπτων οὐκ ἀνίσταται, ἢ ὁ ἀποστρέφων, οὐκ ἐπιστρέφει; ἐγγίσατέ μοι καὶ ἐγγιῶ ὑμῖν λέγει κύριος· ὅτι Θεὸς ἐγγίζων, ἐγώ εἰμι, καὶ οὐ Θεὸς πόρρωθεν. ἐγγὺς γὰρ κύριος πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις αὐτὸν, ἐν ἀληθείᾳ τῇ κηρυττομένῃ παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων. ἀλλὰ μὴ ἀποκάμῃς τοῦτο ποιῶν. γέγραπται γάρ· τὸ καλὸν ποιοῦντες, μὴ ἐκκακεῖτε. μάλιστα δὲ ἀκούων τοῦ λέγοντος. ἀδελφοί μου, ἐάν τις ἐν ὑμῖν πλανηθῇ ἀπὸ τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπιστρέψει τὶς αὐτὸν, γινωσκέτω, ὅτι ὁ ἐπιστρέψας ἁμαρτωλὸν ἐκ πλάνης ὁδοῦ, σώσει ψυχὴν αὐτοῦ ἐκ θανάτου, καὶ καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν; C καὶ πάλιν· ἐὰν ἐξάγῃς τίμιον ἀπὸ ἀναξίου, ὡς στόμα μου ἔσῃ· καὶ ἀναστρέψουσιν αὐτοὶ πρὸς σὲ, καὶ σὺ οὐκ ἀναστρέψεις πρὸς αὐτούς. καὶ δώσω σε τῷ λαῷ τούτῳ, ὡς τεῖχος χαλκοῦν καὶ ὀχυρόν. τοιγαροῦν ἐὰν τῇ δυνάμει τῆς χάριτος εὐήνιον ἕξουσι τὸν λογισμόν, καὶ τὸ οὖς εὐήκοον εἰς τὸ πεισθῆναι καὶ ἀκοῦσαι φωνῆς κυρίου τοῦ ἐπιγνῶναι αὐτὸν δι' ἀληθοῦς ὁμολογίας, κύρωσον ἕκαστον αὐτῶν ἐν τῇ ἰδίᾳ τάξει βεβαίως, ἐπιδιδόντων αὐτῶν ἐνυπογράφους λιβέλλους περὶ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως· εἰς τὸ καρποφορῆσαι καὶ αὐτοὺς τῷ Θεῷ τὴν ἑτέρων ἐπιστροφὴν καὶ βελτίωσιν· ἵνα καρπὸν πολὺν φέροντες, μείζονος ἀξιωθῶσι παρὰ τοῦ κυρίου τιμῆς. D τοῦτο δὲ σκοπήσει πάντως ἡ σὴ ἀγάπη, ἐν τοῖς παρ' αὐτῆς κυρουμένοις ἢ χειροτονουμένοις, μήπως πρὸς τῇ κατ' αὐτοὺς αἱρέσει τῇ καταργουμένῃ παρ' αὐτῶν διὰ τοῦ ἐπιδιδομένου λιβέλλου, καὶ ἕτερά τινα παραπτώματα τῷ κανόνι σεσημειωμένα κωλύσει τούτων τὴν ἐπικύρωσιν ἢ τὴν χειροτονίαν. ἀδύνατον γὰρ συγκαταλύπτειν ἢ παρατρέχειν τὰ μὴ τόπον ἔχοντα προσηκόντως ἀπολογίας. ἀλλὰ παραιτεῖσθαι παντελῶς ἐν τοῖς φιλαμαρτήμοσι τὴν ἐξ οἰκονομίας ἐπὶ τῶν τοιούτων ὀλισθημάτων συγγνώμην. ἵνα μὴ πλέον αὐτοί τε βαρῶνται διὰ τὴν καταφρόνησιν τοῦ κανόνος, καὶ ἡμεῖς ὑπὸ μέμψιν γινώμεθα, τοῦ παρανομεῖν αὐτοῖς ἐφιέντες τὴν ἄδειαν. E ἐκδικηταὶ γὰρ καὶ φύλακες, ἀλλ' οὐ παραβάται τῶν θείων κανόνων ὑπάρχομεν. ἐπειδὴ τοῖς παραβάτεσι, σύζυγοι πρόδηλοι αἱ ἀνταποδόσεις τυγχάνουσιν. οὗτινος χάριν φυλαχθῆναι τὸν κανόνα παρεγγυώμεθα ἐπὶ τῶν παρὰ γνώμην, καὶ εἴδησιν αὐτοχειροτονησάντων ἢ χειροτονηθέντων ἐπὶ τῆς πατριαρχίας τοῦ ἐν μακαρίᾳ τῇ μνήμῃ Σωφρονίου. τοὺς μέντοι πρὸ τῆς αὐτοῦ πατριαρχίας, ἢ μετὰ τὴν ἐν κυρίῳ χειροτονηθέντας παρά τινων, οὐ προσηκόντως διὰ τὴν στένωσιν, ὡς εἴρηται, τοῦ καιροῦ, καὶ τὴν ἀπορίαν τοῦ χειροτονεῖν ἢ ἐπιξέπειν εἰσκρίτους, ἥτις κατὰ κανόνος ὀφείλοντος, τοὺς

A *dogmatibus ; diſcite bene confiteri , quærite orthodoxam fidem : & venite, & recipiam vos , dicis dominus*. Quare nimium propter ipſos aporior , donec rurſum formetur in iis per fidem Chriſtus . Unde pro ipſis indeſinenter diu noctuque cum lacrymis obſecrationem facio , ut ipſe qui propter nos in carne voluntarie paſſus eſt , rurſum eos virtute proprii & vivifici ſanguinis ad ſeipſum & nos indiſſolubiliter per ſinceram concordiam uniat. Cognoſcens igitur , dilecte , hujuſmodi noſtrum de ipſis mœrorem , ne ceſſes per miſericordiam Dei continenter eos hortari , & propheticam iis quotidie decantare vocem, quæ dicit : *Numquid qui cadit , non reſurget ;* [Jerem. 8.] B *& qui averſus eſt , non revertetur ?* * *Appropinquate mihi , & appropinquabo vobis , dicit dominus : quia Deus appropinquans ego ſum , & non Deus de longe . Prope enim dominus omnibus invocantibus eum in veritate ,* quæ a ſanctis patribus prædicatur . Et vero ne defatigeris hoc faciens . Scriptum eſt enim : *Bonum facientes ne deficiatis* . Optime autem audiens dicentem : *Fratres mei , ſi quis ex vobis erravit a veritate , & convertit quis eum ; ſcire debet , quoniam qui convertere fecerit peccatorem ab errore via ſua , ſalvabit animam ejus a morte & operiet multitudinem peccatorum* . Et rurſum : *Si ſeparaveris pretioſum a vili , quaſi os meum eris :* C *& convertentur ipſi ad te , & tu non converteris ad eos . Et dabo te populo huic in murum aneum , fortem* . Quapropter ſi virtuti gratiæ mentem obſequentem habebunt , & obedientem aurem , ut perſuadeantur , & audiant vocem domini , ut eum per veram confeſſionem cognoſcant ; confirma unumquemque eorum in proprio ordine , ſcriptos libellos ipſis dantibus de orthodoxa fide : ut fructum Deo ferant , aliorum converſionem & meliorationem : atque ut multum fructum afferentes , majore a Deo honore digni habeantur . Hoc etiam omnino advertet caritas tua , in iis qui ab ipſa confirmantur , aut eliguntur, ne quo modo , præter hæreſim quæ ab ipſis dato libello evacuatur, alia D quædam peccata , nota canone , eorum impediant vel confirmationem vel electionem. Impoſſibile enim eſt, ea contegere vel prætermittere, quæ continentem locum defenſionis non habent : ſed omnino in iis qui libenter peccant & amant peccare , denegare oportet eam veniam , quæ in hujuſmodi lapſibus ex diſpenſatione datur: ne & ipſi propter canonis contemptum amplius graventur , & nos in culpa ſimus , injuſte agendi iis licentiam permittentes . Defenſores enim divinorum canonum & cuſtodes ſumus , non prævaricatores : quandoquidem prævaricationibus conjunctæ manifeſto retributiones ſunt. E Cujus rei gratia , hortamur canonem obſervari in iis , qui præter mentem ac ſcientiam ſeipſos elegerunt vel delecti ſunt in patriarchia beatæ memoriæ Sophronii. Qui ſane ante ipſius patriarchiam , vel poſt deceſſum in domino, a quibuſdam non convenienter electi ſunt , propter anguſtiam (ut dictum eſt) temporis , vel quod ejus copia non eſſet , qui judicio adhibito ſive juxta canones eligere deberet, vel permittere : tales datis ſcriptis libellis confirmari mandamus , nullatenus inde canoni præjudicio facto . Novit enim canon afflictorum temporum perſecutio-

[Jacob. 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.]
[Jer. 23. juxta 70.]
[Jacob. 5.]
[Jere 15.]

tionibus veniam tribuere, in quibus contemptus non præceſſit, prævaricationem redarguens: ſed anguſtia magis & penuria, quæ propter neceſſitatem, ex miſericordia cogit multam diligentiam prætermittere. Sed hæc de illis. Ejus vero qui falſe epiſcopatus ſibi nomen affinxit, Macedonii dico, importunas literarum minas, ſive proteſtationem. fortiter deſpuito, ut rabidi canis & temerarii latratum; auſcultans ei qui dicit: *Nolite timere opprobrium hominum, & contemptu eorum ne vincamini.* Hunc enim epiſcopum catholica eccleſia nullo modo novit, non ſolum quod is præter canones in externa regione ſine conſenſu, & abſque ullo decreto, hanc ſibi appellationem uſurpavit: ſed B & quod conſentiat hæreticis, qui hæreſeos ſuæ appendicem, ejus electionem per contemptum tumultuarie fecerunt: quemadmodum & Petri, qui ab iis nominatus eſt & aſſimulatus epiſcopus Alexandriæ: ut per plures & aſcriptitias perſonas, hæreſim ſuam munitiorem utique reddant: quam una cum ipſis impræſentiarum canonice hic & ſynodaliter anathematizavimus, Theodorum videlicet, qui Pharan epiſcopus fuit, & Cyrum qui Alexandriæ, & Sergium qui Conſtantinopolis, ejuſque ſucceſſores Pyrrhum & Paulum, & eos qui ſimilia ipſis ſenſerunt, aut ſentiunt, vel ſentient, & uſque in finem non pœnituerint aut ſe correxerint. qui C bulcum & typum * quæ ex ſuggeſtione ipſius Pauli nuper facta eſt, contra integritatem noſtræ Chriſtianæ fidei: definientes, ut ubique omnes orthodoxi pie ſentiant & confiteantur, ſicut tradiderunt nobis præcipui catholicæ eccleſiæ patres & ſanctæ univerſales quinque ſynodi: id eſt, duas ejuſdem & unius domini ac Dei noſtri Jeſu Chriſti ſecundum hypoſtaſim unitas inconfuſe & indiviſe naturas, ex quibus & in quibus conſtat; duaſque juxta naturam operationes, ac duas juxta naturam voluntates, divinam & humanam, in uno & eodem connaturaliter unitas & ſervatas. Quæ ut cognoſcat tua in domino ſpiritualis dilectio, ac per te omnes D quæ iſtic ſunt eccleſiæ catholicæ: hæc ipſa a nobis hic ſynodaliter geſta, ad conſtituendam defendendamque catholicam eccleſiam, una cum encycliis noſtris & ſynodalibus literis miſimus per presbyterum & apocriſarium noſtrum, abbatem Theodorum, & monachos ſancti Theodoſii religioſiſſimæ * manſionis, Joannem, Stephanum, Leontium, qui hujuſcemodi noſtræ apoſtolicæ ſynodo interfuerunt, & per gratiam Dei ipſo viſu didicerunt quæ inſecuta ſunt omnia, & canonice definita. Quæ ipſe firmiter cuſtodiens, denuntia quoque omnibus, qui iſtic ſunt, fidelibus populis inviolabiliter tenere, in propriarum ſalutem animarum. Quapro- E pter teſtificor coram Deo & Jeſu Chriſto & electis angelis, ut hæc cuſtodiens, amoto omni præjudicio, nihilque placendi cauſa faciens, ſed ex pura conſcientia, evangelium gratiæ tradas omnibus ſicut accepiſti & a ſanctis patribus, & a nobiſipſis, qui ſynodaliter ſanctiones eorum confirmavimus. Ne igitur erubeſcas teſtimonium domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed conſorteris gratia ipſius: & quæ audiſti a nobis per multos teſtes, ſive demonſtrationes ex ſcripturis & ex patribus, ea commenda fidelibus hominibus, qui

Iſai. 51. juxta 70.

* Lege, [illegible] Hard.

* Monaſterii. Hard.

A τοιαύτας κυρωθῆναι προσάττομεν, διὰ τῆς ἐπιδόσεως τῶν ἐγγράφων λιβέλλων, οὐδαμῶς ἐστὶν ὅσον τοῦ κανόνος προσχηματιζόμενα τοῦ σκοποῦ. οὐδὲ γὰρ ὁ κανὼν ἀπονέμει συγγνώμην, τοῖς τῶν ἐλευθερῶν ἐκ ῥαθυμίας, ἐν οἷς, ἡ προηγουμένη καταφρόνησις ἐλέγχουσα τὴν παράβασιν. συνοχῇ δὲ μᾶλλον καὶ ἀπορίᾳ βιαζομένη πως διὰ τὴν ἀνάγκην, ἐξ οἰκτοῦ παραχωρεῖν τὴν ἀκρίβειαν. ἀλλὰ ταῦτα μὲν περὶ τούτων. τοῦ γε μὴν ψευδωνύμως τὴν τῆς ἐπισκοπῆς ἑαυτῷ περιπλάσαντος ὀνομασίαν, Μακεδονίου λέγω, τὴν διὰ γραμμάτων ἄκαιρον ἀπειλὴν, ἤτοι διαμαρτυρίαν συντόνως διάπτυσον ὡς ὑλακὴν λυσσῶντος καὶ ἀτάκτου κυνός· ἀκούων τοῦ λέγοντος· μὴ φοβεῖ- B σθε ὀνειδισμὸν ἀνθρώπων, καὶ τῷ φαυλισμῷ αὐτῶν μὴ ἡττᾶσθε. τοῦτον γὰρ οὐδαμῶς οἶδεν ἐπίσκοπον ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, οὐ μόνον διὰ τὸ παρὰ κανόνας αὐτὸν ἐπ' ἀλλοδαπῆς τὴν τοιαύτην ἀσυμφώνως καὶ δίχα παντὸς ἐγκρίτου ψηφίσματος σφετερίσασθαι προσηγορίαν, ἀλλὰ καὶ τὸ ὁμόφρονά τε καὶ ὁμόδοξον ὑπάρχειν τοῖς αἱρετικοῖς· οἵτινες καὶ πάρεργον τῆς ἰδίας αἱρέσεως τὴν αὐτοῦ φαυλίσαντες ἐσχεδίασαν χειροτονίαν· ὥσπερ οὖν καὶ τὴν Πέτρου τοῦ ὀνομασθέντος αὐτοῖς καὶ ἀναπλασθέντος, ἐπίσκοπον Ἀλεξανδρείας· ἵνα διὰ πλειόνων καὶ παρεγγράπτων προσώπων, ὀχυρωτέραν δῆθεν τὴν ἑαυτῶν ἀποφήνωσιν αἵρεσιν· ἥντινα σὺν αὐτοῖς ἐπὶ τοῦ παρόντος κανονικῶς ἐνθάδε καὶ συνοδι- C κῶς ἀνεθεματίσαμεν, τουτέστι Θεόδωρον τὸν τῆς Φαρὰν γενόμενον ἐπίσκοπον, καὶ Κῦρον τὸν Ἀλεξανδρείας, καὶ Σέργιον τὸν Κωνσταντινουπόλεως, καὶ τοὺς αὐτοῦ διαδόχους, Πύρρον καὶ Παῦλον, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια αὐτοῖς φρονήσαντας, ἢ φρονοῦντας, ἢ φρονήσοντας, καὶ μέχρι τέλους μὴ μετανοήσαντας, ἢ διορθωσαμένους, μεθ' ὧν καὶ τὸν ἀρτίως ἐξ εἰσηγήσεως αὐτοῦ τοῦ Παύλου γενόμενον τύπον κατὰ τῆς ἀμωμήτου ἡμῶν τῶν Χριστιανῶν πίστεως· ὁρίσαντες πανταχοῦ πάντας τοὺς ὀρθοδόξους, εὐσεβῶς φρονεῖν καὶ ὁμολογεῖν, ὡς παρέδωκαν ἡμῖν οἱ ἔγκριτοι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας πατέρες, καὶ αἱ ἅγιαι καὶ οἰκουμενικαὶ πέντε σύνοδοι· τουτέστι δύο τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑνὸς κυρίου ἡμῶν καὶ Θεοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ καθ' ὑπό- D στασιν ἡνωμένας, ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως, τὰς φύσεις, ἐξ ὧν καὶ ἐν αἷς συνίστηκε. καὶ δύο τὰς κατὰ φύσιν ἐνεργείας, καὶ δύο τὰς κατὰ φύσιν θελήσεις θείαν καὶ ἀνθρωπίνην ἐν ἑνὶ καὶ τῷ αὐτῷ Χριστῷ συμφυῶς ἡνωμένας τε καὶ σωζομένας. ὅθεν πρὸς τὸ γνῶναι τὴν σὴν ἐν κυρίῳ πνευματικὴν ἀγάπην, καὶ διὰ σοῦ πάσας τὰς αὐτόθι καθολικὰς ἐκκλησίας, αὐτὰ τὰ παρ' ἡμῶν ἐνταῦθα συνοδικῶς πραχθέντα πρὸς σύστασιν καὶ ἐκδίκησιν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας μετὰ καὶ τῆς ἐγκυκλίου ἡμῶν καὶ συνοδικῆς ἐπιστολῆς, ἐστείλαμεν διὰ τοῦ πρεσβυτέρου καὶ ἀποκρισιαρίου ἡμῶν, τοῦ ἀββᾶ Θεοδώρου, καὶ τῶν μοναχῶν, τῆς τοῦ ἁγίου Θεοδώρου, καὶ τῶν μοναχῶν, τῆς τοῦ ἁγίου Θεοδοσίου ἁγιωτάτης E μονῆς, Ἰωάννου, Στεφάνου, Λεοντίου, τῶν καὶ εὑρεθέντων ἐν τῇ τοιαύτῃ καθ' ἡμᾶς ἀποστολικῇ συνόδῳ, καὶ δι' αὐτοψίας, χάριτι Θεοῦ, μεμαθηκότων τὰ παρακολουθήσαντα πάντα καὶ ὁρισθέντα κανονικῶς. ἅπερ αὐτὸς βεβαίως φυλάττων, καὶ πᾶσι παράγγελε τοῖς αὐτόθι πιστοτάτοις λαοῖς, ἀπαραβάτως κατέχειν, εἰς σωτηρίαν τῶν οἰκείων ψυχῶν. οὗ χάριν διαμαρτύρομαι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῶν ἐκλεκτῶν ἀγγέλων ἵνα ταῦτα φυλάξας χωρὶς προκρίματος, μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόσκλησιν, ἀλλὰ καθαρᾷ συνειδήσει τὸ εὐαγγέλιον τῆς χάριτος παραδίδου

δίδου πᾶσι, καθὼς παρέλαβες, ἐκ τῶν ἁγίων πατέρων, καὶ ἡμῶν αὐτῶν τῶν τὰ ἐκείνων θεσπίσματα συνοδικῶς κηρυσσόντων. μὴ οὖν ἐπαισχυνθῇς τὸ μαρτύριον τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. ἀλλ᾽ ἐνδυναμοῦ τῇ χάριτι αὐτοῦ· καὶ ἃ ἤκουσας παρ᾽ ἐμοῦ διὰ πολλῶν μαρτύρων, ἤτοι γραφικῶν καὶ πατρικῶν ἀποδείξεων, ταῦτα παράθου πιστοῖς ἀνθρώποις, οἵτινες ἱκανοὶ ἔσονται καὶ ἑτέρους διδάξαι. σὺ κακοπάθησον τῷ εὐαγγελίῳ κατὰ δύναμιν Θεοῦ ὡς καλὸς στρατιώτης· ἀγωνίζου τὸν καλὸν ἀγῶνα τῆς πίστεως, ἐπιλαβοῦ τῆς αἰωνίου ζωῆς. ἐπειδὴ ὁμολογουμένως, μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, ὃς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, ὤφθη ἀγγέλοις, ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ. διὰ ταῦτα συντόνως διδάσκει, καὶ παρακαλεῖ, διαμαρτυρόμενος ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, μὴ λογομαχεῖν ἐπ᾽ οὐδενὶ χρησίμῳ, πρὸς διαστροφὴν τῆς πίστεως. εἰ δέ τις ἑτεροδιδασκαλεῖ, καὶ μὴ προσέρχεται ὑγιαίνουσι λόγοις τοῖς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῇ κατ᾽ εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ, τετύφωται, μηδὲν ἐπιστάμενος, ἀλλὰ νοσῶν περὶ ζητήσεις καὶ λογομαχίας ἀκαίρους, ἐξ ὧν γίνεται, φθόνος, ἔρις, βλασφημίαι, ὑπόνοιαι πονηραὶ, διαπαρατριβαὶ ἀνθρώπων διεφθαρμένων τὸν νοῦν, καὶ ἀπεστερημένων τῆς ἀληθείας, ἀδοκίμων περὶ τὴν πίστιν. ἀλλ᾽ οὐ προκόψουσιν ἐπὶ πλεῖον. ἡ γὰρ ἄνοια αὐτῶν ἔκδηλος ἔσεται πᾶσιν ὡς καὶ ἡ ἐκείνων ἐγένετο· τουτέστι τῶν πρὸ αὐτῶν αἱρετικῶν. οὓς ἐκτρεπόμενος, ἀγαπητὲ, μένε ἐν οἷς ἔμαθες καὶ ἐπιστώθης, εἰδὼς παρὰ τίνων ἔμαθες, μηδείς σου τῆς ἱερωσύνης καταφρονείτω. ἀλλὰ τύπος γίνου πᾶσιν ἐν λόγῳ, ἐν ἀναστροφῇ, ἐν ἀγάπῃ, ἐν πίστει, ἐν ἁγιότητι. πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει, τῇ διδασκαλίᾳ. μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος, ὃ ἐδόθη σοι διὰ τῆς ἱερατικῆς ἀξίας, καὶ τῆς ἀποστολικῆς ἡμῶν τοποτηρησίας· ἵνα ἡ σου ἡ προκοπὴ φανερὰ, καὶ μεμαρτυρημένη πᾶσι, καὶ πρὸ πάντων αὐτῷ τῷ Θεῷ, παρ᾽ ᾧ τῶν ὑπὲρ ἀρετῆς καὶ εὐσεβείας καμάτων, ἀπόκειται τοῖς ἀξίοις ὁ ἔπαινος, καὶ τῆς δικαιοσύνης ὁ στέφανος, ὃν ἀποδώσει σοι ὁ δίκαιος κριτὴς ἐντελῶς αὐτοῦ τὴν ὀρθόδοξον πίστιν τηροῦντι, καὶ προθύμως τὴν ἐντολὴν ἐκπληρώσαντι, κατὰ τὴν ἔνδοξον αὐτοῦ καὶ φοβερὰν ἐπιφάνειαν. ἰδοὺ δὲ πρὸς συνάρσιν εἰς τὸ πληρῶσαι σπουδαίως καὶ ἀνεμποδίστως τὴν σὴν ἀγάπην τὴν ἐμπιστευθεῖσάν σοι παρὰ τῆς ἀποστολικῆς ἡμῶν αὐθεντίας· διακονίαν προσετρεψάμεθα τοὺς θεοφιλεῖς ἐπισκόπους τοὺς αὐτόθι, Θεόδωρον λέγω, τὸν [1] Ἐσβούντων, καὶ Ἀντώνιον, τὸν Βακαθῶν, συνελθεῖν ἐν πᾶσι καὶ ἐξυπηρετῆσαι κατὰ δύναμιν τῇ τοιαύτῃ πνευματικῇ διαθέσει· μεθ᾽ ὧν καὶ Γεώργιον τὸν ἀγαπητὸν πρεσβύτερον καὶ ἀρχιμανδρίτην, καὶ Πέτρον τὸν φιλόχριστον, λέγω δὴ, τὸν ἀπὸ [2] Ἀδραῶν, καὶ ἁπλῶς τοὺς τῶν μερῶν ἐκείνων πίστιν Θεοῦ καὶ ζῆλον ἀληθῆ κεκτημένους. ὧν ὁ μισθὸς πολὺς ἔσεται παρὰ κυρίῳ, συμπροθυμουμένων ἡμῖν ἐν ὑπακοῇ πάσῃ καὶ τελειώσει τῆς χάριτος.

A idonei ſint ad alios quoque docendos. *Tu collabora evangelio ex virtute Dei, ut bonus miles. certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam. Quandoquidem manifeſte magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria. Propter quod hæc doce & exhortare, teſtificans coram Deo, non excitare pugnas verborum abſque utilitate, ad ſubverſionem fidei. Si quis autem aliter docet, & non acquieſcit* 1. Tim. 6. *ſanis ſermonibus domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ; ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtio-* B *nes & pugnas verborum importunas, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati ſunt, reprobi circa fidem, ſed ultra non proficient. Inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit* id eſt illorum, qui ante 2. Tim. 3 ipſos fuerunt, hæreticorum, quos devitans, cariſſime, *permane in iis quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens a quibus didiceris: nemo ſacerdotium tuum contemnat: ſed forma ſis omnibus in ſermone, in converſatione, in dilectione, in fide, in ſanctitate. Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per ſa-* C *cerdotalem dignitatem, & functionem noſtræ apoſtolicæ vicis: ut profectus tuus manifeſtus ac teſtatus ſit*, & ante omnes ipſi Deo, apud quem ſuſceptorum pro virtute & pietate laborum repoſita eſt dignis laus & corona juſtitiæ, quam reddet tibi juſtus judex, qui perfecte ſerves ejus orthodoxam fidem, & mandatum prompto animo impleas, in glorioſa ejus ac tremenda apparitione. Ecce vero in auxilium, ut magno ſtudio, ac ſine ullo impedimento, caritas tua miniſterium impleat, a noſtra apoſtolica auctoritate tibi commiſſum: hortati ſumus Deo amabiles epiſcopos, ipſum dico Theodorum Esbuntiorum, & Antonium Bacathorum, adeſſe in D omnibus, ac pro viribus inſervire hujuſmodi ſpirituali voluntati tuæ; quibuſcum & Georgium, dilectum presbyterum & archimandritam, & Petrum Chriſti amantem, Adraenſem nempe, ac omnino eos, qui in illis partibus fidem Dei verumque zelum habent: quorum merces plurima erit apud Deum, cum vobis promptitudinem animi ſtudiique ſui præſtiterint in omni obedientia & gratiæ perfectione.

VI. AD

1 *Eſbus* in Arabia, *Βακαθα* in Palæſt. 1. *Harduinus*,
2 Forte *Αδραων* in Arabia. *Harduinus*.

# VI. AD THEODORUM EPISCOPUM [1] ESBUNTIORUM.

Oſtendit eum ſua confeſſione hæreticorum furorem repreſſiſſe, & ad obediendum Joanni Philadelphiæ epiſcopo, quem conſtituerat vicarium, hortatur.

*Theodoro epiſcopo Esbuntiorum, Martinus ſervus ſervorum Dei, ſanctæ ejus catholicæ & apoſtolicæ Romanorum eccleſiæ epiſcopus.*

A Θεοδώρῳ ἐπισκόπῳ Εσβούντων, Μαρτῖνος δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἁγίας αὐτοῦ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ἐπίσκοπος. 'Hanc & ſeqq. ex codice Barberino exhibemus.

Eccleſ. 4. EST *confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam.* Tu igitur, religioſiſſime frater, confuſionem vituperabilem culpans, ſcripta tua ſecundum Deum ſatisfactione, gloriam tibi & gratiam acquiſiviſti: gloriam quidem, orthodoxam de ipſo domino ac Deo noſtro confeſſionem: gratiam vero, ſplendorem tuorum in virtute illuſtrium ſtudiorum: quibus non ſolum nobis innotuiſti in pietate perfectus, ſed & ipſi univerſorum ſalvatori Chriſto cum multa libertate placitus: ut in vobis apoſtolicum illud de ſanctis dictum impleatur: Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum.* Viciſti enim, religioſiſſime frater, adverſarii diaboli malum regnum, juſtitiam in fidei confirmatione operatus es: cujus gratia adeptus repromiſſiones Spiritus, hæreticorum ora tanquam leonum obturaſti, ac extinxiſti eorum impetum hæreſeos, quaſi flammam ignis aſpiratione gratiæ: qua ita confortatus imbecillitatem ſententiæ illorum deviciſti, fortis in bello contra eos ſuſcepto fuiſti, eorumque infirma adulterinorum dogmatum caſtra ſufficienter vertiſti, ac victor per proprium ſcriptum productus es ad victoriæ auctorem, ſalvatorem omnium Chriſtum: qui idcirco ſacerdotalem in te dignitatem apoſtolica confirmavit auctoritate. Verum ne ceſſes laudationes ejus in gutture perpetuo habere, eique placitum ſacrificium offerre, rationabile obſequium tuum. Sic enim & ſupernæ gloriæ præſentia dignaberis, & cœleſtibus Chriſti muneribus imbueris. Quæ autem ſynodaliter a nobis hic geſta ſunt, ad confirmationem defenſionemque eccleſiæ catholicæ, id eſt paternarum ejus ac ſynodalium definitionum, nuper miſimus ei, qui a nobis vicarius canonice deſignatus eſt, dilecto fratri noſtro & epiſcopo Philadelphenſium civitatis: cui benefacitis aſſentientes, & omnes orthodoxos una vobiſcum excitantes ad eorum articulorum implementum, qui ei pie commiſſi ſunt, ad commendationem eccleſiæ catholicæ. Nam pro eo multa vobis in ſempiterno regno merces erit.

Ἔστιν αἰσχύνη ἐπάγουσα ἁμαρτίαν, καὶ ἔστιν αἰσχύνη, δόξα καὶ χάρις. τὴν οὖν διαβεβλημένην αἰσχύνην διαβαλὼν, εὐλαβέστατε ἀδελφὲ, τῇ κατὰ Θεὸν ἐγγράφῳ σου πληροφορίᾳ, δόξαν ἑαυτῷ καὶ χάριν περιεποιήσω, δόξαν μὲν τὴν εἰς αὐτὸν τὸν κύριον ἡμῶν καὶ Θεὸν, ὀρθόδοξον ὁμολογίαν· χάριν δὲ, τὴν λαμπρότητα τῶν ἐν ἀρετῇ φωτεινῶν αὐτοῦ σπουδασμάτων. δι' ὧν οὐχ ἡμῖν μόνον ἐγνωρίσθης B ὑπάρχων ἐν εὐσεβείᾳ τετελειωμένος, ἀλλὰ καὶ αὐτῷ τῷ σωτῆρι τῶν ὅλων Χριστῷ σὺν παῤῥησίᾳ πολλῇ τυγχάνων, εὐάρεστος· ὡς καὶ ἐν ὑμῖν τὸ ἀποστολικὸν περὶ τῶν ἁγίων πληροῦσθαι ῥητὸν τὸ φάσκον· οἱ ἅγιοι διὰ πίστεως, κατηγωνίσαντο βασιλείας, εἰργάσαντο δικαιοσύνην, ἐπέτυχον ἐπαγγελιῶν, ἔφραξαν στόματα λεόντων, ἔσβεσαν δύναμιν πυρὸς, ἐνεδυναμώθησαν ἀπὸ ἀσθενείας, ἐγενήθησαν ἰσχυροὶ ἐν πολέμῳ, παρεμβολὰς ἔκλιναν ἀλλοτρίων. κατηγωνίσω γὰρ εὐλαβέστατε ἀδελφὲ, τοῦ ἀντικειμένου διαβόλου τὴν πονηρὰν βασιλείαν, ἐργασάμενος δικαιοσύνην ἐν τῇ βεβαιώσει τῆς πίστεως· ἧς χάριν τετυχὼς τῆς ἐπαγγελίας τοῦ πνεύματος, C ἐνέφραξας ὥσπερ λεόντων τὰ στόματα τῶν αἱρετικῶν, σβέσας αὐτῶν τὴν δύναμιν τῆς αἱρέσεως, ὥσπερ φλόγα πυρὸς τῇ ἐπιπνοίᾳ τῆς χάριτος. ἐξ ἧς οὕτω δυναμωθεὶς καταπαλαίσας, τὴν τῆς ἐκείνων διανοίας ἀσθένειαν. ἰσχυρὸς, ἐν τῷ κατ' αὐτῶν πολέμῳ γενόμενος, καὶ τὰς ἀστάτους παρεμβολὰς τῶν κιβδήλων αὐτῶν δογμάτων ἱκανῶς κατακλίνας, νικητὴς προήχθης διὰ τοῦ οἰκείου γράμματος τῷ νικοποιῷ σωτῆρι τῶν ὅλων Χριστῷ, ὃς διὰ τοῦτο τὴν ἱερατικὴν ἀξίαν ἐπὶ σοὶ διὰ τῆς Ἀποστολικῆς ἐκρατύνωσεν αὐθεντίας· ἀλλὰ μὴ παύσῃ τὰς αἰνέσεις αὐτῷ ἐν τῷ λάρυγγι φέρων διὰ παντὸς, καὶ προσάγων αὐτῷ θυσίαν εὐάρεστον, τὴν λογικὴν λατρείαν. οὕτω γὰρ καὶ τῆς ἄνω δόξης D παραστάτης γενέσθαι καταξιωθήσῃ, καὶ μύστης τῶν οὐρανίων τοῦ Χριστοῦ δωρεῶν· τὰ δὲ συνοδικῶς ἡμῖν ἐνθάδε πραχθέντα πρὸς σύστασιν καὶ ἐκδίκησιν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ταυτὸν δὲ λέγειν τῶν πατρικῶν, καὶ συνοδικῶν αὐτῆς ὅρων καὶ θεσπισμάτων, ἀρτίως ἐστείλαμεν, τῷ παρ' ἡμῶν προβληθέντι κανονικῶς τοποτηρητῇ Ἰωάννῃ τῷ ἀγαπητῷ ἡμῶν ἀδελφῷ καὶ ἐπισκόπῳ τῆς Φιλαδελφέων πόλεως. ὧ καλῶς ποιεῖτε ἀόκνως συνεξέχοντες, καὶ πάντας τοὺς ὀρθοδόξους σὺν ὑμῖν διεγείροντες, εἰς ἐκπλήρωσιν τῶν εὐσεβῶς ἐπεξαρθέντων αὐτῷ κεφαλαίων, εἰς σύστασιν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ἔσεται γὰρ ὑμῖν ὑπὲρ τούτου πολὺς ὁ μισθὸς, ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν.

VII. AD

1 In Arabia. *Harduinus*

## VII. AD ANTONIUM EPISCOPUM BACATHORUM.

**Cum jam reſipuerit, ut in fide catholica perſiſtat, & Philadelphiæ epiſcopo pareat, eum admonet.**

Ἀντωνίῳ ἐπισκόπῳ Βακαθῶν, Μαρτῖνος δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἁγίας τοῦ Θεοῦ καθολικῆς καὶ Ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ἐπίσκοπος.

A *Antonio epiſcopo Bacathorum Martinus ſervus ſervorum Dei, ſanctæ ejus catholicæ & apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ epiſcopus.*

*Hanc & ſeqq. ex codice Barberino exhibemus.

ΤΟ' μὲν κλαπῆναι κοινὸν καὶ τῆς ἀνθρωπίνης ἴδιον ἀσθενείας, τὸ δὲ πρὸς τὸ κρεῖττον μεταβληθῆναι, μόνης τῆς χάριτος, τοὺς καθ' ὑμᾶς ἀξίους ἐν τῷ λόγῳ παντὶ καὶ ἔργῳ τῷ παναγάθῳ προσοικειούσης Θεῷ, καὶ τὸ πανάγιον αὐτοῖς ἀμεταθέτως παρεχομένης πνεῦμα τῆς ἀρίστης [1] κατ' αὐτὸν πολιτείας. ὅπερ ἐν πάσῃ πληροφορίᾳ γεγονὸς εἰς ὑμᾶς, ἐδηλώσατε ἀδελφοί, τὸ ὑμέτερον καταμήνυσαν γράμμα, φέρον ἀποδείξουσαν ὑμῶν διὰ τῆς ἀληθοῦς εἰς τὸν κύριον ὁμολογίας, τὴν ἐνάρετον πίστιν· ἧς ἀντιλαβόμενοι πνευματικῶς, καὶ ἐπ' αὐτῇ κατὰ Θεὸν εὐφρανθέντες, ἀντεδώκαμεν αὐτῇ τῆς ἱερατικῆς ἀξίας τὸ μύρον ἐξ ἀποστολικῆς αὐθεντίας ἐσφραγισμένον· προτρεπόμενοι διηνεκῶς ὑμᾶς, προσμένειν τῷ λόγῳ τῆς χάριτος, εἰς τό, πᾶσαν παρεισενέγκασθαι σπουδήν, τῷ καθ' ὑμᾶς ὑποδείγματι, καὶ πάντας ἀζηλώτως μεταποιῆσαι πρὸς τὴν κρείττονα γνώμην, ἐν κυρίῳ διανισταμένους τοὺς ὀπίσω τῆς ἐπεισάκτου καινοτομίας ἀκολουθήσαντας, ἵνα κἀκεῖνοι σὺν πᾶσι τοῖς ἁγίοις ὀρθοτομήσωσι τὰς ὁδοὺς αὐτῶν, τροχιὰς ὀρθὰς ποιησάμενοι τοῖς ποσὶν αὐτῶν, διά τε τῆς εὐσεβοῦς τῶν πατέρων διδασκαλίας, καὶ τῆς ἐνεργοῦς τῶν ἐντολῶν ἀκριβείας· τούτου γὰρ χάριν κάμπτω τὰ γόνατά μου πρὸς τὸν Θεὸν καὶ πατέρα ἐξ οὗ πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον καταβαίνει· ἵνα δῷ αὐτοῖς κατὰ τὸ πλοῦτος τῆς δόξης αὐτοῦ, προθύμως ἐπιστραφεῖσι κραταιωθῆναι διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ, εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον κατοικῆσαι καὶ αὖθις τὸν Χριστόν, διὰ τῆς εἰς αὐτὸν ὀρθοδόξου πίστεως, ἵνα γένηται μία ποίμνη καὶ εἷς ποιμήν, αὐτὸς ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς τὸ μεσότειχον τοῦ φραγμοῦ λύσας, καὶ συνάγων τοὺς μακρὰν καὶ τοὺς ἐγγύς, εἰς μίαν καὶ τὴν αὐτὴν διὰ λίθου [2] ἐπιγωνίσιως σωτήριον ὁμολογίαν. ἥν τινα μεθ' ἡμῶν καὶ αὐτοὶ βεβαίως κατέχοντες, βεβαιωθήσεσθαι πάντως ἐν τῷ κλήρῳ τῶν ἁγίων καταταττόμενοι πρὸς ἀπόλαυσιν τῶν ὑπὲρ αἴσθησιν καὶ νοῦν ἀγαθῶν· τὰ δὲ συνοδικῶς ἡμῖν ἐνθάδε πραχθέντα πρὸς σύστασιν, καὶ ἐκδίκησιν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, τουτέστι λέγειν τῶν πατέρων, καὶ συνοδικῶν αὐτοῖς ὅρων καὶ θεσπισμάτων, ἀρτίως ἐστείλαμεν τῷ παρ' ἡμῶν προβληθέντι κανονικῶς τοποτηρητῇ Ἰωάννῃ τῷ ἀγαπητῷ ἡμῶν ἀδελφῷ καὶ ἐπισκόπῳ τῆς Φιλαδελφίων πόλεως, ᾧ καλῶς ποιεῖτε αὐτοὶ συντρέχοντες καὶ πάντας τοὺς ὀρθοδόξους σὺν ὑμῖν διεγείροντες εἰς ἐκπλήρωσιν τῶν εὐσεβῶς ἐπιταχθέντων αὐτῷ κεφαλαίων, εἰς σύστασιν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. ἔσται γὰρ ὑμῖν ὑπὲρ τούτου πολὺς ὁ μισθός, ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν.

DEcipi quidem & falli commune eſt propriumque humanæ infirmitatis; at in melius commutari, ſolius opus eſt gratiæ: quæ erga eos qui ſecundum nos in omni ſermone & opere digni ſunt, perfecte bono Deo convenit, & ſanctum eis optimæ ſecundum eum converſationis ſpiritum firmiter præbet: quod in vobis cum omni ſatisfactione eveniſſe, religioſiſſime frater, veſtræ literæ ſignificarunt, afferentes, per veram de domi- B no confeſſionem, bonam veſtram bonique odoris fidem, quam in ſpiritu ſuſcipientes, & ſecundum Deum ea delectati, ſacerdotalis dignitatis unguentum ei retribuimus, ex auctoritate apoſtolica ſignatum: vos ſemper hortantes, ut in verbo gratiæ permaneatis, ut exemplo aliis eſſe ſtudeatis, eorum excitetis ſtudium, & veſtro zelo ad meliorem mentem omnes convertatis, qui ſuperinductam novitatem ſecuti, in domino reſurgunt: ut illi cum omnibus ſanctis rectas vias ſuas, greſſus rectos facientes pedibus ſuis, per piam patrum doctrinam, & efficacem mandatorum obſervationem. *Hujus enim rei gratia flecto genua mea ad Deum & patrem, a quo omne* Jacob. 1. C *datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit*: ut det eis ſecundum divitias gloriæ ſuæ, prompte converſis, confirmari per ſpiritum ejus in interiori homine: ut rurſus in eis habitet Chriſtus per orthodoxam in eum fidem: utque ſit unum ovile & unus paſtor, is qui ſuper omnes eſt Deus ac dominus noſter Jeſus Chriſtus, medium parietem maceriæ ſolvens, & colligens eos qui longe ſunt & qui prope, per lapidem angularem, in unam & eamdem ſalutarem confeſſionem: quam una nobiſcum ipſi quoque firmiter tenentes, omnino confirmabimini, poſiti in ſorte ſanctorum, ad ea bona quæ ſenſum & cogitationem omnem excedunt, D perfruenda. Quæ vero ſynodaliter a nobis hic geſta ſunt ad commendationem defenſionemque eccleſiæ catholicæ, id eſt paternarum & ſynodalium ejus definitionum ac decretorum, nuper miſimus, canonice deſignato a nobis vicario, Joanni, dilecto fratri noſtro & epiſcopo Philadelphenſium civitatis: cui bene facitis conſentientes, & omnes orthodoxos vobiſcum excitantes, pro adimpletione eorum, qui pie ipſi commiſſi ſunt, articulorum, in laudem eccleſiæ catholicæ. Pro eo enim multa vobis merces in regno cœlorum eſt repoſita.

VIII. AD

1 Forte, κατ' αὐτόν. Harduinus.

2 Lege, ἐπιγωνιαίου, vel ἐπιγωνίου. Harduinus.

## VIII. AD GEORGIUM ARCHIMANDRITAM MONASTERII S. THEODOSII.

Laudat eum ob apoſtolicæ ſedis miniſtrum defenſum, & ut Philadelphorum epiſcopo obediat.

*Georgio archimandritæ Martinus ſervus ſervorum Dei, ſanctæ ejus catholicæ & apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ epiſcopus.*

TE ſpiritu vegeto ac vivido eſſe, dilectiſſime, ſignificat virtutis tenor. Efferes enim hujuſmodi ſpiritualis roboris apertos characteres, in quibus inſigne eſt atque eximium caritatis non fictæ ſtudium, quo oſtendiſti, te non verbo, neque lingua, ſed opere & veritate diligere, juxta mandatum domini: qui per proprios monachos nobis eum conſervaſtis, qui a noſtra apoſtolica cathedra miſſus eſt, Deo amabiliſſimum Stephanum epiſcopum civitatis Dorenſium, pro quo mercedem a domino habentes, ſatagite ad certamina pro pietate ſtudioſius vos extendere, & virtutum reginam, ſanctiſſimam noſtram fidem omni bono zelo defendere; ut eos qui ipſi præter rationem adverſantur, miſericorditer convertas, vel non convertentes ſe redarguas: ut integrum catholicæ eccleſiæ verbum conſervantes, Chriſtum, rectorem ejus ac ſponſum habeatis, in thalamo cœleſtis regni vos gratia reficientem: cum ei, qui vos ad luctam & pugnam delegit, complaciti fueritis, in ſpiritualis certaminis ratione. Quæ hic a nobis ſynodaliter acta ſunt ad commendationem & defenſionem eccleſiæ catholicæ, id eſt, paternarum ac ſynodalium ejus definitionum & ſanctionum, proxime miſimus a nobis canonice delecto vicario, Joanni dilecto fratri noſtro & epiſcopo Philadelphenſium eccleſiæ: cui recte facitis tum conſentientes, tum omnes orthodoxos vobiſcum excitantes ad impletionem eorum, qui pie ipſi commiſſi ſunt, articulorum, in laudem eccleſiæ catholicæ. Vobis enim pro eo multa merces in regno cœlorum retribuetur.

Γεωργίῳ Ἀρχιμανδρίτῃ, Μαρτῖνος δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἁγίας αὐτοῦ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ἐπίσκοπος.

Νεάζοντά σε τῷ πνεύματι γνωρίζει τῆς ἀρετῆς ὁ τόνος, ἠγαπημένε. φέρεις γὰρ τῆς τοιαύτης πνευματικῆς ἰσχύος ἐναργεῖς τοὺς χαρακτῆρας, ὧν ἐπίσημός ἐστι καὶ ἐξαίρετος ὁ τῆς ἀγάπης ἀνυπόκριτος πόθος, δι' οὗ παρέστησας ὅτι οὐκ ἀγαπᾷς λόγῳ, οὔτε γλώσσῃ, ἀλλ' ἔργῳ καὶ ἀληθείᾳ κατὰ τὴν ἐντολὴν τοῦ κυρίου· περισωσάμενος ἡμῖν διὰ τῶν οἰκείων μοναχῶν, τὸν ἐκ τῆς ἡμετέρας Ἀποστολικῆς
B καθέδρας αὐτόθι σταλέντα Στέφανον, τὸν θεοφιλέστατον ἐπίσκοπον τῆς τῶν Δωρητῶν πόλεως, ὑπὲρ οὗ μισθὸν ἔχοντες παρὰ κυρίου, σπουδάσατε τοῖς ὑπὲρ εὐσεβείας ἀγῶσι προθυμότερον ἐπεκτείνεσθαι, καὶ τὴν ἡγεμονίδα τῶν ἀρετῶν, λέγω δὴ τὴν ἁγιωτάτην ἡμῶν πίστιν, ἐκζηλώτως διεκδικεῖν. ὥστε τοὺς ἀντικαθισταμένους αὐτῇ παραλόγως, συμπαθῶς ἐπιστρέφειν, ἢ μὴ ἐπιστρέφοντας, διελέγχειν. ἵνα τὸν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἀλώβητον διασωσάμενοι λόγον, σχοίητε τὸν αὐτῆς ἁρμοστὴν καὶ νυμφίον Χριστόν, τῷ θαλάμῳ τῆς αὐτοῦ κατ' οὐρανῶν βασιλείας ἐναναπαύοντα κατὰ χάριν ἡμᾶς ὡς αὐτῷ τῷ στρατολογήσαντι Χριστῷ. πρὸς πάλην καὶ μάχην τῶν ἐναντίων ἐπιδειξά-
C μενοι κατὰ λόγον πνευματικῆς ἀθλήσεως, τὸ διαφέντων εὐαρεστᾶν. τὰ δὲ συνοδικῶς ἡμῖν ἐνθάδε πραχθέντα πρὸς σύστασιν καὶ ἐκδίκησιν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ταυτὸν δὲ λέγειν τῶν πατρικῶν καὶ συνοδικῶν αὐτῆς ὅρων καὶ θεσπισμάτων ἀρτίως ἐστείλαμεν, τῷ παρ' ἡμῶν προβληθέντι κανονικῶς τοποτηρητῇ Ἰωάννῃ τῷ ἀγαπητῷ ἡμῶν ἀδελφῷ καὶ ἐπισκόπῳ τῆς Φιλαδελφέων πόλεως. ᾧ καλῶς ποιεῖτε, αὐτῷ τε συντρέχοντες, καὶ πάντας τοὺς ὀρθοδόξους σὺν ὑμῖν διεγείροντες, εἰς ἐκπλήρωσιν τῶν εὐσεβῶς ἐπιτραπέντων αὐτῷ κεφαλαίων, εἰς σύστασιν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. ἔσεται γὰρ ὑμῖν ὑπὲρ τούτου πολὺς ὁ μισθός, ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν.

* Hanc & ſeqq. ex codice Barberin. exhibemus.

## IX. AD PANTALEONEM.

Abſolutum fuiſſe Dorenſem epiſcopum falſo ab eo delatum, peccaſſe illos, per quos actum eſt, quo minus ſedis apoſtolicæ auctoritatem receperit epiſcopos & presbyteros ordinandi, & quid cum his, qui non canonice in patriarchatu Hieroſolymitano electi fuerant, agendum.

*Pantaleoni Martinus ſervus ſervorum Dei, ſanctæ ejus Romanæ catholicæ eccleſiæ epiſcopus.*

D Πανταλέοντι, Μαρτῖνος δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἁγίας αὐτοῦ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ἐπίσκοπος.

SEmper quidem omnis hominum vita, propter condemnationem ortam e tranſgreſſione Adam primævi patris, non in aliis omnino eſſe cognoſcitur, quam in gemitibus & lacrymis; ſed nunc præcipue, propter peccatorum abundantiam, & inflictio

Ἀεὶ μὲν πᾶς ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος διὰ τὴν ἐκ παραβάσεως τοῦ προπάτορος Ἀδὰμ καταδίκην, οὐκ ἐν ἑτέροις ὑπάρχων γνωρίζεται παντελῶς, εἰ μὴ ἐν στεναγμοῖς τε καὶ δάκρυσιν· ἐξαιρέτως δὲ νῦν διὰ τὴν πλημμύραν τῶν ἁμαρτημάτων, καὶ τὴν δι' αὐτὰ

* Hanc & ſeqq. ex codice Barberino exhibemus

αὐτοῖ τῶν σφοδροτέρων ἐπαγωγὴν παιδευμάτων· ἐπειδὴ τῇ ἀνοίᾳ τοῦ παραπτώματος, τὴν ἰατρείαν ἡμῖν τοῦ σωφρονιστικοῦ παιδεύματος, συνέζευξε φιλανθρώπως ὁ κύριος. ὅπερ καὶ ἡ σὴ ἀγάπη δι' ἀκριβείας γινώσκουσα, οὐκ ὤφειλεν οὕτως ἐνεχθῆναι, πρὸς τὸν ἐκ τῆς Ἀποστολικῆς καθέδρας, αὐτόθι σταλέντα Στέφανον τὸν θεοφιλέστατον ἐπίσκοπον τῆς Δωριτῶν πόλεως, ἢ τοιαῦτα περὶ αὐτοῦ πρὸς ἡμᾶς ἀναγαγεῖν, διὰ τῆς οἰκείας ἀναφορᾶς, τῆς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἐντολῆς, μὴ τοῦτο πράττειν παρεγγυωμένης, ἀλλ' ἀγαπᾷν εἰλικρινῶς ἀλλήλους παρακελευομένης. ἰδοὺ γὰρ σὺν ἀκριβείᾳ τὰ περὶ αὐτοῦ κατεξετάσαντες, ἅπαντα παντάπασιν εὑράμεθα ὄντα καὶ ἀναπόδεικτα. διὰ τοῦτο μὲν, εἰκότως ἐκ Ἀποστολικῆς ἐδικαιώσαμεν αὐθεντίας. B τοῖς δὲ κατ' αὐτοῦ γεγραφόσι, τὸ κρίμα παρεχωρήσαμεν, ἐλέῳ συγκεράσαντες, τὴν τοῦ κανόνος ἀκρίβειαν, ἀρκετὴν αὐτοῖς ἡγησάμενοι πρὸς συναίσθησιν τὴν τοῦ δράματος ἀποκάλυψιν. τὸ γὰρ ἕτερον τῶν τοιούτων πλημμέλημα, μόνης χρήζει πρὸς ἄφεσιν τῆς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἀγαθότητος. γέγραπται γάρ· ἐὰν ἁμάρτῃ ἀνὴρ εἰς ἄνδρα, καὶ προσεύξονται περὶ αὐτοῦ πρὸς κύριον. καὶ ἐὰν τῷ κυρίῳ ἁμάρτῃ, τίς προσεύξεται περὶ αὐτοῦ; διότι πᾶσαν τὴν αὐτόθι καθολικὴν ἐκκλησίαν, ὃ καὶ λέγειν πένθους καὶ δακρύων, συνέκλεισαν ὅσον τὸ ἐπ' αὐτοῖς, οἵτε δράσαντες, καὶ οἱ συνευδοκήσαντες, μὴ ἀποδοθῆναι τῷ εἰρημένῳ θεοφιλεστάτῳ ἐπισκόπῳ τὰ σταλέντα πρὸς αὐτὸν ἐκ τοῦ Ἀποστολι- C κοῦ θρόνου προσταχθέντα, δι' ὧν τοποτηρητὴν αὐτὸν κατέστησε ἑαυτοῦ, προστάξας αὐτῷ διὰ τὴν στένωσιν τοῦ καθ' ἡμᾶς καιροῦ, τουτέστι λέγειν τὴν συνοχὴν τῶν ἐπελθόντων ἡμῖν ἐθνῶν, ἵνα χειροτονήσῃ κανονικῶς αὐτόθι πρὸς συμπλήρωσιν τῆς ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως, ἐπισκόπους, καὶ πρεσβυτέρους, καὶ διακόνους· ἐφ' ὅσον προαχθῆναι πατριάρχην Ἱεροσολύμων ἐξηπορήσαμεν. ἔδει τοίνυν τοὺς ζῆλον ἔχειν ἐπαγγελλομένους, ἐνταῦθα τοῦ ζήλου παραστήσασθαι τὸ διάπυρον· ἵνα τῶν Χριστιανῶν αὐξηθῇ τὸ κέρας διὰ τῆς αὐξήσεως ἤτοι χειροτονίας τῶν ἱερέων. ἔδει τὸ ἀνθρώπινον νικηθῆναι πάθος, διὰ τὸ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ σωτήριον D πάθος. ἔδει προκρῖναι τῆς ἀνθρωπίνης φιλονεικίας τὴν οἰκοδομὴν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ μὴ παραβαθῆναι τὴν ἀποστολικὴν περὶ τούτου παραγγελίαν. λέγει γὰρ πρὸς τὸν Σαμουὴλ ὁ Θεός, οὐχὶ σὲ ἐξουδενώκασι τοῦ μὴ βασιλεύειν ἐπ' αὐτῶν· ἐποίησαν γάρ, ὅπερ οὔτε αἱρετικοὶ ποιῆσαι ποτὲ τετολμήκασιν. ἀποκρυψάμενοι μὲν τὰ τῆς τελειώσεως, ἐγχειρήσαντες δὲ μόνον αὐτῷ τὰ τῆς καθαιρέσεως. ποίαν οὖν ἕξουσιν ἀπολογίαν, οὐκ ὄντων ἔτι δι' αὐτοὺς ἐπισκόπων ἐκεῖσε καὶ ἱερέων ἐνδελεχῶς τῷ θυσιαστηρίῳ παρεδρευόντων, καὶ τὰς ὑπὲρ τοῦ λαοῦ τῷ Θεῷ προσαγόντων θυσίας καὶ ἀναφοράς, εἰς περιποίησιν τῶν ψυχῶν; καίτοι γινώσκοντες ἀσφαλῶς, ὅτι ἐσχάτη ὥρα ἐστί, καὶ ὁ τῶν σκανδάλων καιρὸς ἐνέστηκε. καὶ ἔχρην διὰ τοῦτο προνοη- E τικῶς πλείοσιν ἐπισκόποις, καὶ πρεσβυτέροις, καὶ διακόνοις, τὰς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ πανταχοῦ καταπυκνωθῆναι. καθάπερ καὶ ναῦν ἐν χειμῶνι καὶ πελάγει κλυδωνιζομένην πλείοσι κυβερνήταις καὶ ναύταις. τούτου γὰρ χάριν καὶ ἡμεῖς εἰς οἰκοδομὴν προηγουμένως, ἀλλ' οὐκ εἰς καθαίρεσιν παρὰ τοῦ κυρίου τὴν ἐξουσίαν ἐλάβομεν, ἵνα φιλανθρώπως ἐπικουρήσωμεν τοῖς χειμαζομένοις λαοῖς. ὅθεν ὑπὸ ταύτης τῆς ἐξουσίας ὁ καθ' ἡμᾶς ἀποστολικὸς ὁρμηθεὶς θρόνος παρέλειψε μὲν οὐδέν, εἰς τὸ πρεπόντως ἀπολαβεῖν τὸν ἱερατικὸν αὐτῆς κόσ-

A nem vehementiorum propter ipſa correptionum & pœnarum : quandoquidem errori & amentiæ delicti, caſtigationis & emendationis medicinam Dei humanitas adjunxit. Quod caritas tua manifeſte cognoſcens, non debuit ita ſe gerere adverſus eum, qui ab apoſtolica ſede miſſus eſſet, Stephanum Deo amabilem epiſcopum Dorenſium civitatis, aut ejuſmodi de eo ad nos per propriam relationem tranſmittere, cum ſalvatoris noſtri mandatum id non facere jubeat, ſed præcipiat invicem ſincere diligere. Ecce enim illa diligenter expendentes, vana proſſus invenimus, nec ullis argumentis demonſtrata : atque idcirco eum merito ex apoſto- B lica juſtificavimus auctoritate : iis autem qui contra eum ſcripſerunt, crimen dimiſimus, canonis rigorem miſericordia temperantes, & ad reſipiſcentiam ipſis ſufficere exiſtimantes fabulæ revelationem. Nam aliud talium hominum peccatum ad remiſſionem ſola indiget ſalvatoris noſtri bonitate. Scriptum eſt enim : *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus : ſi autem in dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* 1. Reg. 2. Univerſam enim, quæ illic eſt, catholicam eccleſiam clauſerunt, quantum in ipſis eſt, qui vel fecerunt vel conſenſerunt, ne memorato epiſcopo redderentur miſſa ad eum ab apoſtolica ſede præcepta, quibus ejus vicarius conſtitutus C eſt, ac juſſus, propter temporis anguſtias, id eſt, propter preſſuram irruentium in nos gentium, canonice inſtituere, ad ſupplementum eccleſiaſtici ordinis, epiſcopos & presbyteros & diaconos, quoad poteſtas nobis defuit ad promovendum patriarcham Hieroſolymorum. Oportebat igitur eos qui ſe zelum habere profitentur, hic zeli ardorem exhibere : ut Chriſtianorum augeretur & exaltaretur cornu, incremento ſive creatione ſacerdotum. Oportuit paſſionem humanam vinci, propter ſalutarem Chriſti Dei paſſionem. Oportuit humanæ contentioni anteferre catholicæ eccleſiæ ædificationem, D nec violari apoſtolicam de eo juſſionem. Dicit enim ad Samuel Deus; *Non te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* 1. Reg. 6. Ea enim fecerunt, quæ nec hæretici unquam auſi ſunt facere; abſcondentes ea quæ ad creationem & inſtitutionem pertinebant : ea vero tradentes, quæ ad depoſitionem. Quam igitur defenſionem habebunt, cum jam propter eos non ſint ibi epiſcopi & ſacerdotes, qui jugiter altari inſiſtant, & ſacrificia atque oblationes pro populo ad ſalutem animarum offerant? quamvis cognoſcant, quod ultima hora ſit, & ſcandalorum tempus immineat. Atque idcirco oportebat pluribus epiſcopis & presbyteris & diaconis providenter eccleſias Dei ubique increbreſcere, quemad- E modum navim, quæ in pelago tempeſtate jactatur, pluribus gubernatoribus & nautis : hujus enim rei gratia & nos in ædificationem præcipue, & non in deſtructionem a domino poteſtatem accepimus, ut populis fluctuantibus humane ac benigne opitulemur. *Eccleſiam præcipue ædificat qui de numeroſo & bono clero eſt ſollicitus* Unde ob hanc poteſtatem mota apoſtolica ſedes nihil prætermiſit, quo catholica iſtic eccleſia per memoratum religioſum epiſcopum convenienter ſacerdotale decus recuperaret, qui vero id prohibuerunt, ſibi de eo imputabunt rationem : cujus cauſa lugens & contriſtatus ingredior, dies noctesque

que bonitatem Dei cum lacrymis obſecrans, A ne hæreditatem ſuam uſque in finem repellat; ſed oſtium aperiat, quod illi concluſerunt: ut rurſum iſtic ſacerdotii ejus, per ſupplementum epiſcoporum, ſplendor & ornamentum exoriatur: eccleſiæ oves cura paſtorali ſervans, & a luporum inſidiis vigilanti ſtudio eripiens. De iis, qui non canonice iſtic electi ſunt in patriarchia beatæ memoriæ Sophronii, eum canonem inviolabiliter decernimus cuſtodiri, qui a ſanctis apoſtolis & patribus noſtris conſtitutus eſt de iis qui in alia civitate præter ſententiam ſcientiamque pontificis, qui ei civitati præeſt, vel eligunt, vel eliguntur, vel conſentiunt, vel convocant. Canones enim B eccleſiaſticos ſolvere non poſſumus, qui defenſores & cuſtodes canonum ſumus, non tranſgreſſores: tametſi utramque ſedem illi violarunt: hanc quidem apoſtolicam ſedem, quod creationum præcepta non dederint, ut ante dictum eſt; ſedem vero ſancti Jacobi, quod Sophronium celare ſtuduerint, [1] ut ceteri libere, ſicuti ipſi volunt, non ſicut ſanctus Spiritus jubet, electiones ſibi arrogarent: tales propterea eccleſiæ canon caſtigat, non enim confuſionis ac turbationis Deus eſt, ſed ordinis & pacis. Qui vero ante ipſius patriarchiam, aut poſt dormitationem memorati Sophronii creati ſunt: de iis ſcripſimus, propter temporis anguſtiam, C quæ ſic creatis defenſionis locum præbet, cum inde eccleſiaſtico canoni nullo modo præjudicetur: ut, cum libellum ſinceræ pœnitentiæ ſive orthodoxæ fidei dederint ei, qui nuper a nobis ad id iſtic delectus eſt, eos in proprio ordine confirmet, modo hi ex aliis peccatis non prohibeantur confirmari, quæ a canone notata ſint. Tranſmiſſas autem dogmaticas chartas, ſive quæ ſcripta ſunt ab adverſariis, damnamus una cum iis qui ſcripſerunt, ſiquidem in propriæ opinionis perverſitate maneant; ut & omnes hæreticos, cum omnibus impiis eorum ſcriptis: hortantes eos qui ubique orthodoxi ſunt, ut in patrum doctrina, & iis quæ ſynodaliter definita ſunt, ac nuper a nobis D hic per ſynodum confirmata ad commendationem defenſionemque eccleſiæ catholicæ, quæ brevi nota omnibus faciemus, ea mittentes, firmiter, inviolabiliterque permaneant. Nam hæc vos nobiſcum pie ſervantes, dominique fidem bono zelo aſſerentes, res veſtras feliciter geretis, ac promiſſa cœleſti hæreditate tandem dignabimini.

Lateran. concil. ſecret. [partly illegible]

Electiones ſacræ a canone [partly illegible]

1 Cor. 14, 33.

τούτους ἐν τῷ ῥηθέντι σου δευτέρῳ συνοδικῷ, καὶ τὰ πάντα ἀναθεματίζειν ὅσα ἀναθεματίζομεν· ἵνα διὰ τούτου μὴ μόνον οὓς ἀναθεματίζομεν, ἤγουν αὐτὰ τὰ πρόσωπα τῶν ἀσεβῶν αἱρετικῶν παραιτήσῃ ἀναθεματίζειν· τῶν γὰρ δογμάτων οὐκ ἀναθεματιζομένων ὑπὸ σοῦ, δῆλον ὡς οὐδὲ τὰ πρόσωπα τῶν ἐχθίστων αἱρετικῶν ἀναθεματίζεις· εἴπερ τῆς αἱρέσεως αὐτῶν χάριν καὶ οὐχὶ τῆς φύσεως ἕνεκα, τούτους ἀναθεματίζομεν. ἀλλ' ἵνα καὶ πᾶσαν ἁπάντων πλάνην, Ἑλλήνων, Ἰουδαίων, αἱρετικῶν καθ' ἑαυτοῦ βεβαιώσῃς. εἰ γὰρ τὰ δόγματα τούτων ἁπάντων ἅπαντα κατακρίνομεν ὡς ἐχθρὰ καὶ πολέμια τῆς ἀληθείας· σὺ δὲ πάντα συμφώνως ἡμῖν οὐκ ἀναθεματίζεις, ἅπερ ἀναθεματίζομεν, εἰκότως ἄρα τὴν τούτων ἁπάντων πλάνην ἐκύρωσας, ὑφ' ἡμῶν ἤγουν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἀναθεματιζομένην. ταῦτα τοίνυν διαπραξάμενος κατὰ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, ἐμοῦ ἠμέλησας, λέγει κύριος, καὶ ἐπελάθου τῆς διαθήκης μου τῆς λεγούσης· οὐ παραβήσῃ ἀπὸ πάντων τῶν λόγων ὧν ἐγὼ ἐντέλλομαί σοι σήμερον, δεξιὰ ἢ ἀριστερὰ πορεύεσθαι ὀπίσω θεῶν ἑτέρων, λατρεύειν αὐτοῖς. καὶ ἔσται, ἐὰν μὴ εἰσακούσῃ τῆς φωνῆς κυρίου τοῦ Θεοῦ σου φυλάσσειν καὶ ποιεῖν πάσας τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, καὶ τὰ δικαιώματα αὐτοῦ, ὅσα ἐγὼ ἐντέλλομαί σοι σήμερον, καὶ ἐλεύσονται ἐπὶ σὲ, πᾶσαι αἱ κατάραι αὗται, καὶ καταλήψονταί σε. αἱ γὰρ ὁδοί σου καὶ τὰ ἐπιτηδεύματά σου, ἐποίησαν ταῦτά σοι. αὕτη ἡ κακία σου ὅτι πικρὰ, ὅτι ἥψατο ἕως τῆς καρδίας σου. πῶς οὖν ἐρεῖς ὅτι οὐκ ἐμιάνθην, καὶ ὀπίσω τῆς ἐπεισάκτου καινοτομίας οὐκ ἐπορεύθην. ἴδε τὰς ὁδούς σου ἐν τῇ πλάνῃ τῶν αἱρετικῶν τυπωθείσας, καὶ γνῶθι τί ἐποίησας· ὅτι ἐὰν ἀποπλύνῃ ἐν νίτρῳ καὶ πληθύνῃς σεαυτῷ πόαν, κεκηλίδωσαι ἐν ταῖς ἀδικίαις σου ἐναντίον ἐμοῦ, λέγει κύριος· ἕως ἂν ἐπιστρέφων ἐπιστρέψῃς εἰλικρινῶς καὶ ἀγαπήσῃς αὐτὸν δι' εὐσεβοῦς ὁμολογίας ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου. αὕτη γάρ ἐστι πρώτη καὶ μεγάλη ἐντολὴ τὸ πιστεύειν ὀρθῶς εἰς αὐτὸν τὸν κύριον ἡμῶν καὶ Θεὸν Ἰησοῦν Χριστὸν, κατὰ τὴν τῶν ἁγίων πατέρων καὶ τὴν τῶν ἐγκρίτων καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων διδασκαλίαν. καὶ νῦν βελτίους ποίησον τὰς ὁδούς σου, καὶ τὰ δόγματα τῆς καρδίας σου ἄγνισον, ἐκ πάσης φαυλότητος αἱρετικῆς· καὶ ἄκουσον τῆς φωνῆς κυρίου τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ παύσεται κύριος ἀπὸ τῶν κακῶν, ὧν ἐλάλησεν ἐπὶ σέ· μὴ οὖν ἔτι δι' ὧν γράφεις, ἢ γράφειν ἀπαιδεύτως ἑτέρους ὑπὲρ σοῦ παρασκευάζειν συνηγορήσῃς τῇ ἀσεβείᾳ, κατηγόρει δὲ ταύτης μᾶλλον, ὡς αἱρετικῆς. οὐκέτι γὰρ ἄνθρωπος μετανοῶν ἀπὸ τῆς κακίας αὐτοῦ, καὶ λέγων. τί ἐποίησα; ἰδοὺ γὰρ ἐγὼ κρίνομαι πρὸς σὲ, λέγει κύριος, ἐν τῷ λέγειν σε οὐχ ἥμαρτον. ὅτι κατεφρόνησάς μου σφόδρα τοῦ δευτερῶσαι τὰς ὁδούς σου. διὸ γινώσκων, γνώσῃ καθάπερ εἰρήκαμεν ὡς καθῃρημένος ὑπάρχεις πάσης ἱερατικῆς ἀξίας καὶ λειτουργίας, ἐν τῇ καθολικῇ τοῦ Θεοῦ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ, μέχρις ἂν ἀπαραλείπτως ἅπαντα τὰ παρ' ἡμῶν ἐνταῦθα συνοδικῶς κυρωθέντα τε καὶ ὁρισθέντα πρὸς σύστασιν καὶ βεβαίωσιν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ταυτὸν δὲ λέγειν τῶν εἰρημένων ἁγίων πατέρων, καὶ τῶν ἐγκρίτων οἰκουμενικῶν πέντε συνόδων ἐγγράφως κυρώσῃς, καὶ σὺν ἡμῖν ὁμολογήσῃς ἐπὶ τοῦ ἑνὸς τῆς ἁγίας ὁμοουσίου καὶ προσκυνητῆς τριάδος Θεοῦ λόγου σεσαρκωμένου δι' ἡμᾶς καὶ τελείως ἐνανθρωπήσαντος, δύο φύσεις καθ' ὑπόστασιν ἡνωμένας ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως, καὶ δύο φυσικὰ

A ra eum eſſe adſtruxiſti: quod enim eſt expers omnis ſubſtantialis voluntatis atque operationis, deſtituitur etiam ab omni ſubſtantiali exiſtentia. Qui præterea ſuſtuleris in præfato tuo ſecundo ſynodali, & hoc, Omnia anathematizare quæcumque anathematizamus: ut per hoc non ſolum eos etiam quos anathematizamus, nempe ipſas impiorum hæreticorum perſonas, anathematizare recuſes (nam ſi dogmata a te non anathematizentur, perſpicuum eſt te ne perſonas quidem nefariorum hæreticorum anathematizare: ſiquidem hæreſeos ipſorum cauſa, non cauſa naturæ, eos anathematizamus) ſed ut etiam omnem omnium errorem pa- B ganorum, Judæorum, hæreticorum in te confirmes. Si enim omnia omnium horum dogmata condemnamus, ut contraria & inimica veritati; tu vero omnia una nobiſcum voce non anathematizas quæ anathematizamus: conſequens eſt, te horum omnium errorem confirmaſſe, qui a nobis ſive ab eccleſia catholica anathematizatur. Qui igitur iſta feciſti adverſus catholicam fidem; *Neglexiſti me, dicit dominus, & oblitus es* Deut. 28. *fœderis mei dicentis: Non tranſgredieris de omnibus ſermonibus, quos ego præcipio tibi hodie, dextera aut ſiniſtra, ut eas poſt deos alios, ut colas eos. Et erit ſi non audieris vocem domini Dei tui, ut cuſtodias & facias omnia præcepta ejus, & ſtatuta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie: & venient ſuper te* C *omnes hæ maledictiones & apprehendent te. Viæ enim tuæ & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi. Hæc malitia tua, quia amara eſt, quoniam attigit uſque ad cor tuum. Quomodo igitur dices, Non ſum pollutus, nec ambula-* Jerem. 2. *vi poſt ſuperinductitiam novitatem? Vide vias tuas in errore impreſſas, & cognoſce quid feceris: quoniam ſi ablueris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam, maculatus es in iniquitatibus tuis coram me, dicit dominus*: donec convertens convertas te ſincere, & eum per piam confeſſionem diligas *in toto corde* Matth. 22. *tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt enim primum & magnum mandatum*, recte credere in dominum ac D Deum noſtrum Jeſum Chriſtum, juxta ſanctorum patrum & probatorum atque univerſalium conciliorum doctrinam. Et nunc meliores fac vias tuas, & dogmata cordis tui emunda ab omni hæretica pravitate: & audi vocem domini Dei tui, & ceſſabit dominus ab omnibus malis quæ dixit in te. Ne igitur amplius per ea quæ ſcribis, aut inſcite ſtruis, ut alii pro te ſcribant, patrocineris impietati, ſed eam potius ut hæreticam accuſa. Non enim jam homo pœnitens a malitia ſua dicit, quid feci? *Ecce enim* Jerem. 8. E *judicio contendo tecum, dicit dominus, cum dicis: Non peccavi: quia contempſiſti me vehementer, ut duplices faceres vias tuas.* Quapropter cognoſcens cognoſces, quemadmodum diximus, quod depoſitus ſis ab omni ſacerdotali dignitate & miniſterio in ſancta Dei catholica & apoſtolica eccleſia, quoad ſine ulla prætermiſſione omnia, quæ a nobis hic ſynodaliter ſancita ſunt ac definita ad commendationem & confirmationem catholicæ eccleſiæ, videlicet dictorum ſanctorum patrum, & univerſalium quinque ſynodorum, ſcripto confirmes, & nobiſcum confitearis in uno ſanctæ & conſubſtantialis & ado-

adorandæ Trinitatis Deo verbo, qui propter A nos incarnatus eſt, & perfecte humanatus, duas naturas ſecundum hypoſtaſim unitas inconfuſe & indiviſe: & duas naturales voluntates, duaſque naturales operationes, divinam & humanam connaturaliter unitas, ſecundum ſanctorum patrum doctrinam, ad veram confirmationem, quod Deus natura perfectus, & homo natura perfectus idem exiſtit: ut per omnia proprie ſimilis Deo & patri, præter quam quod pater ingenitus eſt, & per omnia proprie ſimilis nobis, ſolum abſque peccato: & anathematizes omnes hæreticos, quos anathematizamus, id eſt, quos anathematizat catholica Dei & apoſtolica eccleſia, cum omnibus hæreticis B ipſorum dogmatibus: & eos, qui nunc exorti ſunt, hæreticos, & qui a nobis ſynodaliter propter ipſorum hæreſim anathematizati ſunt: Theodorum dico, qui fuit epiſcopus Pharan, & Cyrum qui Alexandriæ, & Sergium qui Conſtantinopolis, ejuſque ſucceſſores Pyrrhum & Paulum, cum omnibus ipſorum hæreticis dogmatibus, & impia expoſitione, magiſque impia formula eorum, quæ ab ipſis nefarie firmata ſunt, ad orthodoxæ fidei everſionem: & omnibus ſimpliciter, qui vane affirmant, unam, ſive nullam omnino confitentur divinitatis & humanitatis Chriſti naturam, aut voluntatem, aut operationem: quos ut hoſtes & adverſa- C rios ſuos catholica Dei & apoſtolica eccleſia jure abjicit, & anathematizat. Ne igitur repudiet domini ſermonem, in impiis permanens. Pietas enim in Deum, principium eſt ſenſus ac ſapientiæ: & ſi quæres eam ut argentum, & ſicut theſauros inveſtigabis eam; tunc intelliges timorem domini, & cognitionem Dei invenies: quoniam Deus dat ſapientiam: & a facie ejus cognitio & intelligentia, reſervat ſalutem recte agentibus. Quare revertere ad me, dicit dominus, & non firmabo vultum meum ſuper te: quoniam miſericors ego ſum, nec iraſcar tibi in æternum. Tantum cognoſce iniquitatem tuam, quia in dominum Deum tuum impie egiſti, & effudiſti vias tuas ad alienos D fidei, voci autem meæ non obediſti, dicit dominus. Nam cognitio rerum tuarum conciliabit tibi celerem in iis correctionem: maxime ſi una cum proprio dogmatis errore, corrigas etiam quod in ſacros canones peccaſti: eos enim irritos facere auſus es, qui teipſum per proprias litteras non confeſſus ſis, ut ſubditum huic apoſtolicæ ſedi vicarium. Qui igitur in utroque lapſus es, utrique ſtudeto convenienter mederi: non enim aliter habebis perfectam a nobis veniam, niſi in utroque nobis correctionem tuam exhibeas.

θελήσεις, καὶ δύο φυσικὰς ἐνεργείας, θείαν καὶ ἀνθρωπίνην συμφυῶς ἡνωμένας κατὰ τὴν τῶν ἁγίων πατέρων διδασκαλίαν, εἰς πίστωσιν ἀληθῆ, τὸ Θεὸν φύσει τέλειον καὶ ἄνθρωπον φύσει τέλειον τὸν αὐτὸν ὑπάρχειν· ὡς κατὰ πάντα κυρίως ὅμοιον τῷ Θεῷ καὶ πατρί, πλὴν ἀγεννησίας, καὶ κατὰ πάντα κυρίως ὅμοιον ἡμῖν, μόνης δίχα τῆς ἁμαρτίας· καὶ ἀναθεματίσῃς πάντας οὓς ἀναθεματίζομεν αἱρετικούς, τουτέστι λέγειν, ἡ καθολικὴ τοῦ Θεοῦ καὶ Ἀποστολικὴ ἐκκλησία μετὰ πάντων τῶν αἱρετικῶν δογμάτων αὐτῶν, καὶ τοὺς νῦν ἀναφυέντας αἱρετικούς, καὶ παρ᾽ ἡμῶν συνοδικῶς διὰ τὴν αἵρεσιν αὐτῶν ἀναθεματισθέντας· φαμὲν δὴ Θεόδωρον τὸν γενόμενον ἐπίσκοπον τῆς Φαρὰν, Κῦρον τὸν Ἀλεξανδρείας, Σέργιον τὸν Κωνσταντινουπόλεως, καὶ τοὺς αὐτοῦ διαδόχους, Πύῤῥον καὶ Παῦλον, μετὰ πάντων τῶν αἱρετικῶν αὐτῶν δογμάτων, καὶ τῆς ἀσεβοῦς ἐκθέσεως, καὶ τοῦ ἀσεβεστέρου τύπου τῶν ἀθεμίτως παρ᾽ αὐτῶν κυρωθέντων εἰς ἀνατροπὴν τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, καὶ πάντων ἁπλῶς τῶν μίαν τερατευομένων, ἢ μηδεμίαν ὅλως ὁμολογούντων τῆς θεότητος καὶ τῆς ἀνθρωπότητος τοῦ Χριστοῦ φύσιν, ἢ θέλησιν, ἢ ἐνέργειαν· οὓς ὡς πολεμίους αὐτῆς ὑπάρχοντας, ἡ καθολικὴ τοῦ Θεοῦ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία, δικαίως ἀποβάλλεται καὶ ἀναθεματίζει. μὴ οὖν ἀποδοκιμάσῃς τὸν τοῦ κυρίου λόγον προσμένων τοῖς ἀσεβέσιν· ἀσέβεια γὰρ εἰς Θεὸν, ἀρχὴ αἰσθήσεως· καὶ ἐὰν ζητήσῃς αὐτὴν ὡς ἀργύριον καὶ ὡς θησαυροὺς ἐξερευνήσῃς αὐτὴν, τότε συνήσεις φόβον κυρίου, καὶ ἐπίγνωσιν Θεοῦ εὑρήσεις. ὅτι κύριος δίδωσι σοφίαν, καὶ ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ γνῶσις καὶ σύνεσις, καὶ θησαυρίζει τοῖς κατορθοῦσι σωτηρίαν. διὸ ἐπίστρεψον πρός με λέγει κύριος, καὶ οὐ μὴ στηριῶ τὸ πρόσωπόν μου ἐπὶ σέ· ὅτι ἐλεήμων ἐγώ εἰμι, καὶ οὐ μὴ μηνιῶ σοι εἰς τὸν αἰῶνα. πλὴν γνῶθι τὴν ἀδικίαν σου, ὅτι εἰς κύριον τὸν Θεόν σου ἠσέβησας, καὶ διέχεας τὰς ὁδούς σου πρὸς τοὺς ἀλλοτρίους τῆς πίστεως, τῆς δὲ φωνῆς μου οὐχ ὑπήκουσας, λέγει κύριος. ἡ γὰρ ἐπίγνωσις τῶν οἰκείων πράξεων ἔσεταί σοι τῆς ταχείας ἐπ᾽ αὐτοῖς διορθώσεως. εἰ μάλιστα μετὰ τοῦ ἐν τοῖς δόγμασιν οἰκείου σφάλματος καὶ τὸ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι θεραπεύσεις πλημμέλημα. ἐκείνους γὰρ ἀθετῆσαι τετόλμηκας, οὐχ ὁμολογήσας ἑαυτὸν, διὰ τῶν οἰκείων γραμμάτων ὡς ὑποκείμενον τῷ καθ᾽ ἡμᾶς ἀποστολικῷ θρόνῳ βικάριον. δι᾽ ἑκατέρου τοίνυν ἀσφαλῶς, ἑκάτερον σπούδασον ἐξιάσασθαι προσηκόντως. οὐ γὰρ ἑτέρως ἕξεις τὴν παρ᾽ ἡμῶν τελείαν συγχώρησιν, εἰ μὴ ἐν ἑκατέροις, ἡμῖν παραστήσεις τὴν οἰκείαν διόρθωσιν.

## XIII. AD ECCLESIAM THESSALONICENSIUM.

### De Pauli damnatione, ejuſque hæreſi fugienda.

*Chriſtum diligenti clero & populo ſanctæ Dei* E *catholicæ Theſſalonicenſium eccleſiæ, Martinus ſervus ſervorum Dei ſanctæ ejus catholicæ & apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ epiſcopus.*

Τῷ φιλοχρίστῳ κλήρῳ τε καὶ λαῷ τῆς Θεσσαλονικέων ἁγίας τοῦ Θεοῦ καθολικῆς ἐκκλησίας, Μαρτῖνος δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἁγίας αὐτοῦ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ἐπίσκοπος.

UNiverſitatis opifex dominus noſter Jeſus Chriſtus, cum initio hominem feciſſet, ad tutelam ejus vitæ proprium ipſi largitus eſt mandatum, præcipiens id nullatenus

ΟΤῶν ὅλων δημιουργὸς κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς κατ᾽ ἀρχὰς ποιήσας τὸν ἄνθρωπον, πρὸς συντήρησιν τῆς αὐτοῦ ζωῆς, τὴν οἰκείαν αὐτῷ δεδώρηται

*Hanc & ſeqq. ex cod. Barberino exhibemus.

ρηται ἐντολὴν, παραγγείλας ταύτην μηδαμῶς παραβῆναι· ἵνα μὴ τῇ λύσει τῆς ἐντολῆς, καρπὸν δρέψηται τὴν οἰκείαν διάλυσιν, ἤγουν τὸν θάνατον, ὃ δὴ καὶ συμβὰν, ἐγνωρίσθη πρὸς τὸ πάντας φόβῳ φοβεῖσθαι τὸν κύριον, καὶ μηκέτι πρὸς παράβασιν ἐντολῆς εὐχειρώτους ὑπάρχειν, τῷ ἀρχῆθεν ἡμᾶς ἀπατήσαντι διαβόλῳ. ὅθεν φιλανθρώπως αὐτὸς ὁ κηδεμὼν τῆς ἡμῶν σωτηρίας καὶ ἔχθραν ἔθηκεν ἀναμέσον ἡμῶν καὶ τοῦ ἀπατήσαντος, εἰς τὸ διηνεκὲς ταύτην ὑπάρχειν, ἣν ἐντέχνως ἐπιτείνων ἡνίκα σαρκωθεὶς καθ' ἡμᾶς γέγονεν ἄνθρωπος, ἐβόα λέγων· οὐκ ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην ἐπὶ τὴν γῆν, ἀλλὰ μάχαιραν. ἣν ὁ μὴ δεχόμενος, φιλοῦται πάντως τῷ ἐχθρῷ τῆς ἡμῶν ζωῆς διαβόλῳ, λύων τὴν ἔχθραν ἣν ὁ κύριος ἔθηκε, μεταξὺ ἡμῶν καὶ αὐτοῦ. καὶ ἀφεστάμενος ἀπὸ Θεοῦ ζῶντος, καὶ νεκρούμενος τῇ ἁμαρτίᾳ, δι' ἣν ἡ τῶν ἀνθρώπων φύσις καθ' ἑαυτῆς ἐπολεμήθη καταφθειρομένη τοῖς πάθεσιν· ἣν αὐτὸς εἰρηνεῦσαι βουλόμενος ὁ ταύτης δημιουργὸς, τὴν οἰκείαν ἐπὶ τῆς γῆς, ὡς εἴρηται, παραγενόμενος δεδώρηται μάχαιραν, ὅπερ ἐστὶν ὁ τοῦ κατ' αὐτὸν εὐαγγελικοῦ κηρύγματος λόγος τέμνων διὰ παντὸς καὶ ἐκθερίζων πᾶσαν ἀσέβειαν καὶ παρανομίαν, συνιστῶν δὲ τὴν εἰς αὐτὸν ὀρθόδοξον ὁμολογίαν, ἐν τοῖς βεβαίως ταύτην φυλάσσουσιν. ἐπεὶ οὖν ἀγαπητοὶ ἀδελφοὶ ἡμῖν τοῖς κατὰ χάριν αὐτοῦ ἱερεῦσιν, ὁ τοῦ τοιούτου εὐαγγελικοῦ κηρύγματος ἐπιστεύθη λόγος, ἵνα μετὰ φρονήσεώς τε καὶ πίστεως τὴν οἰκίαν αὐτοῦ φυλάξωμεν, ἤγουν τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν ἄσυλόν τε καὶ ἀνεπηρέαστον ἐκ τῶν ταύτην λυμήνασθαι κατεπειγομένων, ἀναγκαίως γνωρίζομεν ὑμῖν μάλιστα τοῦτο παρεγγυῶντος πράττειν ἡμᾶς αὐτοῦ τοῦ κυρίου διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος· παρακαλεῖτε, παρακαλεῖτε, τὸν λαόν μου, λέγει ὁ Θεός· ἱερεῖς λαλήσατε εἰς τὴν καρδίαν Ἱερουσαλήμ· παρακαλέσατε αὐτὴν, ὅτι ἐπλήσθη ἡ ταπείνωσις αὐτῆς. ὡς ὁ κληθεὶς ὑμῶν ποιμὴν, εἰς λύκου τάξιν ἀντικατέστη, καὶ ταπεινῶσαι ταύτην ἐπεχείρησε, δι' ὧν ἀσεβῶς πρὸς ἡμᾶς ἐδογμάτισε· μὴ τὸν οὐράνιον ἄρτον, τὸν ἐπὶ γῆς διὰ σαρκὸς πρὸς ἡμᾶς φοιτήσαντα παραθέμενος ὑμῖν εἰλικρινῶς τε καὶ ἀκαινοτομήτως εἰς βρῶσιν καὶ πόσιν πρὸς ζωὴν αἰώνιον διὰ τῶν Ἀποστολικῶν καὶ πατρικῶν δογμάτων· ἀλλὰ τὴν Αἰγυπτιακὴν τροφὴν, ἤγουν τὴν αἱρετικὴν διδασκαλίαν, ἥτις μολύνειν εἴωθεν, ἀλλ' οὐ στηρίζειν καρδίαν ἀνθρώπου. ἐσπούδασε γὰρ οὐ μόνον ἐν προοιμίοις τῆς αὐτοῦ προβολῆς τὴν θολερὰν ἀναβροχὴν τῶν αὐτοῦ μιασμάτων διὰ τῶν αὐτοῦ γραμμάτων τῷ καθ' ἡμᾶς Ἀποστολικῷ θρονίσαι θρόνῳ, καθὼς καὶ τοῖς παρ' αὐτοῦ σταλεῖσιν ἀποκρισιαρίοις, ἤτοι Πιθανῷ τῷ ἐπισκόπῳ, καὶ Ἰγνατίῳ τῷ διακόνῳ τηνικαῦτα κατὰ πρόσωπον ἀπεδείξαμεν, ἀλλὰ καὶ νῦν τὴν τῶν πρώην αὐτοῦ δογμάτων θόλωσιν ἐπαυξῆσαι· καίτοι κατὰ παράκλησιν τῶν εἰρημένων ἀνδρῶν τὰς ἀτοπίας αὐτοῦ καὶ τὰ σφάλματα γνωρισάντων ἡμῶν, καὶ πρὸς τούτοις ἴσον ἀποστειλάντων ὀρθοῦ καὶ σωτηρίου δόγματος, τοῦ παραδοθέντος ἡμῖν ἐκ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, καὶ τῶν ἐγκρίτων τῆς ἐκκλησίας πατέρων· ἵνα πρὸς αὐτὸ ποιήσας ἀπαραλλάκτως, τὴν οἰκείαν διορθώσηται γνώμην, ὁ δὲ καὶ μετὰ τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας μὴ ἀκούσας τοῦ λέγοντος· ὅτι ἀρχὴ ὑπερηφανίας ἀσέβεια. καὶ ὁ κρατῶν αὐτῆς, ἐξομβρήσει βδελύγματα. διὰ τοῦτο παρεδόξασε κύριος τὰς ἐπαγωγὰς καὶ κατέστρεψεν εἰς τέλος αὐτούς. τὸν οὖν ἁμαρτάνοντα εἰς τὴν ψυχὴν

A tranſgredi, ne ſolutionis mandati fructum perciperet propriam diſſolutionem, id eſt, mortem: quod, dum accidiſſet, innotuit: ut omnes timore dominum timerent, nec amplius ad mandati prævaricationem facile caperentur a diabolo, qui nos primitus decepiſſet. Unde humaniter ſaluti ipſe noſtræ proſpiciens, inimicitias poſuit inter nos & eum qui fefelliſſet, eaſque voluit perennes eſſe: quas artificioſe augens, cum incarnatus homo ſecundum nos factus eſt, clamabat, dicens: *Non veni pacem mittere in terram, ſed gladium*; (Matth. 10.) has qui non accipit, inimico vitæ noſtræ diabolo omnino fit amicus, inimicitias ſolvens, quas inter nos & B ipſum dominus poſuit: deficienſque a Deo vivente per peccatum mortificatur, quo hominum natura in ſeipſam armata eſt, & affectionibus corrumpitur, quam naturam pacificare volens ipſius opifex, proprium, ut dictum eſt, in terram adveniens gladium dedit, qui evangelicæ ſecundum ipſum prædicationis ſermo eſt, omnem impietatem atque iniquitatem cædens ſemper ac demetens, commendans vero orthodoxam in ipſum confeſſionem in iis, qui eam firme cuſtodiunt. Quando igitur, dilecti fratres, nobis, qui per gratiam ipſius ſacerdotes ſumus, evangelicæ prædicationis ſermo creditus eſt, ut cum ſapientia & fide tueamur ejus domum, C catholicam nempe eccleſiam, integram atque immaculatam ab iis, qui eam violare ac lædere properant, neceſſario vobis notum facimus, jubente maxime hoc nos facere ipſo domino per prophetam dicentem: *Conſolamini, conſolamini populum meum, dicit dominus: ſacerdotes loquimini ad cor Jeruſalem: conſolamini eam, quia impleta eſt humiliatio ejus*: (Iſa. 40.) Nam is qui paſtor ejus vocatus eſt, mutatus eſt in lupum, eamque humiliare conatus eſt, per ea quę impie in nos dogmatizavit: quippe qui cœleſtem panem, qui per carnem in terram ad nos advenit, non appoſuit vobis ſincere ac ſine innovatione in cibum & potum ad vitam ę- D ternam, per apoſtolicam paternamque doctrinam: ſed appoſuit cibum Ægyptiacum, ſive doctrinam hęreticam, quę inquinare ſolet, non confirmare cor hominis. Studuit enim non ſolum initio propoſitionis ſuę turbidam inquinamentorum ſuorum confuſionem per literas ſuas huic apoſtolicę ſedi imponere, ſicuti ab eo miſſis apocriſariis, Pithano epiſcopo & Ignatio diacono tum coram oſtendimus, ſed nunc quoque doctrinæ ſuæ cœnum augere: tametſi, prætatorum virorum hortatu, abſurditates ejus & errores notos ei feciſſemus, ac præterea miſiſſemus exemplum formulæ doctrinæ veræ ac ſalutaris, quæ nobis tradita eſt a ſanctis E apoſtolis & probatiſſimis eccleſiæ patribus: ut id firmiter intuens, propriam ſententiam corrigeret. Ille vero etiam poſt cognitionem veritatis non audivit dicentem: *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare a Deo.* (Eccli. 10.) *Qui tenuerit eam, adimplebitur maledictis, & ſubverteret eum in finem*. Propterea exhonoravit dominus conventus malorum, & deſtruxit eos uſque in finem. Quis igitur eum, qui in animam ſuam peccat, juſtificabit? quis glorificabit eum, qui vitam ſuam exhonorat? Auſus eſt enim per ſummum divinorum iudiciorum contemptum, miſſum a nobis

bis exemplum adulterare ac depravare, ex eoque demere orthodoxam patrum confeſſionem, & damnationem quam facimus, id eſt, quam catholica eccleſia jure facit deteſtandorum hæreticorum: ac venenum propriæ novitatis injicere. Quoniam igitur ſcri-
Eccl. 12. ptum eſt, fratres: *Quis miſerebitur incantatori a ſerpente percuſſo, & omnibus qui appropiant beſtiis? ſic & qui comitatur cum viro iniquo, & obvolutus eſt in peccatis ejus. In labiis ſuis indulcat inimicus, & in corde ſuo inſidiatur, ut ſubvertat te in foveam. In oculis ſuis lacrymatur: & ſi invenerit tempus, non ſatiabitur ſanguine: & quaſi adjuvans ſuffodiet plantas tuas. Caput ſuum movebit & plaudet manu, & multa ſuſurrans commutabit vultum ſuum.* Et rurſum dicit:
Eccl. 12. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea; & qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam.* Satagite vos omnes, dilecti, ut filii obedientiæ, & divinum præceptum adimplentes, quod di-
Gen. 19. cit: *Salva animam tuam, noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes in omni circa regione, ſed in monte ſalvum te fac, ne & tu ſimul pereas;*
Iſ. 52. & : *Recedite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eorum.* Deponite omnem ad hominem hujuſmodi, id eſt, ad peſſimam ejus hæreſim, conjunctionem & amorem; mors enim eſt, ſeparans a Deo eos qui doctrinæ talis viri obſequuntur. Atque idcirco eum canonice ab omni depoſuimus ſacerdotali dignitate & miniſterio, quoad propria corrigens, ad apoſtolicam catholicæ eccleſiæ redeat fidem; in qua ipſi per Dei gratiam generati & educati, ſtate ſemper radicati & fundati: & ſicut accepiſtis a nobis, ſive a ſanctis apoſtolis, & prophetis, & doctoribus, & univerſalibus quinque ſynodis, quomodo oporteat vos credere, & ambulare, & placere Deo, ſicut & crediditſtis, & ambulaſtis uſque adhuc, ut abundetis magis in orthodoxa fide, confitentes juxta ipſorum ſanctorum piam traditionem, dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Deum verum, & verum hominem eumdem, in nullo a divina ſua deficientem natura, & in nullo ab humana natura deficientem, abſque ſolo peccato: ſed per omnia perfectum ipſum in utraque naturarum, ex quibus & in quibus conſtat, tum in divina, tum in humana, in increata, & in creata, ſicut natura, ita voluntate & operatione, ad demonſtrationem perfectæ ejus cum Deo & Patre, & cum matre ac virgine connaturalitatis & conſubſtantialitatis. Habentes igitur talem ſpem, multa libertate utimur, & non ſicut adverſarii ſuperinductis laſciviunt formulis & expoſitionibus, ſed paternis & ſynodalibus catholicæ eccleſiæ muniti præconiis, hæc ubique & omnibus per ea quæ nuper a nobis ſynodaliter geſta ſunt, intimavimus, quæ & verbaliter nunc loquimur, nihil inductitium aut peregrinum ac novum prædicantes, ſed quæ audiviſtis, & didiciſtis, & accepiſtis, & in vobis jugiter radicata ſunt. Quæ enim eſt ſpes noſtra, aut gaudium, aut corona gloriationis? nonne vos coram ipſo domino noſtro Jeſu Chriſto, & nunc, & in

αὐτοῦ τίς διηγήσει; καὶ τίς δοξάσει τὸν ἀτιμάζοντα ζωὴν αὐτοῦ; ἐτόλμησε γὰρ ἐξ ἄκρας τῶν θείων δογμάτων καὶ χρημάτων καταφρονήσεως, καὶ αὐτὸ τὸ παρ' ἡμῶν σαλοῦ ἴσον, νοθεῦσαι καὶ παραποιήσασθαι, καὶ ἀφελεῖν μὲν ἐξ αὐτοῦ τὴν ὀρθόδοξον τῶν πατέρων ὁμολογίαν, καὶ τὴν κατάκρισιν ἣν ποιούμεθα, τουτέστι δὲ λέγειν, ἡ καθολικὴ ἐκκλησία ποιεῖται δικαίως δυσωνύμων αἱρετικῶν, καὶ ἐμβαλεῖν τὸν ἰὸν τῆς οἰκείας καινοτομίας. ἐπεὶ οὖν γέγραπται ἀδελφοί, ὅτι, τίς ἐλεήσει ἐπαοιδὸν ὀφιόδηκτον, καὶ πάντας τοὺς προσάγοντας θηρίοις; οὕτως τὸν συμπορευόμενον ἀνδρὶ ἁμαρτωλῷ καὶ συμφυρόμενον ἐν ταῖς ἀσεβείαις αὐτοῦ. ἐν τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ, γλυκαίνει λόγους, καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ βουλεύεται ἀνατρέψαι σε εἰς βόθρον· ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ δακρύσει· καὶ ἐὰν εὕρῃ καιρὸν, οὐκ ἐμπλησθήσεται ἀφ' αἵματος· καὶ ὡς βοηθὸν ὑποσχάσει πτέρναν σου. τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ κινήσει. ἐπικροτήσει ταῖς χερσὶν αὐτοῦ, καὶ πολλὰ ψιθυρίσει, καὶ ἀλλοιώσει πρόσωπον αὐτοῦ. λέγει δὲ πάλιν· ὅτι ὁ ἁπτόμενος πίσσης, μολυνθήσεται· καὶ ὁ κοινωνῶν ὑπερηφάνῳ, ὁμοιωθήσεται αὐτῷ. σπουδάσατε πάντες ὑμεῖς ἀγαπητοὶ ὡς τέκνα ὑπακοῆς πληρωταὶ θείου γενόμενοι παραγγέλματος, τοῦ λέγοντος. σώζων σῶζε τὴν σεαυτοῦ ψυχὴν, μὴ περιβλέψῃς εἰς τὰ ὀπίσω, μηδὲ στῇς ἐν πάσῃ τῇ περιχώρῳ, εἰς τὸ ὄρος σῶζου, μήποτε συμπαραληφθῇς· καὶ ἐξέλθετε ἐκ μέσου αὐτῶν, καὶ ἀφορίσθητε καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθε, ἀπόθεσθε πᾶσαν τὴν πρὸς τὸν τοιοῦτον ἄνδρα, τουτέστι δὲ λέγειν τὴν χειρίστην αὐτοῦ αἵρεσιν, οἰκείωσιν, καὶ στοργήν. θάνατος γάρ ἐστιν ἀπὸ Θεοῦ χωρίζων τοὺς πειθομένους ἐν τοῖς δόγμασι τοῦ τοιούτου ἀνδρός. ὧν χάριν καὶ κανονικῶς καθείλαμεν αὐτὸν, ἐκ πάσης ἱερατικῆς ἀξίας, καὶ λειτουργίας, ἄχρις ἂν τὰ οἰκεῖα διορθωσάμενος, πρὸς τὴν ἀποστολικὴν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπανέλθοι πίστιν, εἰς ἣν αὐτοὶ κατὰ Θεοῦ χάριν γεννηθέντες τε καὶ ἀναστραφέντες, στήκετε διὰ παντὸς ἐῤῥιζωμένοι, καὶ τεθεμελιωμένοι· καὶ καθὼς παρελάβετε παρ' ἡμῶν ἤγουν τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, καὶ προφητῶν, καὶ διδασκάλων, καὶ τῶν οἰκουμενικῶν πέντε συνόδων τὸ πῶς δεῖ πιστεύειν, καὶ περιπατεῖν, καὶ ἀρέσκειν Θεῷ, καθὼς καὶ ἐπιστεύσατε καὶ περιεπατήσατε μέχρι τοῦ νῦν, ἵνα περισσεύητε μᾶλλον ἐν ὀρθοδόξῳ πίστει, ὁμολογοῦντες κατὰ τὴν αὐτῶν τῶν ἁγίων εὐσεβῆ παράδοσιν, τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν Θεὸν ἀληθινὸν καὶ ἄνθρωπον ἀληθινὸν τὸν αὐτὸν, ἐν μηδενὶ τῆς θείας αὐτοῦ λειπόμενον φύσεως, πλὴν μόνης τῆς ἁμαρτίας· ἀλλὰ κατὰ πάντα τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἑκατέρᾳ φύσει τῶν ἐξ ὧν καὶ ἐν αἷς συνέστηκεν, ἔν τε τῇ θείᾳ καὶ τῇ ἀνθρωπίνῃ, ἐν τῇ ἀκτίστῳ καὶ τῇ κτιστῇ, ὥσπερ φύσει, οὕτω καὶ θελήσει καὶ ἐνεργείᾳ, πρὸς ἀπόδειξιν τῆς ἐντελοῦς αὐτοῦ πρός τε Θεὸν καὶ πατέρα, καὶ τὴν μητέρα καὶ παρθένον συγγενείας, καὶ ὁμοουσιότητος. ἔχοντες οὖν τοιαύτην ἐλπίδα, πολλῇ παῤῥησίᾳ χρώμεθα, καὶ οὐ καθάπερ οἱ δι' ἐναντίας τοῖς παρεισάκτοις ἐναβρύνονται τύποις, ἤγουν ἐκθέσεσιν· ἀλλὰ τοῖς πατρικοῖς καὶ συνοδικοῖς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ὠχυρωμένοι κηρύγμασι, ταῦτα πανταχοῦ τοῖς πᾶσι διὰ τῶν ἀρτίως παρ' ἡμῶν συνοδικῶς πραχθέντων, ἐγνωρίσαμεν, ἃ καὶ πρὸς ὑμᾶς νυνὶ διαλεγόμεθα, μηδὲν ἐπείσακτον ἢ ξένον κηρύσσοντες, ἀλλ' ἅπερ ἠκούσατε καὶ ἐμάθετε, καὶ παρελάβετε, καὶ εἰσὶν ἐν ὑμῖν ἐῤῥιζωμένα διαπαντός. τίς γὰρ ἡμῶν ἐλπὶς, ἢ χαρὰ, ἢ στέφανος καυχήσεως; ἢ οὐχὶ καὶ ὑμεῖς ἔμπροσθεν αὐτοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ νῦν τε καὶ ἐν τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ; ἐπειδὴ πολλή μοι παῤῥησία

σία πρὸς ὑμᾶς, πολλή μοι καύχησις ὑπὲρ ὑμῶν· πεπλήρωμαι τῇ παρακλήσει, ὑπερπερισσεύομαι τῇ χαρᾷ, ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει ἡμῶν, ἣν διὰ τὸν εἰρημένον ἐθλίβημεν ἄνδρα. τίς γὰρ ἀσθενεῖ καὶ οὐκ ἀσθενῶ; τίς σκανδαλίζεται καὶ οὐκ ἐγὼ πυροῦμαι; φησὶν ὁ θεῖος Ἀπόστολος; διὸ καὶ ὑμεῖς ἀγαπητοὶ τὴν τοιαύτην ἡμῶν περὶ ὑμῶν γινώσκοντες μέριμναν, καὶ διδαχθέντες ἀκριβῶς ἐκ τῶν θεοπνεύστων λογίων, ὅτι οὐδεμία μετοχὴ δικαιοσύνῃ καὶ ἀνομίᾳ, οὐδὲ κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος, οὔτε συμφώνησις Χριστοῦ πρὸς Βελίαρ. οὔτε μερὶς πιστῷ μετὰ ἀπίστου, οὔτε συγκατάθεσις, ὀρθοδόξων πρὸς αἱρετικούς, πάσῃ φυλακῇ τηρήσατε τὴν ἑαυτῶν καρδίαν. ἀμέτοχοι καὶ ἀκοινώνητοι καὶ ἀσύμφωνοι καὶ ἀσύγκλειστοι πρὸς τὸν τοιοῦτον ἄνδρα γενόμενοι. κατ' οὐδένα τρόπον συγκατατιθέμενοι τοῖς δόγμασιν αὐτοῦ, ἀλλὰ προσμένοντες ἀεὶ τῇ ἁγιωτάτῃ ἡμῶν πίστει, δουλεύετε τῷ Θεῷ ἐν καθαρᾷ συνειδήσει. τὴν δὲ τῆς συνάξεως λειτουργίαν πληρώσουσιν ὑμῖν, οἱ αὐτόθι πρεσβύτεροί τε καὶ διάκονοι, οἱ ἀκριβῶς καὶ ἀπαραλείπτως τὰ ὀρθὰ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας σὺν ἡμῖν δεχόμενοι δόγματα, τὰ παρ' ἡμῶν ἀρτίως γραφέντα ὑμῖν. καὶ ἀποβαλλόμενοι πᾶσαν αἵρεσιν καὶ καινοτομίαν τὴν ὑπὸ τοῦ ἀποστολικοῦ καταδικαζομένην κηρύγματος. ἄχρις ἂν ὡς εἴρηται, ἢ ἐκεῖνος τὰ οἰκεῖα διορθώσηται, ἢ ἄλλος ἀντ' ἐκείνου κανονικῶς χειροτονηθῇ ποιμὴν καλὸς καὶ ἀληθινός, καὶ τιθεὶς τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν προβάτων, μιμήσει τοῦ ἀρχιποίμενος Χριστοῦ εἰς τόπον χλόης κατασκηνῶν ὑμᾶς, καὶ ἐπὶ ὕδατος ἀναπαύσεως ἐκτρέφων. αὐτὸς δὲ ὁ βεβαιῶν ἡμᾶς σὺν ὑμῖν εἰς τὴν αὐτοῦ θειοτάτην ὁμολογίαν, καὶ χρίσας ἡμᾶς καὶ σφραγισάμενος, καὶ δοὺς τὸν ἀρραβῶνα τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, ἁγιάσοι ὑμᾶς ὁλοτελῶς, καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα καὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα ἄμεμπτον διατηρήσει, κομιζομένους εἰς αἰῶνας αἰώνων ἃ ἐπηγγείλατο τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν, ἀμήν.

ipſius adventu? quandoquidem multa mihi ad vos libertas eſt, multa gloriatio pro vobis, repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra, quam propter dictum hominem ſuſtinuimus: *Quis enim infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?* inquit divinus apoſtolus. Quocirca & vos, cariſſimi, hujuſmodi noſtram pro vobis ſcientes ſolicitudinem, & edocti diligenter a divinitus inſpiratis ſcripturis, *quod nulla eſt participatio juſtitiæ cum iniquitate, nec ſocietas luci ad tenebras, nec conventio Chriſti ad Belial, nec pars fideli cum infidelibus*, neque conſenſus orthodoxorum cum hæreticis; omni cuſtodia cuſtodite cor veſtrum, nullam participationem habentes, nec ſocietatem, nec conſenſionem, nec connexionem cum hujuſmodi homine: ac ne ulla ratione aſſentiamini ejus doctrinæ, ſed aſſidue permanentes in ſanctiſſima noſtra fide, ſervite Deo in conſcientia pura. Synaxis autem miniſterium perficiant vobis qui ibi ſunt presbyteri & diaconi, qui diligenter & acceptabiliter rectam catholicæ eccleſiæ nobiſcum doctrinam ſuſcipiunt, quæ nuper ad vos a nobis ſcripta eſt: & abjicientes omnem hæreſim ac novitatem, quæ ab apoſtolica prædicatione condemnatur: quouſque, ut dictum eſt, ille ſua corrigat, aut alius pro illo canonice eligatur paſtor bonus ac verus, quique animam pro ovibus ponat, imitatione principis paſtorum Chriſti, in loco paſcuæ vos collocans, & ſuper aquam refectionis educans. Ipſe autem, qui nos vobiſcum confirmat in diviniſſima ejus confeſſione, quique unxit nos ac ſignavit, deditque arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris, ſanctificet vos perfecte, ſpiritumque veſtrum & animam & corpus integra atque irreprehenſibilia cuſtodiat, recepturos in ſæcula ſæculorum quæ repromiſit diligentibus eum. Amen.

2. Cor. 11.
2. Cor. 6.
Joan. 10.
Pſalm. 22.

## XIV. AD THEODORUM.

Commemorat ea quæ Romæ paſſus eſt, cum inde a Calliopa exarcho vi abreptus, Conſtantinopolim miſſus eſt.

*Martinus Theodoro ſincera affectione dilecto fratri.*

QUoniam agnovi ut potui ea quæ in ſcriptis a vobis ſignificata ſunt, in paucis verbis exequar. Cum exirem ab eccleſia quæ vocatur Conſtantiniana, in qua exercitus me cum armis conſtrinxerat, in præſentia Exarchi ac Theodori cubicularii, ſeu cleri, clara voce dixerunt: Anathema habeat quiſquis dixerit vel crediderit, quia Martinus uſque ad unum apicem fiden mutavit, aut mutaturus eſt: & anathema habeant qui in orthodoxa fide ſua uſque ad mortem non permanſerint. His auditis, Calliopas cœpit rationem reddere aliam fidem præter quam nos tenemus, non eſſe, neque aliter ſe credere. Sed hoc propter eos qui audiebant, non propter fidem dicere. Et ſcire te volo, dilectiſſime frater, de fide quam ſignificaſti, nec non & falſis calumniis, quas adverſus veritatem proponunt: quia opitulantibus nobis orationibus veſtris, ac omnium fidelium Chriſtianorum, qui vobiſcum ſunt, & vivens & moriens ſalutis noſtræ fidem defendam, & quemadmodum beatus Paulus apoſtolus docet: *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* De falſis autem accuſationibus, quas noviter hæretici faciunt, abjicientes veritatem Chriſti Dei, qualem omnino poterunt hominibus veritatem loqui, qui Dei veritati reſiſtunt? Tibi igitur reddo rationem, dilectiſſime frater, per eum qui judicaturus eſt mundum iſtum per ignem, qui & reddet unicuique ſecundum opus ſuum. Ego aliquando ad Saracenos nec literas miſi, nec quem dicunt tomum qualiter credere debeant, aut pecunias unquam tranſmiſi, exceptis dumtaxat quibuſdam illuc venientibus ſervis Dei cauſa eleemoſynæ, quibus & modicum quid præbuimus minime ad Saracenos tranſmiſſum. Porro de domina noſtraglorioſa ſemper virgine Maria, quæ Deum & dominum noſtrum Jeſum Chriſtum peperit, quam omnes ſancti & catholici patres Dei genitricem appellant, utpote quæ Deum hominem genuit, falſum contra me, imo contra ſuas ipſorum animas iniqui viri teſtificati ſunt. Nam quiſquis beatam ſuper omnem creaturam * & naturam humanam, abſque eo qui genitus eſt ex ea, venerabilem ſemperque virginem, matrem videlicet domini noſtri non honorat atque adorat, anathema ſit & in præſenti ſæculo, & in futuro. Sed homines occaſiones quærentes, ſcandala objiciunt ad ſcandalizandos multos.

Philip. 1.
* In Romana edit. deeſt & naturam.

SUBSCRIPTIO. Deus te incolumem cuſtodiat, amantiſſime fili.

## XV. AD THEODORUM.

Ejuſdem argumenti cum præcedente.

*Martinus Theodoro.*

NOſcere voluit cara veſtra dilectio, qualiter de ſede ſancti Petri apoſtoli, ſicut unus paſſer ſolitarius ab ædificio, raptus fuerim. Et miror quia ſuper hoc me inquirere voluiſti, cum prædixerit dominus noſter de nequam temporibus iſtis diſcipulis ſuis: *Quia in diebus illis erit tribulatio, qualis non fuit ab origine mundi uſque nunc; & niſi quia abbreviati ſunt dies illi, non poſſet ſuſtinere omnis caro. Sed qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Hoc in paucis de antichriſto dicitur. Nam & ſanctus Paulus ſecundum datam ſibi gratiam ſpiritus prænunciavit dies iſtos Timotheo diſcipulo ſuo, dicens: *In noviſſimis diebus deſcendent homines a fide, & veritate auditum avertent, ſeipſos amantes, avari*, & cetera. Et crede mihi, deſideratiſſime fili mi, non videndum tempus aliud, niſi manifeſte hoc, in quo ſint initia dolorum, quemadmodum dominus prædixit adventum antichriſti. Et mihi breviter dicere neceſſarium viſum eſt, antequam in toto mundo prævaleat judicium, & finem curſus tradam, hoc mihi expedire arbitratus; quo aliis mala mihi præparantibus, exultem potius quam fleam. Igitur ut ſcias qualiter ſublatus & ductus ſim a Romana urbe, nil falſum audies accidentium. Omnia præſcivi per totum tempus, quæ meditabantur *; & ſumpto meipſo cum omni clero meo, privatim manſi in eccleſia ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ cognominatur Conſtantiniana, quæ prima in toto mundo conſtructa & ſtabilita eſt a beatæ memoriæ Conſtantino imperatore, & eſt juxta epiſcopium. Illic enim omnes nos ſeorſum morabamur a die ſabbati, quando Calliopas cum Ravennati exercitu, & Theodoro cubiculario, introivit civitatem. Miſi ergo in obviam ejus quoſdam ex clero: quibus ſuſceptis in palatio, æſtimavit & me cum eis eſſe. Cum autem quæſiſſet, & non inveniſſet, dixit primis cleri. Quia nos eum voluimus adorare, ſed cras, quod eſt dominica dies, obvii ei erimus, & ſalutabimus eum, quia hodie non ſuffecimus. Porro, dominico die datis miſſis in prædicta ſancta Dei eccleſia, ſuſpicatus ille turbam multam colligi propter diem, nunciavit hoc: Quia multum fatigati ſumus ex itinere, & non poſſumus occurrere hodie, ſed cras omnimodis occurremus, & adorabimus ſanctitatem veſtram. Ego vero ipſe graviter infirmus eram ab Octobrio menſe uſque ad prædictum tempus, id eſt uſque ad ſextodecimo Kalendas Julias. Ergo feria ſecunda diluculo mittit chartularium ſuum, & quoſdam ex obſequio ſuo, dicens: Quia arma præparaſti, & armatos habes intus, & multitudinem lapidum collegiſti ad repugnandum: & hoc neceſſarium non eſt, nec aliquid tale fieri permittas. Cumque præſens audiſſem hæc, neceſſarium magis non habui, qualiter hos certos redderem, quam mittere illos gyraturos per totum epiſcopium, & ſi arma vel lapidem vidiſſent, ipſi teſtimonium perhiberent. Cum autem iſſent, & nihil inveniſſent, ſubintuli eis per verba, quod nunquam aliquando aliter, ſed ſemper per complexionem & fallacem accuſationem incederent adverſus nos, & cum in adventu infamis Olympii vani cujuſdam hominis cum armis me hunc potuiſſe repellere faterentur. Ego itaque ante altare eccleſiæ lectulum meum habebam in quo jacebam: & nondum tranſacta media hora, ecce exercitus cum eis veniens in eccleſiam, obumbrati omnes tenentes lanceas & ſpathas ſuas, quin & arcus ſuos paratos una cum ſcutis ſuis: & facta ſunt illic quæ nec dicenda ſunt. Quemadmodum namque in hiemali tempore vento valide flante folia ex arboribus concuſſa cadunt, ita percutiebantur armis candelæ ſanctæ eccleſiæ, & retunſæ excutiebantur in pavimentum: & audiebatur ſonitus qui in eadem fiebat eccleſia, veluti tonitrus quidam horribilis tam ex preſſura armorum, quam ex multitudine * candelarum ab eis fractarum. Quibus confeſtim introeuntibus, juſſio a Calliopa porrecta eſt presbyteris & diaconibus, in qua humilitatis meæ abjectio continebatur, quod irregulariter & ſine lege epiſcopatum ſubripuiſſem, & non eſſem in apoſtolica ſede dignus inſtitui, ſed omnimodis in hanc regiam urbem tranſmitti ſubrogato in loco meo epiſcopo: quod necdum aliquando factum eſt, & ſpero quod nec aliquando fieri habet: quia in abſentia pontificis archidiaconus & archipresbyter & primicerius locum præſentant pontificis. Dum ergo hæc moventur, quæ de fide geſta fuerant, jam manifeſtavi vobis. Quod autem præparati non fuerimus ad repugnandum, melius judicavi decies mori, quam unius cujuſcumque ſanguinem in terram fundi. Quod quidem & ſine periculo hoc geſtum eſt, non paucis, quæ non placuerunt Deo, malis effectis. Eadem itaque hora dedi meipſum ad exhibendum imperatori, & non reſiſtendum. Porro acclamantibus mihi, ut veritatem dicam, quibuſdam ex clero ne facerem hoc, nulli eorum accommodavi aurem, ne ſub to fierent homicidia. Sed dixi illis: Sinite mecum venire ex clero, qui neceſſarii mihi ſunt, epiſcopos videlicet, presbyteros & diaconos, & abſolute qui mihi videntur. Reſpondit Calliopas: Quotquot voluerint venire, cum bono veniant. Nos cuiquam neceſſitatem non facimus. Reſpondi ego: Clerus in poteſtate mea eſt. Exclamantes autem quidam ex ſacerdotibus, dicebant: Cum ipſo vivimus, & cum ipſo morimur. Poſt hæc cœpit dicere per ſe Calliopas, & qui cum ipſo erant: Veni nobiſcum ad palatium. Nec hoc facere recuſavi, ſed exivi cum eis in palatium eadem ſecunda feria. Et tertia feria venit ad me omnis clerus, & multi erant qui ſe paraverant ad navigandum mecum; qui etiam res ſuas jam immiſerant in ea quæ vocabantur levamenta; & alii quoque nonnulli præbarabantur clerici & laici, qui feſtinabant pervenire ad nos. Eadem ergo nocte, quæ illuceſcit in feria quarta, quæ erat tertiodecimo Kalendas Julias, circa horam quaſi ſextam noctis, tulerunt me de palatio, retruſis omnibus qui mecum in palatio erant, uſque ad res diverſas, quæ mihi in via & hic erant neceſſariæ: & non niſi cum ſex puerulis & uno cauculo eduxerunt nos ex urbe. & cum immiſiſſent nos in unum eorum quæ dicebantur levamenta, circa horam plus minus quartam diei ad portum pervenimus. In ea ſane hora, qua egreſſi ſumus ab urbe Roma, ſtatim ut erant obſeratæ portæ, iterum eas obſeraverunt, & ſic remanſerunt, ne exirent a civitate aliqui, & venirent ad nos in portu, donec illinc navigaſſemus. Unde neceſſitas nobis effecta eſt, ut omnium eorum res, qui in levamenta miſſi fuerant, in prædicto portu dimitteremus, & mox eadem die moveremur. Et perve-

Matth. 24. 21.

1 Tim. 4. 1 & 2. cap. 3. v. 1

* Rom. addit inimici veritatis.

* Edit. Rom. candelabrorum .... fractorum.

pervenimus Kalendas Julias Meſenam, in qua erat navis, id eſt carcer meus. Non autem Meſenæ tantum, ſed & in Calabria: & non tantum in Calabria, quæ ſubdita eſt magnæ urbi Romanorum, ſed & in plurimis inſularum, in quibus nos vel tribus menſibus peccata impedierunt, nullam compaſſionem adeptus ſum: excepto dumtaxat in inſula Naxia, quoniam ibi annum fecimus, merui lavari duobus vel tribus balneis, & apud urbem manſi in hoſpitio quodam. Et ecce quadraginta & ſeptem dies ſunt hodie, ex quo non merui calida nec frigida aqua rigare me, & effluxi & refrigui totus, quoniam ventris fluor & in navi & in terra uſque ad præſentem horam requiem mihi omnino non dedit: & in ipſa quoque neceſſitatis meæ hora cum guſtaturus ſum, totus conquaſſatus corpore, ea quæ neceſſaria ſunt percipere ad confortandam naturam non habeo, quia quod habeo tædet me ſumere, cum id habeam penitus in faſtidium. Sed credo in virtutem Dei qui omnia conſpicit, quia cum de præſenti vita ſubductus fuero, exquirentur de his omnibus qui me perſequuntur, ut ſaltem ſic ad pœnitentiam ducti, ab iniquitate ſua convertantur.

Subscriptio. Incolumem te cuſtodiat Deus, fili dulciſſime.

## (a) COMMEMORATIO EORUM,

*quæ ſæviter & ſine Dei reſpectu acta ſunt a veritatis adverſariis in ſanctum & apoſtolicum novum revera confeſſorem & martyrem Martinum papam Romæ, per epiſtolam cujuſdam Chriſtianiſſimi, directam his qui ſunt in occidente, ſeu Romæ, & in Africa, orthodoxis patribus.*

Afflictionum mœrores & lacrymas, communemque ſine ceſſatione ac mœſtiſſimam vocem, quæ in dolore ex imo cordis prolata eſt, puto autem quæ & profertur Deo ab his qui ſunt Romæ, adhuc autem & in omni loco dominationis ejus degentibus ſanctis famulis Dei, & fidelibus populis, ex quo facta eſt perſecutio adverſus ſanctiſſimum patrem noſtrum, Deo beatiſſimum & fidelem ſacerdotum principem & apoſtolicum univerſalem papam, ac per hoc adverſus catholicam eccleſiam: puto autem hactenus hunc eumdem mœrorem retineri in vobis, & multam ſolicitudinem habere vos, ſcire quomodo peractum eſt contra eum, quando exulatus eſt & perſecutione pulſus a Roma navigio uſque Byzantium. Hæc in mente habens ego humilis & peccator famulus veſter, quædam quidem exterius ſolicitudine multa addiſcens; plurimorum autem proprie contemplator factus, indignus miniſterii beatiſſimi & pretioſi ſacerdotis noſtri, judicavi literis reminiſci, & nota facere, claraque conſtituere vobis benedictis, atque per vos omnibus fidelibus & zelum habentibus culturæ divinæ: quatenus cognoſcentes cum cordis mœſtitudine mecum illum propheticum ſermonem proferatis: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die & nocte* [Jer. 9. 10] contritiones catholicæ eccleſiæ & omnium Chriſtianorum, imo perditionem, propter ea quæ acta ſunt in beatum & Deo plenum ducem veritatis & prædicatorem? Verumtamen Deo gloria, qui dedit ei virtutem & ſufferentiam ſtabilem in tentationibus quæ ſupervenerunt ei a contrariis virtutibus & viris, in expugnando & viriliter dimicando pro cultu Dei, inrefragabiliter & ſpe firma uſque ad mortem ponens animam ſuam, utpote imitator ejus qui eum conſtituit athletam dominus ejus ad informationem pro veritate dimicare. Ea equidem, quæ inibi Romæ geſta ſunt in beatum & adamantinum ſpiritualem patrem, ſacerdotumque principem domnum Martinum, & vos ſcitis, qualibus periculis luctatus eſt, videns gladios vibratos & acutos confertos adinvicem, tentos a pluribus militibus paratum habentibus inficere enſes, & commutare a vita beatum, in circuitu altaris aſtantibus, & in toto templo catholicæ eccleſiæ Romæ, quæ cognominatur Conſtantiniana, in qua ſacerdotio fungens recubabat in foribus & grabato ipſe beatus æger: & quomodo contritus animis, & artubus conſtrictus, impulſus & expulſus, raptus & extractus ex apoſtolico throno, in quo Deus eum conſtituit loco, inſpectorem ſui apoſtolum, & prædicatorem orthodoxum veritatis. Sed vere iſte non fecit pretioſiorem animam ſuam ſe, ſed poſuit eam uſque ad mortem, imitans, ſicut dictum eſt, dominum ſuum dicentem: *Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis*, [Joan. 10. 11.] quo ſalvaret ubique errantem & perditam plebem ab inſurgentibus noſtris temporibus hæreticis. Traditus igitur Romæ de catholica eccleſia ſancti Joannis, a potentibus hujus ſæculi his qui hoc erant miniſterio digni miniſtri, atque cuſtodibus, depoſitus eſt ad portum, & conjectus eſt in lembo, & navigantibus, ſicut ſcitis, euntibuſque juxta Avidum, in inſulam quæ vocatur Naxos, non conceſſerunt beato illi apoſtolico viro cuſtodes penitus contingere terram, dolentibus prorſus pedibus ejus, cum ipſi per loca conferrent, & omnino * quieſcerent. Hi autem qui per loca erant ſacerdotes, & ceteri fideles regionis ipſius, dirigebant munera beato illi cauſa utilitatis ejus, non parvæ multotiens quantitatis: quas quidem directas ſpecies & quantitates cuſtodes beſtiales continuo coram eo diripiebant, improperioſa & amara plurima congerentes in eum. Eos autem, qui munuſcula detuliſſent, injuriis & verberibus afficientes dimittebant, dicentes ad eos: Quoniam quicumque diligitis iſtum, inimici eſtis reipublicæ. Numquidnam hoc ſolum ei non valebat inferre dolorem incomparabilem ſuper infirmitatem quæ eum ægre deprimebat? Exinde igitur præmittentes ab Avido quemdam, cuſtodes qui retinebant eum, nunciaverunt in Byzantio adventum & captionem eius, proferentes adverſus eum plurima mala, hæreticum & rebellem. Denique adverſarium proclamantes, & ſubvertentem univerſam terram Romanorum. Cumque tandem perveniſſet Byzantium beatus ille ſeptimo decimo die * Septembrii menſis, in portum juxta Euphemiam prope Arcadianon, reliquerunt eum a mane miniſtri uſque in horam decimam recubantem in grabato navis, eratque ſicut ſcriptum eſt, ſpectaculum omnibus angelis & hominibus. Accedebant enim varii homines, quos propter ferales mores lupaces dixerim, & ſubrogati, ut conjicio, talia contra ſanctum papam agebant, qualia Chriſtianis

* Forte, non quieſcerent. Hard.

* Rom. edit. menſe Novembrio.

(a) Narratio iſta in multis variat ab ea quam Romana editio exhibet; cum tamen multo ſit hæc præſtancior Romana; ideo hac retenta variantes e Romana tantum, quas potiores judicavi, ad marginem ex ſcripſi *Manſ.*

ſtianis dici non oportet. Morantibus nobis in A littore, tota die eram incedens dolore plenus & amaritudine, eo quod viderem talem ſanctum virum ita dejectum: non ſolum autem, ſed & talia eloquia a quibuſdam ethnicis prolata contra eum, nihil aliud quærebam, niſi ut auferretur anima mea a me. Dehinc circa ſolis occaſum venit quidam ſcriba nomine Sagoleva cum multis excubitoribus: & auferentes de lembo poſuerunt in geſtatorio, duxeruntque in cuſtodiam excubitorii, quæ cognominatur * Prandearia: & fecit eum inclauſum ſub multa cuſtodia, præcipiens cuſtodibus, ut nullus penitus ſciret civitatis, quia eſt in eodem excubitu. Fecit ergo ſanctus idem apoſtolicus clauſus, & ſine participatione penitus ſermonis ali- B cujus, nonaginta tres dies. In ipſa vero nonageſima tertia die, quæ eſt dies paraſceve, mane tulerunt eum de cuſtodia, conſtituendum in cella ſacellarii, jubentes pridie convenire omnem ſenatum; quod & factum eſt. Juſſerunt autem eum introducendum, & introduxerunt in portatoria ſella: erat enim penitus æger, præcipue autem illis diebus præ navigatione & afflictione cuſtodiæ per tot dies effectæ. Intendens autem in eum primus, qui præſidebat ſacellarius cum reliquis principibus a longe, juſſit eum ſurgere a ſerculo, & ſtare. Ajentibus quibuſdam miniſtrorum non valere eum ſtare, turbatus præ multa ira ſacellarius exclamavit, cum eo autem & quidam de cuſtodia, ſurgere C eum & aſtare centuriæ ſubnixum hinc inde: quod & factum eſt. Sacellarius autem inquit ad eum: Dic miſer, quid tibi mali intulit imperator? Tulit a te aliquid? oppreſſit te vi? Ille autem tacebat. Tunc ait ad eum ſacellarius imperativa voce: Non reſpondes? ecce nunc ingrediuntur accuſatores tui. Et continuo cum ſermone introducti ſunt plurimi accuſatorum contra eum. Omnes autem erant mendacii filii, & diſcipuli eorum, qui dominum noſtrum Jeſum Chriſtum necaverunt. Contradicebant vero ſancto viro, quemadmodum præmoniti fuerant. Erant enim voces eorum præmeditatæ & præparatæ. In quibus quidam eorum paulo ante interrogati ut teſtimonium perhiberent, D tentabant dicere veritatem, ſicut mos eſt: & continuo turbati qui prætendebant certamen hoc, incipiebant validis minis increpare eos, donec ſuaderent eis proferre quæ erant convenientia in mortem beati & juſti viri. Contemplatus ſanctus papa introeuntes teſtificari, ſubridens dixit: Iſti ſunt teſtes? ſic habet ordo. Erant enim primi ingredientes nomine quidem milites, lupaces autem & beſtiales ſententia: & quidam eorum qui erant Olympii, cum quibus erat & Andreas, qui fuerat ejus notarius. Erant autem inter accuſatores infelices Imericus & Therinus, & reliqui numero quaſi viginti, primores milites & reliqui accuſantes. Jurabant autem ad ſancta evangelia, & ſic teſtificaban- E tur. Primicerius ſane omnium accuſantium erat Dorotheus patritius * Ciliciæ, qui jurans dixit, quoniam quinquaginta capita ſi haberet, non oporteret eum vivere, eo quod ſolus ſubvertit & perdidit univerſum occidentem & delevit: & re vera unius conſilii fuit cum Olympio, & inimicus homicida imperatoris & Romanæ urbanitatis. Videns ergo juſtus vir introeuntes eos & jurantes ſine parcitate teſtificatores, compaſſus perditioni animarum eorum, ait ad eos qui præſidebant principes: Obſecro vos per Deum, nolite præparare eos jurare, ſed abſque ſacramento dicant quæcumque volunt, voſque facite quæcumque vultis. Et quid opus eſt etiam jurando perdere illos animas ſuas? Ingreſſo equidem uno teſtium, & dicente, quoniam conjurationes fecit cum Olympio, & milites præparavit ut jurarent: interrogatus Deo pretioſus vir, ſi hæc ita ſe haberent, reſpondit: Si vultis audire veritatem, dico vobis ſequentia; & cœpit dicere. Quando factus eſt typus, & directus Romam ab imperatore. Et hoc tantum dicente beato illo, aliud quid non conceſſum eſt loqui. Sed continuo ante omnes incipiens cum clamore Troilus: inquit: Non inferas nobis hic de fide, de duello nunc ſcrutaris, quoniam & Romani, & nos Chriſtiani ſumus & orthodoxi. Et reſpondit idem vir juſtus. Utinam: Verumtamen invenietis me in illa die tremendi examinis teſtem etiam in hoc. Denuo inter accuſantes teſtes, ait ad eum præfectus Troilus. * qualis homo es tu, quoniam cernens & audiens talia contra imperatorem nitentem effodiendum Olympium, non prohibuiſti eum, ſed e contra conſenſiſti ei? Ad quem continuo dixit ipſe beatus apoſtolicus papa: Dic domine Troile, quando ſicut ſcitis etiam vos, & nos audivimus, Georgius a magiſtratibus, qui erat ex monachis, ingreſſus eſt huc in urbem a caſtris, & talia verba locutus eſt, fecitque res tales; ubi eras tu; & qui ſunt tecum, quoniam non reſtitiſtis ei, ſed e contra concionatus eſt vobis, & quos voluit palatii exulavit & prohibuit? Iterumque ſub Valentino, cum præcepto imperatoris indutus eſt purpura, & conſedit ei, quo ieratis vos? non eratis hic? cur ergo non prohibuiſtis eum dicentes: Non attingas res non opportunas tibi? nonne omnes e contra conveniſtis ei? Quomodo habebam ego tali viro adverſus ſtare, habenti præcipue brachium univerſæ militiæ Italicæ? an potius ego illum feci exarchum? Verumtamen denuo obſecro vos per dominum, quodcumque vultis & definitis fieri in me, citius explete. Novit enim Deus, maxima mihi dona tribuiſtis, quacumque me clade jugulaveritis. Percontatus autem quemdam de miniſtrantibus, Sagolebam videlicet, ſacellarius: ſi ſunt foris alii aliqui, qui debeant teſtificari, reſpondit ſcriba: Sunt, domine, plurimi alii. Deficientes autem hi qui præſidebant, ſancto & venerabili aſtante viro in conſpectu eorum, & potiſſimum Spiritu eum ſancto firmante, dixerunt ſufficere teſtes. Erat quippe interpres eorum, quæ a ſancto dicebantur, verborum Innocentius conſul filius Thomæ, qui erat ab Africa: & cum interpretaretur ea quæ a beato viro dicebantur, non ferebat, videns ignita jacula ſancti Spiritus a Deo honorabili viro contra eos prolata: ait ad Innocentium cum furore: Cur nobis interpretaris quæ dicit? noli dicere quæ dicit. Surgens ergo continuo ſacellarius cum plurimis qui conſederant ei, ingreſſus eſt nunciare imperatori quæque ipſe voluit. Eduxerunt autem ſanctum apoſtolicum virum de cella judicii, magis autem ex aula Caiphæ, in geſtatorio ſedili ſedentem, & ſtatuerunt eum in medio atrii quod erat ante cellam ſacellarii, & imperialis ſtabuli, quo conſueverat omnis populus convenire & expectare ſacellarii ingreſſum. Circumdederunt eum excubitores, eratque omnibus ſpectaculum formidabile turbis. Poſt paululum ergo, juſſerunt inferri eum in ſolarium expoſitionis, ut eſſet ibi, quatenus proſpiceret imperator per cancellos triclinii ſui

ea

* Rom. Trandiata.

* Rom. Skilia.

* Rom addit. Præfectus.

C ἡμῶν πίστις χάριτι Θεοῦ βεβαία διαμένει καὶ ἀσάλευτος, ἄφθαρτός τε καὶ ἀμόλυντος. οὐ γὰρ ἀνάγκη ταῦτα [illegible], ἅπαξ καλῶς ὑπ' ἐκείνων ἐκκριθέντα τε καὶ ὁρισθέντα, ἵνα μὴ τῇ φιλονεικίᾳ περιενεχθέντες, ὡς κίνδυνον περιπέσωμεν, ἐφελκόμενοι τὸ ἐκ τῆς ἀποφάσεως αὐτῶν τῶν ἁγίων πατέρων ἐξενηνεγμένον ἀνάθεμα, κατὰ πάντων τῶν ἀφαιρούντων, ἢ ἐκμειούντων, ἢ ὑπαλλασσόντων, ἢ ἐπινοούντων ἐκ διεστραμμένης καὶ αἱρετικῆς ἐπινοίας κατὰ τῆς αὐτῶν διδασκαλίας, κεφάλαιά τινα· πάντη τε γὰρ καὶ πάντως οἱ τοῦτο πράττειν τολμῶντες, ὑπὸ τὴν τιμωρίαν, ἤγουν ἐπιτιμίαν ὑπάρχουσιν, εἰ μὴ δάκρυσι μετανοίας ἐξ ὅλης καρδίας τὴν εἰς τὸν Χριστὸν ἐπιστροφὴν, εἰς ὃν ἐ-
D πλημμέλησαν, ἐνδείξονται διὰ πάσης σπουδῆς. οὗ χάριν ἐκεῖνο στέργομεν καὶ διακατέχομεν, ὅπερ ἡ ἁγία καὶ εἰλικρινὴς ὁρίζεται πίστις, καὶ ἡ καθολικὴ καὶ ἀμόλυντος ἐκκλησία κηρύττει, τουτέστι πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, τριάδα ὁμοούσιόν τε καὶ ἀδιαίρετον, ἕνα Θεόν. αὐτὸν δὲ τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἤγουν τὸν ἕνα τῆς ἁγίας τριάδος, τῆς οἰκείας οὐδαμῶς ἐκστάντα θεότητος, ἄνθρωπον γεγενῆσθαι προσλήψει σαρκὸς ψυχὴν ἐχούσης τὴν νοεράν τε καὶ λογικήν· Θεὸς γὰρ καὶ ἄνθρωπός ἐστιν ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ὅθεν ὡς μὲν Θεὸς τέλειος, φύσει ἔχει θείαν καὶ θέλησιν καὶ ἐνέργειαν. ὡς δὲ πάλιν ἄνθρωπος ὁ αὐτὸς, ἀνθρωπίνην φύσιν καὶ θέλησιν καὶ ἐνέργειαν πληρεστάτην ἔχει χωρὶς τῆς οἱασοῦν ἁμαρτίας. δύο γάρ εἰσι
E καθ' ἕνωσιν ἀσύγχυτόν τε καὶ ἀδιαίρετον φύσεις τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ Θεοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ δύο ἐνέργειαι, καὶ δύο φυσικαὶ θελήσεις ὡς ἡ καθολικὴ ἐκκλησία ἐδίδαξέ τε καὶ διδάσκει. ἵνα δὲ τὰ λεγόμενα καὶ ταῖς τῶν πατέρων βεβαιωσώμεθα μαρτυρίαις, ἐκ πλείστων ὀλίγας χρήσεις τῷδε τῷ ἐπιστολιμαίῳ γράμματι συντάξαι διεσπουδάσαμεν.

A

### Καὶ πρῶτον μὲν τοῦ ἁγίου Ἀμβροσίου ἐπισκόπου Μεδιολάνου.

### Ex libro ſancti [1] Ambroſii Mediolanenſis epiſcopi.

Οὕτω γὰρ ἐν τῇ εἰρημένῃ βίβλῳ διέξεισιν. οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. ὅπερ γάρ τις οὐκ ἔχει, τοῦτο ἁρπάσαι σπουδάζει. οὐκοῦν οὐ καθ' ἁρπαγμὸν εἶχε τὴν πρὸς τὸν πατέρα κατὰ φύσιν ἰσότητα, ταύτην γὰρ ὡς Θεὸς καὶ κύριος ἐκέκτητο. ὅθεν ἐπήγαγε. τὸ ἐκένωσεν ἑαυτὸν μορφὴν δούλου λαβών. τῷ γὰρ ἐκκενουμένῳ ὁ δοῦλος ὁμολογουμένως ἐστίν. ὁ δ' ἐν τέλει ὑπάρχων ἐν τῇ μορφῇ τοῦ Θεοῦ, κατὰ φύσιν, ἥττων ἐν τῇ προσλήψει τῆς σαρκὸς καὶ τῷ τοῦ ἀνθρώπου πάθει γέγονεν. ἐπεὶ πῶς ὁ αὐτὸς ἴσος καὶ B ἥττων φύσει ὑπάρχειν δύναται; ἢ πῶς εἴπερ ἥττων ἐστὶν ὁ αὐτὸς τὰ αὐτὰ ὁμοίως ποιεῖ, ἅπερ ποιεῖ ὁ πατήρ; πῶς γὰρ ἡ αὐτὴ ἐνέργεια ἐκ διαφόρου οὐσίας ἐστί; μὴ γὰρ οὕτως ὁ ἥττων ἐνεργεῖ ὥσπερ ὁ μείζων ἐνεργεῖ; ἔνθα γὰρ διάφορος οὐσία ἐστὶν, ἀδύνατον μίαν ὑπάρχειν ἐνέργειαν; δέξαι τοιγαροῦν μηδαμῶς ἥττονα δύνασθαι λέγεσθαι τὸν Χριστὸν κατὰ τὴν οἰκείαν θεότητα.

Inter alia apoſtolus dicit: *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*. Quod enim quis non habet, rapere conatur. Ergo non quaſi rapinam habebat æqualitatem cum Patre, quam in ſubſtantia ſui tanquam Deus & dominus poſſidebat. Unde addidit: Formam ſervi accepit. Contrarium utique ſervus: Æqualis ergo in Dei forma, minor in ſuſceptione carnis & hominis paſſione. Nam quomodo eadem poſſet minor eſſe æqualiſque natura? Quomodo autem ſi minor eſt, eadem ſimiliter facit, quæ pater facit? Nam quomodo eadem operatio diverſa eſt poteſtatis? Nunquid ſic poteſt minor, quemadmodum major operari? aut una operatio poteſt eſſe, ubi diverſa ſubſtantia eſt? Itaque accipe Chriſtum ſecundum divinitatem minorem dici non poſſe. Ambroſ. Tom. 1.

### Καὶ μετὰ βραχέα πάλιν ὁ αὐτός.

### [2] Item cujus ſupra.

Ὁ Πέτρος οὐ φοβεῖται, καὶ ὁ Χριστὸς φοβεῖται. ὁ Πέτρος λέγει· ἄρτι τὴν ψυχήν μου ὑπὲρ σοῦ τίθημι. καὶ ὁ Χριστὸς λέγει· νῦν ἡ ψυχή μου τετάρακται. ἀλλ' ἑκάτερον ἀληθὲς ὑπάρχει καὶ ἄμεμπτον εἴπερ κατὰ λόγον σκοπήσομεν, ὅπως κατώτερος ὤν, οὐ φοβεῖται. ἐκεῖνος ὑψηλότερος πάντων ὤν, δειλιῶντος ἔχει διάθεσιν. ὁ μὲν γὰρ ὡς ψιλὸς ἄνθρωπος τὴν βίαν ἀγνοεῖ τοῦ θανάτου, ὁ δὲ, ὡς ἐνανθρωπήσας ὑπάρχων Θεὸς, τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς ἐπιδείκνυται. ἵνα τὴν ἀσέβειαν περιγράψῃ τῶν αἱρετικῶν τῶν ἀπαρνουμένων τῆς ἐνανθρωπήσεως αὐτοῦ τὸ μυστήριον. καὶ ταῦτα γὰρ εἶπε, καὶ Μανιχαῖος οὐδαμῶς πιστεύει, Βαλεντῖνος ἀρνεῖται, Μαρκίων φαντασίαν νοεῖ. τοσοῦτον γὰρ ἐν ἑαυτῷ τὸν ἄνθρωπον ἐν τῇ ἀληθείᾳ τῆς σαρκὸς προσείληφεν ἐν ὁμοιότητι τῇ καθ' ἡμᾶς ἐπιστώσατο κατὰ διάθεσιν, ὥστε καὶ λέγειν αὐτόν· οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σὺ θέλεις.

C

Timet ergo Chriſtus, cum Petrus non timeat. Chriſtus timet, & Petrus dicit: *Animam meam ponam pro te*. Chriſtus dicit: *Anima mea turbatur*. Joan. 13. Utrumque verum eſt, & plenum utrumque ratione, quod & ille qui eſt inferior non timet, ille qui eſt ſuperior, gerit timentis affectum. Ille enim quaſi homo, vim mortis ignorat: Joan. 12. iſte autem quaſi Deus in corpore conſtitutus, fragilitatem carnis exponit: ut eorum qui ſacramentum incarnationis abjurant, excluderetur impietas. Denique & hæc dixit, & Manichæus non credidit, Valentinus negavit, Marcion phantaſma judicavit. Eouſque autem hominem, quem veritate corporis demonſtrabat, æquabat affectu, ut diceret: *Sed tamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis*. Matth. 26.

### Ὁ αὐτὸς ἐκ τῆς αὐτῆς βίβλου.

### Item ex libro, cujus ſupra.

Ὅμως γε μὴν ἄκουσον τί πρὸς τούτοις φησὶν ὁ διδάσκαλος. ὅτι δὲ καὶ αὐτὸς ὃ θέλει ποιεῖ, γνωρίζει λέγων. τοῦ ποιῆσαι τὸ θέλημά σου ὁ Θεός μου ἠβουλήθην· καὶ ἑτέρωθι· ἑκουσίως θύσω σοι, καὶ ἐκ θελήματός μου ἐξομολογήσομαί σοι.

Audi etiam ipſum agere quod vult. Dixit enim: *Ut faciam voluntatem tuam Deus meus, volui*. Psalm. 39. Et alibi: *Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor*. Psalm. 53.

### Καὶ μετὰ βραχέα

### Item ex libro, ut ſupra.

E

Τί γάρ ἐστιν, ὃ θέλει ὁ πατὴρ καὶ ὁ υἱὸς οὐ θέλει; ἢ τὸ ἔμπαλιν, ὃ μὲν υἱὸς θέλει, ὁ δὲ πατὴρ οὐ θέλει; εἰ γὰρ ὁ πατὴρ οὓς θέλει ζωοποιεῖ· καὶ ὁ υἱὸς οὓς θέλει ζωοποιεῖ· εἰπὲ τοίνυν, ἢ ποίους ἐζωοποίησεν ὁ υἱὸς, οὓς ὁ πατὴρ οὐ θέλει ζωοποιῆσαι, ὅπου γε δηλόν ἐστιν, ὅτι οὓς ὁ πατὴρ θέλει, τούτους ὁ

Quid eſt quod pater velit, & filius nolit? aut filius velit, & pater nolit? *Pater, quos vult vivificat: & Filius quos vult, vivificat*, Joan. 5. ſicut ſcriptum eſt. Dic nunc, quos vivificaverit filius, & pater vivificare noluerit. Cum autem filius, quos velit, vivificet, & operatio una ſit; vide quod non ſolum filius

1 Ambroſius lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 4. Eadem Patrum teſtimonia reperias in ſynodo VI. & in epiſt. Agathonis. *Harduinus*.

2 Ambroſius ibid. cap. 3.

filius voluntatem patris, ſed etiam pater filii A faciat voluntatem. Quid eſt autem vivificare, niſi per filii paſſionem? Paſſio autem Chriſti voluntas eſt patris. Quos ergo filius vivificat, per patris vivificat voluntatem. Una igitur voluntas. Quæ autem voluntas patris, niſi ut veniret Jeſus in hunc mundum, & nos mundaret a vitiis? Audi leproſum Matth. 8. dicentem: *Si vis, potes me mundare. Reſpondit Jeſus: Volo*: & ſtatim ſanus effectus eſt. Videtis quia filius ſuæ arbiter eſt voluntatis, & Chriſti voluntas eadem quæ paterna eſt. Joan. 16. Quamquam cum dixerit: *Omnia quæ pater habet, mea ſunt*: ſine dubio, quia nihil excipitur, quam pater habet, eamdem habet & filius voluntatem. Una ergo voluntas, ubi una operatio. In Deo enim voluntatis ſeries, operationis effectus eſt. Sed alia voluntas hominis, alia Dei. Denique ut ſcias vitam in voluntate eſſe hominis, quia mortem timemus: paſſionem autem Chriſti in voluntate divina, ut pateretur pro nobis: cum Petrus vellet dominum a paſſione revocare, dominus ait: *Non ſapis quæ Dei ſunt,* Matth. 16. *ſed quæ ſunt hominum*. Suſcepit ergo voluntatem meam, ſuſcepit triſtitiam meam: confidenter triſtitiam nomino, quia crucem prædico. Mea eſt voluntas, quam ſuam dixit: quia ut homo ſuſcepit triſtitiam meam, Matth. 26 ut homo locutus eſt: & ideo ait: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis*. Mea eſt triſtitia, quam meo ſuſcepit affectu. Nemo enim moriturus exultat. Mihi compatitur, mihi triſtis eſt, mihi dolet. Ergo pro me & in me doluit, quia pro ſe nihil habuit quod doleret. Doles igitur, domine Jeſu, non tua, ſed mea vulnera: non tuam mortem, ſed noſtram infirmitatem, ſicut Iſa. 53 ait propheta: *Quia pro nobis dolet*. Et nos, domine, exiſtimavimus te eſſe in doloribus, cum tu non pro te, ſed pro me doleres. Et quid mirum ſi pro omnibus doluit, qui pro uno flevit? Quid mirum ſi Joan. 11 moriturus pro omnibus tædeat, qui Lazarum reſuſcitaturus illacrymat? Verum & Ibidem ibi piæ ſororis lacrymis commovetur, quia mentem humanam tangebat: & hic alto operatur affectu, ut ſicut mors ejus mortem abſtulit, livor ejus ulcera noſtra ſanavit, ita etiam mœrorem noſtrum mœror ejus aboleret. Ut homo ergo dubitat, ut homo turbatur: non turbatur virtus, non turbatur ejus divinitas: ſed turbatur anima, turbatur humanæ fragilitatis aſſumptio. Et Pſalm. 21. ideo quia ſuſcepit animam, ſuſcepit & animæ paſſiones. Non enim Deus eo quod Deus erat, aut turbari, aut moveri poſſet. Matth. 27. Denique, *Deus, Deus*, inquit, *meus*, qua-

A υἱὸς ζωοποιεῖ, μία γὰρ πατρὸς καὶ υἱοῦ ἡ ἐνέργεια. ἴδε γὰρ ὅτι οὐ μόνον ὁ υἱὸς τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς, ἀλλὰ καὶ ὁ πατὴρ τὸ θέλημα τοῦ υἱοῦ ποιεῖ. εἰ γὰρ ἐκ ἄλλο, ὅτι τὸ ζωοποιῆσαι καθέστηκε, φημὶ τὸ παθεῖν τὸν υἱὸν αὐτοῦ δι᾽ ἡμᾶς; τὸ δὲ παθεῖν τὸν Χριστὸν, θέλημα τοῦ πατρὸς ὑπάρχει· δῆλον ἐστιν ὅτι οὓς ζωοποιεῖ ὁ υἱὸς, διὰ τοῦ θελήματος τοῦ πατρὸς ζωοποιεῖ. ἓν γὰρ ἐστιν ἀμφοτέρων τὸ θέλημα. ὅπερ τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς τοῦτό ἐστιν, ἵνα παραγένηται εἰς τὸν κόσμον ὁ μονογενὴς αὐτοῦ υἱὸς, καὶ καθαρίσῃ ἡμᾶς ἐκ τῶν ἡμετέρων ἀθεσμιῶν. ἄκουσον γὰρ τοῦ λεπροῦ λέγοντος. κύριε ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπε. θέλω. καθαρίσθητι, καὶ παραχρῆμα ὑγιὴς γέγονεν. ὁρᾷς ὅτι τοῦ ἰδίου θε- B λήματος ἐξουσιαστικός ἐστιν ὁ υἱὸς, καὶ ὅτι ἓν ὑπάρχει τὸ θέλημα. εἰ γὰρ αὐτὸς ἀποφαίνεται λέγων, ὅτι πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ ἐμά ἐστι. ἓν δὲ τῶν πάντων ὑπάρχει τὸ θέλημα, σαφὲς ἄρα καὶ ἀναντίρρητον, ὅτι διὰ τοῦ πάντα φάναι, καὶ μηδὲν αὐτὸν ὑπεξαιρεῖν ὧν ἔχει ὁ πατὴρ, καὶ τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς ἔχει κατὰ φύσιν ὁ υἱός. ἐπειδὴ [illegible] ἡ αὐτὴ, καὶ μία ἐνέργεια, ἓν ὑπάρχει κατὰ φύσιν τὸ θέλημα. ἐν τῷ Θεῷ γὰρ ἡ τοῦ θελήματος κίνησις, ἐνεργείας ὑπάρχει συμπλήρωσις. ἕτερον δὲ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, καὶ ἕτερον τὸ τοῦ ἀνθρώπου κατὰ φύσιν ἐστίν· ὅπως δὲ μάθῃς τὴν ζωὴν ὑπάρχειν ἐν τῷ θελήματι τοῦ ἀνθρώπου, τὸν θάνατον αὐτὸν ὃν ἡμεῖς φοβούμεθα θελήματι Θεοῦ γι- C νόμενον, ἐδέξατο ἐν ἑαυτῷ ὁ Χριστός. ηὐδόκησε γὰρ παθεῖν ὑπὲρ ἡμῶν. διὸ τοῦ Πέτρου μὴ παθεῖν τὸν κύριον θέλοντος, ἀλλὰ ἀπαγορεύοντος αὐτοῦ τὸ πάθος, ἔφη πρὸς αὐτὸν ὁ σωτήρ· οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων. οὐκοῦν κατεδέξατο τὸ θέλημά μου, κατεδέξατο τὴν λύπην μου, τεθαρρηκὼς λύπην ὀνομάζω, ἐπειδὴ τὸν σταυρὸν κηρύττω. ἐμὸν ὑπάρχει τὸ θέλημα ὅπερ ἴδιον εἶπεν. ἐπειδὴ ὡς ἄνθρωπος ἐδέξατο τὴν λύπην μου, ὡς ἄνθρωπος ἐλάλησε. καὶ διὰ τοῦτο εἶπεν. οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ᾽ ὡς σὺ θέλεις. ἐμή ἐστιν ἡ λύπη, ἣν τῇ ἐμῇ κατεδέξατο διαθέσει. οὐδεὶς γὰρ ἀποθνήσκειν μέλλων εὐφραίνεται. ἐμοὶ συμπάσχει, ἐμοὶ λυπεῖται, ἐμοὶ πονεῖ. ὑπὲρ D ἐμοῦ γὰρ καὶ δι᾽ ἐμὲ ὀδυνᾶται. οὐ γὰρ ὑπὲρ ἑαυτοῦ, οὐ δι᾽ ἑαυτὸν πέπονθεν. οὐ γὰρ εἶχεν ἰδιόν τι ὑπὲρ οὗ πονήσῃ. πονεῖς γὰρ κύριέ μου Ἰησοῦ, οὐχὶ τὰ σὰ, ἀλλὰ τὰ ἐμὰ τραύματα. οὐ τὴν σὴν ἀρρωστίαν, ἀλλὰ τὴν ἐμὴν ἀσθένειαν, ὡς φησιν ὁ προφήτης. ὅτι ὑπὲρ ὑμῶν ὀδυνᾶται. ἡμεῖς δὲ ἐλογισάμεθα αὐτὸν ἐν πόνοις, αὐτὸς δὲ παρεδόθη διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν. 1 ἀλλὰ τί θαυμαστὸν, εἰ ὁ ὑπὲρ πάντων πονῶν, ὑπὲρ ἑνὸς ἐπόνησεν; εἰ ὁ ὑπὲρ πάντων ἀποθνήσκων, ὑπὲρ ἑνὸς ἀθυμεῖ, καὶ ὃν ἤμελλεν ἀναστῆσαι τοῦτον ἐδάκρυσεν; ἀλλὰ κἀνταῦθα τῆς θεοφιλοῦς ἀδελφῆς ἐπικάμφθη τοῖς δάκρυσιν, ἐνδεικνύμενος τὸ ἀνθρώπινον, μυστικῇ διαθέσει· καὶ τοῦτο φιλανθρώπως ἐνεργῶν, ἵνα ὥσπερ οἰκείῳ θανάτῳ, τὸν ἡμῶν ἀφείλατο θάνατον, καὶ τῷ μώλωπι αὐτοῦ τὰ ἡμῶν ἰάσατο τραύματα, οὕτω καὶ τῇ οἰκείᾳ λύπῃ, τὴν ἡμῶν ἐξαφανίσῃ λύπην. οὐκοῦν ὡς ἄνθρωπος ἐδειλίασεν, ὡς ἄνθρωπος ἐταράχθη. οὐκ ἐταράχθη ἡ δύναμις, οὐκ ἐταράχθη ἡ θεότης· τῇ οἰκείᾳ ψυχῇ ταράττεται τῇ τῆς ἀνθρωπίνης ἀσθενείας φύσει ταράττεται. ἐπειδὴ γὰρ ψυχὴν τὴν ἡμετέραν προσείληφε, διὰ τοῦτο καὶ τὰ πάθη τῆς ἡμετέρας ψυχῆς κατεδέξατο. οὐ γὰρ καθὸ Θεὸς ὑπῆρχεν, ἠδύνατο ταραχθῆναι ἢ λυπηθῆναι. ἀλλ᾽ εἰ καὶ λέγει ὁ Θεὸς, ὁ Θεός μου διατί με ἐγκατέλιπες; ὡς ἄνθρωπος ταῦτα λαλεῖ, τῆς ἡμετέρας ἀσθενείας δημοσιεύων, ἡνίκα γὰρ ἡμεῖς ἐν κινδύνοις γινόμεθα, νομίζομεν ἐγκαταλελεῖφθαι πα-

ρὰ

1 *Quid mirum ſi qui pro omnibus doluit, pro uno doluit?* contra quam in Latino dicitur: *Quid mirum ſi pro omnibus doluit, qui pro uno flevit?* Harduinus.

ρεῖ τοῦ Θεοῦ. παραιτεῖται δὲ ὡς ἄνθρωπος, δακρύει ὡς ἄνθρωπος, σταυροῦται ὡς ἄνθρωπος. φησὶ γὰρ ὁ μακάριος Παῦλος. ὅτι εἰ καὶ ἐσταυρώθη ἐξ ἀσθενείας, ἀλλὰ ζῇ ἐκ δυνάμεως Θεοῦ. καὶ ὁ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων Πέτρος γράφει· Χριστοῦ οὖν παθόντος ὑπὲρ ἡμῶν σαρκί, σαρκὶ τοιγαροῦν ἔπαθε, πάθους καὶ θανάτου κατὰ φύσιν ὡς Θεὸς ὑπάρχων ἐλεύθερος. σώματι γὰρ τὸν τῆς φύσεως ἐπλήρου νόμον. θεότητι γὰρ αὐτὴν θνήσκειν ἀδύνατον ἦν· ὅπου γε καὶ ψυχὴν ἀποθνήσκειν ἀδύνατον, ὡς αὐτὸς παραγγέλλει λέγων. μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτεῖναι. εἰ οὖν τὴν ψυχὴν ἀδύνατον ἀποκτεῖναι, πῶς θεότητα δυνατόν;

A

re me dereliquisti? Ut homo ergo loquitur, meos circumferens metus, quod in periculis positi, a Deo deseri non putamus. Turbatur ut homo, flet ut homo, ut homo crucifigitur. Sic enim & apoſtolus Paulus dixit, quia Chriſti carnem crucifixerunt, & alibi apoſtolus Petrus ait: *Chriſto paſſo ſecundum carnem.* Caro igitur eſt paſſa, divinitas autem mortis libera paſſione, corpus humanæ naturæ lege conceſſit. An vero mori divinitas poteſt, cum anima non poſſit? *Nolite*, inquit, *timere eos qui corpus poſſunt occidere, animam autem non poſſunt.* Ergo ſi anima occidi non poteſt, quomodo divinitas poteſt?

Hebr. 9.
1. Pet. 4.
Matth. 10.

B

Ἀλλὰ καὶ ὁ ἅγιος Αὐγουστῖνος ὁ τῆς Ἱππωνησίου ἐπίσκοπος, ἐν τῷ κατὰ Ἀρειανῶν αὐτοῦ βιβλίῳ γράφει, λέγων.

*Item ex [3] libro ſancti Auguſtini Hipponenſis epiſcopi adverſum Arianos.*

Ἔστι τι παραδειγματικὸν ἐκ τῆς καθ' ἡμᾶς φύσεως εἰκονίσαι περὶ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος, [1] εἰ καὶ ἀσυγκρίτως πάντων ὑπέρκειται τῶν γεγονότων. ὁ μὲν γὰρ Θεός ἐστιν, ἡ δὲ κτίσμα καθέστηκεν. ὅσον μὲν εἰκάζειν ἔξεστι περὶ τῆς ἀρρήτου φύσεως, ἐκεῖνο προσῆκον ἡμᾶς ἐννοεῖν, ὡς οὐ μάτην εἴρηται, ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν, καὶ καθ' ὁμοίωσιν [2], τοῦ πατρὸς εἰπόντος πρὸς τὸν υἱὸν, ἐν ἁγίῳ πνεύματι διαλεγομένου· τὴν γὰρ ἁγίαν τριάδα, τὸ τοιοῦτο ἡμῖν διαγράφει ῥητόν. ἐπειδὴ καὶ ἐν τῷ καθ' ἡμᾶς ἀνθρώπῳ τρία ἐστί τινα κατὰ φύσιν θεωρούμενα, μνήμην, νόησιν, καὶ θέλησιν. διὰ γὰρ τῶν τριῶν τούτων πᾶν τὸ παρ' ἡμῶν γινόμενον γίνεται πάντως εἴτε καὶ λίαν ὀρθῶς, ὥσπερ οὖν καὶ ὀρθῶς ἐχομένων ἐν τοῖς τρισὶ τούτοις. λήθης μὲν τὴν μνήμην, πλάνης δὲ τὴν νόησιν. παρανομίας δὲ μὴ [illegible], τὴν θέλησιν. οὕτω γὰρ καὶ τὴν θείαν ἐν ἑαυτοῖς εἰκόνα διατυπούμεθα, ὡς πάντας ἔργον διὰ τῶν τριῶν τούτων, ἀλλήλοις ἡμῖν γινομένων. καὶ οὐδενὸς παραλόγως ἢ τούτων χωρὶς πραττομένου. εἰ γὰρ καὶ ὡς ἀφ' ἑνὸς τούτου ποιεῖσθαι τὸν λεγόμενον νομίζομεν, ὡς αὐτοῦ δῆθεν καὶ μόνου τὸ γινόμενον προσηκόντως, ἀλλ' οὖν ἐξ ἁπάντων τριῶν καὶ ἡ τῶν ἑτέρων ἐν αὐτῷ τῷ πραττομένῳ γνωρίζεται συμπαράληψις. ὅταν γὰρ τὸν λόγον εἴπῃς, ὃν ἐκ τῆς μνήμης προφέρει ἐκλαμβανόμενον, οὐχ ἡ μνήμη τοῦτον προάγει μόνον, συνεισκομίζει δὲ μᾶλλον, ἥ τε νόησις καὶ ἡ θέλησις, εἰ καὶ δοκεῖ πως ἡμῖν ἐκ τῆς μνήμης προσέρχεσθαι· τὸ αὐτὸ δὲ τις εὑρήσει καὶ περὶ τῶν ἄλλων δύο μετ' ἐπιστήμης κατανοῶν. πᾶν γὰρ εἴ τι νοοῦντες διαλεχθῶμεν, οὐκ ἀπροθελήτως ἢ μνήμης χωρὶς τὸν λόγον προφέρομεν, οὔτε δὲ καὶ κατὰ θέλησιν ἐάν τι φθεγξώμεθα, οὐκ ἀνοήτως ἢ μνήμης ἐκτὸς, ὁ γραφικὸς τὸ τοιοῦτο παραδίδωσι λόγος.

Eſt in homine ſimile quiddam, quamvis nequaquam illius trinitatis, quæ Deus eſt, excellentiæ comparandum. Ille enim Deus eſt, iſte creatura: habet tamen aliquid diſtantiæ, ubi qualicumque modo id, quod de illa ineffabili Dei natura dicitur, poſſit intelligi. Neque enim fruſtra non eſt dictum: Faciam hominem ad imaginem tuam, tanquam Pater Filio loqueretur, aut ad ima-

C

ginem meam: ſed dictum eſt: *Ad imaginem noſtram*, quod ex perſona ipſius trinitatis rectiſſime accipitur. Tria itaque iſta in hominis animo cogitemus, memoriam, intelligentiam & voluntatem. Ab his tribus fit omne quod facimus, & cum tria iſta bene recteque ſeſe habent, bonum & rectum eſt omne quod facimus, ſi nec memoriam decipiat oblivio, nec error intelligentiam, nec iniquitas voluntatem. Ad Dei quippe imaginem ſic reformamur. Omne igitur opus noſtrum ab his tribus fit. Nihil enim agimus, quod non hæc tria ſimul agant. Deinde cum de ſingulis loquimur, etiam quod ad ſingula pertinet, ab omnibus agitur. Ne-

Gen. 1.

D

que enim ſermonem, quem de ſola memoria facimus, memoria ſola facit, ſed intelligentia voluntaſque cooperantur cum, quamvis ad ſolam memoriam pertinentem. Hoc & de duobus ceteris videre facillimum eſt. Nam quod de ſeipſa intelligentia loquitur, ſine memoria & voluntate non loquitur: ſic quidquid de ſola ſeipſa voluntas dicit aut ſcribit, ſine intelligentia memoriaque non facit.

E

Ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ πρὸς Ὀνωράτον αὐτῷ γεγραμμένῃ βίβλῳ περὶ χάριτος τῆς κατὰ τὴν καινὴν διαθήκην, οὕτω πάλιν διεξέρχεται φάσκων, ὁ αὐτὸς ἅγιος Αὐγουστῖνος.

*Item ex libro [4] ſancti Auguſtini de gratia novi teſtamenti ad Honoratum.*

Ὦ ἄνθρωποι, μηδαμῶς ἑαυτῶν ἀπελπίσητε. δύνασθε γὰρ υἱοὶ Θεοῦ γενέσθαι. καθ' ὅσον αὐτὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, σὰρξ γέγονε καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. ἀντό-

O homines, nolite deſperare vos fieri poſſe filios Dei: quia & ipſe filius Dei, hoc eſt, verbum Dei caro factum eſt, & habitavit in nobis. Reddite vicem, & efficimi- Joan. 1.

ni

1 Forte, εἰ καὶ. Harduinus.
2 Hic rurſum Græca diſſident a Latinis. Hard.
3 Ex libro contra Sermonem Arianorum c. 16.
4 Eſt epiſtola 140.

ni ſpiritus, & habitare in illo qui caro factus eſt, & habitavit in nobis. Neque enim jam deſperandum eſt participatione verbi fieri poſſe homines filios Dei, quando filius Dei participatione carnis factus eſt filius hominis. Nos itaque mutabiles in melius commutandi, participes efficimur verbi. Verbum autem immutabile, nihil in deterius commutatum, particeps carnis effectum eſt, rationali anima mediante. Neque enim homo Chriſtus, ut Apollinariſtæ hæretici putaverunt, aut non habuit animam, aut non habuit rationem, aut voluntatem; ſed more ſuo ſcriptura, ut & Chriſti humilitatem magis oſtenderet, ne carnis nomen quaſi indignum aliquid refugi e videretur, carnem pro B hominé poſuit. Neque quia ſcriptum eſt: *Videbit omnis caro ſalutare Dei*; animæ ibi non ſunt intelligendæ.

Isai. 40.

A δεῖν ἐν αὐτῷ τὴν ἁμαρτίαν, καὶ γενέσθαι πνεῦμα καὶ οἰκῆσαι ἐν αὐτῷ τῷ γενομένῳ δι' ἡμᾶς ἀνθρώπῳ καὶ σκηνώσαντι ἐν ἡμῖν. οὐδὲ γὰρ ἀνέλπιστον ἡμῖν ὑπάρχει λοιπὸν ἡ τοῦ λόγου μέθεξις τοῦ δυνάσθαι καὶ ἀνθρώπους ὄντας υἱοὺς γενέσθαι Θεοῦ, καθ' ὅσον ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τῇ προσλήψει τῆς σαρκὸς υἱὸς ἀνθρώπου γεγένηται. ἀλλ' ἡμεῖς μὲν ἔτι δὴ τρεπτοὶ κατὰ γνώμην ὑπάρχοντες τῇ πρὸς τὸ κρεῖττον ἀπὸ τοῦ χείρονος ἀλλοιώσει, μέτοχοι τοῦ λόγου γενόμεθα. ὁ δὲ λόγος ἄτρεπτος ὢν αἰεὶ κατὰ φύσιν, κατ' οὐδένα τρόπον ἐκ τῆς πρὸς τὸ χεῖρον μεταβολῆς, γέγονε σάρξ, ἤγουν ἄνθρωπος, ἀλλ' οὐδὲ δίχα ψυχῆς. οὐ γὰρ καθὼς οἱ αἱρετικοί φασιν, ἤγουν οἱ Ἀπολλιναρισταί, Χριστὸς ὁ B Θεὸς ἡμῶν ἄνθρωπος γέγονε, ψυχὴν μὴ ἔχων, ἢ γνῶσιν, ἢ θέλησιν, διὰ τὸ γεγράφθαι· ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. συνήθης γὰρ τῇ γραφῇ καὶ τὸ ὅλον ἐκ τοῦ μέρους κατονομάζειν, καὶ τὸ κρεῖττον ἰδόντι διὰ τοῦ ἥττονος, ἵνα καὶ τὴν τοῦ Χριστοῦ δι' ἡμᾶς γνωρίσῃ ταπείνωσιν, καὶ διδάξῃ μὴ ὡς ἀνάξιόν τι, τοὔνομα τῆς σαρκὸς ἐκκλίνεσθαι καὶ ἀποφεύγειν. καὶ τοῦτο δῆλον ἐκ τοῦ λέγειν. καὶ ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ. σαφὲς γὰρ ὅτι οὐχὶ σάρκας ἐρήμους ψυχῶν, ὁ γραφικὸς λόγος ἡμῖν ἐν τούτοις παραδίδωσιν.

Guloſus, gratia Dei epiſcopus eccleſiæ Puppitanæ, huic libello rectæ fidei noſtræ ſubſcripſi.

Probus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Tatiæ Montanenſis, ut ſupra.

Marcellus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Mattianenſis, ut ſupra.

Γόλωσος χάριτι Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας Πουπιτανῆς τῷ παρόντι λιβέλλῳ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως καθυπεσημηνάμην.

Πρόβος ἐπίσκοπος Ταχίας Μουτανῆς, ὁμοίως.

Μάρκελλος ἐπίσκοπος Ματιανῆς, ὁμοίως.

Καὶ ἕτεροι ξζ. σὺν τούτοις θεοφιλεῖς ἐπίσκοποι C τῆς Ἀφρῶν χώρας, ὑπέγραψαν ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ.

* Pariator, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Hiltenſis, ut ſupra.

* Deeſt etiam in MS Græc.

Theodorus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Biltenſis, ut ſupra.

Melloſus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Giſipenſis, ut ſupra.

Conſtantinus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Talborenſis, ut ſupra.

Felix, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Parienſis, ut ſupra.

Paulus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Tabucenſis, ut ſupra.

Florentius, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Eugenſis, ut ſupra.

Donatus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Ipponizaritenſis, ut ſupra.

Valerius, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Tiburicenſis, ut ſupra.

Vitalis gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Zarnenſis, ut ſupra.

Creſcis, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Cęſalenſis, ut ſupra.

Auguſtalis, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Abitinenſis, ut ſupra.

Gentilis, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Cubdenſis, ut ſupra.

Creſcens, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Tiburnicenſis, ut ſupra.

Maximus, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Rucumenſis, ut ſupra.

Victor, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Municipitogię, ut ſupra.

Ioannes, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Elibienſis, ut ſupra.

Bonifacius, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Telenſis, ut ſupra.

Felix, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Timidenſis, ut ſupra.

Fructuoſus, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Vinenſis, ut ſupra.

Benenatus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Semitenſis, ut ſupra.

Cyprianus, gratia Dei epiſcopus Sanctę eccleſiæ Tadduenſis, ut ſupra.

Baſſus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Carpitanæ, ut ſupra.

Adeodatus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Abbiritanæ, ut ſupra.

Victor, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Membreſſitanæ, ut ſupra.

Vitalis, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Tizzicenſis, ut ſupra.

D Petrus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Culcitanenſis, ut ſupra.

Januarius gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Libertinenſis, ut ſupra.

Redemptus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Neapolitanæ, ut ſupra.

Felix, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Aborenſis, ut ſupra.

Pariator, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſię Scilitanæ, ut ſupra.

Victor, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Bulnenſis, ut ſupra.

Dominicus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Abſaſallenſis, ut ſupra.

Stephanus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Tuccaborienſis, ut ſupra. E

Bonifacius, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Pappianenſis, ut ſupra.

Valentinianus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Viſicenſis, ut ſupra.

Germanus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Ciumtuturbo, ut ſupra.

Fortunius, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Oſitanæ, ut ſupra.

Redemptus, gratia Dei epiſcopus Municipii Canapii, ut ſupra.

Creſcitunus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Cuſitanę ut ſupra.

Repa-

Reparatus, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Megiepolitanę, ut ſupra.

Januarius, miſericordia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Muſtitanę, ut ſupra.

Maximus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſię Suenſis, ut ſupra.

Julianus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſię duarum Senepſalitanarum, ut ſupra.

Donatianus, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Nummulitanę, ut ſupra.

Clariſſimus, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Tauracinę, ut ſupra.

Conſtantinus, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Altoburitanę, ut ſupra.

Lucianus, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Suecubenſis, ut ſupra.

Criſconius, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Uculenſis, ut ſupra.

Candidus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Siſicenſis, ut ſupra.

Donatus, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Hortenſis ut ſupra.

Florentius, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Zentenſis, ut ſupra.

Quobulus, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię * Cecíritanę, ut ſupra. Ciepten.

A Felix, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſię Triſipellis, ut ſupra.

Benenatus, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Giutrambacarienſis, ut ſupra.

Stephanus, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię * Clipienſis, ut ſupra.

Victorinus, gratia Dei epiſcopus Auziritanę, ut ſupra.

Melloſus, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Bullerenſis, ut ſupra.

Cyprianus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Villęmagnenſis, ut ſupra.

Nabigius, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Tigimenſis, ut ſupra.

Tripolius, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię

B Ucitanę, ut ſupra.

Benenatus, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Naraggaritanę, ut ſupra.

Flavianus gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Uticenſis, ut ſupra.

Benenatus, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Cubitanę, ut ſupra.

Fortis, gratia Dei epiſcopus ſanctę eccleſię Agenſis, ut ſupra.

Μαρτῖνος ὁ ἁγιώτατος καὶ μακαριώτατος πάπας τῆς τῶν Ῥωμαίων ἁγίας τοῦ Θεοῦ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, εἶπεν.

C

Ἡ γραφεῖσα συνοδικῶς ἐπιστολὴ πρὸς Παῦλον τὸν ἐπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως παρὰ τῶν τῆς Ἀφρικῆς θεοφιλῶν ἐπισκόπων καὶ νῦν ἡμῖν ἀναγνωσθεῖσα, φανερῶς τούτους παρίστησι τό, τε δυσσεβὲς αὐτοῦ καταδικάσαντας φρόνημα, καὶ τὸ εὐσεβὲς τῶν ἁγίων πατρῶν δόγμα κυρώσαντας, εἴπερ σαφῶς τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑνὸς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ δύο καθ' ἕνωσιν ἀσύγχυτόν τε καὶ ἀδιαίρετον δογματίσαντας φύσεις, καὶ δύο φυσικὰς θελήσεις, καὶ δύο φυσικὰς ἐνεργείας, θείαν τε καὶ ἀνθρωπίνην, ἤγουν ἄκτιστον καὶ κτιστήν. καὶ οὐδὲ τοῦτο παρέργως ἢ ἠμελημένως, ἀλλ' ὡς πρέπον ἦν σοφοῖς ἱερεῦσι καὶ συνηγόροις Θεοῦ, καὶ τῆς ἀληθείας προμάχοις, τουτέστιν ἐξ ἀποδείξεως ἀκριβοῦς αὐτῶν, ὡς ὁρᾶτε τῶν ἁγίων πατέρων, Ἀμβροσίου λέγω καὶ Αὐγουστίνου τῶν περιδόξων τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας καὶ ἐξοχωτάτων διδασκάλων· ἐξ ὧν τοῖς ἐναντίοις οὐ μεταβληθεῖσι πρὸς τὴν βελτίονα γνώμην ἀπὸ τοῦ χείρονος [illegible] τε τῆς ἀπολογίας ἐν ἀπορίᾳ γεγόνασιν, ἐπεί τε τῇ παραγωγῇ τῶν πατρικῶν χρήσεων, καὶ τῇ διαμαρτυρίᾳ τῶν συνοδικῶν ὑπομνήσεων, τῇ παρὰ πάντων αὐτοῖς ἐγγράφως καὶ ἀγράφως ἐκπεμπομένῃ· καὶ μέντοι τῇ κατὰ πρόσωπον συνεχεῖ παρρησίᾳ προτεινομένῃ παρὰ τῶν ὀρθοδόξων ἱερέων, εἰς διόρθωσιν τῆς ἰδίας πλάνης. ἐν πᾶσι χρόνοις πολεμικῶς παρ' αὐτῶν ἐπιτεινομένης κατὰ τῆς ἀμωμήτου ἡμῶν τῶν Χριστιανῶν πίστεως, εἴπερ μηδαμῶς φωνὴν ἐπαδόντων προσήκατο καταδέξασθαι τὰ ὦτα βύσαντες τῆς διανοίας, καὶ πρὸς ἀναιδῶς τινα καὶ ἀπότομον τὸν ἑαυτῶν νοῦν ἀποστραφέντα συνελάσαντες, ὡς ἁρμοδίως καὶ πρὸς αὐτοὺς τοῦτο χάριν τὴν σοφίαν λέγειν. ἐκάλουν, καὶ οὐχ ὑπηκούσατέ μου. ἐξέτεινα λόγους, καὶ οὐ προσείχετε. ἀλλ' ἀκύρους ἐποιεῖτε ἐμὰς βουλάς, τοῖς δὲ ἐμοῖς ἐλέγχοις οὐ προσείχετε. ἐμίσησαν γὰρ σοφίαν, τὸν δὲ λόγον κυρίου οὐ προσείλαντο, οὐτε ἤθελον ἐμαῖς προσέχειν βουλαῖς, ἐμυκτήριζον δὲ ἐμοὺς ἐλέγχους. τοιγαροῦν ἔδονται τῆς ἑαυτῶν ὁδοῦ τοὺς καρπούς, καὶ τῆς ἑαυτῶν ἀσεβείας πλησθήσονται. ὁ δὲ ἐμοῦ ἀκούων κατασκηνώσει ἐπ' ἐλπίδι, καὶ ἡσυχάσει ἀφόβως ἀπὸ παντὸς κακοῦ. χρὴ τοίνυν καὶ ταύτην ἡμῖν, λέγω δὴ τὴν πρὸς Παῦλον γραφεῖσαν ἐπιστολὴν, ἐκ τῶν τῆς Ἀφρικῆς ἐλθοῦσαν ἐπι-

Maximus * ſanctiſſimus epiſcopus Aquilejenſis eccleſiæ dixit. * Martinum papam ſubſtituit MS Gr. ut videtur.

Directa ſynodalis epiſtola a venerabilibus Africanis epiſcopis Paulo Conſtantinopolitano antiſtiti, quę in pręſenti nobis relecta eſt, luce clarius eoſdem oſtendit impiiſſimum quidem intellectum denominati antiſtitis condemnantes, atque ſanctorum patrum pium dogma confirmantes, duas naturas, duaſque voluntates & duas operationes unius ejuſdemque domini Dei noſtri Jeſu Chriſti dogmatizantes. Et nec hoc tranſitorie, aut per aliquam poſtpoſitionem, ſed ut cernitis, per approbationem ſanctorum patrum, id eſt,

D Ambroſii & Auguſtini glorioſorum catholicę eccleſię, eximiorumque doctorum: per quos adverſarii, de ſua malitia minime recedentes ad meliorem ſenſum, nullius ſatiſfactionis locum invenient ab eo, quod tam paternis teſtimoniis invitati, quamque ſynodalibus conteſtationibus in ſcripto & ex non ſcripto, ab omnibus admoniti eſſe noſcuntur, ſed & ab orthodoxis ſacerdotibus pręſentialiter admoniti ad correctionem proprii erroris, licet nullo modo vocem incantantium admittere paſſi ſunt, aures mentis obturantes, ut competenter in eos, quod per Sapientiam dicitur, impleatur: *Vocavi, & renuiſtis: extendi ſermones, & non fuit qui aſpi*-Pſalm. 57. Proverb. 1.

E *ceret: Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis; eo quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorem domini non ſuſceperint, nec acquieverint conſilio meo, & detraxerint univerſæ correctioni meæ. Comedent enim fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſiliis ſaturabuntur. Qui autem me audierit, abſque terrore requieſcet, & abundantia perfruetur, malorum timore ſublato.* Profecto & hanc epiſtolam, pręmemorato Paulo directam a reverendiſſimis Africanis epiſcopis, ſimiliter

ren-

rendiſſimis Africanis epiſcopis, oportet geſtis inſe[rtis] ad argumentum ejus improbę inſtantię vel complicum ejus quam videlicet per tot annos contra immaculatam fidem noſtram Chriſtianorum exercere noſcuntur, ut ex hoc nullam habeant virtutem, quaſi ſine reprehenſione proprium errorem in deceptione ſimplicium proferentes.

*Theophylactus primicerius notariorum apoſtolicæ ſedis, dixit.*

Hic alias Fortunatus Monothelitis ſucceſſit V. de Baron. an. 646. nu. 13 & 14.

Suggero beatitudini veſtrę, quoniam ſicuti & ipſa bene cognoſcit, ſynodica quoque pręſulis Carthaginenſis, qui & ſuperſtes dignoſcitur, ſanctiſſimi Victoris cum cautela ſervatur in veſtro venerabili ſcrinio ſalvata, per quam competenter ille deceſſori beatitudinis veſtræ apoſtolicæ recordationis Theodoro, ſuę ordinationis promotionem ſignificavit, in qua & novam adinventionem ſufficienter & ipſe accuſans, petiit quatenus condemnatio ejus a veſtra apoſtolica auctoritate efficitur. Propterea ſuggeſſi, ſi pręcipit, ut cum aliis & hujuſmodi ſynodica examinetur apud veſtram beatitudinem.

*Martinus ſanctiſſimus ac beatiſſimus epiſcopus ſanctæ Dei eccleſiæ catholicæ atque apoſtolicæ urbis Romæ, dixit.*

Neceſſe eſt, & maxime propter dignitatem ſedis ejus, * imo autem porrectum ejus intellectum, Victoris quoque Carthaginenſis venerabilis epiſcopi ſynodicam nobis intimari, ad perfectam cognitionem virtutis ejus.

* Lege pro item ... Hinc

*Theophylactus primicerius notariorum apoſtolicæ ſedis, dixit.*

Denominatam ſynodicam afferens juxta veſtram juſſionem, pre manibus habeo: quid pręcipitis?

*Martinus ſanctiſſimus ac beatiſſimus epiſcopus ſanctæ Dei eccleſiæ catholicæ atque apoſtolicæ urbis Romæ, dixit.*

Victoris venerabilis epiſcopi Carthaginenſis oblata ſynodica, huic ſanctę ſynodo, ut condecet, relegatur.

*Et accipiens Paſchaſius notarius regionarius apoſtolicæ ſedis, relegit in his.*

*Domino beatiſſimo & honorabili ſancto fratri, Theodoro papæ Victor.*

Epiſtola Victoris Carthaginenſis epiſcopi ad Theodorum papam.

VESTRÆ beatiſſimę paternitatis apud Deum acceptabilia opera, & converſatio glo-

A σκοπὸν ἐμφανισθῆναι τοῖς ὑπομνήμασιν, εἰς θρίαμβον ἐκείνου καὶ τῆς κατ᾽ ἐκεῖνον φιτιθεῖτε βουλῆς καὶ συνασπίσεως, ἣν ἐν πόσοις, ὡς εἴρηται, χρόνοις, κατὰ τῆς ἡμῶν ὀρθοδόξου πεποιήκασι πίστεως. τουτέστι δὲ λέγειν τῆς καθολικῆς τοῦ Θεοῦ καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας πρὸς τὸ μηδεμίαν αὐτοὺς ἔχειν ἰσχὺν ἐκ τῆς πεπατημένης οἰήσεως, ἀνεγκλήτως δῆθεν τὴν οἰκείαν προφέρειν καινοτομίαν εἰς τὴν τῶν ἀκεραιοτέρων ὑφαρπαγήν.

Θεοφύλακτος πριμμικήριος τῶν νοταρίων τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας, εἶπεν.

Ἀναφέρω τοῖς μακαριωτάτοις ὑμῖν ἐκδήλως ἐπισταμένοις, ὅτι καὶ τὸ συνοδικὸν γράμμα τοῦ νῦν
B προεδρεύοντος τῆς Καρθαγεννησίων πόλεως· λέγω δὴ Βίκτωρος τοῦ ἐσιωπητοῦ, σὺν ἀσφαλείᾳ τετήρηται, διασωζόμενον ἐν τῷ καθ᾽ ὑμᾶς ἀποστολικῷ σκρινίῳ, δι᾽ οὗ ὑπὲρ ἀκολούθως ἐκεῖνος τῷ προηγησαμένῳ τῆς παναγιωτάτης ὑμῶν ἐν ἀποστολικῇ τῇ μνήμῃ πάπα Θεοδώρου, τὴν τῆς ἱερωσύνης αὐτοῦ προβολὴν κατεμήνυσεν, ἐν ᾧ γράμματι καὶ αὐτὸς τῆς ἐπεισάκτου καινοτομίας ἱκανῶς καταβοήσας, ἤτοι κατηγορήσας, ἐξήτησε τὴν ταύτης γενέσθαι παντὶ τρόπῳ κατάκρισιν, ἐκ τῆς ὑμετέρας ἀποστολικῆς αὐθεντίας πρὸς τὴν τῶν ὀρθῶν δογμάτων βεβαίαν ἐκδίκησίν τε καὶ συντήρησιν. οὗ χάριν, ἀνήγαγον εἰ κέκριται μετὰ τῶν ἄλλων
C ὁμοφρόνως καὶ τὸ τοιοῦτον συνοδικὸν γράμμα προαχθῆναι τοῖς μακαριωτάτοις ὑμῖν.

Μαρτῖνος ὁ ἁγιώτατος, καὶ μακαριώτατος πάπας τῆς τῶν Ῥωμαίων ἁγίας τοῦ Θεοῦ καθολικῆς, καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας εἶπεν.

Τῶν εἰκότων ὑπάρχει καὶ λίαν ἀναγκαιοτάτων μάλιστα διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ κατ᾽ αὐτὸν θρόνου, τουτέστι δὲ λέγειν τοῦ εὐσεβοῦς καὶ ὀρθοδόξου φρονήματος, καὶ τὴν συνοδικὴν ἐπιστολὴν τοῦ θεοφιλοῦς ἐπισ. τῆς Καρθαγεννησίων Βίκτωρος ἐμφανισθῆναι πάντως ἡμῖν εἰς ἐντελεστέραν διάγνωσιν τῆς ἐμφερομένης αὐτῇ δυνάμεως, περὶ
D τῶν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας δογμάτων.

Θεοφύλακτος πριμμικήριος τῶν νοταρίων τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας, εἶπεν.

Τὴν δηλωθεῖσαν ἐπιστολὴν ὡς ἐκελεύσατε κομίσας μετὰ χεῖρας ἔχω πρὸς τὸ παριστάμενον τοῖς θεοτιμήτοις ὑμῖν.

Μαρτῖνος ὁ ἁγιώτατος καὶ μακαριώτατος πάπας τῆς τῶν Ῥωμαίων ἁγίας τοῦ Θεοῦ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, εἶπεν.

Βίκτωρος τοῦ θεοφιλεστάτου τῆς Καρθαγεννησίων
E πόλεως ἐπισκόπου πρεπόντως ἡ ἐκβληθεῖσα συνοδικὴ ἐπιστολή, ληφθήτω καὶ ἀναγνωσθήτω τῇ συνεδρευούσῃ ἡμῖν ἁγίᾳ συνόδῳ.

Καὶ λαβὼν Ἐξυπέριος νοτάριος ῥεγιωνάριος τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, ἀνέγνω.

Δεσπότῃ τῷ πάντα μακαρ. καὶ τιμιωτάτῳ ἀδελφῷ Θεοδώρῳ τῷ ἁγιωτάτῳ πάπᾳ, Βίκτωρ ἐπίσκοπος.

ΤΗΣ ὑμετέρας πατρικῆς ἁγιωσύνης αἵ τε θεάρεστοι πράξεις καὶ ἡ ἔνδοξος ἀναστροφή, παντὶ

τῷ

νοι ταῦτα κατακρῖναι καὶ ἐξωθεῖν. ὁρᾶται γὰρ σαφῶς τῷ παρεγγυησαμένῳ τὴν ὑμετέραν ἀποστολικὴν ἁγιωσύνην Φίλικι τῷ ἀποστολικῷ πάπα, ὅτι τὸ ἀμελῆσαί τινα τοὺς δυναμένους συνταράξαι τοὺς διεστραμμένους, οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, εἰ μὴ περιποιήσασθαι τὴν τούτων ἀσέβειαν· οὐ γὰρ ἐστέρηται τῆς πρὸς αὐτοὺς κεκρυμμένης ἐγκλήσεώς τι καὶ ὑπονοίας, ὁ περιστελλόμενος τῷ φανερῷ τούτων ἀντιπίπτειν μολύσματι. καὶ μάλιστα προδήλου τυγχάνοντος, ἁγιώτατε δέσποτα, καὶ τῆς ὄφεως ἑρμηνευτικῆς χωρὶς τῆς τῶν περιστερῶν ἁπλότητος πανουργίας, ἤγουν τῆς τῶν αἱρετικῶν κακουργίας. ὡς τῇ ἀναιρέσει τῶν Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ φυσικῶν ἰδιωμάτων, αὐτὰς ἐκείνας τὰς τοῦ Χριστοῦ φύσεις συγχέουσιν, ὅπερ ἐναντίον ὑπάρχει σαφῶς τῷ ὅρῳ, τῶν ἐν Χαλκηδόνι συνειλεγμένων πατέρων, ἐν ᾧ τῆς πίστεως ἡμῶν ἀσφαλῶς ἐστιν ὁ θεμέλιος, καὶ οὐ τοῖς Ῥωμαίοις μόνον, ἀλλὰ καὶ πάσῃ τῇ τοῦ Θεοῦ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ. διὸ τούτου χάριν ἐμέλλομεν καὶ αὐτῷ τῷ ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ ἡμῶν Παύλῳ τῷ ἁγιωτάτῳ ἐπισκόπῳ Κωνσταντινουπόλεως τὰ αὐτὰ γράψαι καὶ ὑπομνῆσαι δεόντως αὐτόν, ἀλλ' ἐκώλυσεν ἡμᾶς τὸ μαθεῖν, ὥσπερ οἱ κακοί τινες ἄνδρες ψευδηγορίας τινὰς ἐκεῖσε κατὰ τῆς ὑμετέρας τῶν Ἀφρῶν χώρας ἐνεφάνισαν. ὅθεν δυσωποῦμεν ἵνα τὰ πρὸς τὸν Παῦλον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην ἐκ τῶν αὐτόθι ἐπισκόπων ἡμῶν γραφέντα συνοδικῶς διὰ τῶν τῆς ὑμετέρας μακαριότητος ἀποκρισιαρίων ἐπιδοθῆναι τῷ αὐτῷ ἀδελφῷ ἡμῶν Παύλῳ κελεύσητε. Ἐρρωμένον σε μεμνημένον ἡμῶν χαρίσηταί σοι ὑμῖν δεσπότης ὁ παντοδύναμος Θεός, ἁγιώτατε ἀδελφέ.

obnoxii, & quaſi favorem impendentes judicemur, dum adverſa catholicæ fidei propulſare negligimus. A beato namque Felice [1] apoſtolo veſtræ ſanctitatis prædeceſſore dictum eſt: [2] *Negligere quippe, cum poſſis, deturbare perverſos, nihil eſt aliud quam fovere: nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare.* Liquet, doctor ſanctiſſime, venenoſa ſerpentium ſine ſimplicitate aſtutia, manifeſta eſt doloſa hæreticorum fallacia. Quid eſt enim naturarum in Chriſto domino noſtro proprietates auferre, niſi earumdem naturarum confuſionem inducere? quod catholicæ eccleſiæ, id eſt, ſtatutis quam maxime patrum ſancti Chalcedonenſis concilii extat contrarium, ex quo amplius & fundamentum fidei & perfectio indubitate conſiſtit. Poſſemus vero etiam eidem fratri & coepiſcopo noſtro Paulo beatiſſimo regiæ civitatis antiſtiti ſimilia noſtris ſcriptis dirigere, niſi malorum cognoſceremus falſis locutionibus dictum fuiſſe, noſtram quaſi Africanam provinciam poſſe aliqua, quæ in vero non conſiſtunt, mala peragere. Sed & hoc noſtræ poſtulationi ſubjungimus, ut ea quæ epiſtolariter a coepiſcopis noſtris ſancti concilii noſtri ad beatiſſimum Paulum patriarcham ſcripta ſunt, per veſtræ beatitudinis reſponſarios eidem fratri noſtro Paulo dirigere jubeatis.

Μαρτῖνος ὁ ἁγιώτατος καὶ μακαριώτατος πάπας τῆς τῶν Ῥωμαίων ἁγίας τοῦ Θεοῦ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, εἶπεν.

Διὰ τῆς ἀρτίως ἀναγνωσθείσης αὐτοῦ συνοδικῆς ἐπιστολῆς Βίκτωρ ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος Καρθαγένης τόν τε διάπυρον ἡμῖν ζῆλον ἐγνώρισε καὶ τὴν ἐπιεικεστάτην παρέστησε ταπεινοφροσύνην. τὸν ζῆλον μὲν ἐν τῷ κατεγκαλεῖν ἐνθύμως καὶ αἰτιᾶσθαι τὴν ἐπεισαχθεῖσαν καινοτομίαν τῷ ἡμετέρῳ ἀποστολικῷ θρόνῳ, καὶ ἀναγγέλλειν αὐτῷ σὺν ἀκριβείᾳ διὰ τῶν οἰκείων γραμμάτων τὰς πάντων τῶν Χριστιανῶν δι' αὐτὴν ἐκβοήσεις, καὶ τοὺς τῶν εὐλαβῶν ἐπισκόπων δεινοὺς στεναγμούς, οὐ μετρίως ἐκταρασσομένων, ὡς [3] γεγράφηκε, τῶν τε πλασμάτων καὶ τεχνασμάτων χάριν ὧν κατὰ τῆς ἀληθοῦς ἐκύρωσε πίστεως Παῦλος ὁ Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος. τὴν ταπεινοφροσύνην δὲ καθηκόντως διὰ τὸ μὴ τολμῆσαι τέως ἀποκήρυκτον ἔχειν αὐτόν, ἀλλὰ συλλειτουργὸν ὀνομάζειν ἄχρις ἂν τὴν περὶ τούτου καταμάθοι κρίσιν, τῆς ὑμετέρας ἀποστολικῆς αὐθεντίας, ταὐτὸν δὲ λέγειν Πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων· ὡς μόνος πιστευθῆναί τε καὶ λαβεῖν ὑπὲρ πάντας ἀξιωθέντος παρὰ τοῦ βασιλέως τῶν βασιλευόντων Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ, τὰς κλεῖς τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας εἰς τὸ ἀνοίγειν αὐτὴν δικαίως τοῖς εἰς αὐτὸν τὸν κύριον ὀρθοδόξως πιστεύουσιν, ἀποκλείειν δὲ πᾶσι τοῖς κακοδόξως αἱρετικοῖς τῇ αὐτῶν αἱρέσει προσμένουσιν. ὅπερ ἡμᾶς ποιεῖν ὁ εἰρημένος θεοφιλέστατος ἐπίσκοπος παρεκάλεσε διὰ τῶν

*Martinus ſanctiſſimus ac beatiſſimus epiſcopus ſanctæ Dei eccleſiæ catholicæ atque apoſtolicæ urbis Romæ, dixit.*

Per ſynodicam epiſtolam ſuam dudum nobis relectam, Victor venerabilis Carthaginenſis epiſcopus tam perfervidiſſimum zelum ſuum declaravit, quamque Deo amabilem humilitatem rationabiliter certus eſt oſtendiſſe. Et zelum quidem per hoc, quod introductam novitatem nimis accuſare noſtræ apoſtolicæ ſedi dignoſcitur, & enarrare in ſcripto et acclamationes pene omnium Chriſtianorum, nec non gemitus reverendiſſimorum epiſcoporum, non leviter, ſicut ille ſcripſit, perturbatorum propter fictiones & commenta, quæ adverſus veram confirmavit fidem Paulus epiſcopus Conſtantinopolitanus. Humilitatem autem, competenter minime præſumens abrogatum eumdem Paulum habere, ſed conſacerdotem appellans, donec judicium de eo noſtræ apoſtolicæ auctoritatis, hoc eſt, principis apoſtolorum Petri cognoſcat: utpote quoniam ſolus atque præ omnibus creditus eſt atque accipere meruit a rege regum Chriſto Deo claves regni cœlorum ad aperiendum recte credentibus in eumdem dominum noſtrum, & claudendum infidelibus hæreticis. Quod utique & nos facere poſtulavit per propria ſcripta denominatus venerabilis quoque epiſcopus Carthaginenſis, ut non deſpiciamus ipſius vel conſacerdotum ejus  *Matth. 16*

1 Lege, *Apoſtolico*. Hard.
2 Ex epiſt. 1. Felicis III. ad A[illegible]
3 Pro γέγραφε. *Harduinus*.

ejus contra hæreticos juſtas querimonias: ſed A quæ catholicæ fidei atque veriſſimæ patrum traditioni omnino contraria exiſtunt, dijudicemus dogmata, pro eo quod juxta ejus ſcripta nullus audet, licet inſanus ſit, ſacrilega voce prædicare, unam in Chriſto Deo eſſe tantummodo voluntatem, aut unam operationem. Utpote luculentius omnibus comprobatur per paternas definitiones, quoniam duæ naturæ Chriſti Dei exiſtunt in unitione inconfuſæ & indiviſæ, & duæ voluntates, duæque operationes & proprietates naturales: & quia plurimis teſtimoniis catholicæ eccleſiæ patrum hujuſmodi poteſt domino opitulante ſermonem oſtendere, licet nobis, id eſt, apoſtolicæ noſtræ ſedi hoc facere B commiſit, certus exiſtens firmius nos habere, atque eadem ſapere & defendere legitime. Verumtamen ſtuduit & ipſe nihilominus pium firmare intellectum per ſacram vocem Leonis, noſtræ apoſtolicæ eccleſiæ præſulis, in hoc quod dicit: *Operatur enim*[1] *utraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt*. Quibus adjiciens ait: Quoniam nos decreta ſanctorum in omnibus ſequentes, duas naturas, ex quibus & in quibus conſiſtit, in unitione indiviſas; & duas voluntates, duaſque operationes Chriſti Dei firmiſſime prædicamus, Deum verum atque hominem verum abſque delictis humanis eumdem veraciter confitentes, repudiantes C cunctarum hæreſum ſubſannationes, vanitates & inſanias, mendacia atque ſtultitiam. Nam nos humiles, ait corde, quæ recta ſunt adjutore domino ſapientes, uno vinculo caritatis vobiſcum ſumus conſtricti, veramque fidem ac religionem catholicam in omnibus fortiter defenſantes. In his ergo propria dogmata inſtituens, competenter & noſtram expetit canonice auctoritatem. Propterea & ſcripſit: Quoniam veſtrum eſt ſanctiſſimi, canonica diſcretione adverſarii catholicæ fidei ſolite reſiſtere, nihilque permittere dici noviter a quopiam, quod ſanctorum patrum traditio minime definivit. Et propterea conteſtans nos de his quæ ſunt plena timoris ac D veritatis, in hoc quod ſcribit ſtudioſius. Itaque oportet catholicos improbis probe reſiſtere, ne torpore deſidiæ oppreſſi, taciturnitatis teneamus obnoxii, & arguamur ſicuti adverſa catholicæ fidei propulſare negligentes, utpote ad ea malignum quemdam ſalvantes favorem. Hujuſmodi ſermonem confirmans per ſacram memorationem beatæ memoriæ apoſtolici viri Felicis, qui ſcribens ſapientiſſime ait: *Negligere* quippe, *cum poſſis, deturbare perverſos, nihil eſt aliud quam fovere eorum impietatem: Nec enim caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare*. Ergo quia, ut ait, manifeſta eſt omnibus venenoſa ſerpentum calliditas, id E eſt, hæreticorum fallacia, per amputationem naturalium proprietatum Chriſti Dei confundens naturas, oportet eam ſine dubio deſtrui, utpote contradicentem doctrinæ ſanctorum patrum, & maxime definitioni ſancti Chalcedonenſis concilii. His itaque in ſcripto

V. 4. T. VII. pag. 1010.

A οἰκείων γραμμάτων, ἵνα μηδαμῶς παρίδωμεν τὰς αὐτοῦ τε καὶ τῶν αὐτοῦ συλλειτουργῶν, δικαίας κατὰ τῶν αἱρετικῶν αἰτιάσεις, ἀλλ' ἃ ζηλωτῶς πάντῃ τῇ καθολικῇ πίστει καὶ τῇ ἀληθινῇ τῶν πατέρων διδασκαλίᾳ φανερῶς ἀντικείμενα κατακρινόμενα, ἐπειδή φησιν οὕτως ἐστὶν, ὡς ἱεροσύλῳ τολμῆσαι φωνῇ, μίαν κηρύττειν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ θέλησιν μόνον, ἢ μίαν ἐνέργειαν· ὅτι δὴ τηλαυγῶς πᾶσι πεφανερωμένον διὰ τῶν πατρικῶν κηρυγμάτων, ὡς δύο τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑνὸς Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ καθ' ἕνωσιν ἀσύγχυτόν τε καὶ ἀδιαίρετον ὑπάρχουσι φύσεις, καὶ δύο θελήσεις, καὶ δύο ἐνέργειαι καὶ ἰδιότητες φυσικαί· καὶ ὅτι πολυτρόπως ἐξ αὐτῶν τῶν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας πατέρων τὸν περὶ B τούτου δυνατόν ἐστιν ἐν κυρίῳ πιστώσασθαι λόγον, εἰ καὶ ἡμῖν, τουτέστι τῇ καθ' ἡμᾶς ἀποστολικῇ διδασκαλίᾳ τοῦτο πράττειν ἀνέθηκε πεποιθὼς, τοῦτο καὶ ἡμᾶς ἰσχυρῶς ἔχοντάς τε καὶ φρονεῖν καὶ διεκδικεῖν νομίμως. πλὴν ὅτι καὶ αὐτὸς οὐδὲν ἧττον ἐσπούδασε τὸ εὐσεβὲς αὐτοῦ βεβαιώσασθαι φρόνημα, διὰ τῶν τοῦ μακαρίου Λέοντος ῥήσεων τοῦ τῆς καθ' ἡμᾶς προεδρεύσαντος ἀποστολικῆς καθέδρας ἐν τῷ λέγειν αὐτὸν ἐγγράφως. ἐνεργεῖ γὰρ ἑκατέρα μορφὴ μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας τοῦτο ὅπερ ἴδιον ἔσχηκε. εἶτ' ἐπιφέρει φάσκων ὅτι ἡμεῖς τὰ ψηφίσματα τῶν ἁγίων πατέρων ἐν πᾶσι μεταδιώκοντες, δύο φύσεις ἐξ ὧν καὶ ἐν αἷς ὁ κύριος ὑπάρχει καθ' ἕνωσιν ἀσύγχυτόν τε καὶ ἀδιαίρετον ἐπ' αὐτοῦ κυρίως ὁμο- C λογοῦμεν. καὶ δύο θελήσεις, καὶ δύο ἐνεργείας, θείαν καὶ ἀνθρωπίνην ὡς Θεὸν ἀληθινὸν, καὶ ἄνθρωπον ἀληθινὸν τὸν αὐτὸν ὄντα πρεσβεύοντες χωρὶς ἁμαρτίας, ἀποβαλλόμενοι πασῶν τῶν αἱρέσεων τοὺς μυκτηρισμοὺς καὶ τὰ ψεύσματα καὶ τὰς ματαίας αὐτῶν ἀφροσύνας. ἐπειδὴ κυβερνῶντος ἡμᾶς φησι τοῦ Θεοῦ τὰ ὀρθὰ φρονοῦντες ἐν τῷ τῆς ἀγάπης δεσμῷ μεθ' ὑμῶν συνεσφίγμεθα, τὴν καθολικὴν πίστιν ἰσχυρῶς ἐν πᾶσι διεκδικοῦντες. ἐν τούτοις τοιγαροῦν εὐσεβῶς τὰ οἰκεῖα παραστησάμενος δόγματα, προσηκόντως καὶ τὴν ἡμετέραν ἐπιβᾶται κανονικὴν αὐθεντίαν. οὗ χάριν καὶ γέγραφεν ὅτι ὑμέτερόν ἐστιν ἁγιώτατε, κανονικῇ κρίσει τοῖς ἐναντίοις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, συνήθως ἀντικαθί- D στασθαι, καὶ μὴ συγχωρεῖν λέγεσθαί τι νεωστὶ παρά τινος, ὅπερ οὐχ ὥρισε τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν ἡ παράδοσις. ἐπιμαρτυρόμενος ἡμῖν διὰ τοῦτο καὶ τὰ φόβου πλήρη καὶ ἀληθείας ὑπάρχοντα διὰ τοῦ λέγειν· ἐπιμελέστερον τοιγαροῦν χρεὼν ἐστὶ, τοὺς ὀρθοδόξους τοῖς ἀδοκίμοις δοκίμως ἀντικαθίστασθαι, ἵνα μὴ τῇ ναρκώσει τῆς ἀμελείας συναπενεχθέντες, τῷ τῆς σιωπῆς ἐνοχισώμεθα παραπτώματι, καὶ δειχθῶμεν ὡς τὰ ἐναντία τῇ καθολικῇ πίστει διωθεῖν ἀμελοῦμεν οἷα πονηράν τινα πρὸς αὐτὰ διασώζοντες εὔνοιαν. κυρωσάμενος τὸν περὶ τούτου λόγον ἐξ ἐπιμνήσεως ἱερᾶς τοῦ ἐν μακαρίᾳ τῇ μνήμῃ πάπα Φήλικος, γεγραφηκότος ἐμφρόνως, εἰς τὸ ἀμελῆσαι τὸν δυνάμενον συντα- E ράξαι τοὺς διεστραμμένους οὐδὲν ἄλλο καθέστηκεν, εἰ μὴ περιποιήσασθαι τὴν τούτων ἀσέβειαν. οὐ γὰρ ἐστέρηται τῆς κεκρυμμένης πρὸς αὐτοὺς ἐγκλήσεώς τε καὶ ἐπηρείας ὁ περιστελλόμενος τῷ φανερῷ τούτων ἀντιπίπτειν μολύσματι. διό φησιν ἀποδεδειγμένης πᾶσι τῆς τῶν ἰοβόλων ὄφεων πανουργίας, ἤγουν τῆς τῶν αἱρετικῶν κακουργίας ὡς τῇ ἀναιρέσει τῶν τοῦ Χριστοῦ φυσικῶν ἰδιωμάτων, τὰς αὐτοῦ συγχέουσι φύσεις, προσήκει πάντως αὐτὴν καταργηθῆναι κανονικῶς, ὡς μὴ μόνον τῷ ὅρῳ τῆς ἐν Χαλκηδόνι ἁγίας συνόδου μαχομένην, ἀλλὰ

1 Ex Græco, *utraque forma* eſt in ſexto caſu. *Harduinus*.

ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς ἁγίοις πατράσι φανερῶς ἀντιπίπτουσι. τούτων τοίνυν ἐγγράφως ἡμῖν ὑπὲρ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας προτεθειμένων, ἔκ τε τῶν ἄλλων ὁμοίως ἱερέων καὶ τοῦ μακαριωτάτου Θεοφίλου ἐπισκόπου τῆς Καρθαγενησίων πόλεως, οὐ δέον ἐστὶ παραθυμοῦντας ἡμᾶς ἔτι καὶ ἀναβάλλεσθαι, μήποτε τοῖς εἰρημένοις ἐγκλήμασιν ὑποπέσωμεν ἀνοήτως παρασιωπῶντες ἐπὶ τοῖς θέλουσι πρὸς κύριον ἐπιστρέψαι ἐθέλουσιν ἐκ τῆς χρείας τῆς αὐτῶν καινοτομίας. ἔμεινα γὰρ τοῦ ποιῆσαι κρίσιν, ὥς φησιν ὁ μακάριος Ἠσαΐας, ἐποίησαν δὲ ἀνομίαν, καὶ οὐ δικαιοσύνην, ἀλλὰ κραυγὴν πάντας τοὺς εὐσεβεῖς ἐκταράττουσαν. καίτοι γινώσκοντες ὅτι τὸ κρίμα τοῦ Θεοῦ ἐστι κατὰ ἀλήθειαν ἐπὶ τοὺς τὰ τοιαῦτα πράσσοντας. λέγω δὴ τοὺς τὰς καινοτομίας καὶ τὰ σκάνδαλα παρὰ τὴν διδαχὴν ἣν ἡμεῖς ἐκ τῶν ἁγίων ἐμάθομεν ἐργαζομένους κατὰ τῆς πίστεως, εἴπερ τοῦ πλούτου τῆς χρηστότητος τοῦ Θεοῦ, καὶ τῆς ἀνοχῆς καὶ τῆς μακροθυμίας καταφρονοῦσιν, ἀγνοοῦντες ὅτι τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ εἰς μετάνοιαν ἄγει αὐτούς. κατὰ δὲ τὴν σκληρότητα αὐτῶν καὶ ἀμετανόητον καρδίαν, θησαυρίζουσιν ἑαυτοῖς ὀργὴν ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς καὶ ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ, ὃς ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, ὡς ὁ θεῖος μαρτύρεται καὶ μέγας ἀπόστολος Παῦλος. διὸ προσῆκόν ἐστι καὶ ταύτην μετὰ τῶν ἐπιστολὴν ἐνταγῆναι τῇ πίστει τῶν πραττομένων, εἰς ἔλεγχον τῶν ἀντικειμένων τῷ εὐσεβεῖ λόγῳ τῆς πίστεως. μέχρι δὲ τούτων λοιπὸν ἀρκεσθῆναι ταῖς περὶ αὐτῶν ἀποδεικτικαῖς αἰτιάσεσιν. ἐπιλείψει γὰρ ἡμᾶς ὁ χρόνος, ὥς φησιν ὁ θεῖος ἀπόστολος, εἰ βουληθείημεν πάσας προφέρειν ἐκ πάντων προτεινομένας σχεδὸν τῶν ὀρθοδόξων κατὰ τῆς ἐκείνων καινοτομίας, μάλιστα δὴ καὶ τούτων ἱκανῶν ἐχόντων, ἤτοι τῶν ἔμπροσθεν ἡμῖν ἀνεγνωσμένων γνωρίσαι πᾶσι καὶ δημοσιεῦσαι τὴν τῶν τοιούτων ἀνδρῶν ἄτοπον αἵρεσιν, ὑπὸ μέμψιν καὶ κατηγορίαν δικαίως ὑπάρχουσαν. ἐπὶ στόματος γὰρ δύο ἢ τριῶν μαρτύρων σταθήσεται πᾶν ῥῆμα, φησὶν ὁ ἀψευδὴς ἐστὼς λόγος. ἵνα μὴ λέγειν πλῆθος ἱερέων τοσούτων λαῶν τε καὶ ἡγουμένων, καὶ μοναζόντων ἐγγράφως καὶ ἀγράφως τῆς τοιαύτης αὐτῶν καταβοώντων αἱρέσεως ἐν τῷ καθ' ἡμᾶς ἀποστολικῷ θρόνῳ, καμμύληθεῖ περὶ τούτου τὰς δεήσεις ἀναπεμπόντων.

A nobis oblatis pro catholica eccleſia, & tam per alios ſacerdotes, quamque per antefatum venerabilem Carthaginenſem epiſcopum, non nos oportet de cetero negligere & differre, ne, quod abſit, memoratis criminibus ſubmittamur, irrationabiliter poſtponentes, & expectantes eos qui nolunt ad dominum converti. *Expectavi*, enim, ſicut beatus Iſaias perhibuit, *ut facerent judicium, fecerunt autem iniquitatem & non juſtitiam, ſed clamorem omnes pios conturbantem*: & hoc dum ſcire debeant, quoniam judicium Dei eſt ſecundum veritatem in eos qui talia agunt, hoc eſt; qui novitates contra fidem operantur, * licet divitias bonitatis Dei & ſuſtentationis & patientiæ ignorantes, *quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam eos adducit: ſecundum autem duritiam eorum & cor impœnitens, theſaurizant ſibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ejus*, juxta quod nobis beatus Paulus apoſtolus proteſtatur. Oportet ergo præſentem quoque epiſtolam geſtis ſociari, ad arguendam contrariorum protervíam. Igitur uſque ad hoc ſufficiunt nobis querimoniæ contra eos, quoniam derelinquet nos tempus, juxta quod ait apoſtolus, ſi voluerimus omnium pene orthodoxorum oblatas contra eos producere querelas, maxime dum & hæc nobis ſufficiant, id eſt, ea quæ ſuperius recitata ſunt, ut eorum hæreſim divulgemus, & oſtendamus omnibus ſub accuſatione eam & reprehenſione merito exiſtentem. *In ore etenim*, juxta quod dictum eſt, *duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum*, ut non dicatur multitudo tantorum ſacerdotum & populorum, abbatum, vel monachorum in ſcripto & ſine ſcripto contra hujuſmodi praviſſimam novitatem ad apoſtolicam noſtram ſedem acclamantium.

Rom. 2. * ſeu ignorans qui divitias

Heb. 11.

Deut. 17. Matth. 18.

Ἀλλ' ἤδη καιρὸς ὑπάρχει καὶ τὴν ἑκάστου τῶν αἰτιαθέντων προσώπων, εἰς μέσον ἡμῖν ἀχθῆναι, καὶ ἐξετασθῆναι κανονικῶς συγγραφήν, ὅπως τὸ ἀπᾷδον αὐτῆς, καὶ ἀσύμφωνον πρὸς τὰ τῶν πατρικῶν καὶ συνοδικῶν ὅρων ὁμολογίας, ἐν τάξει κατίδωμεν, καὶ πανταχοῦ τοῖς πᾶσιν εὐλόγως γνωρίσωμεν εἰς ἀσφάλειαν καθολικῆς ἐκκλησίας· τοῦτο δηλαδὴ σὺν Θεῷ καθ' ἑτέραν ἐπιτελοῦντες πρᾶξιν, ὡς τῆς παρούσης ἐν ὅροις ἡμῖν τῶν αἰτιασαμένων τετελειωμένης.

D Sed jam tempus exigit, ut uniuſcujuſque perſonæ accuſatæ in medio producantur, atque examinentur canonica conſcripta, quatenus incongruitatem ejus & inconſonantiam, quam cum patrum vel ſynodorum confeſſione habere dignoſcitur, ordinabiliter intendamus, atque omnibus rationabiliter oſtendamus pro tuitione catholicæ eccleſiæ, hoc videlicet ſequenti celebrantes ſecretario: utpote præſente uſque ad terminum nobis querulantium domino auxiliante effecto.

Ἐκ τρίτου συνόδου ἡ λατιν. πρᾶξις.

## ΠΡΑΞΙΣ Γ'.

## SECRETARIUS III.

Ἐν ὀνόματι κυρίου Θεοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, βασιλεύοντος κυρίου Κωνσταντίνου τοῦ εὐσεβεστάτου Αὐγούστου ἔτους ἐννάτου τῆς πρὸ δέκα ἓξ καλανδρῶν Νοεμβρίων ἰνδικτιῶνος ὀγδόης.

Quoniam prædictis viris, id eſt, auctoribus novitatis conceptum eſt cor inaudiens & inobediens, juxta quod ſcriptum eſt: *Declinaverunt & abierunt, & non dixerunt in cordibus ſuis: Timeamus dominum deum noſtrum:* annuntiare autem ſalutare ejus, id eſt, Verbum incarnationis jubemur fiducialiter, & ideo neceſſe eſt nobis hoc facere per tubas ſpiritales, id eſt, ſanctos venerabiles patres. Audiamus ergo iterum eumdem beatum Cyrillum, hæc prudentiſſime prædicantem, ut nihil omnino negetur de naturæ noſtræ unitis in eo ſubſtantialibus proprietatibus, ſed per omnia tentatum ſponte propter noſtram ſalutem, abſque tantummodo peccato, dominum & Deum noſtrum Jeſum Chriſtum. Dicit enim, ut audivimus per lectionem, ita. Quoniam ſicut minime mors deſtrueretur ſi non fuiſſet mortuus, ita in unaquaque paſ-

Ἐπειδὴ τοῖς εἰρημένοις ἀνδράσιν, ἤγουν τοῖς ἐξάρχοις τῆς καινοτομίας ἐγεννήθη καρδία ἀνήκοος καὶ ἀπειθής, ἐξέκλιναν γὰρ καὶ ἀπήλθοσαν, κατὰ τὸ γεγραμμένον, καὶ οὐκ εἶπον ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῶν· φοβηθῶμεν δὴ κύριον τὸν Θεὸν ἡμῶν· ἀναγγέλλειν δὲ τὸ σωτήριον αὐτοῦ κελευόμεθα μετὰ παρρησίας, ἤτοι τὸν λόγον τῆς ἐνανθρωπήσεως, διὰ τῶν σαλπίγγων τοῦ πνεύματος φημὶ δὴ τῶν ἁγίων πατέρων. ἀκουσώμεθα καὶ πάλιν τοῦ μακαρίου Κυρίλλου διδάσκοντος, περὶ τοῦ μηδὲν ὅλως ἠρνῆσθαι, πλὴν τῆς ἁμαρτίας τὸν κύριον ἡμῶν καὶ Θεὸν Ἰησοῦν Χριστὸν τῶν τῆς ἑνώσεως αὐτῷ καθ᾽ ὑπόστασιν ἐμψύχου καὶ παναγίας σαρκὸς φυσικῶν ἰδιωμάτων. ἀλλ᾽ ἐν πᾶσι κατὰ πάντα ἑκουσίως γενέσθαι διὰ τὴν ἡμῶν σωτηρίαν. λέγει γὰρ οὕτως· ὅτι ὥσπερ οὐκ ἂν θάνατος κατηργήθη μὴ ἀποθανόντος αὐτοῦ, οὕτως ἐφ᾽ ἑκάστου τῶν τῆς σαρκὸς παθῶν. εἰ γὰρ μὴ ἐδει-

A δειλίασαν, οὐκ ἂν ἐλευθέρα τοῦ δειλιᾷν ἡ φύσις γέγονεν. εἰ μὴ γὰρ ἐλυπήθη, οὐκ ἂν ἀπηλλάγη τοῦ λυπεῖσθαι ποτέ, εἰ μὴ ἐταράχθη καὶ ἐπτοήθη, οὐκ ἂν ἔξω ποτὲ τούτων ἐγένετο, καὶ ἐφ' ἑκάστῳ τῶν ἀνθρωπίνως γεγονότων τὸν αὐτὸν ἐφαρμόζων λόγον, εὑρήσεις ἐν Χριστῷ τὰ τῆς σαρκὸς πάθη κεκινημένα, οὐχ' ἵνα κρατῶσιν ὥσπερ καὶ ἐν ἡμῖν, ἀλλ' ἵνα κινηθέντα καταργηθῇ τῇ δυνάμει τοῦ ἐνοικήσαντος τῇ σαρκὶ λόγου πρὸς τὸ ἄμεινον μεταποιουμένης τῆς φύσεως. ταύτην οὖν ἔχοντος τῆς ἐνανθρωπήσεως αὐτοῦ τὴν φιλάνθρωπον αἰτίαν κατὰ τὴν τῶν πατέρων διδασκαλίαν, ὥστε διὰ τοῦτο τὰ πάθη τὰ δίχα μώμου πάντως ἐν ἑαυτῷ κατὰ θέλησιν κινηθῆναι παραχωρῆσαι, ταῦτα τελείως καταργῆσαι, B καὶ τὴν ἡμετέραν ἐξ αὐτῶν ἐλευθερῶσαι φύσιν, ὡς οὐκ ἂν ἑτέρως ἐλευθερουμένην, εἰ μὴ τούτων αὐτὸς διὰ τοῦ σαρκὶ παθεῖν ἑκουσίως ὑπὲρ ἡμῶν ἐν πείρᾳ γεγένηται, δῆλόν ἐστι, καθὰ πολλάκις εἰρήκαμεν, ὡς τὸν τῆς οἰκονομίας ἐξαρνεῖται λόγον, ὁ τῆς ἐκείνων διχονοίας ἔλεγχος, οὐχ ὁμολογούντων κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας ὅτι ὥσπερ θανάτῳ τὸν θάνατον ἔλυσεν, οὕτω καὶ λύπῃ τὴν ἡμετέραν λύπην, καὶ ταραχῇ τὴν ταραχὴν, καὶ πτοήσει τὴν πτόησιν, καὶ ἁπλῶς πάθεσιν ἑκουσίοις τὰ ἐν ἡμῖν πάντα πάθη τῆς φύσεως. C οὕτω γὰρ οὐ μόνον ἄνθρωπον δι' ἀνθρώπους ἐγνώριζεν ἑαυτὸν κατὰ ἀλήθειαν γεγενημένον τῇ προσδείξει τῶν ἡμετέρων κατὰ φύσιν παθῶν, τὴν ἑνωθεῖσαν αὐτῷ καθ' ὑπόστασιν φύσιν πιστούμενος· ἀλλὰ καὶ τῷ πειραστῇ, δέλεαρ αὐτὰ τὰ πάθη τῆς οἰκείας σαρκὸς, εἰς τὸ προσδραμεῖν αὐτὸν ἀπατώμενον ἑκουσίως προεβάλλετο κατὰ τὸν θεολόγον Γρηγόριον φάσκοντα. τοὺς γὰρ ἡμετέρους πειρασμοὺς ἐν προσκλήσει τοῦ πειράζοντος προβαλλόμενος, ἵνα μάταιον δείξῃ τὸν πειράζοντα. δίκαιον γὰρ ἦν ἀπατηθῆναι πάντως τὸν ἀπατήσαντα, καὶ χειρωθῆναι σαρκὶ τὸν ἐλπίδι θεότητος ὑποσκελίσαντα τὸν Ἀδὰμ εἰς παράβασιν, ἵνα λυθῇ τὸ κατάκριμα τῆς σαρκὸς, σαρκὶ τοῦ θανάτου θανατωθέντος. ἐπειδὴ γὰρ δι' ἀνθρώπου θάνατος, ἔδει συμπαθῶς διὰ τοῦ ἐνανθρωπήσαντος Θεοῦ τὸ ἴδιον πλάσμα διὰ σπλάγχνα D ἐλέους μὴ παριδόντος ζωὴν τῇ καθ' ἡμᾶς δωρηθῆναι φύσει, τὴν οὐδενὶ θανάτῳ διαλυομένην, οἷα τὴν ἡμετέραν παρακοὴν, διὰ τῆς οἰκείας ὑπακοῆς ἐν ἑαυτῷ καταργήσαντος, ταύτην γὰρ ἀνθρωποπρεπῶς ὑπὲρ ἡμῶν αὐτὸς ὁ ἐνανθρωπήσας Θεὸς τῷ οἰκείῳ κατὰ φύσιν γεννήτορι, τουτέστι τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ, προσκομίσας ὡς ὑπήκοος αὐτῷ γεγονὼς ἄχρι θανάτου σταυροῦ, καρπὸν τῆς οἰκείας ὑπερφυοῦς ὑπακοῆς ἐξῄτει παρ' αὐτοῦ γενέσθαι τῇ καθ' ἡμᾶς φύσει δι' ἑαυτοῦ μεσιτεύοντος καὶ αὐτουργοῦντος ἡμῖν τὴν ἐλευθερίαν τοῦ ποτηρίου τὴν πάροδον. καὶ διὰ τοῦτο ἔλεγε σὺν εὐλαβείᾳ σωτηριώδει· πάτερ, εἰ δυνατὸν, παρελθέτω ἀπ' E ἐμοῦ τὸ ποτήριον. καὶ εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, καίπερ ὢν υἱὸς, ὥς φησιν ὁ ἀπόστολος, ταύτην τὴν πάροδον ἐποιήσατο, καταργήσας αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ διὰ τῆς κατὰ σάρκα προσκυνητῆς αὐτοῦ καὶ ἀληθοῦς ἀναστάσεως, πρωτότοκος γενόμενος ἐκ τῶν νεκρῶν ὁ ἐν νεκροῖς ἐλεύθερος, ἵνα ἡμῶν ἐλευθερωτὴς κατὰ ἀλήθειαν ὑπάρχων δειχθῇ τῶν τῇ ἁμαρτίᾳ νενεκρωμένων. τοῦτο γὰρ ἦν τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς, καὶ αὐτοῦ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ καὶ τοῦ παναγίου πνεύματος. ἤγουν τῆς ἐν τρισὶν ὑποστάσεσι νοουμένης ἀνάρχου φύσει καὶ μιᾶς θεότητος, ἵνα δι'

A ſione carnis intellige. Si enim non formidaret, non utique libera natura a formidine facta fuiſſet. Si non eſſet contriſtatus, non liberaretur a triſtitia, nec unquam de his aliquando natura noſtra ſecura fieri potuiſſet. Et in omnibus quæ ſecundum humanam naturam facta ſunt, eamdem rationem conſervans, invenies carnis paſſiones in Chriſto motas fuiſſe; non ut obtineant ſicuti & in nobis, ſed ut motæ deſtruerentur per virtutem inhabitantis carni Verbi: in melius tranſmutata natura. Hanc igitur habente humanitate ejus miſericordem ſecundum venerabilium patrum doctrinam materiem, ut per hoc, quod paſſiones per- B miſit, quæ ſine ulla macula exiſtunt, in ſe ſponte moveri, has robuſtius deſtrueret, & noſtram de his liberaret naturam, utpote quæ non aliter poſſet liberari, niſi de his per paſſionem carnis ſponte pro nobis experiretur, certum eſt, juxta quod ſæpius diximus, quoniam diſpenſationis denegat verbum, diſſenſionis illorum argumentatio; cum minime confitentur ſecundum ſanctos patres, quia ſicut per mortem mortem deſtruxit, ita & triſtitia noſtram triſtitiam, & perturbatione atque timore timorem, & compendioſe paſſionibus voluntariis omnes C paſſiones noſtræ naturæ. Sic etenim non ſolum hominem propter homines oſtendebat ſe veraciter factum; per approbationem paſſionum noſtræ naturæ, unitam ſibi ſubſtantialiter naturam demonſtrans: ſed & tentatori etiam ipſas paſſiones propriæ carnis in deceptione illius ſponte proferebat, ſecundum theologum Gregorium, qui dixit: Noſtras enim tentationes ad provocationem tentantis pertulit, ut ſtultum tentatorem oſtenderet. Oportebat enim per omnia illum decipi qui decepit, & comprimi per carnem, qui ſub ſpe deitatis ſubnervare Adam in tranſgreſſione demolitus eſt, ut condemnatio carnis per carnem ſolveretur mortificata morte. Quomodo enim per hominem mors introducta eſt, oportebat compaſſibiliter per D incarnatum Deum, proprium figmentum per viſcera miſericordiæ non deſpicientem, vitam noſtræ naturæ donari, quæ videlicet nulla morte deſtruitur, utpote noſtram inobedientiam per ſuam obedientiam in ſe perimentem, quam humane pro nobis ipſe qui incarnatus eſt, proprio ac naturali genitori, id eſt, Deo & patri offerens, & obediens ei factus uſque ad mortem, mortem autem crucis, fructum ſuæ glorioſæ obedientiæ expetebat ab ipſo fieri noſtræ naturæ, per ſemetipſum mediante eo & operante noſtram libertatem, id eſt, calicis tranſitum. Et propterea dicebat cum reverentia ſalutari. *Pater, ſi poteſt fieri, tranſ-* E *eat a me calix iſte: & exauditus pro ſua reverentia*, dum & filius eſſe, ſicut beatus Paulus apoſtolus ait, mortis tranſitum fecit, deſtruens eam per ſe & in ſe per veram ejus ſecundum carnem ac venerandam reſurrectionem, primogenitus factus ex mortuis, qui in mortuis liber conſiſtit, ut noſter liberator ſecundum veritatem oſtendatur, qui in peccato mortificati ſumus. Hoc enim erat voluntas Dei & Patris, & ipſius unigeniti Filii, & ſancti Spiritus, id eſt, unius ſine initio & naturaliter deitatis, quatenus per ipſum filium, qui nobis locutus eſt

Philipp. 2.

Matth. 26.

Hebr. 5.

Coloſſ. 1.

Apoc. 1.

eſt corporaliter, & propter nos, paternam vel divinam ejus voluntatem humane per obedientiam perficientem, calix a nobis, id eſt, pœna mortis * ſalvatur *, deſtructa mortificatione a vita: pro qua re & omnia aſſumens & uniens ſibi ſubſtantialiter, quæ ſunt noſtræ naturæ, ſanavit, id eſt, carnem, animam, intellectum, operationem, voluntatem, per quas ſponte Adam præceptum tranſgreſſus eſt: qui totus deliquit, & totus morte damnatus eſt, & propterea nihilo minus indigentem ſanari ab ipſo, qui noſtram quidem creavit naturam, poſtmodum autem renovare dignatus eſt. Si enim dimidius culpaſſet Adam, juxta quod theologus Gregorius ait, dimidius & aſſumptus eſt & ſalvatus. Si autem totus unitus eſt, utique totus unitus eſt incarnato Deo, atque totus ſalvatus eſt. Igitur minime nobis invideant pro ſalute perfecta advocati diſſenſionis, neque oſſa tantummodo & nervos, effigiem quoque hominis ſalvatori adſcribant. Nam ſi abſque anima eſt humanitas ejus, hoc & Ariani dicunt, ut in deitatem paſſionem reducant, & quomodo ipſa movente corpus, eadem utique & paſſiones ſuſtinente. Si autem animatus eſt, ſiquidem ſine intellectu, quomodo eſt homo? quia homo non eſt animal ſine intellectu: atque neceſſe erit ſecundum figmentum quidem hominem eum eſſe, animam autem equi cujuſdam, aut bovis, ſive alterius bruti animalis eum habere, & ubique hoc erit quod ſalvator: ac per hoc deceptus ſum ego a veritate, cum alius honoratur, & alius glorificatur. Si autem intellectualis & non ſine intellectu eſt homo, intellectualis autem naturaliter per omnia & voluntarius eſt, ſileant veraciter * deſpicientes, & credant, quoniam hoc quod unitum eſt Deo, hoc & ſalvatum eſt. Salvata eſt igitur aſſumpta ab incarnato Deo verbo cum noſtra natura noſtræ quoque naturæ humana voluntas & operatio. Propterea & voluntarius atque operarius naturaliter idem extitit in utraque, ex quibus & in quibus naturis conſiſtit, noſtræ ſalutis. Ideoque ſalvatoris orationem minime in perſonalem diviſionem partiri præſumant, utpote Deo verbo, ſicut ajunt, ſalutarem volente paſſionem explere, carne autem ejus contradicente ipſius voluntatis, & diſſentiente ab eo: Quoniam hæc hæreticæ vecordiæ ſunt * genuina, noſtræ naturæ perfectionem in Chriſto Deo minime admittentis. Ipſe enim & unus dominus indiviſe, inſeparabiliter, ſine partitione volebat & nolebat, propter rationabiles nobis a ſanctis patribus traditas prædicationes, cum quibus & hoc iterum pie nos docere noſcuntur. Nam humiles & miſericordes atque amatores Dei & quam maxime benignos, dum hunc ſecundum poſſibilitatem imitari contendimus, per ſuam orationem noſipſos perficiebat dominus: & humiles quidem atque miſericordes per hoc, quod & tentationes orationibus evitamus, parcentes utique perſecutionibus, & noſtram infirmitatem conſiderantes, juxta ipſius domini præceptum, qui ait: *Orate, ne intretis in tentationem*: & iterum: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*. Amatores autem Dei ex hoc, quod obedire ei & prompte ſubjici deſideraremus, nullatenus autem reſiſtere voluntatibus ejus, in nobis miſericorditer prærogatis, dum ei fuerit placitum pati nos ad veram confeſſionem pietatis, quæ in ipſo eſt. Horum namque

* ſolvatur

* Prudenter re... Hard.

* germina

Matth. 26.

A αὐτοῦ τοῦ υἱοῦ σωματικῶς ἡμῖν ὁμιλήσαντος, καὶ ὑπὲρ ἡμῶν τὸ πατρικὸν ἤτοι θεϊκὸν αὐτοῦ θέλημα, καὶ ἀνθρωποπρεπῶς δι' ὑπακοῆς ἐκπληρώσαντος, τὸ ποτήριον ἡμῶν, ἤγουν τὸ ἐπιτίμιον τοῦ θανάτου λυθῇ καταπονηθέντος τοῦ θνητοῦ ὑπὸ τῆς ζωῆς. οὗ χάριν καὶ πάντα προσλαβὼν, καὶ ἑνώσας ἑαυτῷ καθ' ὑπόστασιν, τὰ τῆς ἡμετέρας ἐθεράπευσε φύσεως, σῶμα, ψυχὴν, νοῦν, ἐνέργειαν, θέλημα, δι' ὧν ὁ Ἀδὰμ ἑκουσίως παρέβη τὴν ἐντολήν. ὅλος ἁμαρτήσας, καὶ ὅλος τῷ θανάτῳ κατακριθεὶς, καὶ διὰ τοῦτο καὶ ὅλος ἰαθῆναι δεόμενος παρ' αὐτοῦ τοῦ τὴν ἡμετέραν πρότερον μὲν δημιουργήσαντος, ὕστερον δὲ καινουργήσαντος φύσιν. εἰ μὲν γὰρ ἥμισυς ἔπταισεν ὁ Ἀδὰμ, B ἥμισυ καὶ τὸ προσειλημμένον καὶ τὸ σωζόμενον, ὥς φησιν ὁ θεολόγος Γρηγόριος. εἰ δὲ ὅλος, ὅλῳ τῷ γεννηθέντι ἥνωται, καὶ ὅλος σώζεται. μὴ τοίνυν βασκαινέτωσαν ἡμῖν τῆς παντελοῦς σωτηρίας, οἱ τῆς ἐνεργοῦς διχονοίας συνήγοροι. μηδὲ ὀστᾶ μόνον καὶ νεῦρα καὶ ζωγραφίαν ἀνθρώπου τῷ σωτῆρι περιτιθέτωσαν. εἰ μὲν γὰρ ἄψυχος ὁ ἄνθρωπος, τοῦτο καὶ Ἀρειανοὶ λέγουσιν, ἵνα ἐπὶ τὴν θεότητα τὸ πάθος ἐνέγκωσιν ὡς τοῦ κινοῦντος τὸ σῶμα τούτου καὶ πάσχοντος. εἰ δὲ ἔμψυχος, εἰ μὲν ἄνους, πῶς καὶ ἄνθρωπος; οὐ γὰρ ἄνουν ζῶον ὁ ἄνθρωπος. καὶ ἀνάγκη τὸ μὲν σχῆμα ἀνθρώπινον εἶναι καὶ τὴν σκηνὴν, τὴν δὲ ψυχὴν C ἵππου τινὸς, ἢ βοὸς ἢ ἄλλου τῶν ἀνοήτων, τοῦτο γοῦν ἔσται καὶ τὸ σωζόμενον· καὶ διεψεύσθην ἐγὼ παρὰ τῆς ἀληθείας ἄλλου τιμηθέντος, ἄλλου μεγαλαυχουμένου. εἰ δὲ νοερὸς, ἀλλ' οὐκ ἄνους ὁ ἄνθρωπος, ὁ δὲ νοερὸς κατὰ φύσιν πάντως καὶ θελητικὸς, παυσάσθωσαν ὄντως ἀνοηταίνοντες, καὶ πιστευέτωσαν ὅτι ὅπερ ἥνωται τῷ Θεῷ, τοῦτο καὶ σώζεται. σέσωσται τοιγαροῦν προσληφθεῖσα παρὰ τοῦ σαρκωθέντος Θεοῦ λόγου μετὰ τῆς ἡμετέρας φύσεως καὶ ἡ τῆς φύσεως θέλησις καὶ ἐνέργεια. διὸ καὶ θελητικὸς καὶ ἐνεργητικὸς κατὰ φύσιν ὁ αὐτὸς ὑπῆρχεν, ἐν ἑκατέρᾳ τῶν ἐξ ὧν τε καὶ ἐν αἷς ἐστι φύσεων τῆς ἡμῶν σωτηρίας, μὴ τοίνυν τὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν προσευχὴν, εἰς προσωπικὴν διαί- D ρεσιν κατατεμνέτωσαν, ὡς τοῦ μὲν Θεοῦ λόγου, καθά φησι, τὸ σωτήριον θέλοντος ἐκπληρωθῆναι πάθος, τῆς δὲ αὐτοῦ σαρκὸς ἀντιπιπτούσης τῷ αὐτοῦ θελήματι καὶ πρὸς αὐτὸν διχονοούσης. ταῦτα γὰρ τῆς αἱρετικῆς ἀφροσύνης ὑπάρχει κυήματα, τὸ τέλειον ἐν Χριστῷ τῷ Θεῷ μὴ παραδεχομένης τῆς ἡμετέρας φύσεως. ὁ γὰρ αὐτὸς καὶ εἷς κύριος ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως τὸ ἀπεθέλητον φύσει τῇ καθ' ἡμᾶς ἐποιήσατο θελητὸν, διὰ τὰς εὐλόγους ἀποδοθείσας τοῖς ἁγίοις πατράσιν ἡμῶν αἰτίας, ἐφ' αἷς καὶ τοῦτο πάλιν ἡμᾶς εὐσεβῶς ἐκπαιδεύουσιν, ὅτι μετρίους καὶ φιλανθρώπους, τῷ ἀπέχεσθαι τῶν πειρασμῶν φειδοῖ τῶν διωκόντων καὶ συναισθήσει τῆς ἑαυτῶν ἀσθενείας E κατὰ τὴν αὐτοῦ τοῦ κυρίου διάταξιν. προσεύχεσθαι λέγοντος· ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν. τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής. φιλοθέους δὲ, τῷ κάμπτεσθαι προθύμως αὐτῷ καὶ ἑκουσίως ὑπείκειν, ἀλλὰ μηδαμῶς ἀντιτείνειν ταῖς περὶ ἡμῶν αὐτοῦ φιλανθρώποις βουλαῖς, εἰς ἀπόδειξιν τῆς εἰς αὐτὸν εὐσεβοῦς ὁμολογίας. τούτων ὑπογραμμὸς ἡμῖν γέγο-

Ἀδιαιρέτως ὅσα ὁ τρόπος

γέγονεν, αὐτὸς ὁ κατὰ φύσιν ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς A κύριος ἡμῶν καὶ Θεὸς Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, ἐν ᾧ σαρκὶ πέπονθεν ἑκουσίως ὑπὲρ ἡμῶν, εἰς ὃν ἁμαρτάνοντες ἐκεῖνοι διὰ τῶν οἰκείων δογμάτων ἐλέγχονται. ἡ γὰρ βουλὴ τῶν πονηρῶν, ὥς φησιν ὁ μακάριος Ἠσαΐας, ἄνομα βουλεύσεται καταφθεῖραι τοὺς ἁγίους λόγους ἀπεχομένη τῆς πίστεως ἐν λόγοις ἀδίκοις. οἱ δὲ εὐσεβεῖς, συνετὰ ἐβουλεύσαντο, καὶ αὕτη ἡ βουλὴ, μένει εἰς τὸν αἰῶνα.

que factus eſt nobis exemplum ipſe, qui eſt naturaliter auctor vitæ dominus Deus noſter Jeſus Chriſtus, per hoc quod ſponte paſſus eſt carne pro nobis: in quem peccantes illi, per propria dogmata redarguuntur, quoniam voluntas malorum, ſicut beatus Iſaias ait, iniqua conſiliabitur, corrumpere ſanos Iſa. 32. ſermones fidei verbis iniquis. Pii autem ſapienter conſiliati ſunt, & hoc conſilium manet in æternum.

## Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν.

Εἰ καὶ οἱ ἔξαρχοι τῆς κενολογίας ὡς ἀκριβῶς διὰ πάντων ἡμῖν ὑποδέδεικται τῶν τε δυσσεβῶν ἑαυτῶν οὐ μόνον ῥημάτων ὑπ' ἀλλήλων εἰς ἄπαν ἀνε- B ξετάστως, ἀλλὰ καὶ τῶν αἱρετικῶν καὶ βεβήλων δογμάτων ἐν πᾶσιν αὐτοῖς συμφωνούντων, καὶ μὴν τῶν πατρικῶν καὶ συνοδικῶν κηρυγμάτων τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἀλλοτρίους πάντῃ πρὸς αὐτὰ τυγχάνοντας καὶ πολεμίους, οὐκ ἔγνωσαν φρονῆσαι, καθώς φησιν ὁ προφήτης, ὅτι ἀπημαυρώθησαν τοῦ βλέπειν τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτῶν, καὶ τοῦ νοῆσαι τῇ καρδίᾳ αὐτῶν τῶν εὐσεβῶν διδασκάλων ἡμῶν τοὺς ὑγιαίνοντας ὅρους, οὓς πρὸς συντήρησιν παγίως ἔθεντο τῆς ὀρθοδόξου πίστεως. ἀλλ' οὖν ἡμεῖς καρδίᾳ πιστεύοντες εἰς δικαιοσύνην, στόματι δὲ ὁμολογοῦντες εἰς σωτηρίαν, ὥς φησιν ὁ μακάριος Παῦλος, εὐσεβῶς καὶ ὀρθοτομήτως ὡς διὰ αὐτῶν παρελάβομεν, οὕ- C τως ἀπαραβάτως πιστεύομεν, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν υἱὸν μονογενῆ κύριον ἡμῶν καὶ Θεὸν Ἰησοῦν Χριστὸν τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν θεότητι, καὶ τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι, Θεὸν ἀληθῶς καὶ ἄνθρωπον ἀληθῶς τὸν αὐτὸν ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ σώματος, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν τὸν αὐτὸν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα κατὰ πάντα ὅμοιον ἡμῖν χωρὶς ἁμαρτίας. πρὸ αἰώνων μὲν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα κατὰ τὴν θεότητα, ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν τὸν αὐτὸν δι' ἡμᾶς καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἐκ Μαρίας τῆς ἀειπαρθένου καὶ Θεοτόκου κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Χριστὸν υἱὸν κύριον μονογενῆ ἐκ δύο φύσεων καὶ ἐν δυσὶ φύσε- D σιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον, οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον ἀνελλιπῶς τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης. οὐκ εἰς δύο πρόσωπα μεριζόμενον ἢ διαιρούμενον, ἀλλ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν μονογενῆ Θεὸν λόγον κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ τούτου δύο καθάπερ τὰς φύσεις ἡνωμένας ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, οὕτω καὶ δύο τὰ κατὰ φύσιν θελήματα θεῖόν τε καὶ ἀνθρώπινον, καὶ δύο τὰς φυσικὰς ἐνεργείας θείαν τε καὶ ἀνθρωπίνην εἰς πίστωσιν ἐντελῆ καὶ ἀπαράλειπτον, τοῦ Θεὸν φύσει τέλειον[1] ἀληθῶς, μόνης δίχα τῆς ἁμαρτίας τὸν αὐτὸν E καὶ ἕνα κύριον ἡμῶν καὶ Θεὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ὑπάρχειν, ὡς θέλοντά τε καὶ ἐνεργοῦντα θεϊκῶς ἅμα καὶ ἀνθρωπικῶς τὴν ἡμῶν σωτηρίαν, καθάπερ ἄνωθεν οἱ προφῆται περὶ αὐτοῦ καὶ αὐτὸς ἡμᾶς Ἰησοῦς Χριστὸς ἐξεπαίδευσεν, καὶ τὸ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῖν παραδέδωκε σύμβολον, καὶ ἁπλῶς πᾶσαι καὶ πάντες αἱ ἅγιαι καὶ οἰκουμενικαὶ πέντε σύνοδοι, καὶ οἱ ἔγκριτοι τῆς

## *Sancta ſynodus dixit.*

Licet auctores novitatis, ut jam ex omnibus approbatum eſt, utpote non ſolum ſermonibus eorum ab invicem confuſa, ſed & hæreticorum doctrinis per omnia conſonantibus eis, necnon paternis ac ſynodalibus prædicationibus catholicæ eccleſiæ ab eis extraneatis, non intellexerunt omnino, ſicut Iſa. 6. per propheticum vaticinium dictum eſt, quoniam obſcurati ſunt, ne videant oculis ſuis, & intelligant cordibus ſuis venerabilium patrum noſtrorum ſana decreta & definitiones, quas poſuerunt in conſervatione orthodoxæ fidei. Sed & nos corde credentes in juſtitiam, ore autem confitentes in ſalutem, conſonanter & abſque ulla novitate, ſicut ab eis percepimus, ita tranſgreſſibiliter credimus unum eumdemque filium Rom. 10. dominum noſtrum & Deum Jeſum Chriſtum, perfectum eumdem in deitate, & eumdem perfectum in humanitate, Deum vere, & hominem vere eumdem, ex anima rationali & corpore, conſubſtantialem patri ſecundum deitatem, & conſubſtantialem nobis eumdem ſecundum humanitatem, per omnia nobis ſimilem abſque peccato: ante ſecula quidem de patre genitum ſecundum deitatem, in noviſſimis diebus autem eumdem propter noſtram ſalutem ex Maria virgine Dei genitrice ſecundum humanitatem, unum eumdemque Chriſtum filium dominum unigenitum, in duabus naturis inconfuſe, immutabiliter, indiviſe, inſeparabiliter, agnoſcendum, nuſquam ſublata differentia naturarum propter unitionem, magiſque ſalva indiminute proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam atque ſubſiſtentiam concurrente: non in duas perſonas partitum atque diviſum, ſed unum & eumdem filium unigenitum, Deum verbum, dominum Jeſum Chriſtum, & duas ejuſdem ſicuti naturas unitas inconfuſe, ita & duas naturales voluntates, divinam, & humanam, & duas naturales operationes, divinam & humanam, in approbatione perfecta & indiminuta eumdem veraciter eſſe perfectum Deum, & hominem perfectum ſecundum veritatem, eumdem atque unum dominum noſtrum & Deum Jeſum Chriſtum, utpote volentem & operantem divine & humane noſtram ſalutem, ſicut ſuperius prophetæ de eo, & ipſe dominus noſter Jeſus Chriſtus docuit nos, atque ſanctorum patrum tradidit ſymbolum, & generaliter omnes ſanctæ & univerſales ſynodi, & omnis probabilium catholicæ eccleſiæ doctorum chorus. His itaque nobis pie atque orthodoxe, juxta divinitus

1 Deeſt hic, καὶ ἄνθρωπον τέλειον. Mazarinæus.

nitus inſpiratam doctrinam eorum, profeſſis, conſonanter dicimus omnes.

A καθολικῆς ἐκκλησίας κήρυκας. τούτων τοίνυν ἀσεβῶς ἡμῖν καὶ ὀρθοδόξως κατὰ τὴν θεόπνευστον αὐτῶν διδασκαλίαν ὁμολογηθέντων, συμφώνως, καὶ ὁμοδόξως ἅπαντες ἐρίζομεν.

## CANONES.

Ὅρος κεφαλαιώδης τῆς ἁγίας καὶ ἀποστολικῆς συνόδου τῆς ἐν τῇ πρεσβυτέρᾳ Ῥώμῃ συνελθούσης τῶν ἱερῶν ἐπισκόπων.

Canones viginti concilii Lateranenſis ſub Martino primo, ſub anathemate recipiendi.

### I.

Si quis ſecundum ſanctos patres non confitetur proprie & veraciter Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, trinitatem in unitate, & unitatem in trinitate, hoc eſt, unum Deum in tribus ſubſiſtentiis conſubſtantialibus & æqualis gloriæ, unam eamdemque trium deitatem, naturam, ſubſtantiam, virtutem, potentiam, regnum, imperium, voluntatem, operationem, inconditam, ſine initio, incomprehenſibilem, immutabilem, creatricem omnium & protectricem, condemnatus ſit.

### α.

Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας κυρίως καὶ ἀληθῶς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ πνεῦμα B ἅγιον, τριάδα ἐν μονάδι, καὶ μονάδα ἐν τριάδι, τουτέστιν ἕνα Θεὸν ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν ὁμουσίοις καὶ ὁμοδόξοις, μίαν καὶ τὴν αὐτὴν τῶν τριῶν θεότητα, φύσιν, οὐσίαν, δύναμιν, κυριότητα, βασιλείαν, ἐξουσίαν, θέλησιν, ἐνέργειαν, δεσποτείαν, ἄκτιστον, ἄναρχον, ἄπειρον, ἀναλλοίωτον, δημιουργικὴν τῶν ὄντων, καὶ προνοητικὴν, καὶ συνεκτικὴν, εἴη κατάκριτος.

### II.

C Si quis ſecundum ſanctos patres non confitetur proprie & ſecundum veritatem ipſum unum ſanctæ & conſubſtantialis & venerandæ trinitatis Deum verbum e cœlo deſcendiſſe, & incarnatum ex Spiritu ſancto & Maria ſemper Virgine, & hominem factum, crucifixum carne, propter nos ſponte paſſum ſepultumque, & reſurrexiſſe tertia die, & aſcendiſſe in cœlos, atque ſedentem in dextera patris, & venturum iterum cum gloria paterna cum aſſumpta ab eo atque animata intellectualiter carne ejus, judicare vivos & mortuos, condemnatus ſit.

### β.

Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας κυρίως καὶ ἀληθῶς αὐτὸν τὸν ἕνα τῆς ἁγίας καὶ ὁμουσίου καὶ προσκυνητῆς τριάδος Θεὸν λόγον κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παναγίας ἀειπαρθένου καὶ ἐνανθρωπήσαντα, σταυρωθέντα τε καὶ σαρκὶ δι' ἡμᾶς καὶ τὴν ἡμῶν σωτηρίαν ἑκουσίως, καὶ παθόντα καὶ ταφέντα καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ καθήμενον ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς, καὶ ἥξοντα πάλιν σὺν τῇ πατρικῇ αὐτοῦ δόξῃ, μεθ' ἧς προσείληφε νοερῶς ἐψυχωμένης σαρκὸς κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, D εἴη κατάκριτος.

### III.

Si quis ſecundum ſanctos patres non confitetur proprie & ſecundum veritatem Dei genitricem ſanctam ſemperque virginem & immaculatam Mariam, utpote ipſum Deum verbum ſpecialiter & veraciter, qui a Deo patre ante omnia ſæcula natus eſt, in ultimis ſæculorum abſque ſemine concepiſſe ex Spiritu ſancto, & incorruptibiliter eam genuiſſe, indiſſolubili permanente & poſt partum ejuſdem virginitate, condemnatus ſit. E

### γ.

Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας κυρίως καὶ ἀληθῶς θεοτόκον τὴν ἁγίαν ἀειπάρθενον ἄχραντον Μαρίαν ὡς αὐτὸν κυρίως καὶ ἀληθῶς τὸν ἐκ Θεοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων Θεὸν λόγον ἐπ' ἐσχάτων τῶν αἰώνων ἀσπόρως συλλαβοῦσαν ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ ἀφθόρως γεννήσασαν ἀλύτου μενούσης αὐτῆς καὶ μετὰ τόκον τῆς παρθενίας, εἴη κατάκριτος.

### IV.

Si quis ſecundum ſanctos patres non confitetur proprie & ſecundum veritatem, ipſius & unius domini noſtri & Dei Jeſu Chriſti duas nativitates, tam ante ſæcula ex Deo & patre incorporaliter & ſempiternaliter, quamque de ſancta virgine ſemper Dei genitrice Maria corporaliter in ultimis ſæculorum, atque unum eumdemque dominum noſtrum & Deum Jeſum Chriſtum conſubſtantialem Deo & Patri ſecundum deitatem, & conſubſtantialem homini & ma-

### δ.

Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας κυρίως καὶ ἀληθῶς τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑνὸς κυρίου ἡμῶν καὶ Θεοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ τὰς δύο γεννήσεις ὑπάρχειν, τήν τε πρὸ αἰώνων ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς ἀσωμάτως, καὶ ἀϊδίως, καὶ τὴν ἐκ τῆς ἁγίας ἀειπαρθένου Μαρίας σαρκικῶς ἐπ' ἐσχάτων τῶν αἰώνων καὶ τὸν αὐτὸν καὶ ἕνα κύριον ἡμῶν καὶ Θεὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ὁμοούσιον τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον τῇ παρθένῳ καὶ μητρὶ κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, καὶ τὸν αὐτὸν παθητὸν σαρκὶ, ἀπαθῆ θεότητι, περιγραπτὸν σώματι, ἀπερίγραπτον πνεύματι, τὸν αὐ-

αὐτὸν ἄκτιστον καὶ κτιστὸν ἐπίγειον καὶ οὐράνιον, ὁρώμενον καὶ νοούμενον, χωρητὸν καὶ ἀχώρητον, ἵνα ὅλῳ ἀνθρώπῳ τῷ αὐτῷ καὶ Θεῷ, ὅλος ἄνθρωπος ἀνακλασθῇ ὁ πεσὼν ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, εἴη κατάκριτος.

A tri ſecundum humanitatem, atque eumdem paſſibilem carne, & impaſſibilem deitate, circumſcriptum corpore, incircumſcriptum deitate, eumdem inconditum & conditum, terrenum & cœleſtem, viſibilem & intelligibilem, capabilem & incapabilem: ut toto homine eodemque & Deo totus homo reformaretur, qui ſub peccato cecidit, condemnatus ſit.

ε'.

Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας κυρίως καὶ ἀληθῶς μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ λόγου σεσαρκωμένην, διὰ τοῦ σεσαρκωμένην εἰπεῖν, τῆς καθ' ἡμᾶς οὐσίας τελείως ἐν αὐτῷ Χριστῷ τῷ Θεῷ, καὶ ἀπαραλείπτως, μόνης δίχα τῆς ἁμαρτίας σημαίνεσθαι, εἴη κατάκριτος.

V.

Si quis ſecundum ſanctos patres non confitetur proprie & ſecundum veritatem B unam naturam Dei verbi incarnatam, per hoc quod incarnata dicitur noſtra ſubſtantia perfecte in Chriſto Deo & indiminute, abſque tantummodo peccato ſignificata, condemnatus ſit.

ϛ'.

Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας κυρίως καὶ ἀληθῶς ἐκ δύο φύσεων θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος, καὶ ἐν δυσὶ φύσεσι θεότητί τε καὶ ἀνθρωπότητι καθ' ὑπόστασιν ἡνωμέναις ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως τὸν αὐτὸν καὶ ἕνα κύριον ἡμῶν καὶ Θεὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ὑπάρχειν, εἴη κατάκριτος.

VI.

Si quis ſecundum ſanctos patres non confitetur proprie & ſecundum veritatem ex duabus & in duabus naturis ſubſtantialiter unitis, inconfuſe & indiviſe unum eumdemque eſſe dominum & Deum Jeſum Chriſtum, condemnatus ſit.

ζ'.

Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας κυρίως καὶ ἀληθῶς τὴν κατ' οὐσίαν τῶν φύσεων διαφορὰν μετὰ τὴν ἄφρασον ἕνωσιν ἐξ ὧν ὁ εἷς καὶ μόνος ὑπάρχει Χριστὸς ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως ἐν αὐτῷ σωζομένην, εἴη κατάκριτος.

C

VII.

Si quis ſecundum ſanctos patres non confitetur proprie & ſecundum veritatem ſubſtantialem differentiam naturarum inconfuſe & indiviſe in eo ſalvatam, condemnatus ſit.

η'.

Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας κυρίως καὶ ἀληθῶς τὴν κατὰ σύνθεσιν ἤγουν καθ' ὑπόστασιν τῶν φύσεων ἕνωσιν ἐξ ὧν ὁ εἷς καὶ μόνος ὑπάρχει Χριστὸς ἀδιαιρέτως ἐν αὐτῷ καὶ ἀσυγχύτως γνωριζομένην, εἴη κατάκριτος.

VIII.

Si quis ſecundum ſanctos patres non confitetur, proprie & ſecundum veritatem naturarum ſubſtantialem unitionem indiviſe & inconfuſe in eo cognitam, condemnatus ſit.

D

θ'.

Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας κυρίως καὶ ἀληθῶς τὰς φυσικὰς ἰδιότητας τῆς θεότητος τοῦ Χριστοῦ καὶ τῆς ἀνθρωπότητος ἀνελλιπῶς ἐν αὐτῷ καὶ ἀμειώτως σωζομένας εἰς πίστωσιν ἀληθῆ, τοῦ, τὸν αὐτὸν Θεὸν τέλειον καὶ ἄνθρωπον τέλειον κατὰ φύσιν ὑπάρχειν, εἴη κατάκριτος.

IX.

Si quis ſecundum ſanctos patres non confitetur proprie & ſecundum veritatem naturales proprietates deitatis ejus & humanitatis indiminute in eo & ſine deminoratione ſalvatas, condemnatus ſit.

ι'.

Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας κυρίως καὶ ἀληθῶς δύο τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑνὸς Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ τὰ θελήματα συμφυῶς ἡνωμένα θεϊκόν τε καὶ ἀνθρώπινον διὰ τὸ καθ' ἑκατέραν αὐτοῦ φύσιν θελητικὸν κατὰ φύσιν τὸν αὐτὸν ὑπάρχειν τῆς ἡμῶν σωτηρίας, εἴη κατάκριτος.

X.

Si quis ſecundum ſanctos patres non confitetur proprie & ſecundum veritatem duas unius ejuſdemque Chriſti Dei no- E ſtri voluntates cohærenter unitas, divinam & humanam, ex hoc quod per utramque ejus naturam voluntarius * naturaliter idem conſiſtit noſtræ ſalutis condemnatus ſit.

* *forte operator.*

ια'.

Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας κυρίως καὶ ἀληθῶς δύο τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑνὸς Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ τὰς ἐνεργείας συμφυῶς ἡνωμένας θείαν καὶ ἀνθρωπίνην διὰ τὸ καθ' ἑκατέραν αὐτοῦ φύ-

XI.

Si quis ſecundum ſanctos patres non confitetur proprie & ſecundum veritatem duas unius ejuſdemque Chriſti Dei noſtri operationes cohærenter unitas, di-

vinam & humanam, ab eo quod per utramque ejus naturam operator naturaliter idem exiſtit noſtræ ſalutis, condemnatus ſit.

XII.

Si quis ſecundum ſceleroſos hæreticos unam Chriſti Dei noſtri voluntatem confitetur & unam operationem, in peremptionem ſanctorum patrum confeſſionis, & abnegationem ejuſdem ſalvatoris noſtri diſpenſationis, condemnatus ſit.

XIII.

Si quis ſecundum ſceleroſos hæreticos, in Chriſto Deo in unitate ſubſtantialiter ſalvatis, & a ſanctis patribus noſtris pie prædicatis duabus voluntatibus & duabus operationibus, divina & humana, contra doctrinam patrum, & unam voluntatem atque unam operationem confitetur, condemnatus ſit.

XIV.

Si quis ſecundum ſceleroſos hæreticos cum una voluntate & una operatione, quæ ab hæreticis impie confitetur, & duas voluntates pariterque & operationes, hoc eſt, divinam & humanam, quæ in ipſo Chriſto Deo in unitate ſalvantur, & a ſanctis patribus orthodoxe in ipſo prædicantur, denegat & reſpuit, condemnatus ſit.

XV.

Si quis ſecundum ſceleroſos hæreticos deivirilem operationem, quod Græci dicunt θεανδρικὴν, unam operationem inſipienter ſuſcipit, non autem duplicem eſſe confitetur ſecundum ſanctos patres, hoc eſt, divinam & humanam, aut ipſam deivirilis, quæ poſita eſt, novam vocabuli dictionem unius eſſe deſignativam, ſed non utriuſque mirificæ & glorioſæ unitionis demonſtrativam, condemnatus ſit.

XVI.

Si quis ſecundum ſceleroſos hæreticos in peremptione ſalvatis in Chriſto Deo eſſentialiter in unitione, & ſanctis patribus pie prædicatis duabus voluntatibus & duabus operationibus, hoc eſt, divina & humana, diſſenſiones & diviſiones inſipienter myſterio diſpenſationis ejus innectit, & propterea evangelicas & apoſtolicas de eodem ſalvatore voces non uni eidemque perſonæ & eſſentialiter tribuit eidem ipſi domino & Deo noſtro Jeſu Chriſto ſecundum beatum Cyrillum, ut oſtendatur Deus eſſe & homo idem naturaliter, condemnatus ſit.

XVII.

Si quis ſecundum ſanctos patres non confitetur proprie & ſecundum veritatem omnia quæ tradita ſunt & prædicata ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ Dei eccle-

σιν, ἐνεργητικὸν τὸν αὐτὸν ὑπάρχειν τῆς σωτηρίας ἡμῶν, εἴη κατάκριτος.

ιβʹ.

Εἴ τις ὁμολογεῖ κατὰ τοὺς ἐναγεῖς αἱρετικοὺς τῆς τε θεότητος καὶ τῆς ἀνθρωπότητος τοῦ Χριστοῦ μίαν φύσιν, ἢ μίαν θέλησιν, ἢ μίαν ἐνέργειαν, εἰς ἀναίρεσιν μὲν τῆς τῶν ἁγίων πατέρων ὁμολογίας, ἀθέτησιν δὲ τῆς αὐτοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν οἰκονομίας, εἴη κατάκριτος.

ιγʹ.

Εἴ τις κατὰ τοὺς ἐναγεῖς αἱρετικοὺς ταῖς ἐπὶ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ καθ' ἕνωσιν οὐσιωδῶς σωζομέναις, καὶ τοῖς ἁγίοις πατράσιν ἡμῶν εὐσεβῶς κηρυττομέναις δύο θελήσεσι καὶ δύο ἐνεργείαις θείᾳ τε καὶ ἀνθρωπίνῃ ἐπιδιαστάττηται συνομολογεῖν αὐταῖς παρὰ τὴν ἐκείνων διδασκαλίαν καὶ μίαν θέλησιν, καὶ μίαν ἐνέργειαν, εἴη κατάκριτος.

ιδʹ.

Εἴ τις κατὰ τοὺς ἐναγεῖς αἱρετικοὺς τῇ μιᾷ θελήσει καὶ τῇ μιᾷ ἐνεργείᾳ τῇ παρ' αὐτῶν τῶν αἱρετικῶν ἐπὶ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ δυσσεβῶς ὁμολογουμένῃ, καὶ τὰς δύο θελήσεις καὶ τὰς δύο ἐνεργείας τήν τε θείαν, καὶ τὴν ἀνθρωπίνην, τὰς ἐπ' αὐτοῦ Χριστοῦ καὶ τοῦ Θεοῦ καθ' ἕνωσιν φυσικῶς σωζομένας, καὶ ἐκ τῶν ἁγίων πατέρων ὀρθοδόξως ἐπ' αὐτοῦ κηρυττομένας συνεξαρνεῖται καὶ συναποβάλλεται, εἴη κατάκριτος.

ιεʹ.

Εἴ τις κατὰ τοὺς ἐναγεῖς αἱρετικοὺς τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν, μίαν ἀνοήτως ἐκδέχεται, ἀλλ' οὐχὶ διπλῆν αὐτὴν ὁμολογεῖ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας, τουτέστι, θείαν καὶ ἀνθρωπίνην, ἢ τὴν ἐπ' αὐτῇ τῇ θεανδρικῇ καινὴν ῥῆσιν, μιᾶς εἶναι σημαντικὴν ἐνεργείας, ἀλλ' οὐχὶ τῆς ἑκατέρων παραδόξου, καὶ ὑπερφυοῦς ἑνώσεως δηλωτικὴν, εἴη κατάκριτος.

ιϛʹ.

Εἴ τις κατὰ τοὺς ἐναγεῖς αἱρετικοὺς ἐπ' ἀναιρέσει τῶν ἐπὶ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ καθ' ἕνωσιν σωζομένων, οὐσιωδῶς καὶ τοῖς ἁγίοις πατράσιν εὐσεβῶς κηρυττομένων, δύο θελήσεων καὶ δύο ἐνεργειῶν, θείας καὶ ἀνθρωπίνης διχονοίας, καὶ διαιρέσεις ἀφρόνως τῷ κατ' αὐτὸν μυστηρίῳ προστρίβεται, καὶ διὰ τοῦτο τὰς εὐαγγελικὰς καὶ ἀποστολικὰς περὶ αὐτοῦ τοῦ σωτῆρος φωνὰς, οὐχ ἑνὶ καὶ τῷ αὐτῷ τῷ κυρίῳ ἡμῶν καὶ Θεῷ Ἰησοῦ Χριστῷ κατὰ Κύριλλον τὸν ἀοίδιμον εἰς πίστωσιν τοῦ Θεὸν εἶναι φύσει καὶ ἄνθρωπον ἀληθῶς τὸν αὐτὸν, εἴη κατάκριτος.

ιζʹ.

Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας κυρίως καὶ ἀληθῶς πάντα τὰ παραδοθέντα καὶ κηρυχθέντα τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ παρ' αὐτῶν τε τῶν ἁγίων πατέρων,

ξῶν, καὶ τῶν ἐγκρίτων οἰκουμενικῶν πέντε συνόδων, ἄχρι μιᾶς κεραίας λόγῳ καὶ διανοίᾳ, ἔστω κατάκριτος.

ιη.

Εἴ τις κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας συμφώνως ἡμῖν καὶ ὁμοδόξως οὐκ ἀποβάλλεται καὶ ἀναθεματίζει ψυχῇ τε καὶ στόματι πάντας οὓς ἀποβάλλεται καὶ ἀναθεματίζει δυσωνύμους αἱρετικοὺς μετὰ πάντων τῶν συγγραμμάτων ἄχρι μιᾶς κεραίας. ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία, ταυτὸν δὲ λέγειν αἱ ἅγιαι καὶ οἰκουμενικαὶ πέντε σύνοδοι, καὶ αὐτοὶ πάντες ὁμοφρόνως, οἱ ἔγκριτοι τῆς ἐκκλησίας πατέρες, B ἤγουν Σαβέλλιον, Ἄρειον, Εὐνόμιον, Μακεδόνιον, Ἀπολλινάριον, Πολέμωνα, Εὐτυχέα, Διόσκορον, Τιμόθεον τὸν Αἴλουρον, Σεβῆρον, Θεοδόσιον, Κόλλουθον, Θεμίστιον, Παῦλον τὸν Σαμοσατέα, Διόδωρον, Θεόδωρον, Νεστόριον, Θεόδουλον τὸν Πέρσην, Ὠριγένην, Δίδυμον, Εὐάγριον, καὶ ἁπλῶς τοὺς ἄλλους ἅπαντας αἱρετικοὺς, τοὺς τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ διαβεβλημένους καὶ ἀποβεβλημένους, ὧν τὰ δόγματα διαβολικῆς ἐνεργείας ὑπάρχει γεννήματα, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια αὐτοῖς μέχρι τέλους ἀμεταμελήτως φρονήσαντας, ἢ φρονοῦντας, ἢ φρονήσοντας, μεθ' ὧν ἐνδίκως ὡς ὁμοδόξους αὐτοῖς καὶ ὁμόφρονας δι' ὧν ἐδογμάτισαν ἀποδεδειγμένους, καὶ τῇ οἰκείᾳ πλάνῃ τὸν ἑαυτῶν συμπλέξαντας βίον, C φαμὲν δὴ Θεόδωρον τὸν γενόμενον ἐπίσκοπον τῆς Φαρὰν, καὶ Κῦρον τὸν Ἀλεξανδρείας, καὶ Σέργιον τὸν Κωνσταντινουπόλεως, καὶ τοὺς αὐτοῦ διαδόχους, Πύῤῥον καὶ Παῦλον τῇ ἰδίᾳ κακονοίᾳ προσμείναντας, καὶ πάντα τὰ δυσσεβῆ τούτων συγγράμματα, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια αὐτοῖς μέχρι τέλους ἀμεταμελήτως φρονήσαντας, ἢ φρονοῦντας, ἢ φρονήσοντας, ἤτοι μίαν θέλησιν καὶ μίαν ἐνέργειαν τῆς θεότητος καὶ τῆς ἀνθρωπότητος τοῦ Χριστοῦ. καὶ πρὸς τούτοις τὴν ἐξ ὑποβολῆς τοῦ αὐτοῦ Σεργίου γενομένην παρὰ Ἡρακλείου τοῦ βασιλέως κατὰ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως ἀσεβεστάτην ἔκθεσιν ἐν Χριστῷ τῷ Θεῷ D θέλημα καὶ μίαν ἐκ κατασκευῆς ἐνέργειαν πρεσβεύειν ὁριζομένην, καὶ πάντα τὰ ὑπὲρ αὐτῆς ἀσεβῶς αὐτοῖς γραφέντα τε καὶ πραχθέντα, καὶ τοὺς αὐτὴν, ἤτοι τῶν ὑπὲρ αὐτῆς γραφέντων ἢ πραχθέντων προσδεχομένους, καὶ σὺν τούτοις αὖθις ἐξ εἰσηγήσεως τοῦ αὐτοῦ Παύλου γενόμενον ἀρτίως παρὰ τοῦ γαληνοτάτου βασιλέως Κωνσταντίνου τοῦ αὐτοκράτορος, κατὰ τῆς ἐκκλησίας ἀσεβέστατον τύπον, ὡς τὰς παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἐπ' αὐτοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν εὐσεβῶς κηρυττομένας δύο φυσικὰς E θελήσεις καὶ ἐνεργείας, θείαν τε καὶ ἀνθρωπίνην, τῇ παρὰ τῶν αἱρετικῶν ἀσεβῶς ἐπ' αὐτοῦ πρεσβευομένῃ μιᾷ θελήσει καὶ μιᾷ ἐνεργείᾳ, συνεξαρνηθῆναί τε καὶ συναποσιωπηθῆναι διαγορεύοντα, καὶ διὰ τοῦτο τὴν μετὰ τῶν ἁγίων πατέρων καὶ

A ſiæ, perindeque a ſanctis patribus & venerandis univerſalibus quinque conciliis uſque ad unum apicem verbo & mente, condemnatus ſit.

XVIII.

Si quis ſecundum ſanctos patres conſonanter nobis pariterque fide non reſpuit & anathematizat anima & ore omnes, quos reſpuit & anathematizat nefandiſſimos hæreticos cum omnibus impiis eorum conſcriptis uſque ad unum apicem ſancta Dei eccleſia catholica & apoſtolica, hoc eſt, ſanctæ & univerB ſales quinque ſynodi, & conſonanter omnes probabiles eccleſiæ patres, id eſt, Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Polemonem, Eutychem. Dioſcorum. Timotheum Ælurum, Severum, Theodoſium, Colluthum, Themiſtium, Paulum Samoſatenum, Diodorum, Theodorum, Neſtorium, Theodulum Perſam, Origenem, Didymum, Evagrium, & compendioſe omnes reliquos hæreticos, qui a catholica eccleſia reprobati atque abjecti ſunt, quorum dogmata diabolicæ operationis ſunt genimina, & eos qui ſimilia cum his uſque ad finem obſtinate C ſapuerunt, aut ſapiunt, vel ſapere ſperantur, cum quibus merito, utpote ſimiles eis parique errore præditos: ex quibus dogmatizare noſcuntur, proprio, que errori vitam ſuam determinantes, hoc eſt, Theodorum quondam epiſcopum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium Conſtantinopolitanum, vel ejus ſucceſſores Pyrrhum & Paulum, in ſua perfidia permanentes, & omnia impia illorum conſcripta, & eos qui ſimilia cum illis uſque in finem obſtinate ſapuerunt, aut ſapiunt, vel ſapere ſpeD rantur, hoc eſt, unam voluntatem & unam operationem deitatis & humanitatis Chriſti, & ſuper hæc impiiſſimam ecthesim, quæ perſuaſione ejuſdem Sergii facta eſt ab Heraclio quondam imperatore adverſus orthodoxam fidem, unam Chriſti Dei voluntatem, & unam ex concinnatione definientem operationem venerari; ſed & omnia quæ pro ea impie ab eis ſcripta vel acta ſunt, E & illos qui eam ſuſcipiunt, vel aliquid de his quæ pro ea ſcripta vel acta ſunt, & cum illis denuo ſceleroſum typum, qui ex ſuaſione prædicti Pauli nuper factus eſt a sereniſſimo principe Conſtantino imperatore contra catholicam eccleſiam, utpote duas naturales voluntates & operationes, divinam & humanam,

quæ a ſanctis patribus in ipſo Chriſto Deo vero & ſalvatore noſtro pie prædicantur, cum una voluntate & operatione, quæ ab hæreticis impie in eo veneratur, pariter denegare & taciturnitate conſtringi promulgantem, & propterea cum ſanctis patribus & ſceleroſos hæreticos ab omni reprehenſione & con-

condemnatione injuſte liberari definientem, in amputationem catholicæ eccleſiæ definitionum ſeu regulæ. Si quis igitur, juxta quod dictum eſt, conſonanter nobis omnia hæc impiiſſima hæreſeos illorum dogmata, & ea quæ pro illis aut in definitione eorum a quolibet impie conſcripta ſunt, & denominatos hæreticos, Theodorum dicimus, Cyrum & Sergium, Pyrrhum & Paulum non reſpuit & anathematizat, utpote catholicæ eccleſiæ rebelles exiſtentes: aut ſi quis aliquem de his qui ab illis vel ſimilibus eorum in ſcripto vel ſine ſcripto quocumque modo vel loco aut tempore temere depoſiti ſunt aut condemnati, utpote ſimilia eis minime credentem, ſed ſanctorum patrum nobiſcum confitentem doctrinam, uti condemnatum habet aut omnino depoſitum, ſed non arbitratur hujuſmodi quicumque fuerit, hoc eſt, ſive epiſcopus, aut presbyter, vel diaconus, ſive alterius cujuſcumque eccleſiaſtici ordinis, aut monachus, vel laicus, puro & orthodoxum, & catholicæ eccleſiæ propugnatorem, atque in ipſo firmius conſolidatum, in quo vocatus eſt a domino ordine, illos autem impios atque deteſtabilia eorum pro hoc judicia, vel ſententias vacuas & invalidas atque infirmas, magis autem profanas & execrabiles vel reprobabiles arbitratur, hujuſmodi condemnatus ſit.

A τοὺς ἐναγεῖς αἱρετικοὺς μέμψεως ἀπαθεῖς καὶ καταχρίστως ἀδίκως ἀπολύεσθαι διοριζόμενον, εἰς ἀνατροπὴν τῶν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ὅρων τε καὶ κανόνων. Εἴ τις οὖν, καθὰ λέλεκται, συμφώνως ἡμῖν ταῦτα πάντα τὰ δυσσεβῆ τῆς αὐτῶν αἱρέσεως δόγματα, καὶ τὰ ὑπὲρ αὐτῶν, ἢ πρὸς ἐκδίκησιν αὐτῶν τινι τῶν πάντων ἀσεβῶς γεγραμμένα, καὶ αὐτοὺς τοὺς εἰρημένους αἱρετικοὺς Θεόδωρον φαμέν, καὶ Κῦρον, Σέργιόν τε καὶ Πύῤῥον καὶ Παῦλον οὐκ ἀποβάλλεται καὶ ἀναθεματίζει πολεμίους τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ὑπάρχοντας, ἢ εἴ τις τινὰ τῶν παρ' αὐτῶν, ἢ τῶν τὰ ὅμοια αὐτοῖς φρονούντων ἐγγράφως ἢ ἀγράφως καθ' οἷον B δήποτε τρόπον, ἢ καιρὸν προπετῶς καθαιρεθέντων, ἢ καταχριθέντων, ὡς μὴ τὰ αὐτῶν φρονοῦντα, ἀλλὰ τὰ τῶν ἁγίων πατρῶν, σὺν ἡμῖν ὁμολογοῦντα, καθῃρημένον ἔχει τὸ σύνολον, ἢ κατακεκριμένον, ἀλλ' οὐχὶ τὸν τοιοῦτον ὅς τις ἂν εἴη. τουτέστιν, εἴτε ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἑτέρας τῆς οἱασοῦν ἐκκλησιαστικῆς τάξεως, ἢ καὶ μοναχός, ἢ λαϊκός, εὐσεβῆ καὶ ὀρθόδοξον ἡγῆται, καὶ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ὑπέρμαχον καὶ ἐν αὐτῇ βεβαίως κεκυρωμένον, εἰς ἣν ἐκλήθη παρὰ τοῦ κυρίου τάC ξιν ἐκείνους δὲ τοὺς δυσσεβεῖς καὶ τὰς ἀνόμους αὐτῶν περὶ τούτου κρίσεις, ἤτοι ψήφους κενὰς καὶ ἀκύρους καὶ ἀβεβαίους ὁρίζεται, μᾶλλον δὲ βεβήλους καὶ ἐπαράτους, καὶ ἀποβλήτους, ὁ τοιοῦτος εἴη κατάκριτος.

### XIX.

Si quis ea, quæ ſceleroſi hæretici ſapiunt, indubitanter profeſſus atque intelligens, per inanem proterviam dicit hæc pietatis eſſe dogmata, quæ tradiderunt ab initio ſpeculatores & miniſtri verbi, hoc eſt dicere, ſanctæ & univerſales quinque ſynodi, calumnians utique ipſos ſanctos patres, & memoratas ſanctas quinque ſynodos, in deceptione ſimplicium, vel ſuſceptione ſuæ profanæ perfidiæ, hujuſmodi condemnatus ſit.

### ιθ

Εἴ τις τὰ τῶν ἐναγῶν αἱρετικῶν ὁμολογουμένως φρονῶν καὶ δεξάζων ἐκ προπετοῦς ἀνοίας D ταῦτα λέγει τῆς εὐσεβείας ὑπάρχειν τὰ δόγματα, ἃ παραδεδώκασιν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου γενόμενοι, τουτέστι λέγειν αἱ ἅγιαι καὶ οἰκουμενικαὶ πέντε σύνοδοι, συκοφαντῶν αὐτούς τε τοὺς ἁγίους πατέρας, καὶ αὐτὰς τὰς ἁγίας οἰκουμενικὰς πέντε συνόδους εἰς ἀπάτην τῶν ἀκεραιοτέρων, ἤτοι παραδοχὴν τῆς ἑαυτοῦ βεβήλου κακοπιστίας, ὁ τοιοῦτος εἴη κατάκριτος.

### XX.

[1] Si quis ſecundum ſceleroſos hæreticos quocumque modo, aut verbo, aut tempore, aut loco terminos removens illicite, quos poſuerunt firmius ſancti catholicæ eccleſiæ patres, id eſt, ſanctæ & univerſales quinque ſynodi, novitates temere exquirere, & fidei alterius expoſitiones, aut libellos, aut epiſtolas, aut conſcripta, aut ſubſcriptiones, aut teſtimonia falſa, aut ſynodos, aut geſta monumentorum, aut ordinationes vacuas & eccleſiaſticæ regulæ incogni-

### κ.

Εἴ τις κατὰ τοὺς ἐναγεῖς αἱρετικούς, καθ' E οἷον δήποτε τρόπον, ἢ λόγον, ἢ καιρόν, ἢ τόπον, ὅρια μετακινῶν ἀθεμίτως, ἃ ἔθεντο πατέρες οἱ ἅγιοι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας πατέρες, τουτέστι δὲ λέγειν αἱ ἅγιαι καὶ οἰκουμενικαὶ πέντε σύνοδοι, καινοτομίας τολμηρῶς ἐπινοεῖ, καὶ πίστεως ἑτέρας ἐκθέσεις, ἢ τύπους, ἢ νόμους, ἢ ὅρους, ἢ λιβέλλους, ἢ ἀναφοράς, ἢ ἐπιστολάς, ἢ συγγραφάς, ἢ ὑπογραφάς, ἢ μαρτυρίας ψευδεῖς, ἢ συνόδους, ἢ πράξεις ὑπομνημάτων, ἢ χειροτονίας κενάς, καὶ τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι μὴ ἐγνωσμένας, ἢ τοποτηρησίας, ἤγουν τοπο-

1 Citatur iiſdem verbis in Concilio Oecumenico VIII. Actione VIII & Actione X Can. 6. Hard.

τοποτηρητὰς ἀθέσμους, καὶ ἀκανονίστους, ἢ ἁπλῶς εἴτι περ ἄλλο τοῖς ἀσεβεστάτοις αἱρετικοῖς εἴθισται πράττειν, ἐκ διαβολικῆς ἐνεργείας σκολιῶς καὶ πανούργως ποιεῖ κατὰ τῶν ἀσεβῶν καὶ ὀρθοδόξων τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, τουτέστι δὲ λέγειν τῶν πατρικῶν αὐτῆς καὶ συνοδικῶν κηρυγμάτων, πρὸς ἀνατροπὴν τῆς εἰλικρινοῦς εἰς τὸν κύριον ἡμῶν καὶ Θεὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ὁμολογίας. καὶ μέχρι τέλους ἀμετανοήτως διαμένει τὰ τοιαῦτα δυσσεβῶς ἐνεργῶν. ὁ τοιοῦτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων εἴη κατάκριτος. καὶ ἐρεῖ πᾶς λαὸς, γένοιτο, γένοιτο.

A ſtas, aut loci ſervaturas incongruas & irrationabiles, & compendioſe, ſi quid aliud impiiſſimis hæreticis conſuetum eſt agere, per diabolicam operationem tortuoſe & callide agit contra pias orthodoxorum catholicæ eccleſiæ, hoc eſt dicere, paternas ejus & ſynodales prædicationes, ad everſionem ſinceriſſimæ in dominum Deum noſtrum confeſſionis, & uſque in finem ſine pœnitentia permanet hæc impie agens, hujuſmodi in ſæcula ſæculorum condemnatus ſit, & dicat omnis populus, fiat, fiat.[1]

B

Τούτων τοίνυν εὐσεβῶς παρ' ἡμῶν ὁρισθέντων καὶ σὺν ἀκριβείᾳ πάσῃ κατὰ τὴν τοῦ κυρίου διάταξιν, τὰ μὲν ζιζάνια καὶ πάντας τοὺς ποιοῦντας τὰ σκάνδαλα μετὰ τοῦ ἀχυρώδους αὐτῶν καὶ αἱρετικοῦ φρονήματος τῷ πυρὶ τῆς κανονικῆς ἀποφάσεως ἐξ ἀποστολικῆς αὐθεντίας ἐμβαλόντων ἡμῶν, τὸν δὲ σῖτον τῆς εἰς αὐτὸν ὀρθοδόξου καὶ ἀμωμήτου ἡμῶν τῶν Χριστιανῶν πίστεως εἰς τὴν ἀποθήκην, ἤγουν τὴν ἁγίαν αὐτοῦ καθολικὴν ἐκκλησίαν διὰ τοῦ πτύου τῆς πατρικῆς διδασκαλίας ἀσφαλῶς συναγαγόντων, τοὺς ἐπινικίους αὐτῷ μετὰ τοῦ προφήτου Σοφονίου κατᾴδομεν ὕμνους. χαῖρε σφόδρα θύγατερ Σιὼν, κήρυσσε θύγατερ Ἱερουσαλὴμ, εὐφραίνου καὶ κατατέρπου ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου θύγατερ Ἱερουσαλήμ. περιεῖλε κύριος ἐκ σοῦ τὰ ἀδικήματα τῶν ἀντικειμένων σου, λελύτρωταί σε ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν σου, κύριος βασιλεύσει ἐν μέσῳ σου, οὐκ ὄψει κακὰ οὐκ ἔτι, πάσης ἀποβληθείσης καινοτομίας αἱρετικῆς, καὶ πάσης σοι κυρωθείσης ὀρθοδόξου πίστεως, εἰς κατάσχεσιν ζωῆς αἰωνίου παρὰ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος τῶν ἡμετέρων ψυχῶν, ᾧ δόξα σὺν πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, τιμὴ, κράτος, προσκύνησις, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς σύμπαντας αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν. καὶ ὑπογραφαί.

His itaque a nobis pie promulgatis, & cum omni ſubtilitate, ſecundum dominicam præceptionem, zizania quidem & omnes facientes ſcandala, cum paleato & hæretico intellectu eorum, igni canonicæ ſententiæ ex apoſtolica auctoritate projicientes, triticum autem orthodoxæ & apoſtolicæ fidei noſtræ Chriſtianorum in horreum, id eſt, catholicam eccleſiam, per ventilabrum paternæ doctrinæ firmius congregantes, victrices ei cum propheta Sophonia canimus hymnos: *Gaude nimis, o filia Sion, prædica, o filia Jeruſalem, lætare & exulta ex toto corde tuo filia Jeruſalem. Abſtulit dominus a te iniquitates adverſariorum tuorum, liberavit te de manu inimicorum: dominus in medio tui, non videbis mala ultra*, omni exploſa novitate hæretica, & omni confirmata in te orthodoxa fide, in poſſeſſione vitæ æternæ. Per ipſum Chriſtum dominum ſalvatorem animarum noſtrarum, cui gloria, honor, veneratio, imperium cum Patre & ſancto Spiritu nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. Et ſubſcriptiones.

C

D

Μαρτῖνος χάριτι Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς τῶν Ῥωμαίων ἁγίας τοῦ Θεοῦ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ὁρίσας τὰ προσγεγραμμένα σὺν τῇ παρούσῃ ἁγίᾳ συνόδῳ πρὸς βεβαίωσιν τῆς ὀρθοδόξου πίστεως τῶν ἁγίων πατέρων καὶ τῶν οἰκουμενικῶν πέντε συνόδων, καὶ κατάκρισιν πάντων τῶν ὑπ' αὐτῶν ἀναθεματισθέντων αἱρετικῶν, καὶ πάσης αὐτῶν τῆς ἀσεβοῦς αἱρέσεως, καὶ τῶν νῦν ἀναφανέντων, ἐπὶ ἀνατροπῇ τῆς πίστεως, τουτέστι Θεοδώρου τοῦ γενομένου ἐπισκόπου τῆς Φαρὰν, Κύρου τοῦ Ἀλεξανδρείας, Σεργίου τοῦ Κωνσταντινουπόλεως, καὶ τῶν αὐτοῦ διαδόχων Πύρρου καὶ Παύλου, καὶ πάντων αἱρετικῶν συγγραμμάτων, καὶ τῆς ἀσεβοῦς ἐκθέσεως, καὶ τοῦ ἀσεβοῦς τύπου, τῶν ἀθεμίτως παρ' αὐτῶν κηρυχθέντων, ἰδιοχείρως ὑπέγραψα.

Martinus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ catholicæ atque apoſtolicæ eccleſiæ urbis Romæ, huic definitioni confirmationis orthodoxæ fidei, & damnationis Sergii Conſtantinopolitani quondam epiſcopi, Cyri Alexandriæ antiſtitis, Theodori item epiſcopi, *Pyrrhi atque Pauli item Conſtantinopolitani epiſcopi, cum hæreticis eorum ſcriptis, *ſtatuens ſubſcripſi.

E

Μάξιμος ἐπισκ. Ἀκυλίας. ὁμ.

Maximus epiſcopus ſanctæ Aquileienſis eccleſiæ, ut ſupra.

Δευσδέδιτ ἐπισκ. Καράλεως, ὁμ.

Deuſdedit epiſcopus ſanctæ Caralitanæ eccleſiæ, ut ſupra.

Μαῦρος ἐπίσκοπος Κισηνῆς, καὶ Δευσδέδιτ πρεσβύτερος Ῥαβέννης, τὸν τόπον πληρούντες Μαύρου τοῦ ἐπισκόπου τῆς αὐτῆς Ῥαβεννησίων πόλεως ὁμ.

Maurus Ceſenatis eccleſiæ epiſcopus, & Deuſdedit presbyter, locum agentes Mauri ſanctiſſimi epiſcopi Ravennatis eccleſiæ, ut ſupra.

Σέργιος ἐπισκ. Θεμψάνου, ὁμ.

Sergius epiſcopus ſanctæ Tempſanenſis eccleſiæ, ut ſupra.

Re-

1 Sic eſt in fine epiſt. 83. Theodoreti. *Nardoinus*.

| | |
|---|---|
| Reparatus epiſcopus ſanctæ Manturianenſis eccleſiæ, ut ſupra. | A Ῥεπαράτος ἐπίσκ. Μαντυρίου, ὁμ. |
| Epiphanius epiſcopus ſanctæ Albanenſis eccleſiæ, ut ſupra. | Ἐπιφάνιος ἐπίσκ. Ἀλβανοῦ, ὁμ. |
| Benedictus epiſcopus ſanctæ * Ajacenſis eccleſiæ, ut ſupra. | Βενέδικτος ἐπισκ. Αἰακίου, ὁμ. |
| Julianus epiſcopus ſanctæ * Hortanenſis eccleſiæ, ut ſupra. | Ἰουλιανὸς ἐπισκ. Ὅρτου, ὁμ. |
| Paulinus epiſcopus ſanctæ Vibonenſis eccleſiæ, ut ſupra. | Παττιανὸς ἐπίσκ. Βιβῶνος, ὁμ. |
| Maximus epiſcopus ſanctæ Piſaurenſis eccleſiæ, ut ſupra. | Μάξιμος ἐπισκ. Πισαύρου, ὁμ. |
| Lucianus epiſcopus ſanctæ Leontinenſis eccleſiæ, ut ſupra. | Λουκιανὸς ἐπίσκ. Λεοντίνης, ὁμ. |
| Viator * epiſcopus ſanctæ Hortonenſis eccleſiæ, ut ſupra. | Βιάτωρ ἐπισκ. Ὅρτου. ὁμ. |
| B | |
| Bonitus epiſcopus ſanctæ Formianæ eccleſiæ, ut ſupra. | Βώνιτος ἐπίσκ. Φορμίης, ὁμ. |
| Maioranus epiſcopus ſanctæ Præneſtinæ eccleſiæ, ut ſupra. | Μαιωριανὸς ἐπίσκ. Πραινέστης, ὁμ. |
| Germanus epiſcopus ſanctæ Numanenſis eccleſiæ, ut ſupra. | Γερμανὸς ἐπίσκ. Νουμάνης. ὁμοίως. |
| Laurentius epiſcopus ſanctæ Peruſinæ eccleſiæ, ut ſupra. | Λαυρέντιος ἐπίσκ. Περουσίας, ὁμ. |
| Carolus epiſcopus ſanctæ * Faralitanæ eccleſiæ, ut ſupra. | Κάρολος ἐπίσκ. Φαλάρεως, ὁμ. |
| Marcianus epiſcopus ſanctæ Mebicenſis eccleſiæ, ut ſupra. | Μαρκιανὸς ἐπίσκ. Μεβίας, ὁμ. |
| Barbatus epiſcopus ſanctæ Sutrinæ eccleſiæ, ut ſupra. | Βαρβάτος ἐπίσ. Σουτρίου, ὁμ. |
| Calumnioſus epiſcopus ſanctæ Aleſinæ eccleſiæ, ut ſupra. | C Καλομνίοσος ἐπίσ. Ἀλίσης, ὁμ. |
| Peregrinus epiſcopus ſanctæ Meſſanenſis eccleſiæ, ut ſupra. | Περεγρῖνος ἐπίσκ. Μεσσήνης, ὁμ. |
| Romanus epiſcopus ſanctæ Cerellitanæ eccleſiæ, ut ſupra. | Ῥωμανὸς ἐπίσκ. Κερίλλης, ὁμ. |
| Creſcentius epiſcopus ſanctæ Locrenſis eccleſiæ, ut ſupra. | Κρέσκης ἐπίσκ. Λοκρίδος, ὁμ. |
| Felix epiſcopus ſanctæ Agrigentinæ eccleſiæ, ut ſupra. | Φίληξ ἐπίσκ. Ἀγριγέντου, ὁμ. |
| Marcellinus epiſcopus ſanctæ Cluſinatis eccleſiæ, ut ſupra. | Μαρκελλῖνος ἐπίσκ. Κλουσίου, ὁμ. |
| Geminianus epiſcopus ſanctæ Volaterranæ eccleſiæ, ut ſupra. | Γεμινιανὸς ἐπίσκ. Βολατέρρης. ὁμ. |
| Marinianus epiſcopus ſanctæ Populonienſis eccleſiæ, ut ſupra. | Μαρινιανὸς ἐπίσκ. Ποπουλωνίου, ὁμ. |
| D | |
| Luminoſus epiſcopus ſanctæ Tiberniſtiberinorum eccleſiæ, ut ſupra. | Λουμινοσος ἐπίσκ. Τιβέρνου ὁμ. |
Ex editione Jacobi Merlini, & antiqua Colle&tione.

FRATERNITATIS tuæ ſtudio pietatis congeſtam epiſtolam ſuſcipientes, animos noſtros relevari cognoſcimus. Quippe quoniam hujus ſæculi fluctivagas atque tranſitorias deſpicientem oblectationes, illa quæ perpetua & ſublimia dona pro domini Dei noſtri obſequiis tribuuntur, appetere certum eſt. Ex relatione igitur, juxta tenorem tuæ fraternitatis epiſtolæ, præſentium latoris, laborum tuorum certamen cognovimus: ex quibus cœleſtis patriæ aſcenſu, humilitatis mentibus, atque contritis corporibus, vobis futurorum gaudiorum largienda ſunt munera. Nam cum ſit nulli omnino comparationi coæquandum, quod a creatore noſtro pro bonis ſervitiis repenſatur, dum brevi, atque parvo temporis ſpatio finiuntur labores, quos pro dilectione ipſius ſuſtinemus, conſideratione refrigerii nos oportet libenti animo tolerare præſentis vitæ anguſtias. Sed quantum nobis laborum veſtrorum operatio magnam gaudii ubertatem inducit, tantum pro duritia ſacerdotum gentis illius conterimur, quod poſtpoſitis ſalutis ſuæ ſuffragiis, atque redemptoris noſtri contemnendo ſervitia, vitiorum * fœtoribus ingravantur: quibus ad præparandam ſalutem [1] quandoquidem tantum nos neceſſe eſt importunis prædicationibus imminere, quantum nos perfectæ negotiationis creditorum nobis talentorum duplicat aſſignatio atque dominicæ vocis ad ſuſcipiendam ejus requiem perſuadet aſſertio. Suggeſtum eſt namque nobis, eo quod presbyteri, ſeu diaconi, aliique ſacerdotalis officii, poſt ſuas ordinationes in lapſu coinquinantur. & propterea nimio mœrore fraterni-

* fœderibus

1 Hic deeſſe aliquid videtur. Hard.

nitatem tuam adſtringi, velleque paſtorale obſequium pro eorum inobedientia deponere, & vacationem ab epiſcopatus laboribus eligere, & in ſilentio atque otio vitam degere, quam in his quæ tibi commiſſa ſunt permanere, dicente domino: *Beatus qui*

*Matth. 10. 22. & 24. 13. 2 Tim. 3. 12.*

*perſeveraverit uſque in finem*. Unde namque beata perſeverantia, niſi de virtute patientiæ? quia ſecundum apoſtolicam prædicationem, *Omnes qui voluerint in Chriſto pie vivere, perſecutiones patientur*. Ideoque, frater cariſſime, non vos afflictionum amaritudo a pio mentis veſtræ propoſito coarctet recedere, conſiderans quanta pro abſolutione noſtri & liberatione creator dominuſque noſter pertulerit, quibuſque ſe contumeliis afficiendum tradiderit, ut nos a vinculis diabolicæ poteſtatis liberaret. Propterea nullatenus in hujuſmodi peccato delinquentibus ad deſtructionem canonum compaſſionem exhibeas. Nam qui ſemel poſt

*Diſtinct. 1. Qui ſemel poſt.*

ſuam ordinationem in lapſum ceciderit, deinceps jam depoſitus erit, nullumque gradum ſacerdotii poterit adipiſci: ſed ſufficiat ei lamentationibus fletibuſque aſſiduis quouſque advixerit in eadem pœnitentia perdurare, ut commiſſum delictum divina gratia extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad ſacros ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium mentes & corpora præpediat: quanto magis, ſi poſt ordinationem ſuam quiſpiam in lapſum ceciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnino prohibendus eſt cum manibus lutulentis atque pollutis myſterium noſtræ ſalutis tractare? Sitque hujuſmodi ſemper, juxta ſacrorum canonum ſtatuta, in hac vita depoſitus; ut ab illo qui mentis interiora ſcrutatur, nullamque de ovibus errare congaudet, dum aſpexerit ſinceram pœnitentiam ejus, in terribili judicio habeat reconciliatum. Ideoque iterum hortamur caritatem tuam, exemplo ejus qui pro nobis pati & mori voluit, promptos vos in cunctis ejus ſervitiis permanere. Neque pigeat * vos temporales cruciatus pro

** Edit. Rom. habet nos.*

Chriſti nomine ſuſtinere: ſed emolumenta futuræ remunerationis hujus ſæculi vexationes tolerare perſuadeant. Scriptum namque eſt: *Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen domini invocabo*. Tantum enim a nobis exigitur, quantum poſſumus famulatus noſtri obſequio commodare. Cumque cuncta quæ nobis ad confortandos fraternitatis veſtræ animos poterant miniſtrari, largiente ſupernæ majeſtatis clementia vobis ſint procul dubio manifeſta, reſtat ut de aliis quæ nos per ſua ſcripta conſuluit, fraternitati veſtræ ſignificemus.

Credimus etenim ad vos perveniſſe, quomodo in conturbatione rectæ fidei, & catholicæ eccleſiæ conculcatione, ante hos annos plus minus quindecim, a Sergio falſo epiſcopo Conſtantinopolitano, in auxilio habente tunc imperantem Heraclium, execranda & abominanda hæreſis pullulavit, Apollinariſtarum & Severianorum, Eutychianiſtarum atque Manichæorum errorem renovans: quam ſucceſſor ejus Pyrrhus, idemque epiſcopus, qui ambitionis faſtu Conſtantinopolitanam ſedem arripuit, in deterius auxit. Pro qua re ſæpius apoſtolica



A ſedes perſuationibus, conteſtationibus, atque increpationibus plurimis admonuit eos, quatenus ab ejuſmodi errore recederent, & ad lumen pietatis ex quo lapſi ſunt, remearent. Et non ſolum hoc facere nullatenus voluerunt: ſed & nunc ſucceſſor ejus Paulus, temerator fidei, epiſcopus Conſtantinopolitanus, aliud nequius excogitavit in præjudicium catholicæ fidei conamen, quaſi quæ a deceſſoribus ſuis hæretice expoſita fuerunt deſtruens; & imperialem typum, ſacrilego auſu, totius plenum perfidiæ, a clementiſſimo principe noſtro fieri perſuaſit, in quo promulgatum eſt, ut omnes populi Chriſtiani credere debuiſſent. Ideo-
B que neceſſe habuimus, ne pro quadam negligentia & animarum detrimento quæ nobis commiſſæ ſunt, culpæ reatu adſtringamur, cœtum generalem fratrum & coepiſcoporum noſtrorum in hac Romana civitate congregare. In quorum præſentia memoratorum hæreticorum ſceleroſa conſcripta examinata, atque denudata ſunt, & apoſtolico mucrone, patrumque definitionibus, uno ore unoque ſpiritu condemnavimus; ut cognoſcentes univerſi errorem qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. Unde prævidimus volumina geſto-
C rum ſynodalium in præſenti vobis dirigere, una cum encyclia noſtra. Ex quorum ſerie omnia ſubtiliter poteſtis addiſcere & tenebras illorum nobiſcum, ut filii lucis, extinguere. Idcirco ſtudeat fraternitas tua omnibus eadem innoteſcere, ut tam abominandam hæreſim nobiſcum execrentur, quamque ſuæ ſalutis ſacramenta addiſcere valeant, atque ſynodali conventione omnium fratrum & coepiſcoporum noſtrorum partium illarum effecta, ſecundum tenorem encycliæ a nobis directæ ſcripta una cum ſubſcriptionibus veſtris nobiſmet deſtinanda concelebrent, confirmantes atque conſentientes eis quæ pro orthodoxa fide & deſtructione hæreticorum veſaniæ nuper ex-
D ortæ a nobis ſtatuta ſunt. Et [a] Sigebertum præcellentiſſimum filium noſtrum regem Francorum, pro ſuæ Chriſtianitatis remedio conſultiſſime admone atque precare, dirigere nobis ex corpore fratrum noſtrorum dilectiſſimos epiſcopos, qui ſedis apoſtolicæ legatione, divina concedente propitiatione, ſungi debeant & quæ in noſtro concilio peracta ſunt, cum * his ſynodalibus apicibus veſtris, ad clementiſſimum principem noſtrum ſine dubio [b] aſportare: ut noſtrorum laborum particeps effectus,

** Edit. Rom. cum aliis ſynodalibus apicibus veſtris.*

mercedis cumulum adipiſci valeat, & ſui regni protectorem inveniat eum, cujus cauſa flagitari dignoſcitur. Hoc namque & in ejus epiſtola exhortari eum cognovimus. Reliquias ve-
E ro ſanctorum, de quibus præſentium lator nos admonuit, dari præcepimus. Nam codices jam exinaniti ſunt a noſtra bibliotheca, & unde ei dare nullatenus habuimus: tranſcribere autem non potuit, quoniam feſtinanter de hac civitate regredi properavit. His igitur prælibatis, quæ a nobis per epiſtolam vobis ſcripta ſunt, effectui mancipari fraternitatem veſtram hortamur. Deus te incolumem cuſtodiat, dilectiſſime frater.

## NOTÆ IACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Martini papæ epiſtola.*) Synodum Romanam Martini papæ adverſus Monothelitas, cujus acta cum hac epi-

epiſtola in Galliam miſſa ſunt, celebratam conſtat men- A
ſe Octobri, anno Chriſti DCLIX. Scripta igitur epiſto-
la vel eodem mox anno exeunte, vel initio ſequentis.
a *Sigebertum regem.* ) Dagoberti nempe filium, qui
in Auſtraſia regnabat. Ex actis porro vitæ ſancti Eli-
gii lib. 1. cap. 33. liquet eadem geſta ſynodalia ad Clo-
doveum quoque regem Sigeberti fratrem miſſa, qui in
Neuſtria & Burgundia, hoc eſt in altera Francici regni
parte imperabat.

## NOTÆ SEVERINI BINII.

Cauſa ſynodi quæ.

a *Concilium.* ) Poſtquam Conſtans imperator electio-
nem ſancti Martini more ſolito confirmaſſet, ab eoque
in ſignum gratitudinis exegiſſet, ut promulgatam a ſe
perfidiam pontifex ſuo conſenſu ſuaque ſubſcriptione
approbaret, non modo impium aliquod petenti im era-
tori non conſenſit, ſed potius in contrarium niſus ſy-
nodum indixit, in qua promulgatam perfidiam conde-
mnavit. Cauſa igitur primaria hujus ſynodi cogendæ B
non tam fuit, ut Sergius, Pyrrhus & Paulus jam an-
tea condemnati, iterato judicio damnarentur, quam ut
recens credendi formula ab imperatore ſuo edicto (quod

5 Maximus ſynodum fieri poſtulavit.

typum nominavit) propoſita, omnino proſcriberetur,
atque anathemati ſubjiceretur. Sanctum Martinum pon-
tificem ad hanc ſynodum convocandam, a ſancto Ma-
ximo abbate inductum eſſe, ſcribit Theophanes anno
19. Heraclii, his verbis. *Cum autem Maximus Romam
pervenisset, papamque Martinum ad æmulationem accen-
diſſet, ſynodo centum decem epiſcoporum collecta, Ser-
gium, Pyrrhum, Cyrum & Paulum anathematizave-
runt*, &c. Quod in actis concilii nulla mentio reperia-
tur Maximi, mirum videri non debet, cum abbates
etiamſi ad ſynodum admitterentur, non decidendi &
ſubſcribendi, ſed tantum conſulendi facultatem habe-
rent. Hæc ſancta ſynodus tantæ eſt amplitudinis, digni-
tatis ac majeſtatis, ut ad plenam fidei catholicæ pro-

Auctoritas concilii quanta.

feſſionem, poſt quinque univerſalium ſynodorum aſſer-
tionem, hujus quoque confeſſionem uſque ad plenam C
ſexti œcumenici concilii promulgationem fideles adjicere
ſolerent. Conſtat illud ex ſynodo Anglicana ſub Theo-
doro archiepiſcopo celebrata apud Bedam lib. 5. hiſt.

Actorum plura exemplaria Græca & Latina.

Anglic. cap. 17. quam infra collocatam invenies ſub A-
deodato papa. Acta ſynodalia integra extant Græce
Latine ſcripta, eo quod non tantum in archivio ſedis
apoſtolicæ illa ſervata fuerint, ſed quia plurima ex pro-
totypo confecta ſunt exemplaria, quæ ab eodem ponti-
fice miſſa ſunt in omnes provincias orientis & occiden-

nunc primum a nobis Græce edita.

tis. Id quidem teſtatur Anaſtaſius in vita Martini,
idemque ab eodem pontifice aſſeri videtur in epiſtola ad
Amandum, cum non ſynodalem tantum epiſtolam more
majorum ad eum miſit, ſed ipſa integra ſynodalia acta.
Continet ipſa ſynodus quinque ſecretarios ſive conſulta-
tiones, ſeſſiones, vel actiones.

Prima conſultationis compendioſa relatio.

Horum primo III. Nonas Octobris celebrato præpa-
ratis per primicerium notariorum ad bellandum animis
epiſcoporum, ſanctus Martinus papa ad ſynodum ora-
tionem habuit, qua oſtendit per hæreſim Monothelita-
rum myſterium incarnationis everti, nominatiſque præ- D
dictæ hæreſeos auctoribus, Cyro Alexandrino, Sergio,
Pyrrho & Paulo Conſtantinopolitanis epiſcopis, aucto-
ritate S. Scripturæ & SS. patrum, catholicum dogma
confirmavit: quæque ab adverſariis adducta erant, do-
cte & ſolide refutavit, eo ipſo, quod poſita una vo-
luntate, una inferatur natura, adeoque totum incarnati
verbi myſterium deſtruatur. Poſt hæc lecta eſt epiſtola
Mauri epiſcopi Ravennatis, quam per legatos epiſcopi
Cæſenatis ad ſynodum deſtinaverat. Qua cum ille ab-
ſentiam ſuam per incurſiones barbaricas excuſaſſet, fi-
deique catholicæ profeſſionem emiſiſſet, Martinus papa
de duabus in Chriſto voluntatibus & operationibus di-
ſertam diſputationem adhibuit: qua abſoluta, audita-
que ſuggeſtione Deuſdedit epiſcopi, finis impoſitus eſt
primo ſynodi ſecretario.

Secunda conſultationis ſuccincta enarratio.

Secundus ſecretarius habitus eſt octavo Idus Octobris,
quo dum Martinus papa de qualitate judicii eccleſiaſtici
paucula præfatus fuiſſet, oblati ſunt duo libelli; alter a
Stephano Dorenſi epiſcopo ſediſque apoſtolicæ in Palæ-
ſtina vicario: alter ab abbatibus, presbyteris & mona-
chis Græcis. Petebatur in utroque ut impii hæretici
cum ſua hæreſi, cumque abominabili typo ſub imperato-
ris nomine promulgato damnarentur. His auditis, juſſa
ſunt edi ſcripta eorum qui prædeceſſori Theodoro papæ
adverſus eoſdem hæreticos querelarum libellos obtule-
rant. Primum lecta ſunt Sergii epiſcopi cujuſdam in
Cypro: deinde epiſtolæ Africanorum epiſcoporum,
quas ad Theodorum papam, Conſtantem imperatorem,
& Paulum Conſtantinopolitanum tranſmiſerant.

Tertiæ conſultationis compendium.

Tertia conſultatio celebrata fuit 16. Kalend Novem-
bris. In hac Martinus pontifex præmiſit, quo ſtudio,
quave vigilantia & cura mandato Dei hæreſibus reſiſtere

A debeat is, qui univerſæ eccleſiæ præeſt. His præviis,
juſſu ejuſdem pontificis eduntur ſcripta Theodori Pha-
ranitæ epiſcopi de una voluntate & operatione. Ad hæc
confutanda, ſanctorum patrum ſententiæ in medium al-
latæ ſunt. Deinceps novem capitula Cyri Alexandrini
cum epiſtola, quam Sergius Conſtantinopolitanus ad
ipſum ſcripſerat, recitata fuerunt. Et quoniam Cyrus
teſtimonio ſancti Dionyſii ſuam ſententiam confirma-
bat, juſſus eſt afferri codex Dionyſii, legique ejus epi-
ſtola ad Cajum, in qua deivirilem Chriſti operationem
appellat. Interlocutus ſanctus Martinus papa, detecta
hæreticorum fraude, textum Dionyſii corrupte citan-
tium, oſtendit, quod cum Dionyſius Areopagita dixiſ-
ſet, novam deivirilem operationem, loco *novam*, illi
*unam* dixerint, ejectaque voce *deivirilis*, unam in Chri-
ſto operationem dumtaxat aſſeruerint, juſſa ſunt etiam
legi ſcripta Themeſtii hæretici, de una operatione ex
Dionyſii deivirilis operationis male accepta ſententia.
Quæ cum lecta fuiſſent, Martinus papa Dionyſium per
deivirilem operationem non unam, ſed unius perſonæ
B duas, humanam ſcilicet & divinam, ſignificare voluiſ-
ſe, pluribus oſtendit. Idem per Sophronium Hieroſo-
lymitanum epiſcopum ante detectum, & in hæreticos
objectum, male vero a Pyrrho excuſatum fuiſſe, Deuſ-
dedit Calaritanus epiſcopus interlocutione ſua demon-
ſtravit. His peractis, juſſa eſt edi ecteſis Sergii Con-
ſtantinopolitani epiſcopi, nomine Heraclii imperatoris
edita & promulgata: addita eſt lectio epiſtolarum,
quas pro confirmatione prædictæ ectheſeos Sergius ad
Cyrum, & contra Cyrus ad Sergium reddidit.

Quarta conſultationis compendium.

Quarta conſultatione Martinus papa ectheſim Hera-
clii, ejuſque defenſores Sergium, Cyrum & Pyrrhum
fortiſſimis rationibus impugnavit, addiditque de Paulo,
qui typum edendum propoſuit, judicium peragi. Juſſæ
igitur ſunt literæ ipſius Pauli ad Theodorum Roma-
num pontificem recitari, ex quibus refractarius illius
animus cognitus fuit. His adiecta eſt lectio typi, quem
cum ſancta ſynodus ſubdolum, inconſtantem, menda-
cem atque in omnibus impium eſſe reperiſſet, eumdem
condemnavit. His pravis germinibus avulſis, juſſu ſan-
C ctiſſimi pontificis Nicænum & Conſtantinopolitanum ſym-
bolum, duodecim anathematiſmi concilii Epheſini, defi-
nitio fidei catholicæ facta in Chalcedonenſi concilio, &
quatuordecim capita quintæ ſynodi recitata fuerunt.
Quibus lectis, nomine totius ſynodi locutus eſt Maxi-
mus Aquilejenſis epiſcopus, pluraque in commendatio-
nem conciliorum, & in deteſtationem hæreſeos ejuſque
ſectariorum inculcavit: quæ vero a ſanctis patribus pro
catholica veritate ſcripta fuerunt, in ſequentem conſul-
tationem rejecit.

Quintæ conſultationis compendium

Quinta & ultima conſultatione, quam pridie Kal.
Novemb. habuerunt, hortatu Martini papæ, allata
ſunt volumina ſanctorum patrum, ex quibus patres
concilii velut e pharetra ſagittas, quibus adverſarii fe-
rirentur, acceperunt. Deinde juſſa ſunt legi veterum
hæreticorum ſcripta eo fine, ut recentiores hæreticos
convincerent, qui ſe patres orthodoxos ſequi, concilia
tueri & antiquorum hæreticorum ſententias de fide ne-
quaquam ſectari, ad decipiendum ſimpliciores, mentie-
D bantur. Poſt fidem orthodoxam de vera Verbi incar-
natione ſtabilitam, ad confutandas adverſariorum aſſer-
tiones, viginti canones ſanciverunt; quibus ſingulis ad
finem appoſita eſt condemnatio eorum qui ſecus ſenti-
rent. Demum vero poſt hæc ſecuta eſt omnium epiſco-
porum ſubſcriptio, cui tanquam appendix addita poſtea
fuit ſubſcriptio trium aliorum epiſcoporum, nempe Joan-
nis epiſcopi Mediolanenſis, Juſtini epiſcopi Calaritani,
& Malliodori Dertonenſis epiſcopi. Abſoluta ſynodo,
ſcripta eſt a ſancto Martino Romano pontifice & con-
cilio epiſtola ſynodalis & encyclica ad omnes Chriſti fi-
deles, de rebus pro fide catholica in hac ſynodo geſtis.
Exemplaria ſynodalium actorum ad ſingulos fere epiſco-
pos tranſmiſſa fuerunt, ut conſtat ex ea epiſtola, quam
Martinus papa ad Amandum Trajectenſem epiſcopum
reddidit. Hæc de ſynodo Lateranenſi compendioſe ex-
cerpta ſunt ex Baronii annalibus anno 649. num. 1.
& ſeq.

b *Lateranenſe.* De Lateranenſi eccleſia & palatio,
E vide quæ notavi ſupra ſub Melchiade.

Numerus epiſcoporum quantus.

c *Centum quinque epiſcopi.* ) Tantus eſt numerus eo-
rum, qui in fine conſultationis quintæ ſubſcripſiſſe re-
periuntur. Centum & decem epiſcopos interfuiſſe huic
concilio, ſcribit Theophanes verbis ſupra enarratis

Tempus concilii.

d *Anno domini* 649. &c. ) Conſtat ex initio actorum
concilii, ubi dicitur hæc ſynodus celebrata anno nono
Conſtantis, indictione octava, quæ tempora cum anno
redemptoris noſtri Jeſu Chriſti 649. initio pontificatus
ſancti Martini coincidunt.

Quid de hac ſub Martino I. papa Lateranenſi ſy-
nodo annotet auctor libelli ſynodici obſervavimus ſu-
pra 610. pag. quam lector conſulat ante concilium To-
letanum quartum.

CON-

# CONCILIUM CABILONENSE

ANNO CHRISTI circ. 650.

ANNO CHRISTI circ. 650.

## CLODOVÆI II. REGIS EVOCATIONE

VIII. Kalendas Novembris in urbe Cabilono in baſilica S. Vincentii celebratum, circa annum Chriſti DCL. a Martini Papæ II. Clodovei ejuſdem regis VI.

Edidit P. Sirmondus ex MSS. Bellovacenſi, Pithœano, & Tiliano.

### TITULI CANONUM.

I. *Ut fidei Nicænæ norma in omnibus conſervetur.*

II. *Ut canonum ſtatuta ſerventur.*

III. *De clericorum cum extraneis fœminis familiaritate fugienda.*

IV. *Ne duo in civitate una eodem tempore habeantur epiſcopi.*

V. *Ut ſeculares nondum clerici, parochias aut earum res non regant.*

VI. *Nemo ante audientiam res eccleſiæ invadere præſumat.*

VII. *Res defuncti presbyteri, vel abbatis, intacta permaneant.*

VIII. *De pœnitentia peccatorum a ſacerdotibus indicenda.*

IX. *Ne mancipia Chriſtiana extra regni terminos vendantur.*

X. *Ut epiſcopi a comprovincialibus, clero, & civibus ſuis eligantur.*

XI. *Ut judices publici per monaſteria & parochias, niſi invitati non diſcurrant.*

XII. *Ut duo abbates in uno monaſterio non ſint.*

XIII. *Ut nullus alienum clericum retineat, nec ordinet, ſine epiſcopi ſui voluntate.*

XIV. *De oratoriis per villas potentum, ut clerici qui his deſerviunt in epiſcopi libera ſint poteſtate.*

XV. *Ut abbates & monachi ſæculari patrocinio non utantur, & principem ſine epiſcopi ſui permiſſu non adeant.*

XVI. *Ut nemo ad ſacros ordines per præmium promoveatur.*

XVII. *Ut nullus ſæcularium in eccleſia, vel in ipſius atrio ſcandalum aut ſimultates excitare præſumat.*

XVIII. *Ut die dominico ruralia opera nemo exerceat.*

XIX. *Ne turpia vel obſcœna in baſilicis, aut in earum porticibus & atriis, cantari permittantur.*

XX. *De Agapio & Bobone Dinienſis urbis epiſcopis.*

### PRÆFATIO.

PRiſcis quidem canonibus noſcitur inſtitutum, ut metropolitani cum eorum comprovincialibus, per ſingulos annos debeant in ſynodali conjungi Deo propitiante concilio. Sed nunc tam ex communi omnium voluntate, quam ex evocatione vel ordinatione glorioſiſſimi domini Clodovei regis, pro zelo religionis, vel orthodoxæ fidei dilectione in Cabilonenſi urbe in eccleſia ſancti Vincentii pariter conglobati, ipſius ſancti martyris interceſſionem poſcentes, ut longævitatem ſupradicti principis ſuo ſuffragio mereremur, & inſpiratione divina interveniente, de canonibus ſignificaretur, quod ſi fuiſſet aliquid prætermiſſum, vel per negligentiam, aut ignorantiam vitiatum, in priſtinum ſtatum, ſicut dudum fuerat a ſanctis patribus ſtatutum, deberet auxiliante Chriſto domino reformari.

### CANONES.

I.

Ita omnes una conſpiratione & connivente animo ſentientes definivimus, ut fidei norma, ſicut in Nicæno concilio pia eſt profeſſione firmata, vel a ſanctis patribus tradita, atque ab ipſis expoſita, vel in poſtmodum a ſancto etiam Chalcedonenſi concilio firmata, in omnibus & ab omnibus conſervetur.

II.

Canonum vero ſtatuta ab omnibus intemerata ſerventur.

III.

Licet jam prioribus canonibus fuerit ſtatutum, placuit tamen renovare, ut ſi quis epiſcopus, presbyter, aut diaconus, vel quicumque ex ſacerdotali catalogo, præter perſonas quæ in ipſis canonibus continentur, cum qualicumque extranea muliere familiaritatem habere præſumpſerit, quæ dedecoris vel adulterii poſſit afferre ſuſpicionem, juxta ſtatuta canonum ab ordine degradetur.

IV.

Ut duo in una civitate penitus uno tempore nec ordinentur, nec habeantur epiſcopi, ne res eccleſiæ ſæva diviſione debeant partiri.

V.

Sæculares vero, qui necdum ſunt ad clericatum converſi, res parochiarum, vel ipſas parochias minime ad regendum debeant habere commiſſas.

VI. Ut

a Hujus Concilii epocha incerta. Ante menſem Septembrem anni 656. habitum fuiſſe certum eſt, inquit Pagius ad an. Chr. 662. n. 3. cum paulo poſt fato functus fuerit Clodoveus II. Imo ante finem anni 653. quo Cli-placenſi conventui interfuit Landericus Pariſienſis Epiſcopus ſucceſſor Audoberti, qui ad hanc Cabilonenſem Synodum Deputatum miſit; ſed & ante an. 652. quo Landericus privilegium libertatis pro Monaſterio Sancti Dionyſii emiſit.

### VI.

Ut nullus ante audientiam res quarumlibet eccleſiarum invadere, aut auferre præſumat: quod qui fecerit, ut necator pauperum habeatur.

### VII.

Ut defuncto presbytero, vel abbate, nihil ab epiſcopo auferatur, vel archidiacono, vel a quocumque, de rebus parochiæ, vel xenodochii, vel monaſterii aliquid debeat minuere. Quod qui fecerit, juxta ſtatuta canonum debeat coerceri.

### VIII.

De pœnitentia vero peccatorum, quæ eſt medela animæ, utilem * hominibus eſſe cenſemus: & ut pœnitentibus a ſacerdotibus data confeſſione indicatur pœnitentia, univerſitas ſacerdotum noſcitur conſentire.

* omnibus.

### IX.

Pietatis eſt maximæ & religionis intuitus, * ut * captivitatis vinculum omnino a Chriſtianis redimatur. Unde ſancta ſynodus noſcitur cenſuiſſe, ut nullus mancipium extra fines vel terminos, qui ad regnum domini Clodovei regis pertinent, penitus * debeat venundare: ne, quod abſit, per tale commercium, aut captivitatis vinculo, vel, quod pejus eſt, Judaica ſervitute mancipia Chriſtiana teneantur implicita.

* a captivitatis vinculo animæ a Chriſticolis redimantur.

* non

### X.

Si quis epiſcopus de quacumque fuerit civitate defunctus, non ab alio niſi a comprovincialibus, clero, & civibus ſuis, alterius habeatur electio; ſin aliter hujuſmodi ordinatio irrita habeatur.

### XI.

Pervenit ad ſanctam ſynodum, quod judices publici contra veternam conſuetudinem per omnes parochias, vel monaſteria, quæ mos eſt epiſcopis circuire, ipſi illicita præſumptione videantur diſcurrere; etiam & clericos vel abbates, ut eis præparent, invitos atque diſtrictos ante ſe faciant exhiberi: quod omnimodis nec religioni convenit, nec canonum permittit auctoritas. Unde omnes unanimiter cenſuimus ſentientes, ut deinceps iſta debeant emendare: & ut præſumptione, vel poteſtate qua pollent, excepta invitatione abbatis vel archipresbyteri, in ipſa monaſteria vel parochias, aliquid fortaſſe præſumpſerint, a communione omnium ſacerdotum eos convenit ſequeſtrari.

### XII.

Ut duo abbates in uno monaſterio eſſe non debeant; ne ſub obtentu poteſtatis ſimultas inter monachos, & ſcandala generentur. Verumtamen ſi quilibet abbas ſibi elegerit ſucceſſorem, ipſe qui * eligitur, de facultatibus ipſius monaſterii ad regendum nullam habeat poteſtatem.

* elegi.

### XIII.

Ut nullus alterius clericum retinere præſumat, ſicut priſcis eſt canonibus ſtatutum, nec ad ſacrum ordinem ſine voluntate epiſcopi ſui penitus promovere.

### XIV.

Nonnulli ex fratribus & coepiſcopis noſtris reſidentibus nobis in ſancta ſynodo in querimoniam detulerunt, quod oratoria per villas potentum jam longo conſtructa tempore, & facultates ibidem collatas, ipſi quorum villæ ſunt epiſcopis contradicant, & jam nec ipſos clericos, qui ad ipſa oratoria deſerviunt, ab archidiacono coerceri permittant: quod convenit emendari; ita dumtaxat ut in poteſtate ſit epiſcopi, & de ordinatione clericorum, & de facultate ibidem collata, qualiter ad ipſa oratoria & officium divinum poſſit impleri, & ſacra libamina conſecrari. Quod ſi quis contradixerit, juxta priſcos canones communione privetur.

### XV.

Ut abbates & monachi, aut agentes monaſteriorum, patrocinio ſæculari penitus non utantur: nec ad principis præſentiam ſine epiſcopi ſui permiſſu ambulare audeant. Quod ſi fecerint a ſuis epiſcopis excommunicentur.

### XVI.

Ut nullus epiſcopus, neque presbyter, vel abbas, ſeu diaconus per præmium ad ſacrum ordinem amodo penitus accedat. Quod qui fecerit, ipſo honore, quem præmiis comparare præſumpſerit, omnino privetur.

### XVII.

Et quia multa per præſumptionem proveniunt, quæ Deo minus placita, & ſacris canonibus videntur eſſe contraria, quæ a ſacerdotibus neceſſe eſt coerceri, ita ſancta ſynodus inſtituit, ut nullus ſæcularium, nec in eccleſia, nec infra atrium ipſius eccleſiæ, qualecumque ſcandalum, aut ſimultates penitus excitare præſumat; nec arma trahere, aut quemcumque ad vulnerandum vel interficiendum penitus appetere. Quod ſi quis fortaſſe præſumpſerit, ab epiſcopo loci illius, ubi factum fuerit, ipſe juxta ſtatuta canonum communione privetur.

### XVIII.

Licet generaliter ab omnibus catholicis, & Deum timentibus diem dominicum, quod eſt prima ſabbati, convenit obſervari, & ſicut in ſuperioribus canonibus eſt ſtatutum: non aliquid novi condentes, ſed vetera renovantes inſtitui-

tuimus, ut in ipſo die dominico ruralia A opera, id eſt arare, ſecare, meſſes metere, exartos facere, vel quidquid ad ruris culturam pertinet, nullus penitus præſumat. Quod qui inventus fuerit faciens, ſub diſciplina diſtrictionis omnimodis corrigatur.

## X I X.

Multa quidem eveniunt, quæ dum levia minime corriguntur, ſæpius majora conſurgunt. Valde enim omnibus noſcitur eſſe indecorum, quod per dedicationes baſilicarum, aut feſtivitates martyrum, ad ipſa ſolennia confluentes B * chorus fæmineus turpia quidem & obſcœna cantica decantare videntur, dum aut orare debent, aut clericos pſallentes audire. * Unde convenit, ut ſacerdotes loci talia a ſeptis baſilicarum, vel porticibus ipſarum, ac etiam ab ipſis atriis vetare debeant & arcere. Et ſi voluntarie noluerint emendare, aut excommunicari debeant, aut diſciplinæ aculeum ſuſtinere.

* hæ duæ voces in c. H. abſunt.

* tum chorus fœmineus turpia quidem decantare videtur

## X X.

Agapium vero & Bobonem Dinienſis C urbis epiſcopos, pro eo quod ipſos contra ſtatuta canonum in multis conditionibus erraſſe vel deliquiſſe cognovimus, ipſos juxta tenorem canonum ab omni epiſcopatuum ordine decrevimus degradare.

## SUBSCRIPTIONES.

Candericus epiſcopus eccleſiæ Lugdunenſis, his conſtitutionibus ſubſcripſi.

Landalenus epiſcopus eccleſiæ Viennenſis, his conſtitutionibus ſubſcripſi.

D Audoenus epiſcopus eccleſiæ Rothomagenſis, his conſtitutionibus ſubſcripſi.

Armentarius epiſcopus eccleſiæ Senonicæ, his conſtitutionibus ſubſcripſi

Vulſoledus eptſcopus eccleſiæ Bituricæ, his conſtitutionibus ſubſcripſi.

Donatus epiſcopus eccleſiæ Veſontienſis, his conſtitutionibus ſubſcripſi.

Rauracus epiſcopus eccleſiæ Nivernenſis ſubſcripſi.

Deodatus epiſcopus eccleſiæ Matiſconenſis ſubſcripſi.

Pappolus epiſcopus eccleſiæ Genavenſis ſubſcripſi.

E Palladius epiſcopus eccleſiæ Autiſiodorenſis ſubſcripſi.

Ferreolus epiſcopus eccleſiæ Auguſtodunenſis ſubſcripſi.

Bertoaldus epiſcopus eccleſiæ Lingonicæ ſubſcripſi.

Audo epiſcopus eccleſiæ Aurelianenſis ſubſcripſi.

Malardus epiſcopus eccleſiæ Carnotinæ ſubſcripſi.

Aurelianus epiſcopus eccleſiæ Ventienſis ſubſcripſi.

Baudomeris epiſcopus eccleſiæ Tarantaſienſis ſubſcripſi.

A ſ Protaſius epiſcopus eccleſiæ Sedunenſis ſubſcripſi.

Ingildus epiſcopus eccleſiæ Valentinæ ſubſcripſi.

Clarus epiſcopus eccleſiæ Gratianopolitanæ ſubſcripſi.

Gratus epiſcopus eccleſiæ Cabilonenſis ſubſcripſi.

* Florentinus epiſcopus eccleſię Bellicenſis ſubſcripſi.

* Florentius.

Ætherius epiſcopus eccleſię Ebredunenſis ſubſcripſi.

ſ Magnus epiſcopus eccleſię.

ſ Betto epiſcopus eccleſię Tricaſtinenſis ſubſcripſi.

Potentiſſimus epiſcopus eccleſię Vappicenſis B ſubſcripſi.

Arricus epiſcopus eccleſię Lauſanenſis ſubſcripſi.

Claudius epiſcopus eccleſię Regenſis ſubſcripſi.

ſ Licerius epiſcopus eccleſię Vindauſcenſis ſubſcripſi.

Petronius epiſcopus eccleſię Vaſionenſis ſubſcripſi.

Bertefredus epiſcopus eccleſię Ambianenſis ſubſcripſi.

Eligius epiſcopus eccleſię Noviomenſis ſubſcripſi.

Deocarius epiſcopus eccleſię Antipolitanę ſubſcripſi.

C Leborius epiſcopus eccleſię Maurianenſis ſubſcripſi.

Charibonus epiſcopus eccleſię Conſtantinę ſubſcripſi.

Amlacarius epiſcopus eccleſię Sagenſis ſubſcripſi.

Launobodus epiſcopus eccleſiæ Lexovienſis ſubſcripſi.

Ragnericus epiſcopus eccleſię Ebroicenſis ſubſcripſi.

ſ Betto epiſcopus eccleſię de Juliobona ſubſcripſi.

Betto abba in vicem Latini epiſcopi eccleſię Turonicę ſubſcripſi.

Chaddo archidiaconus in vicem Salapii epiſcopi eccleſiæ Namnetice ſubſcripſi.

D Germoaldus abba in vicem Audoberti epiſcopi eccleſię Pariſiacę ſubſcripſi.

Paternus abba in vicem Felicis epiſcopi eccleſię Lemovicę ſubſcripſi.

Chagnoaldus abba in vicem Chadoini epiſcopi eccleſię Cenomannicę ſubſcripſi.

Bertulus abba in vicem Durioteri epiſcopi eccleſię Cenomannicę ſubſcripſi.

## EPISTOLA CONCILII CABILONENSIS

### AD TEODOSIUM EPISCOPUM Arelatenſem.

E ſ *Domino ſemper peculiari ſuo Theodoſio cœtus epiſcoporum, qui nuper eſt Cabilono urbe cum Chriſti gratia adunatus*

OMnibus veridica relatione perpatuit, quod nec vos credimus ignoraſſe, quod glorioſus domnus Clodoveus rex in ſupraſcripta urbe Cabiloño octavo Kalendas Novembris, ſynodale præcepit eſſe concilium Ubi omnibus nobis, qui in baſilica domni Vincentii pariter reſidentes veſtrum adventum, dum vos propinquos, & jam in ipſa urbe eſſe audivimus, omnimodis præſtolati ſumus, datur intelligi pro

pro qua re vos in ipſo concilio non voluiſtis A adeſſe; dum multa adverſus vos, & de indecenti vita, & de exceſſu canonum, quod maxime condolemus, pervulgata narrantur. Nam & ſcripta, qualiter vos conſtitit pœnitentiam fuiſſe profeſſos, veſtra manu vidimus, & comprovincialium veſtrorum manibus roborata. Unde vos credimus jam legiſſe, nec nos penitus ignoramus, quod qui publice pœnitentiam profitetur, epiſcopalem cathedram nec tenere, nec regere poteſt. Propterea ſalutantes beatitudinem veſtram honorifice, indicamus ut uſque ad aliam ſynodum de Arelatenſi ſede, ubi vos conſtat pontificalem cathedram tenuiſſe, debeatis omnimodis abſtinere, & de facultate ipſius eccleſiæ nihil ad veſtram dominationem, donec B in audientia ante fratres conveniatis, penitus præſumatis.

## Nota Jacobi Sirmondi, S. J.

1 *Circa annum* DCL.) Sub Clodoveo II. rege habitam fuiſſe hanc ſynodum, ſynodus ipſa docet: quoto autem illius anno habita ſit, non liquet. Hoc certum videtur, ante annum Chriſti DCLVIII. id eſt ante annum XV. Clodovei conſtitui debere. Nam eo anno Pariſiorum epiſcopus erat Landericus, ut ipſius pro ſancti Dionyſii monaſterio literæ declarant. In hac vero ſynodo ſubſcribit per vicarium Audobertus, qui Landericum anteceſſit. Quare falluntur omnino, qui ſynodum illo anno poſteriorem faciunt.

Canon 9

2 *Ut captivitatis vinculum*) Codex Tilianus, Pithœanus, & Bellovac. *Ut a captivitatis vinculo anima a Chriſtianis redimantur.*

*Subſcriptiones.*) Hæ in ſolo erant Bellovacenſi, non ordine alphabetico, ſicut in vulgatis, ſed quo modo hic digeſtæ ſunt.

3 *Protaſius Sedunenſis.*) Vulgati *Sentienſis*: Protaſii Sedunenſis epiſcopi una cum Domitiano Genavenſi, & Gratio Auguſtenſi, mentio fit in actis ſancti Mauritii & ſociorum.

4 *Magnus epiſcopus.*) In codice Bellovac. nomen eccleſiæ non exprimitur: in vulgatis epiſcopus dicitur Atrebatenſis. Verum Atrebates eo tempore, Cameracenſibus attributi, proprium epiſcopum non habebant.

5 *Betto Tricaſſinenſis.*) Editio vulgata, *Betto Forojulienſis.*

6 *Livirius Vindauſenſis.*) id eſt Carpentoratenſis. Sic enim aliquando appellati ſunt epiſcopi Carpentoratenſes a Vindauſca oppido vicino. Notitia civitatum Galliæ, *Civitas Carpentoratenſium, nunc Vindauſca.* Male ergo vulgati *eccleſia Auſciorum* habent, pro Vindauſcenſis.

7 *Betto de Juliobona.*) Notum olim hujus nominis oppidum in Caletibus, pago Rothomagenſi, ubi ſedes epiſcopalis ſtata non fuit, Bettoni tamen epiſcopo attributus hoc tempore fuerat hic locus, ſicut Auſtrapio Sellenſe caſtrum in Pictonibus apud Gregorium lib. 4. cap. 18. & Moderico vicus Ariſitenſis, ut paulo ante dictum eſt.

8 *Domino Theodoſio.*) Cod. Bellovacenſis, *Theudorico*, atque ita etiam veteres catalogi epiſcoporum Arelatenſium: alii *Theodoſium*, alii *Theodoricum* vocant.

## Notæ Severini Binii.

a *Concilium.*) Præſentia Clodovei regis, quem anno domini 664. diem obiiſſe ſcribit auctor appendicis ad Gregorium Turonenſem, non patitur poſt prædictum annum 664. hanc ſynodum collocari, ut quæ eadem anteponatur Clipiacenſi concilio, non admittit ſubſcriptio Audoberti Pariſienſis eccleſiæ epiſcopi. Nam Clipiacenſis habita fuit ſub Landerico Pariſienſi epiſcopo, ut patet ex verbis Aimoini ſupra allegatis. His itaque de cauſis viſum eſt mihi, hanc ſynodum Cabilonenſem ad hæc Vitaliani tempora referendam eſſe.

Quo tempore celebratum

# CANONES,

## QUI NON LEGUNTUR IN EDITIS

*Conciliorum Cabilonenſium, ſed hoc titulo apud veteres Collectores inſcribuntur.*

*I. Ex Cabilon. Conc. Cap. VI.*

Placuit ut conſervato Metropolitani primatu ceteri Epiſcopi ſecundum ſuæ ordinationis tempus alius alii * defferat Locum. Diſt. 18. Can. Placuit. *Cod. Luc inſerit ſedem.

*II. Ex Conc. Cabilon.*

Eccleſiæ antiquitus conſtitutæ nec decimis, nec ulla poſſeſſione priventur, ita ut novis oratoriis tribuantur (eſt in Conc. anonymo anni 962. apud Marten. to. VII. pag. 53.) 16. q. 1. Can. Eccleſiæ.

*III. Cabilonenſis Concilii.*

Contradicimus ut in quarta, vel in quinta ſextaque generatione nullus amplius conjugio copuletur. Ubi autem poſt interdictum factum fuerit inventum, ſeparetur. 35. q. 2. Can. Contradicimus

*IV. Ex Concilio Cabilonenſi.*

De Puellis raptis nec dum de Sponſatis in Calchedonenſi Concilio ſtatutum eſt eos qui rapient puellas ſub nomine ſimul habitandi cooperantes & conniventes *raptoribus* decrevit S. Synodus ſiquidem clerici ſunt decidant proprio gradu; ſi vero Laici anathematizentur C quibus verbis datur intelligi qualiter hujus mali authores damnandi ſunt; quando particeps Conſilii & conniventes tanto anathemate feriuntur, ut juxta Canonicam auctoritatem ad conjugia legitima raptas ſibi jure vendicare nullatenus poſſe. 36. q. 2. Can de puellis.

*V. Ex Concilio Cabilonenſi.*

Solent plures, qui ſe jejunare putant in quadrageſima, mox & ſignum audierint, ad horam Nonam comedere; qui nullatenus jejunare credendi ſunt, ſi ante manducaverint quam veſpertinum celebretur officium. Concurrendum eſt enim ad miſſas, & auditis miſſarum ſolemnibus & veſpertinis officiis, & largitis eleemoſinis ad cibum accedendum eſt. Si vero aliquis D neceſſitate conſtrictus fuerit ut ad Miſſam venire non valeat, æſtimata veſpertina hora, completa oratione ſua jejunium ſolvat. De Conſec. diſt. 1. can. 50.

*VI. Ex Cabilon. Conc. Cap. XXV.*

Si quis presbiter ante ordinationem peccaverit, & poſt ordinationem peccata confeſſus fuerit quod ante erraverit, non offerat; ſed tantum pro religione nomen presbyteri portet. Si autem non ipſe confeſſus, ſed ab alio publice convictus eſt, nec hoc ipſum habeat ut nomen presbyteri portet. Similiter & de Diaconibus obſervandum eſt, ut ſi ipſe confeſſus fuerit ordinem ſubdiaconi retineat. Burch. lib. 2. cap. 48.

*VII. Ex Conc. Cabilon. Cap. VI.*

Iubendum eſt ut oratio dominica, in qua E omnia neceſſaria humanæ vitæ comprehenduntur & Symbolum Apoſtolorum in quo fides Catholica ex integro comprehenditur ab omnibus diſcatur tam latine quam barbarice & quod ore profitentur corde credatur & intelligatur. Burch. lib. 2. cap. 61. Theodul. Capit. cap. 22.

*VIII. Ex eodem Concilio Cap. VI.*

Item prædicandum eſt de dilectione Dei, & proximi; de fide, & ſpe in Deo; de humilitate, patientia, caſtitate, benignitate, miſericordia, de eleemoſynis, de confeſſione, ut fratribus ex corde remittatur. Quia qui hæc & his ſimilia agunt regnum Dei conſequentur. Burch. Lib. 2. cap. 64.

*IX. Item*

A

*IX. Item ex eodem Concilio Cap. III.*

Burch. Lib. 8. cap. 61.

Item prædicandum eſt pro quibus criminibus homines cum diabolo deputantur, quæ Apoſtolus ſic enumerat: fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes & his ſimilia. Qui talia agunt regnum Dei non conſequentur, & ideo hæc cum omni ſtudio prohibeantur.

*X. Ex eodem Conc. Cap. V.*

Idem l. 10. cap. 49.

Si quis præcantaverit ad faſcinum vel qualeſcumque præcantationes, excepto ſymbolum & orationem dominicam, qui cantat & qui cantatur tres quadrageſimas in pane & aqua pœniteat.

*XI. Ex concilio Cabilonenſi can. IV.*

Burc. lib. 11. cap. 11.

Quando ea, quæ canonica ſunt ventilantur, vel quando regularia examinantur, neque aliquos laicos intereſſe niſi religioſos oportet, & niſi hos tantummodo, qui in propria appellantur perſona.

*XII. Ex eodem Concilio cap. 5.*

Burch. lib. 19

Quicumque ſe propria voluntate, aut in aquam jactaverit, aut collum ligaverit, aut de arbore præcipitaverit, aut ferro percuſſerit, aut cuilibet voluntariæ ſe morti tradiderit, iſtius oblatio non recipiatur.

### Joannis Dominici Mansi

*In hoc Canones nota.*

Can. I. eſt ad verbum canon. VI. Concilii Bracarenſis anni 563.

Can. II. eſt ad verbum in Can. XVII. Capitularis Aquiſgranenſis anni 819. quin & fere id eſt in Concilio anonymo anni, ut Martene arbitratur, 962. Statutum eſt his verbis. i *Quod antiquæ Eccleſiæ a novis, nec decimis nec ulla poſſeſſione ſunt expolianda*. Vulgatum eſt hoc Concilium a P. Martene Ampliſs. Collection. tom. VII. pag. 93. Inſuper eſt etiam in Capitulari Caroli Magni anno 813. edito. can. 19.

Can III. eſt can. 54 Concilii Moguntini anni 813.

Can. IV. eſt ad verbum in Capitulari Aquiſgranenſi ſub Ludovico Pio, edito anno 816. Can. XXIII.

Can. V. acceptus eſt ex Capitulari Theodulphi Aurelianenſis anni 797. canone XXXVIII.

B

Can. VI. verba ipſa nullibi reperi, ſed ſanctionem in hoc canone expreſſam, vetuſtam eſſe PP. Conc. Tol. XIII. can. X. agnoſcunt.

Can. VII. eſt totidem verbis in Capitulari Theodulphi cap. 22.

Can. VIII. & IX. expreſſus eſt per epitomen in Capitulari Aquiſgranenſi anni 789.

Can. X. legitur totidem verbis in libello inſcripto *Judicia ſacerdotalia antiquæ Eccleſiæ*, vulgato a P. Martene Ampliſs. Collect. tom. VII. pag. 35.

Can. XI. Nullibi verba hæc legi; ſed in capitulari aliquo contineri vix dubito, cum præſertim aliquid ſimile ſtatutum legatur in legibus Caroli Magni apud Muratorium can. CXXXVI.

Can. XII. eſt totidem verbis in canone XXXII. tit. IX. canonum Iſaaci Lingonenſis

## AD CABILONENSE CONCILIUM

### ADNOTATIO CHRONOLOGICA.

Manſi Suppl. pag. 481.

Ex notis ad Pagium Notis ad A. 662. III.

C

ETſi de anno, quo ſynodus iſta Cabilonenſis habita fuit, certi nihil definiri poteſt, non inani tamen conjectura cum anno 649. illigarem. Nam die VIII. Kal. Novembris celebratam fuiſſe tam certum eſt, quam certum pariter indicendis exordiendiſque conciliis diem dominicam plerumque deligi conſueviſſe, ſicut & æque perſpicuum eſt, ex iis quæ Pagius hic animadvertit, ſynodum hanc collocari oportere intra annos 640. quo SS. Eligius & Audoenus epiſcopi renunciati ſunt, & 653. quo S. Audobertus Pariſienſis jam deceſſerat. Porro intra annorum ſpatium illud dominica dies in VIII. Kalend. Novembris nonniſi anno 649. incidit; hæc ergo concilii epocha interim ſtatuenda, donec lux major ex anecdoto aliquo monumento eccleſiaſticæ hiſtoriæ affulgeat.

Hæc olim mihi probabilia viſa ſunt, modo vero & chronologicam hanc epocham ſollicitandam ſuccurrit. Ea moveor conjectura quam exhibet *Chadoindus epiſcopus eccleſiæ Cenomanicæ*, qui per Chagnoaldum Abbatem Synodo huic interfuit, atque ſubſcripſit. Chadoindus iſte idem eſt Hadoindus, quem Cenomanorum eccleſiam rexiſſe *ultimo tempore Clotarii filii Chilperici, & tempore Dagoberti filii Clotarii, & primo tempore Clodovei filii ejuſdem Dagoberti* teſtatur vetuſtiſſimus author de geſtis Pontificum Cenomanorum vulgatus a Mabillonio Veter. Analect. pag. 239. edit. in folio ann. 1723. Ab eodem vero ſcriptore vulgatæ ſunt ſupremæ tabulæ ejuſdem Hadoindi, quæ ſignantur anno V. Dagoberti, die VIII. Id. Februarii, quæ omnia inter ſe collata demonſtrant Hadoindum hunc, ſive Chadoindum non diu poſt

D

annum illam vitam prorogaſſe. Porro annus Clodovei quintus in annum Chriſti 643. ex Pagii ſupputatione incidit. Non ergo ſerius anno illo vel ſequenti 644 celebrari potuit concilium Cabilonenſe, cui per legatum ſuum interfuit Chadoindus, quod ſenio forte, vel morbo ſupremo impeditus per ſe non potuit. Belle vero omnia cum anno 644. congruunt; anno enim illo dies VIII. Kal. Novembris, qua concilium habitum fuit, cum feria ſecunda congruebat.

E

Secunda vero feria iniri concilia pro more ætatis illius conſueviſſe Pagius adnotavit.

CON-

Ex Collect. Concil. Normanniæ P. Beſſin.

# CONCILIUM ROTHOMAGENSE

EX VETERI CODICE MANUSCRIPTO BECCENSI DEPROMOTUM.

Synodus Generalis Rodomi regnante [b] Hlodoveo Glorioſo rege.

## TITULI CAPITUM.

*De Reformatione Morum & diſciplina Eccleſiaſtica.*

I. *Ut ſuper oblata ponatur incenſum.*
II. *Ut Miſſam celebrans communicare non omittat.*
III. *Ut anathematizentur qui tertio moniti decimas ſolvere noluerint.*
IV. *Ut inquirantur & exterminentur incantatores & magi.*
V. *Baptizati apud hæreticos, quomodo recipiendi.*
VI. *Excommunicati a proprio Epiſcopo, ab aliis in communionem non admittendi.*
VII. *Simoniacus a clero deiiciendus.*
VIII. *Ignari clerici ad miniſterium non admittendi*
IX. *Ut neque vidua, neque puella virgines a preſbyteris velentur.*
X. *Nemo præter Epiſcopum, Monialium clauſtra ingrediatur.*
XI. *Eccleſiam propriam non deſerat Epiſcopus.*
XII. *Quænam pœna percuſſoribus imponenda.*
XIII. *Anathematizantur ſuperſtitioſi*
XIV. *Ad Miſſam feſtis ſaltem diebus veniant ruſticorum ſervi.*
XV. *Ut in feſtis diebus ad veſperas, ad nocturnas vigilias, & ad Miſſam populus univerſus occurrat.*
XVI. *Qua ratione ab Epiſcopo circumeunda diœceſis.*

## CAPUT I.

*Can. Apoſt. 3.*

*Ivo p. 2. c. 107. Regin. l. 1. c. 100. Burchard. l. 3. c. 13. 70. 71. 72.*

UT tempore quo Evangelium legitur, finitoque Offertorio, ſuper oblationem incenſum, in mortem videlicet Redemptoris noſtri ponatur, decrevimus.

### II.

*Ivo p. 2. c. 119. Regin. l. 1. c. 199. Burchard. l. 5. c. 117. Can. Apoſt. 8.*

Dictum eſt nobis quod quidam Preſbyteri celebrata Miſſa, detrectantes ipſi ſumere divina myſteria quæ conſecrarunt, calicem Domini mulierculis quæ ad Miſſas offerunt tradant, vel quibuſdam laicis, qui dijudicare corpus Domini neſciunt, id eſt diſcernere inter cibum ſpiritualem atque carnalem, quod quantum ſit omni Eccleſiaſticæ religioni contrarium pietas fidelium novit. Unde omnibus Preſbyteris interdicimus ut nullus in poſterum hoc facere præſumat; ſed ipſe cum reverentia ſumat, & Diacono aut Subdiacono qui miniſtri ſunt altaris, colligenda tradat, illud etiam attendat ut eos propria manu communicet, nulli autem laico aut fœminæ A Euchariſtiam in manibus ponat, ſed tantum in os ejus cum his verbis ponat: *Corpus Domini & Sanguis proſit tibi ad remiſſionem peccatorum & ad vitam æternam.* Si quis hæc tranſgreſſus fuerit, quia Deum omnipotentem contemnit, & quantum in ipſo eſt inhonorat, ab altari removeatur.

### III.

*Can. Apoſt. 4. Burch. l. 3. c. 130. Ivo. 3. p. c. 106. Gratian. Cauſ. 16. q. 7. c. 8.*

Omnes decimæ terræ, ſive de frugibus, ſive de pomis arborum, Domini B ſunt, & illi ſanctificantur. Boves & oves, & capræ quæ ſub Paſtoris virga tranſeunt, quidquid decimum venerit, ſanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum, nec malum, nec altero commutabitur. Si quis mutaverit, & quod mutat, & quod mutatum eſt ſanctificabitur Domino, & non redimetur. Sed quia modo multi inveniuntur decimas dare nolentes, ſtatuimus ut ſecundum Domini noſtri præceptum admoneantur C ſemel, & ſecundo, & tertio: ſi non emendaverint, anathematis vinculo conſtringantur uſque ad ſatisfactionem & ad emendationem congruam.

### IV.

*Ivo p. 11. c. 45. Burch. l. 10. c. 18.*

[c] Perſcrutandum ſi aliquis ſubulcus vel bubulcus ſive venator, vel ceteri hujuſmodi, dicat diabolica carmina ſuper panem, aut ſuper herbas, aut ſuper quædam nefaria ligamenta, & hæc aut in D arbore abſcondat, aut in bivio, aut in trivio projiciat, ut ſua animalia liberet a peſte & clade, & alterius perdat: quæ omnia idololatriam eſſe nulli fideli dubium eſt; & ideo ſummopere ſunt exterminanda.

### V.

*Ivo p. 1. c. 33. Burch. l. 4. c. 39.*

Baptiſma unum eſt, ſed in Eccleſia Catholica, cujus nos membra effecti ſumus, ubi una fides eſt, ubi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti datur. Et ideo qui apud illos hæreticos E baptizati ſunt, qui in ſanctæ Trinitatis confeſſione baptizant, & veniunt ad nos, recipiantur quidem quaſi baptizati; ne ſanctæ Trinitatis invocatio vel confeſſio annulletur, ſed doceantur integre, & inſtruantur ſenſu ſanctæ Trinitatis & myſterio quod in ſancta Eccleſia tenetur: & ſi conſentiunt credere vel acquieſcunt confiteri, purgatæ fidei integritate firmen-

mentur manus impoſitione. Si vero parvuli ſunt hebetes, qui doctrinam non capiant; reſpondeant pro illis qui eos offerunt, juxta morem baptizandi: & ita interrogentur, ut ſciant quid reſpondere debeant; & ſic manus impoſitionem accipiant.

V I.

Sunt aliqui qui culpis exigentibus ab Epiſcopo proprio excommunicantur, & ab aliis eccleſiaſticis vel laicis præſumptione * in communionem accipiuntur, quod omnino ſanctum Nicænum Concilium ſimul & Chalcedonenſe, necnon Antiochenum atque Sardicenſe fieri prohibent.

* f. præſumtuoſe.

V I I.

Sancitum eſt atque omnimodis prohibitum, ut ſi quis presbyter inventus fuerit alicui clerico aut laico munera dare, aut dediſſe, aut aliquam pecuniam tribuere, ut alterius Presbyteri eccleſiam ſurripiat, aut Eccleſiam vacantem pretio redimat, pro hac cupiditate ſeu rapina, ſeu præſumptione turpis lucri gratia, dejiciatur a clero, & alienus exiſtat a regula.

V I I I.

Statuimus ſecundum canonicam cautelam omnes undecumque ſupervenientes ignotos Epiſcopos, vel Presbyteros, ante probationem ſynodalem in eccleſiaſticum miniſterium non admittere.

I X.

Statutum eſt viduas non debere velari. Simul & hoc ſtatutum eſt ut ſi quiſpiam presbyterorum deinceps hujus conſtitutionis normæ contumaciter tranſgreſſor extiterit, ſcilicet ut aliquas viduas velare præſumat; quia hoc & Epiſcopis non licet, gradus ſui periculum incurrat. Similiter & de puellis virginibus a presbyteris non velandis, ſtatutum eſt, ut ſi quis hoc facere tentaverit, tanquam tranſgreſſor canonum damnetur.

X.

Ut Epiſcopus monaſteria monachorum & ſanctimonialium frequenter introeat, & cum gravibus & religioſis perſonis, & in eorum vel in earum conventu reſidens, eorum vitam & converſationem diligenter diſcutiat; & ſi quid reprehenſibile invenerit, corrigere ſatagat. Sanctimonialium etiam pudicitiam ſubtiliter inveſtiget. Et ſi aliqua invenitur quæ neglecto propoſito caſtitatis, clerico aut laico impudenter miſceatur, *acriter verberibus* * *coerceatur*, & in privata cuſtodia retrudatur, ubi quod male commiſit, digne pœniteat. Interdicat etiam ex autoritate SS. Canonum, ut nullus laicus aut clericus in eorum clauſtris & ſecretis habitationibus acceſſum habeat: neque Presbyteri, niſi tantum ad Miſſam: expleta Miſſa ad eccleſias ſuas redeant. Omnibus præterea publice & privatim denunciet quantum piaculum ſit qui ſponſam Chriſti vitiare præſumit: ſi enim ille reus tenetur, qui ſponſam hominis violat; quanto magis reus Majeſtatis efficitur qui ſponſam omnipotentis Dei corrumpit.

* Mſ. Ebroic.

X I.

Ut non liceat Epiſcopo principalem cathedram ſuæ parrochiæ negligere, & aliam eccleſiam in ſua diœceſi magis frequentare.

X I I.

Si quis alium per iram percuſſerit & ſanguinem effuderit: ſi laicus eſt, xx. dies pœniteat: clericus xxx. Illi autem qui gradum habent ampliorem, amplius pelli debent *d*. Diaconus ſex menſes, Presbyter unum annum; Epiſcopus duos annos & ſex menſes.

X I I I.

Si quis in Kalendis Januariis aliquid fecerit quod a paganis inventum eſt, & dies obſervat, & lunam, & menſes; & horarum effectiva potentia aliquid ſperat in melius aut in deterius verti: anathema ſit.

X I V.

Admonere debent ſacerdotes plebes ſubditas ſibi, ut bubulcos atque porcarios, vel alios paſtores, vel aratores, qui in agris aſſidue commorantur, vel in ſylvis, & ideo velut more pecudum vivunt, in Dominicis & in aliis Feſtis diebus ſaltem vel ad Miſſam faciant vel permittant venire: nam & hos Chriſtus pretioſo ſuo ſanguine redemit. Quod ſi neglexerint, pro animabus eorum abſque dubio rationem ſe reddituros ſciant. Siquidem Dominus veniens in hunc mundum, non elegit oratores atque nobiliores quoſque, ſed piſcatores atque idiotas ſibi diſcipulos aſcivit, ut oſtenderet in facto quod ipſe verbis in Evangelio affirmat, dicens: *Quod hominibus eſt altum, abominabile eſt apud Deum*. Et ſalva altiore intelligentia, Nativitas noſtri Redemptoris, primo omnium paſtoribus ab Angelo nunciatur.

Luc. 16. 15.

X V.

Ut populus admoneatur, ut in Dominicis & Feſtis diebus omnes ad Veſperas & Nocturnas Vigilias, & ad Miſſam omnimodis occurrant: & ut decani in civitatibus & in vicis publicis viri veraces & Deum timentes conſtituantur, qui deſides & negligentes commoneant ut ad Dei ſervitium abſque dilatione properent: & ut ipſi decani ſacramento aſtringantur, ut nulla inter-

A veniente cauſa, ſcilicet aut amoris, aut timoris, aut propinquitatis, muneris negligentes & tranſgreſſores reticeant, quin propriis ſacerdotibus proprias eorum culpas manifeſtent. Sacerdotum autem erit ita eorum vitia zelo & amore divino cum debita diſciplina corrigere, ſicut ipſi nolunt pro aliorum reatibus ſententiam juſtæ damnationis ſuſcipere. Et ut dies Feſti a veſpera uſque ad veſperam abſque opere ſervili cum debito honore celebrentur.

XVI.

In p. 1 c. 196. Regin l. 1. c. 1. Burch. l. 1. c. 90.

B Cum Epiſcopus ſuam diœceſim circuit, archidiaconus vel archipresbyter, eum præire debet uno aut duobus diebus per parochias quas viſitaturus eſt, & plebe convocata annunciare debet proprii paſtoris adventum, & ut omnes, exceptis infirmis, ad ejus ſynodum die denominata imprætermiſſe occurrant. Et omnimodis ex autoritate SS. Canonum præcipere, & minaciter denunciare debet, quod ſi quis abſque gravi neceſſitate defuerit, proculdubio a communione chriſtiana ſit pellendus. Deinde ac- C citis ſecum presbyteris, qui in illo loco ſervitium debent exhibere Epiſcopo, quidquid de minoribus & levioribus cauſis corrigere poteſt, emendare ſatagat; ut pontifex veniens nequaquam in facilioribus negotiis fatigetur, aut ſibi immorari amplius neceſſe ſit ibi quam expenſa ſufficiat. Ait enim Dominus ad Moiſen de hujuſcemodi cooperatoribus, ut *tecum* (inquit) *ſuſtentent onus populi, & non tu ſolus graveris*; & beatus Joannes Baptiſta adventum Domini præcurrit prædicando dicens: *Pœnitentiam agite, &c.* Et iterum *Parate viam Do- D mini*. Siquidem Epiſcopus vicem Chriſti agere videtur; & ideo cum gaudio, timore, & ſumma reverentia a plebibus ſibi ſubjectis ſuſcipiendus eſt, ut illis cum laude dicatur quod Apoſtolus diſcipulis dicit: *Teſtimonium*, inquit, *vobis perbibeo quod ita ſuſcepiſtis me ſicut angelum Dei.*

Num. c. 11. v. 17. Matth. 3. v. 2. Ib. v. 3. Galat. 4. v. 15.

FINIS.

## OBSERVATIONES

IN priori Conciliorum noſtrorum editione Synodus hæc circa annum 880. coacta ſupponitur, regnante Ludovico Balbo, ſed abſque ullo prorſus argumento. Illam vero ad Clodovei II. & S. Audoeni tempora referre nihil vetat: immo referendam ſuadet, tum quod abuſus iidem in hac Synodo atque in S. Eligii vita ab ipſo S. Audoeno ſcripta damnentur; quod in iſta Synodo vix quidquam a ſæculi ſeptimi diſciplina deprehendatur alienum. Id ex ſingulorum eius Canonum cum aliis eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeptimo ſæculo receptæ monumentis collatione liquebit.

Can. I. *De incenſo intra ſacrificium adhibendo.*

Id moris a Synagoga ad eccleſiam promanaſſe conſtat, ex eccleſiæ Conciliis, Liturgiis & Patribus. Sanctorum Ambroſii & Iſidori Hiſpalenſis teſtimonia hic attuliſſe ſufficiet: illius quidem in Lucæ caput 1. *Utinam nobis quoque adolentibus altaria & ſacrificium deferentibus aſſiſtat Angelus.* Hujus vero in Epiſtola ad Leudifredum: *Archidiaconus imperat Subdiaconis & Levitis; ad eum pertinet cura incenſi, & ſacrificii neceſſaria ſollicitudo.*

Can. II. Pars prior: *De conſicientibus Eucharistiam, ac non ſumentibus.*

Can. VIII. ex iis qui ſub Apoſtolorum nomine vulgati ſunt, ita habet: *Si quis Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quicumque ex ſacerdotali conſortio oblatione facta non communicaverit, cauſam dicito...... Sin minus dixerit, a communione excluditor, tanquam qui populo auctor offenſionis fuerit, nota contra eum ſuſpicione qui obtulit.* Vide Baluz. Capitular. anno 789. cap. 6. ubi Synodalia ſanctorum Patrum adverſus ejuſmodi abuſum ſtatuta laudantur.

Can. III. *De ſolvendis decimis.*

Concilium Matiſcon. II. an. 585. can. 5. *Statuimus ac decernimus ut mos antiquus a fidelibus reparetur, & decimas eccleſiaſticis famulantibus ceremoniis populus omnis inferat.* Sermon. 276. & 277. append. novæ edit. S. Auguſtini, quorum auctor S. Cæſarius Arelat. Vita S. Eligii ab ipſo S. Audoeno ſcripta lib. 2. cap. 15. Spicileg. tom. 5. pagg. 214. 222. 223.

Can. IV. & XIII. *De ſuperſtitionibus & idololatriæ reliquiis.*

Childeberti Regis conſtitutio circa annum 554. Concil. Rem 625. can. 14. Vita S. Eligii lib. 2. cap. 15. pag. 215. *Ante omnia autem illud denuncio atque conteſtor, ut nullas paganorum ſacrilegas conſuetudines obſervetis, non magicos, non divinos, non ſortilegos, non præcantatores; nec pro ulla cauſa aut infirmitate eos conſulere vel interrogare præſumatis..... Nullus Chriſtianus obſervet qua die domum exeat, vel qua die revertatur; quia omnes dies Deus fecit. Nullus ad inchoandum opus diem vel Lunam attendat: Nullus in Kalendis Januarii nefanda & ridiculoſa faciat.* Et hæc certiſſima eſt temporis nota, cum ſæculo nono vix aliquid ſuperſtitioſi cultus in Galliis ſupereſſet, maxime in Provincia noſtra.

Can. V. *De promiſſionibus in baptiſmo factis.*

Vita S. Eligii lib. 2. cap. 15. pag. 212.

Can. VI. *De excommunicatis ab uno Epiſcopo ab aliis non recipiendis.*

Concil. Pariſ. III. an. 557. cap. 7. Turon. II. ann 567. c. 8.

Can. VII. *De iis qui pecunia data alterum eccleſias, aut alias vacantes invadere nituntur.*

Concil. Pariſ. V. an. 615. cap. 9. Vita S. Eligii lib 2. cap. 1. contra ſimoniam & ſimoniacos.

Can. VIII. *De ignotis presbyteris non recipiendis.*

Id maxime ſtatutum contra Scotos & Hibernos qui tempore S. Audoeni frequentes in Gallias tranſmeabant, & ſe nonnunquam presbyteros, quamvis non eſſent, oſtentabant. Vita S. Eligii lib. 1. c. 36. Conc. Rem. an 625. cap. 12. Capitular. Baluz. tom. 1. lib. 6. cap. 154. & alibi paſſim.

Can. IX. *De velandis virginibus ac de viduis.*

Id paſſim in anterioribus canonibus obvium. Mabillon. Liturg. Gallic. lib. 3. pag. 332.

Can. X. *De Monaſteriis.*

Rothomagi extitiſſe Monaſteria ducentis & amplius annis ante S. Audoenum conſtat ex epiſt. S. Paulini ad Victricium. Quam ſollicite ipſa curaverit Audoenus patet ex ejus vita cap. 16. qui in S. Petri Monaſterio Rothomagenſi quoties paſtorale officium ſinebat tanquam in ſecunda ſede aſſidue verſabatur.

Can. XI. *De Epiſcopi cathedra alibi non transferenda.*

Greg. M. lib. 6. ind 14. ep. 23. Refertur apud Gratianum 7. qu 1. c. 21. *Placuit.*

Can. XII. *De percuſſorum pœnis.*

In Dagoberti Capitulari 2. de lege Alamannorum circa an. 630. pœna pecuniaria mulctantur: hic emendatione pœnitentiali, ut Sacerdotio convenit. Gravius animadvertunt Canones pœnitentiales. *Sacramentar. Gallic. in Muſæo Italico Mabillonii num. 24.*

Can. XIII. *Ut ſupra ad IV.*

Can. XIV. *De bubulcis & aliis pecorum more viventibus.*

E Vita S. VVandregiſili S. Audoeno coætanei num. 13. & 22.

Can. XV. *De obſervatione diei dominicæ.*

In Canonibus antiquis paſſim. Hic ſufficiat Cabilon Conc. can. 18. cui anno 650. S. Audoenus cum 4. comprovincialibus, & Bertone de Juliobona interfuit, & hoc decretum renovari curavit, quippe obſervationis hujus zelantiſſimus, ut patet vitæ cap. 13. Vit. S. Eligii lib. 2. c. 15.

Can. ultimus, *De viſitatione parochiarum.*

Concil. Tolet. an. 634. can. 35. Vita S. Audoeni cap. 16. & ſeqq.

Cum itaque hæc omnia S. Audoeni ætati conveniant, parum remorari debet id quod can. II. parte 2. præcipitur. *Ut nulli laico aut fœminæ Eucharistiam in manibus ponat*, quod vix ante ſæculum nonum prohibitum fuiſſe

ſuiſſe quamplurimis viris doctiſſimis videtur, atque ca- A nonibus antiquis adverſari notum eſt.

Enim vero Romanam eccleſiam ante Synodi noſtræ tempora jampridem a veteri uſu diſceſſiſſe, atque Eucharistiam Roman Sacerdotum manu ad os porrectam fuiſſe teſtis eſt Gregorius magnus dialog. lib. 3. cap. 3. ubi Agapitus Papa *cuidam muto & claudo corpus dominicum in os miſiſſe perhibetur*. Gregorium ipſum eodem ritu Euchariſtiam adminiſtraſſe manifeſtum eſt ex ejus vita a Joanne diacono ſcripta lib. 2. cap. 41. de facto mulieris, quæ cum de oblata quam ipſamet confecerat, ab eo audiſſet: *Corpus Domini*, laſciva ſubriſit. Ille continuo dexteram ab ejus ore convertens, partem illam ſuper altare depoſuit. Idem in eccleſia Romana ſub Gregorio M. paſſim obtinuiſſe agnoſcit Mabillonius Comment. in Ord. Roman. cap. 8. nu. 17. Quid igitur mirum, ut cum Avito Viennenſi loquar, *fragmento* S. B ſi ſtatim orbis deſideraverit quod locus invexit? Pliſſimi namque Antiſtites qui pro crebris ſacrorum profanationibus jamdiu ingemuerant, oblatum ſibi peropportunum remedium ultronei ſuſceperunt; citius hi, ſerius illi.

Anno 401. Eccleſiæ Romanæ canones, convicinis etiam Sacerdotibus intimandos ab Innocentio I. ſuſceperat Rothomagenſis Eccleſia; modo Euchariſtiam ad os laicis porrigendi ritum amplexata eſt, ac in Synodo ſua, auctore ipſomet Audoeno, qui Romæ poſitus ita fieri perſpexerat, ſolemni decreto ſancivit. Stet ergo Synodum hanc ad Clodovei II. & S. Audoeni tempora referendam eſſe.

*b* Etſi prima ſtirpis Reges noſtros quibus Hludoveus ſeu Clodoveus nomen fuit, ſub ſolo Clodovei I. II. III. nomine cenſeamus; atque Ludovicus Pius Caroli magni filius & ſucceſſor ſit nobis Ludovicus I. idem tamen eſſe Hludovei ſeu Clodovei ac Hludovici ſeu Ludovici nomen probat Odonis præceptum anno 893. datum *lib.* 6. *de re Diplomat*. Ubi Clodoveus I. Clotarii I. pater magni Hludovici nomine appellatur.

*c* Bochellus decretorum Eccleſiæ Gallicanæ lib. 1. tit. 14. cap. 34. & lib. 2. tit. 3. cap. 150. Concilii hujus Can. IV. & V. tribuit Concilio quod Rothomagi anno 1055. habitum fuiſſe putat. Sed neque Concilium hoc noſtrum viderat in Beccenſibus ſcriniis adhuc reconditum, neque meminerat Canonem V. in Reginonis collectione haberi IV. vero apud Burchardum lib. 10. cap. 18. qui ambo, anno 1055. obierant.

*d* Patrum Neocæſarienſis Concilii loquendi modum imitantur Patres Concilii hujus. Sic enim habet Concil. Neocæſar. can. 1. *Si Presbyter uxorem acceperit, ab ordine deponatur: ſi vero fornicatus fuerit vel adulterium perpetraverit, amplius* pelli *debet, & ad pœnitentiam redigi*. At mitiori ſenſu; hic enim non expulſionem a clero, ſed pœnitentiæ juxta peccantis gradum ampliationem ſtatuit.

ANNO CHRISTI 653.

# CONCILIUM TOLETANUM VIII.

ANNO CHRISTI 653.

## LII. EPISCOPORUM, XVII. KALEND. Januarii anno domini noſtri Jeſu Chriſti DCLIII.

Baldit Loai ſa. C.

Celebratum tempore Martini papæ, regnante Recceſvintho rege, * æra DCXCI.
Eſt vero provinciale.

I. *De catholicæ fidei plenitudine.*
II. *De incauto juramento.*
III. *De his qui ſacroſanctos ordines muneribus aſſequuntur, & fautoribus eorum.*
IV. *De incontinentibus epiſcopis.*
V. *De incontinentibus presbyteris, ac diaconibus, & fœminis quæ talibus conjunguntur.*
VI. *De incontinentibus ſubdiaconibus.*
VII. *De his qui poſt aſſumpta eccleſiaſticarum dignitatum officia, ad conjugia redeunt.*
VIII. *De non ordinandis his, qui pſalmorum, canticorum ſeu hymnorum ignari ſunt.*
IX. *De his qui prætextu incommodæ ægritudinis, quadrageſima jejunium ſolvunt.*
X. *De his qui aut per auctoritatem, aut per vim ordinati ſunt.*
XI. *De confirmatione univerſalium decretorum.*
XII. *De Judæis.*

ANNO quinto orthodoxi, atque glorioſi, & vera clementiæ dignitate * perſpicui, Recceſvinthi regis, cum nos omnes divinæ ordinatio voluntatis, ejuſdem principis ſereniſſimo juſſu, in baſilica ſanctorum apoſtolorum ad ſacrum ſynodi coegiſſet aggregari conventum, dies tandem lætitiæ, appetitu diutiſſime E præoptatus, & gratus adfuit, & jucundus, tanto noſtri pectoris avidiori voto ſuſceptus, quanto ad remedium ſalutis extiterat anhelantium præcordiis exquiſitus. Cumque ex more unuſquiſque noſtrum ordini ſuo ſedes debitas occupaſſet, & eventum rei, tranquillæ intentionis expectatio ſuſtineret, adeſt ſereniſſimus princeps pia religione pleniſſimus, & ſummo laudum titulo glorioſus, qui ſeſe noſtro cœtui reddens acclivem, ut hunc omnipotenti domino precibus commendaremus, * aſtans, dulcifluis hortatus eſt verbis, grates referens Deo

* præcipui.

* dulcis ut filius nos cohort.

virtutum, quod ſuæ juſſionis implentes decretum, in unum fuiſſemus adunati concilium. Sed cum tam pie humilem cognoviſſemus ejus ſanctæ animæ voluntatem, & tam ſublimis gloriæ celſitudinem videremus acclinem, tanta ſumus in Dei gloriam exultatione ſuccenſi, ut grates illi debitas & honorem * læti reddere- mus, & cernui. Sed quanto extulerat principem humilitatis ordo ſublimis, tanto ad exercitia ſumma virtutis inſtruebat exempla ſacratiſſimi principis formam noſtræ religionis. Tum relatis Deo laudibus, de unitatis alternæ proventu, magna nos cum tranquillitatis gratia allocutus eſt, dicens.

* læti humiliter red.

Etſi ſummus auctor rerum me divæ memoriæ D domini & genitoris mei temporibus in regni ſede ſubvexit, atque ipſius * gloriæ participem fecit, nunc tamen cum ipſe requiem æternarum adeptus eſt manſionum, ea quæ in me totius regiminis transfuſa jura reliquit, ex toto divina mihi potentia ſubjugavit. Unde quia regendorum membrorum cauſa, ſalus eſt capitis, & felicitas populorum, non niſi manſuetudo eſt principum, votive decrevi vobis coram poſitis, & votorum meorum deliberationem ſanctione patula reſerare, & ſtudiorum * acta ſincera exhibitione deferre. At vero quia anhelum pectus ſeſe in promiſſorum complementa diffundit, * nec pigredine feſſum retardationis oneribus ſeſe * ſubmittit, longam proſecutionem compendio brevitatis adſtrinxi; & quidquid productionibus loquelarum in concione diffundere potui, totum in tomi hujus complicamento * reſperſum calamo veſtræ ſanctitudini offerre decrevi: id magno precatu deliberationis exhortans, ut quæcumque illic detinentur aſcripta, valido attendatis intuitu, ſagaci perſcrutemini ſtudio, ac de his, quæcumque extiterint placita Deo, veſtri oris ad nos ſacro referantur oraculo.

* gloriæ deferens part.

* apta decreta

* ac

* ſubmittat

* proſſus almæ veſtræ

Accepto deinde oblato nobis tomo, agentes domino gratias acclamavimus: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.

Poſt hujus exultationis beatæ gaudium, & cœleſtis gloriæ hymnum, eidem ſacro principi benediximus, reſeratoque involuto tomo, hæc inibi contexta reperimus.

*In nomine domini, Flavius Receſvintus rex reverendiſſimis patribus in hac ſancta ſynodo reſidentibus.*

SANCTI Spiritus admirabili dono regulam fidei meæ ſolidam tenens, & inſtructam agnoſcens, atque in honorem ejus diadema gloriæ cum cordis humilitate proſternens, illo lætus auditu, quod omnes reges terræ ſerviunt & obediunt Deo, en reverendi patres, excelſiori mihi venerationis honore ſublimes, coram B vobis advenio, in gratiam manſuetudinis meæ, beatitudinis veſtræ * teſtimonium convocans & ad teſtimonium viſionis veſtrę memet coram omnipotentis Dei nutibus tremendis acclinans; referens illi corde lęto gratias opulentas, quod vos clementia voluntatis ipſius, ex noſtræ celſitudinis juſſu, ad hujus ſanctæ congregationis votivum dignatus eſt deducere cœtum; confidens tam mihi, quam vobis, & in præſentium ſerie temporum, & in futurorum longitudine ſæculorum, ejus adeſſe gratiæ præmium: quoniam & * veſtræ concordiæ in conveniendo unanimem ac religioſum demonſtratis C affectum, & diſpoſitionis meæ in regendis populis, quam pium ſit, * properatis patenter agnoſcere votum. Nunc igitur quia * momenti locutio longe * dictionis non capit exceſſum, quid de ſancta fide noverim, quam cælitus illapſam mihi per ſanctorum apoſtolorum, ſequentiumque patrum ora cognovi, ſeu quæ de ſecuturis negotiis, pro quibus hunc conventum veſtræ congregationis coadunare percenſui, intimare decreverim, in hujus tomi ſerie conſcripta tenete, ac relecta * prænoſcite, & cunctis, quæ tenoris ejus noſtræ amplitudinis poteſtas impreſſit, veſtræ beatitudinis gravitas effectum tam prompte ac miſeranter impendat, quam noſtræ manſuetudinis ſerenitas hæc vobis implenda commendat.

D Exordium itaque allocutionis meæ, ex definitione ſanctæ fidei inchoans, cætera quæ * futura ſunt, proſecutionibus intimanda, velut ſupra ſoliditatem petræ conſtructurus, annectam: ut operis mei ædificium congreſſurus, eo ſequentia validius ponam, quo decentius firmiſſima prætulerim prima. Itaque coram ſe reverentia veſtra habeat, quod noſſe non ambigit, me orthodoxæ fidei veram ſanctam & ſinceram regulam, de corde puro, & conſcientia bona pleniſſime habere, veraciter ſcire, * & fortiſſime retinere; atque ita eam complecti, venerari, atque diligere, ſicut eam apoſtolica traditio * dedit, ſicut eam ſancta ſynodus Nicæna conſtituit, ſicut Conſtantinopoli ſanctorum patrum congregatio definivit, ſicut Epheſini primi E cœtus unitas affirmavit, ſicut Chalcedonenſis concilii definitio protulit: hanc cum fidelibus ſervans, * propriis gentibus tenendam inſinuans, hanc populis alienis annuncians; ut in illa glorificans Deum, & * in tempore mortalium me ſummæ divinitatis felicitas aſſequatur; & in terra viventium hæreditas a me gloriæ capiatur. En reverendiſſimi patres quantum ad veritatem fidei ſanctæ pertinuit, ex toto animam meam ſuæ confeſſionis titulos explicuiſſe honorificentia veſtra penſavit. Jam nunc magnopere arbitror eſſe mihi * opportunius, quę intendimus, ſocietati ejuſdem verę fidei ſtudia ſanctę operationis innectere; ne hanc aut ſine operibus mortuam habeamus, aut * non plenitudinis tuę dignitate perſpicua decidat inhoneſta: dum ſcriptura non ſilente de quibuſdam infertur, *qui dicunt ſe noſſe Deum, factis autem negant*. Ut ergo hanc fidem ſupra lapidem illum ſolidatam, quem reprobaverunt ędificantes, idem tamen a domino factus eſt in caput anguli, & eſt admirabilis in oculis noſtris, plenius habeamus, ejuſque inſignibus decentius exornemur; attendite cujus operis fructum, cujuſque operationis * argumentum ſtudiis hujus ſanctę fidei conſociare velimus, & innectere quantocius pręoptemus. Itaque revolutis retro temporibus, ita vos, omnemque populum juraſſe recolimus, ut cujuſcumque ordinis vel honoris perſona, quę in necem regiam, excidiumque Gothorum gentis, ac patrię detecta fuiſſet vel cogitaſſe noxia, vel egiſſe, irrevocabilis ſententię multatus atrocitate, nuſquam mereretur venię remedium, vel alicujus temperantię perciperet qualecumque ſubſidium. At nunc, quia grave oneroſumque cenſetur, dum pietatis actibus gravi contradictione hęc ſententia reſultaſſe perpenditur, & ſic funditus damnationis adſtipulatio retinetur, ne pietati, quę apoſtolo pręcinente ad omnia utilis eſt, quicumque aditus * reſervetur, veſtris hęc committo fidenti animo ſacris pertractanda judiciis, ac dirimenda ſententiis. Unde jam veſtrum erit, inſpirante vobis miſeratione divina, ita utriuſque diſcriminis temperare menſuram, ne aut * juramenti conditio teneat reos, aut impietatis ultio habeat inhumanos: ſicque veſtri nos [illegible]uat forma judicii, ut ſubjectos populos, [illegible] profanationibus habeamus ſubditos, nec impietatis vinculis doleamus * comminutos.

Poſt hujus conventionis alloquium, ſequentium * nectens cauſas negotiorum, ſimilique ſubjungimus vos intendere attentione, decernimus atteſtantes univerſitatem veſtram, per ſummę divinitatis coęqualem, coęternam & inſeparabilem trinitatem, atque illius myſteria ſacramenti, quo incarnatum Dei Filium de Spiritu ſancto & Maria virgine pro ſalute mundi vera fides in toto orbe denunciat, atque adventum ejuſdem Jeſu Chriſti Filii Dei domini noſtri, quo perimendi ſunt impii, & regnum ejus, quo glorificandi ſunt ſancti, ut quęcumque negotia de quorumlibet querela veſtris auditibus extiterint patefacta, cum juſtitię vigore miſericorditer, & cum temperamento miſerationi juſtiſſimę, * cum noſtra convenientia terminetis in legum ſententiis, quę aut depravata conſiſtunt, aut ex ſuperfluo, vel indebito * conjecta videntur, noſtrę ſerenitatis accommodante conſenſu, hęc ſola quę ad ſinceram juſtitiam, & negotiorum ſufficientiam conveniunt, * inordinetis: canonum obſcura quędam, & in dubium verſa, in meridiem lucidę intelligentię reducatis; omniumque negotiorum conventus, ordinumque ſtatus, qui in veſtram extiterint devoluti pręſentiam, ita majorum regulis concordantes juſtiſſime, pie ac temperanter conſtituere ſtudeatis, ut & mihi, qui ad ſtudiorum fructus bonorum anhelo, pars beatorum adveniat, & vos, quoniam implentes voluntatem Dei, me non ſpernitis imprecantem, regio beatitudinis ęternę ſuſcipiat, & viſio delectationis Dei ſibi perenniter inhęrere concedat. Vos etiam illuſtres viros, quos ex officio palatino huic ſanctę ſynodo intereſſe * primatus obtinuit.

* ſtudium
* veſtra concordia
* poteritis
* monens p. z.
locutio
* collectionis
* prænoſcite
* futuris
* firmiſſime
* docet,
* ad hanc ſalvandos infideles invitans, in hanc ſubjectos populos regens, hanc prop.
* inter mortales
opportunius enitendum

* ne inhoneſta a plenit.
Tit. 1.
Pſal. 117. Matth. 21. Marc. 10. Luc. 20.
* augmentum
In 7. Toletana ſynodo
1. Tim. 4.
* reſeretur, Rex ab epiſcopis vult doceri.
* In juramento cond.
* contaminatos.
* Forte neſtimus. Hard.
* concorditer terminentur in legum
* collecta
* ordinetis
* mos primævus.

nuit, ac nobilitas ſpectabilis honoravit, & ex- A perientia equitatis plebium rectores exegit, quos in regimine ſocios, in adverſitate fidos, & in proſperis amplector ſtrenuos, per quos juſtitia leges implet, miſeratio * leges inflectit, & contra juſtitiam legum, moderatio equitatis temperantiam legis extorquet, adjurans obteſtor per omne illud admirabile, & ſolum unius ſacrę fidei ſacramentum, * quo venerabilem omnium ſanctorum patrum ſum obteſtatus conventum, ut ad cunctę veritatis, ac diſcretionis juſtiſſimę formulam ita animos dirigatis, ut nihil a conſenſu pręſentium patrum, ſanctorumque virorum aliorſum * mentes ducentes quidquid innocentię vicinum, quidquid juſtitię proximum, quidquid a pietate non alienum, vel B ſoli Deo cognoveritis exiſtere placitum, inſtanter, modeſte, & cum omni dignemini intentione complere; ſcientes quia in eo quod hęc eam ſalubria vota completis, vos Deo amabiles aſſignatis; & in eo quod decretorum * veſtrorum edicta favoris exhibitione corroboro, me vobiſcum ſimul Deo placiturum aſſigno. In commune jam vobis cunctis & ex divino cultu miniſtris idoneis, & ex aula regia rectoribus decenter electis divini nominis adjuratione conſtrictis, adjicio conſenſionis meæ verum purumque promiſſum: ut quodcumque juſtitię, aut pietati, ſalutarique diſcretioni vicinum decernere, ſeu adimplere cum * noſtro conſenſu elegeritis, omnia favente Deo C perficiam, & adverſus omnimodam controverſiarum querelam, principali auctoritate muniam, ac defendam, * promiſſis illis, quæ ad domeſticos fidei regula veritatis pertinuiſſe probavit. Adhuc aliud a beatitudinis veſtrę conventu ejuſdem fidei * aviditas ſancta depoſcit, connectente me * in ſequeſtrationis confinio cauſam, quę * a noſtro dogmate probatur extranea: quam licet per me lucrari Chriſtus * exoptet, inimicam ſibi tamen eſſe non ambigit, donec quod ardenter optat, evidenter obtineat. Judęorum ſcilicet vitam, moreſque denuncio, quorum tantummodo novi terram regiminis mei pollutam eſſe peſte contagii. Nam cum Deus omnipotens omnes hac re- D gione radicitus extirpaverit hęreſes, hoc ſolum * ſacrilegii remanſiſſe dignoſcitur, quod aut noſtrę devotionis inſtantia corrigat, aut ultionis ſuę vindicta diſperdat. Ex his enim quoſdam traditionis errore vetuſtę video retinere jura perfidię; quoſdam vero ſacri baptiſmatis expiatos ablutione, ita in apoſtaſię * dolo relapſos errorem, ut deteſtabilior inveniatur in eis * profanatio blaſphemię, quam in illis; quos nondum conſtat purificatos eſſe regenerationis * ſacro liquore. Pro quo bonę intentionis agone, & lucro fidei veræ, obſecro reverentiam beatitudinis veſtræ, atque per ſupra taxatum conteſtor tremendæ conjurationis tenorem, ut abſque omni favore, ut abſque E omni perſonarum patris ipſorum acceptione, quidquid ad domini & redemptoris mei Jeſu Chriſti veram fidem, verumque pertinet * amorem, de his jubeatis ardenter & veriſſime Deo, ac fidei meæ placitam ſententiam dare. Ut ſicut mihi divina pietas regimen fidelium dedit, cum quibus ſe a me glorificari cognoſcit, ita quoque infidelium aſſequi tribuat lucrum, in quibus & voluntatis ſuæ fieri bonum, & ejus adveniſſe congaudeam venerabile regnum. Datum ſub die decima ſeptima Kalendarum Januariorum, anno feliciter quinto gloriæ regni noſtri. * In nomine domini, Flavius Reccefvindus rex hanc fidei & bonæ voluntatis meæ deliberationem manu mea ſubſcripſi.

Relecta tomi pagina, vel finita, cum glorificaſſemus Deum de fidei principalis auditu, & de bonæ voluntatis ejus affectu, ad * peragendum cauſarum ceterarum negotium ſtatim * vertimus animum, ſimulque ſumus exorſi * judicium.

* legis impletur,
* & per venerabilem omnium ſanctorum patrum (per quem obteſtor) ſanctum conc.
* mentis ducentes obtutum,
* noſtrorum
* ſancto
* præmiſſis
* devotio
* in ſequentis traditionis conſ
* veſtræ digaitati
* exhortetur.
* ſacrilegii dedecus
* doleo, *al.* denuo prolatio
* ſacræ
* honorem.
* Item ſubſcriptio: in nom.
* peragendarum.
* initium.

## I.

Tunc primæ narrationis exortu, veræ fidei nobis tractatus occurrit: ut incipientes de illa primitus loqui, inde ſoliditatis auſpicemur exordium, unde ſacræ ſumpſimus nativitatis initium. B Quatenus aſſertionum * noſtrarum forti præmiſſa ſententia, quidquid ſubſequenter advenerit de actis negotiorum, fortius * ſubſiſtere valeat * ſeriem decretorum. Itaque unius ſacræ fidei veram profeſſionem, veramque regulam tenere, nos tota virtute animi & profitemur, & acclamamus, cunctiſque percipiendam, ac retinendam plena deliberatione, inceſſanter prædicamus & pandimus; ſicut a ſanctis apoſtolis oſtenta docetur, ſicut a ſequentibus patribus orthodoxis diſſerta probatur, ſicut etiam in ſanctis illis ſynodalibus geſtis veriſſime confirmata dignoſcitur; in quibus Arii, Macedonii, Neſtorii, vel Eutychetis inſaniſſimus error & dilucide proditur, & radicitus extirpatur: ſicut C denique [b] in ſacris miſſarum ſolennitatibus concordi voce profitemur, ac dicimus.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium conditorem: & in unum dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula; Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum non factum, homouſion Patri, hoc eſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ: per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo, & quæ in terra: qui propter nos, propter noſtram ſalutem * deſcendit, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria virgine, & homo factus eſt; paſſus ſub D Pontio Pilato; ſepultus, tertia die reſurrexit. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram * Patris: inde venturus in gloria judicare vivos & mortuos; cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum ſanctum, dominum, vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio adorandum, & glorificandum; qui locutus eſt per prophetas: * in unam catholicam atque apoſtolicam eccleſiam. Confitemur unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Expectamus reſurrectionem mortuorum, * vitam futuri ſæculi. Amen.

Hujus ſanctæ fidei regula idcirco nunc tractatus non recipit aperturam, quia & a ſacris doctoribus abunde conſtat expoſita, & immi- E nentium cauſarum negotia nos ad alia pertrahunt peragenda.

## II.

Secundæ diſputationis occurſu adfuit negotium tam difficile, quam & grave, in quo de refugis atque perfidis diſputatione commota; utrumne poſſet eorumdem temperari ſententia damnatorum, magno ſatis conatu eſt exquiſitum. Sed cum illarum ſeries conditionum, ad quas decurſis non longe temporibus pro eorum penuria, hoſtilitatis vaſtitas * nos jurare coegerat, noſtris eſſet auditibus recenſi

ta,

* ſanctarum
* ſuſtinere
* ſerie recte.
* deſcendit de cælis, incar.
* Dei patris omnipotentis
* & unam
* & vitam
Conc. Tolet. 7 c. 1.
* non

ta, tantam repetimus obligationis illic ineſſe A cenſuram, ut macularum ſuarum nodoſitas non tantum videretur prohibitionem dediſſe tranſgreſſionum, quantum concluſiſſe viſcera pietatum. Aderat enim, quod in utroque pavor agebat, & ne ſancti nominis profanatio fieret, & ne miſerationis operatio interiret, quia ex Dei nominis profanatione non aberat, * quod tenebat; & ex prohibitione pietatis aderat, quod tædebat. Dumque alterno periculorum objectu * ſe prolatæ ſententiæ compugnarent, periclitabamur * in bifido partium diſſidentium calle, quo * diremptionis tramite judicium properaret. Sed cum greſſibus diſputationis noſtræ ſeſe difficultatis congreſſio * devia objeciſſet, properandi tandem relicto diſcrimine, cum B fragore ſingultuum, & imbribus lacrymarum ad Deum, qui pietatis fons eſt, verba ſimul & corda convertimus, orantes: Adſpira ſancte Spiritus, & ducito nos in portum voluntatis tuæ, ſedatis fluctibus ignorantiæ noſtræ. Ecce enim periculorum ſyrtes: in litore curſus noſtri * pervenimus, atque * hujuſmodi obviantibus naufragiorum obicibus, quo * diſpoſitionis noſtræ vela pandamus, * attentius conſideratione non cernimus. Sed adſpira rurſus ſancte Spiritus, & dato nobis te donante noſſe quod jubeas, ac te juvante implere poſſe quod juſſeris: ut & * perluſtrando illumines, quod neſcimus, & adjuvando * proficias, quod implere pavemus. C * Si jam ergo in te quieſcentes, erroneorum fluctuum pavoribus abdicatis, commercia nos * jubes diſponere pacis, inchoemus illa, quæ & in gloriam tuæ omnipotentiæ conferantur, & humanæ ſaluti te * adnitente donentur. Temporibus non procul excurſis, cum quorumdam * refugarum tumultuoſa ſeditio frequenter vaſtationes terris inferret, & ſcandala populis cum excidiis irrogaret; adeo ut captivorum turmas * reducere, & deſolationes terræ, quæ tali concuſſæ ſunt peſte, quilibet conatus nequeat reparare, & * actum eſt vi potius neceſſitatis exortæ, quam deliberatione judicii, ut contra eoſdem, eiſdemque ſimillimos, cum omni fere populo acerrima jura- D menta daremus. Unde juraſſe nos per atteſtationem divini nominis, conditio juramenti demonſtrat, & ne reſolvi queat, ſacræ ſcripturæ auctoritas inſtat: ſcribitur namque in Exodo: *Non aſſumes nomen domini Dei tui in vanum: neque enim inſontem habebit dominus eum, qui aſſumpſerit nomen domini Dei fruſtra.* Item in Levitico: *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen domini Dei tui. Ego dominus.* At vero, quia illata preſſurarum acerbitas reſolvi poſſit ac debeat, tam vinculorum & lamentorum * error inſinuet, quam ejuſdem auctoritatis dominicę pręcepta commendant. Etenim juxta veterem translationem ita quoſdam per Iſaiam gravi exprobatione dominus increpat, E dicens; *Væ filius deſertionis, dicit dominus: feciſtis conſilium non per me, & ſponſionem non per ſpiritum meum, adjicere peccatum ſuper peccatum.* Item Jeremias: *Iniquitates noſtræ declinaverunt iſta, & peccata noſtra amoverunt bona a nobis: quia inventi ſunt in populo meo impii, & laqueos ſtatuerunt ad diſperdendos viros, & comprehenderunt. Ut laqueus inſtans plenus volatilibus, ſic domus eorum plenæ dolore.* Et per Michęam: *Heu mihi * anima, quia * perit revertens ad terram; & qui corrigit, inter homines non eſt: omnes in ſanguine judicantur; unuſquiſque proximum ſuum * tribulat tribulatione; in malum manus ſuas præparant.* Ad beneficientiam certe, quę divinis oculis tanto eſt gratior, quanto & invenitur eſſe pręſtantior, ſic nos Iſaias inſtruit, dicens: *Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes.* Paulus etiam vas electionis: *Pietas ad omnia utilis eſt.* Et Jacobus: *Judicium ſine miſericordia illi qui non fecerit miſericordiam: ſuperexaltat autem miſericordia judicium.* Joannes item: *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: & ſcitis, quia omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem.* Et per * ſemetipſum veritas: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.* Et iterum: *Dimittite, & dimittetur vobis: ſi autem non dimiſeritis, nec pater veſter B cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra.* Ecce ſunt dominicæ juſſiones hinc, inde adſtipulata firmiſſima cautione præcepta: ac proinde quia ſunt divini oris proſecutione taxata, manebunt per omnia æterna lege præfixa. Quid ergo? numquid aut * juramenti juſtitiam, aut * miſericordiæ pacem ſibi contraire narrabimus, dum ſcriptum ſit: *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi juſtitia & pax ſe complexa ſunt?* aut quia controverſiarum lapſus ſeſe in * contentione diffundunt, ideo unius partis aſſertionem narrabimus non implendam? * Cur alterius aſſertio partis jacturæ * comminatur inſtantiam? & quia juramenti cuſtodia ultionem non tem- C perat paveſcendam, idcirco impietatis atrocitas mortem pariet execrandam? Abſit: etenim ſi publicis ſacramentorum geſtis (quod Deus avertat) a quibuslibet illicita, vel non bona extitiſſet conditio alligata, quæ aut jugulare animam patris, aut agere compellere ſtuprum ſacratiſſimæ virginis, numquid non tolerabilius eſſet ſtultæ promiſſionis rejicere vota, quam per inutilium promiſſionum cuſtodiam, exhorrendam criminum impleri menſuram? Quod ſi ita eſt, quomodo crederetur unius obſervantia juſſionis eſſe fons pietatis, cum emitteret * rivulos ultionis? Aut quænam illa eſſet ſacræ obſervatio legis, quę ſacrilegia committeret * pravitatis? Vel cujus menſuræ æquitas videretur, D ut ex unius pręcepti cautela, necis exoriretur immanitas truculenta? At nunc non ita contendimus, ut contentionum divortiis concitatis, nosipſos contentionis certaminibus miſceamus. Eſt vere pax in utroque quod dicimus: quia ſic Spiritus ſanctus iter noſtrum ac curſum temperat, ut in nullo * devium hoc * a ſua diſpoſitione ſecludat: unde plana jam voce, pleniori fide, pleniſſimaque intentione prędicimus, atque in tota ſanctę eccleſię univerſitate prędicamus pariter & optamus, nulla profanatione ſolius & ſummæ divinitatis nomen exiſtere aſſumendum, nullo perjurii ſacrilegio indebite profanandum, nullo uſpiam contractu fallaciæ contingendum. Nam ſi atteſtante ve- E ritate, propter profanationem perjurii evitandam prohibetur omnino jurare, cum dicitur: *Sit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non: quod autem plus his eſt, a malo eſt:* quomodo impunitum erit, nomen tantę glorię voluntarie profanaſſe, dum in eo taxata fides dignoſcitur interiſſe? vel quatenus pacis fœdera * in gentium diſſidia ligabuntur, ſi non juramenti pacta ſanctiori integritate ſerventur? Etenim omne quod in pacis * fœdere venit, tunc ſolidius ſubſiſtit, cum juramenti hoc interpoſitio roborat. Sed & omne quod animos amicorum conciliat, tunc * fixius durat, cum eos ſacramenti vincula ligant. Omnes etiam quod * teſtis adſtipu-

Marginal notes (left column):
* qui terrebat,
* ſibi
* ancipites in
* diremptionis ad directionis
* & de via non abjeciſſet
* proveniunt.
* hinc inde
* diſputationis
* attentionis
* per te luſtrando
* perficias
* Simus ergo in te requieſcentes, & etc.
* jube
adnuente
* refutatorum
* ducerent, & eccleſiarum deſolationes facerent, quæ
* tali
exactum
22. qu. 4. Neceſſe eſt.
Exod. 20.
Levit. 19.
* horror inſinuat.
Iſa. 30.
Jerem. 5.
* anima mea
* periit revertens a terra;
* tribulat, omnes in malum

Marginal notes (right column):
Iſa. 58.
1. Tim. 4.
Jacob. 2.
1. Joan. 3.
Luc. 6.
Matth. 6.
* ſemetipſam.
* juramenta juſtitiæ.
* juramenti miſericordiæ
Pſal. 84.
* contentionem
* ne
* patiatur
22. qu. 4. Si public.
Ivo p. 12. c. 9.
* tribulos
* probitatis?
* devius nos caſus a diſp.
* a ſe ſecludat.
Mat. 5.
* inter
Ivo p. 12. c. 2. 22. q. 1. Omne quod.
* fœdera
* fidelius
* teſtibus adſtipulatur,

pulat, tunc verius conſtat, cum id adjectio ju- A
rationis affirmat. Quod ſi teſtis deficiat, inno-
centis fidem ſola jurisjurandi taxatio manife-
ſtat. Hinc & ut * mentibus humanis divina
* motibus humanis voluntas panderet * quod volebat, ne labens
fragilitas pro incerto teneret, quod inviolatę
veritatis promiſſio exprimebat, per Iſaiam lo-
quitur, dicens: *Ego dominus, & non eſt alius;*
Iſa. 45. *in memetipſum juravi*. Si ergo tantę inſtitutio-
nis limite ſunt votiva juramenta ſervanda, quis
alienorum a veritate hęc adſtruat execrabiliter
violanda? Stabunt ergo ſacrę auctoritatis vivi-
da juſſa, nec vana profanatione erunt aliqual
tenus temeranda. Verum ne juramenta, quę
data ſunt, videantur in nos ita penitus miſe-
rationum concluſiſſe pręcordia, ut nullam de B
pietatis affectu animę viſcera concipiant indul-
gentiam paritura; ſic ſtabilitis contractibus
* juramento * juramenti, ſinum miſericordię aperimus, at-
que ita cunctis Deo placita devotione miſe-
reri cenſemus, ut nos nec juramenti teneat
cautio reos, nec inhumanitas faciat execran-
dos. Occurrere certe miſerorum ruinis debet
ſubſidio unuſquiſque, quo valet, & relevatio-
ne alienæ vindictæ, a ſe Dei removere vindi-
ctam libat enim domino proſpera, qui ab af-
* Unde Job, juvante paſſionis ſuæ experientia, impendens patientibus paſſionis ſuæ patientiam memorabat, ſuarumque virt. flictis pellit adverſa. * Inde Job, ante paſſionis
experientiam * impudens patientibus, quod in
paſſionis ſuæ patientia memorabat, ſuarum
virtutum catalogum texens, inter cetera ſic
connectit: *Benedictio perituri ſuper me veniebat,* C
*& cor viduæ conſolatus ſum* Et paulo poſt: *Fle-*
*bam quondam ſuper eum qui afflictus erat, & com-*
*patiebatur anima mea pauperi*. Hinc & Salomon:
* impudens *Erue eos qui ducuntur ad mortem: & qui tra-*
Job. 29. *huntur ad interitum, liberare non ceſſes*. Qui-
Job. 30. bus ſanctæ auctoritatis inſtructi decretis, nec
Prov. 24. ſanctum nomen profanaſſe nos conſtat, quod
nullatenus profanandum vox noſtrę pręedicatio-
nis inſinuat, & indulgentiæ viſceribus adaper-
tis, licet oris ſui profeſſione damnati difficile
mererentur abſolvi (juxta quod ſcriptum eſt:
2 Reg. 1. *Sanguis tuus ſuper caput tuum; os enim tuum*
Matth. 12. *locutum eſt adverſum te*. Et iterum: *Ex ore*
*juſtificaberis, & ex ore tuo condemnaberis*) ta-
Diſt. 13. c. Duo mala. men pietatis intuitu, & parcendi viam pandi- D
mus, qui & miſericordiam prorogamus. Hu-
Ivo. p. 12. c. 16. jus ſane promiſſionis incaute crudam, cruen-
Burc. l. 12. c. 19. & c. 24 tamque temperare ſententiam illa quam maxi-
me compellimur cauſa, quod hęc duo mala
licet ſint omnino cautiſſime pręcavenda, tamen
* temperato ſi periculi neceſſitas ex his unum * remeare
compulerit, id debemus reſolvere, quod mi-
* obligari. nori nexu noſcitur * obligare. Quid autem
* pietatis acumine, al. puræ rationis. ex his levius, quidve ſit gravius, * pro ratio-
nis acumine inveſtigemus. Etenim dum per-
jurare compellimur, creatorem quidem offen-
dimus: ſed nos tantummodo maculamus, &
Dei juſta ſuperbe contemnimus, & proximis
impia crudelitate nocemus, & noſipſos crude-
liori mortis gladio trucidamus: illic enim du- E
plici culparum telo percutimur, hic tripliciter
jugulamur. Reſtat ergo ut eo noſtra pergat
ſententia, quo miſericordię patuerit via: quæ
ita domino probatur accepta, ut plus eam cu-
piat quam ſacrificia veneranda, dicente ipſo:
Oſee. 6. Matth. 9. *Miſericordiam * volui, & non ſacrificium*. * Ac
* volo, * Hac indulgentię conceſſa licentia, miſerationis ipſius
opus in glorioſi principis poteſtate redigimus;
ut quia Deus illi; miſerendi aditum patefecit,
remedia pietatis ipſe quoque non deneget: quę
ita principali diſcretione moderata * perſiſtunt,
* perſiſtant, ut & illis ſit aliquatenus miſericordia contribu-

A ta, & nuſquam gens, aut patria per eoſdem,
aut periculum quodcumque perferat, aut ja-
cturam, hęc miſerationis obtentu temperaſſe
ſufficiat. Ceterum quæcumque juramenta pro
regiæ poteſtatis ſalute, vel * contractione gen- * conſtitutione al. confiſcatione
tis & patriæ vel hactenus ſunt exacta, vel de-
inceps extiterint exigenda, omni cuſtodia, om-
nique vigilantia inſolubiliter decernimus obſer-
vanda, a membrorum truncatione, mortiſque
ſententia * religione penitus abſoluta. Sed * relegatione
ne pravarum mentium verſuta nequitia noſmet
ad perjurii quandoque devocet culpam, nec a
ſanctæ fidei regula hanc aſſerat venire ſenten-
tiam, tam divinæ auctoritatis oracula, quam
præcedentium patrum aſſerta huic narrationi
B curavimus innectenda. Etenim incommutabi- 22. q. 4. Incommutab.
lis idemque exiſtens Dei ſummi natura præcel-
lens, ſua ſæpe in ſacris literis legitur mutaſ-
ſe promiſſa, & pro miſericordia temperaſſe
ſententiam. Unde quamlibet ſit impaſſibilis 22. q. 4. Incommutab.
atque immutabilis, * idemtidem deitate fir- * Idem quidem ejuſdemque deitatis, licet ſint dicta firmiſſ.
miſſima, crebro tamen ejus & juramenta le-
guntur, & pœnitentia: quæ ſacris extant my-
ſteriis * adoperata. Jurare namque Dei, eſt
a ſeipſo nullatenus ordinata convellere: pœ- * adoperta
nitere vero, eadem ordinata, cum voluerit,
immutare. Sic enim per Jeremiam dicit: *Re-* Jerem. 18.
*pente loquar adverſus gentem & adverſus regnum,*
*ut eradicem & deſtruam, & diſperdam illud. Si* * ſuper
*pœnitentiam egerit gens illa * a malo ſuo, quod*
C *locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœni-*
*tentiam ſuper malo, quod cogitavi ut facerem*
*ei*. Et per Ezechielem: *Si dixero juſto, quod* Ezech. 33.
*vita vivat, & * confiſus in juſtitia ſua fecerit* * converſus
*iniquitatem: omnes juſtitiæ ejus oblivioni traden-*
*tur, & in iniquitate ſua, quam operatus eſt:*
*in ipſa morietur. Si autem dixero impio: Mor-*
*te morieris; & egerit pœnitentiam a peccato ſuo,*
*vita vivet, & non morietur*. Si ergo noſtra
converſio ſic divinam mutat ſententiam, cur
miſerorum tantæ lacrymæ, vel * preſſura tam * preſſuræ
crudam non * temperet ex miſeratione vindi- * temperent.
ctam? Hinc etiam populo Iſraelitico ſæpe ul-
tio promiſſa ſuſpenditur, & Ninivitarum
perditio divinæ ſententiæ permutatione ſeda-
D tur.

At vero illuſtri laudum titulo præclarus au- Amb. lib. 1. c. 50.
ctor Ambroſius in libro de officiis primo, hu- Matth. 14.
juſcemodi rei cauſa ſic loquitur: Eſt enim con- Marc. 6.
tra officium nonnunquam, promiſſum ſolve-
re, ſacramentum cuſtodire: ut Herodes, qui
juravit, quoniam quidquid * petitus eſſet, da- * petitura
ret filiæ Herodiadis: & necem Joannis præſti-
tit, ne promiſſum negaret. Nam de Jephthe Judic. 11.
quid dicam, qui immolavit filiam, quæ ſibi
* victori primum occurrerat, quo votum im- * victori
pleret, quod ſpoponderat, ut quidquid ſibi
primum occurriſſet, offerret Deo? Melius
fuerat nihil tale promittere, quam promiſſum
ſolvere parricidio. Item in libro tertio. Pu- 22. q. 4. Unuſquiſque ſimplic.
E rum igitur ac ſincerum oportet eſſe affectum,
ut unuſquiſque ſimplicem ſermonem proferat,
vas ſuum in ſanctitate poſſideat, nec fratrem
in circumſcriptione verborum * inducat, nihil * ſeducat.
promittat inhoneſtum: * at ſi promiſerit, to- * ac ſi promittere quærat,
lerabilius eſt promiſſum non facere, quam fa-
cere quod turpe ſit. Sæpe plerique conſtrin-
gunt ſe jurisjurandi ſacramento, & cum ipſi
cognoverint promittendum non fuiſſe, * ſacra- * jus ſacramenti
menti tamen contemplatione faciunt, quod ſpo-
ponderint; ſicut de Herode ſupra ſcripſimus, Matth. 14.
qui ſaltatrici præmium turpiter promiſit, cru-
deliter ſolvit. Turpe eſt, quod regnum pro
ſal-

ſaltatione promittitur : crudele, quod mors A
*Marc. 6.* prophetæ pro jurisjurandi religione donatur .
* tali Quanto tolerabilius * tale fuiſſet perjurium ſa-
cramento ? Et poſt pauca de Jephthe diſſe-
*Judic. 11.* rens : Miſerabilis , inquit , neceſſitas , quæ
ſolvitur parricidio . Melius eſt non vovere
quam vovere quod ſibi is cui promittitur, no-
22 q. 5 Non lit exſolvi . Et poſt paululum . Non ſemper
ſemper. igitur promiſſa ſolvenda omnia ſunt . Deni-
*Jonæ 3.* que ipſe dominus , ſicut ſcriptura indicat, fre-
quenter ſuam mutat ſententiam . Vir quoque
ſanctiſſimus Auguſtinus veſtigationis acumine
cautus , inveniendi arte præcipuus , aſſerendi
copia profluus , eloquentiæ flore venuſtus, ſa-
pientiæ fructu fœcundus , hæc in ſuis narrat
* affectibus * affatibus . Duo ſunt omnino genera men- B
*Burch.* daciorum , in quibus non magna culpa eſt,
* pro miſericordia , *al.* ſed tamen non ſunt ſine culpa , cum aut jo-
pro proximis camur , aut * proximis mentimur : illud pri-
*al.* aut cum mum in jocando ideo non eſt perniciosiſſimum,
promittimus quia non fallit : novit enim ille cui dicitur,
mentimur. joci cauſa eſſe dictum : ſecundum autem id-
* minus eo * mitius eſt , quia retinet nonnullam bene-
* idem volentiam . * Ideo ipſe: Non auferat, inquit,
veritas miſericordiam , non miſericordia impe-
diat veritatem. Si enim pro veritate, aut quaſi
rigida veritate , oblitus fueris miſericordiam,
*Pſal. 84.* non ambulabis in via domini, in qua *miſericor-
dia & veritas obviaverunt ſibi*.

Beatus etiam Gregorius papa , & libris &
* vita mer. * meritis honorandus, atque in ethicis aſſer- C
tionibus pene cunctis merito præferendus , ſic
in libris infert moralibus : Quia ergo Beemoth
iſte ita inexplicabilibus nodis ligat, ut plerum-
que mens in dubio adducta , unde ſe a culpa
ſolvere nititur , inde culpa arctius adſtringatur,
*Job. 40.* recte dicitur : *Nervi teſticulorum ejus perplexi
ſunt* : argumenta namque machinationum illius
quo magis laxantur , ut relinquant , eo magis
implicantur , ut terreant . Eſt tamen quod
ad deſtruendas ejus verſutias utiliter fiat . Et
cum mens inter minora & maxima peccata
conſtringitur , ſi omnino nullus ſine peccato
evadendi aditus patet , minora ſemper eligan-
tur . Quia & qui murorum undique ambitu,
ne fugiat, clauditur , ibi ſe in fugam præcipi- D
tat, ubi brevior murus invenitur. Noſtri quo-
que ſæculi doctor egregius eccleſiæ catholicæ ,
noviſſimum decus, præcedentibus ætate poſtre-
mus, doctrinæ comparatione non infimus , &
quod majus eſt , in ſæculorum fine doctiſſi-
Iſidor. lib. 2. mus , atque cum reverentia nominandus Iſi-
ſent. c. 31 de dorus , in libro ſententiarum ſecundo hæc pro
juramen ſent. tali narrat negotio : Non eſt conſervandum
10. & 22. & ſacramentum , quod * male & incaute promit-
q. 4. Non eſt titur : velut ſi quiſpiam adulteræ perpetuam
hoc cum ea permanendi fidem polliceatur . Tole-
* malum incaute rabilius eſt enim ſacramentum non implere,
Iſidor. lib. 2. quam permanere in ſtupri flagitio . Similiter
Vide hic in ſynonymis : In malis promiſſis reſcinde fi-
Burc qui hic mire variat. dem, in turpi voto muta decretum , quod in- E
caute voluiſti, non facies: impia eſt promiſſio,
quæ ſcelere adimpletur . Hæc de ſacris pagi-
nis , auctoribuſque præcipuis breviſſime ſuffi-
ciat prælibaſſe . Nam plurima colligere pot-
erit, qui hæc attentius legendo quæſierit . Ce-
terum quibus hæc nequaquam ſufficiunt , vel
hinc ſumant cum rubore ſilentium : quia optat
vas electionis anathema eſſe a Chriſto pro fra-
*Rom. 9.* tribus * noſtris , quam perdurare crudelibus in
* ſuis delictis.

III.

Tertiæ ratiocinationis alloquio doluimus ,
A * contra priorum monita patrum , vota perni-
cioſiſſima poſterorum . Nam quanto frequen-
tius illi noxia vetuerunt , tanto ſtudioſius iſti
perpetrare vetita non quieſcunt . Sicque per
contrarium , quod penitus occumbere debuit ,
inſultare non deſinit : & res quæ tot exciſa de-
cretis areſcere potuit , ad vicem * Lernæi ca- * Hydræ
pitis , ut ferunt fabulæ, truncata vireſcit . De-
nique, quod ſine magno dolore dicendum non
eſt , reperiuntur quamplurimi negotio mune-
ris perituri , mercari velle gratiam Spiritus
ſancti , dum vile præmium donant , ut ponti-
ficalis ordinis ſublime culmen accipiant ; obliti
verborum Petri , qui dixit ad Simonem : *Pe-
cunia tua tecum ſit in perditionem , quoniam do-*
B *num Dei exiſtimaſti per pecuniam poſſideri*. Pro- *Act. 8.*
inde quia & uſitatum eſt tale malum , & ma-
jorum frequenter extat mucrone ſucciſum , nos
quoque huic vulneri cancroſo ignitum , quod
ſupereſt, adhuc injicimus ferrum ; decernentes
omnimodo , ut quicumque deinceps pro perci-
pienda ſacerdotii dignitate quodlibet præmium Decret.
detectus fuerit obtuliſſe , ex eodem tempore ſe Ivo p. 5. c. 83.
noverit anathematis opprobrio condemnatum,
atque a * perceptione Chriſti corporis & ſan- * participatione.
guinis alienum, ex quo illum conſtat hoc exe-
crabile Chriſto, perpetraſſe flagitium . Quod ſi
aliquis extiterit, qui accuſet: ille qui hunc or-
dinem munerum fuerat acceptione lucratus , &
ſuſcepti honoris gradu privetur , & in monaſte-
C rio ſub perenni pœnitentia religetur . Illi vero
qui pro hac cauſa munerum acceptores extite-
rint, ſi clerici fuerint, honoris amiſſione mul-
tentur; ſi vero laici, anathemate perpetuo con-
demnentur .

IV.

Quartæ congreſſionis eventu obvius ſeſe no-
bis intulit pontificalis culminis lapſus , quem
ante flere , quam diſponere compulſi ex ordine
ſumus . Nam cum ſecundum carnis aſſumptæ
myſterium eccleſiæ ſuæ fuerit dignatus caput
exiſtere Chriſtus , merito in membris ejus in-
tentio epiſcoporum officia peragere cernitur ocu-
lorum . Ipſi enim de ſublimiori celſitudine * or- * ordinis
D dinum regunt & diſponunt ſubjectas multitudi-
nes plebium . Unde quanto ipſi fiunt ſequen-
tium * ducatores , tanto meritorum lumine de- * doctores.
bent eſſe fulgentes . Quapropter omnes epiſco-
pi , inter ceterarum ornamenta virtutum , ni-
tore carnis debent propenſius enitere ; ut ex
hoc, audientes munditiam appetant , ex quo
doctores immunditia non deturpat . Adeo ut
ſi deinceps epiſcopi detecti fuerint execrabilibus
flagitiis cum quibuslibet fœminis pollui , aut
familiari peculiaritate verſari, noverint ſe irre-
vocabili ſententia patrum ulciſci, id eſt, & lo-
ci & ordinis ſui dignitate privari.

V.

E Quintæ actionis impulſu pervenit ad totius
concilii ſacrum auditum , quoſdam ſacerdotes
& miniſtros obliviſcentes * majorum * veteri- * ac veterum conſtitutor.
bus conſtitutis , aut uxorum, aut quarumcum-
que fœminarum immunda ſocietate, & execra-
bili contagione turpari , * peſſimi cordis obſti- * & peſſima.
natione , tam ſacris literis quam patrum regu-
lis obviantes, nec levi quidem reſpiramine * me- * contemplantes quod
moriæ commendantes quod ſcriptum eſt : *Sancti
eſtote , quoniam & ego ſanctus ſum, dicit domi-
nus*. Et illud apoſtolicum : *Mortificate membra
veſtra, quæ ſunt ſuper terram*, id eſt , fornica-
tionem & immunditiam , concupiſcentiam ma-
lam

lam & avaritiam: quibus quanto eſt pertinacior * uſus in malis, tanto auſterioribus convenit obviare decretis. Propter quod * flagitii dedecus, ſpecialiter hoc a ſancto concilio definitur, ut omnes epiſcopi idipſum in ſuis quærere ſolicite curent, & cum hoc veriſſime reperire potuerint, omnes * placiti cautione tali diſtringant, ut nunquam ulterius tam abominanda committant. Mulieres vero, ſeu liberæ ſint, ſeu ancillæ, * ac illis turpitudine ſociatæ, ita omnibus modis ſeparentur, & monaſterio tradantur, * ut ulterius ad * conſcios ſui criminis revertendi omnem habeant aditum denegatum. Illi vero ſi omnino coerceri nequiverint, uſque ad exitum vitæ ſuæ monaſteriis deputati, * pœnitentiæ diſciplinis maneant omnino ſubjecti.

* vis
* flagitiis detectis
* placiti conſcriptione conſtringantur,
* tam turpiter ſociatæ,
* aut certe vendantur, ut
* conſocius
* diſciplinis monaſticis maneant.

## VI.

ſ Sextę diſcuſſionis objectu, quorumdam male ſibi conſciorum patuit denotatum elogium. Nam relatum eſt nobis quoſdam ſubdiaconos, poſtquam ad ſacri hujus ordinis pervenerint gradum, non ſolum carnis immunditia ſordidari, cum ſcriptum ſit: *Mundamini, qui fertis vaſa domini*; ſed etiam, quod dictu quoque nefas eſt, novis uxoribus copulari; aſſerentes hoc ideo ſibi licere, quia benedictionem a pontifice ſe neſciunt percepiſſe. Proinde omni excuſationum diſciſſo velamine, id præcipimus obſervari, ut cum iidem ſubdiacones ordinantur, cum vaſis miniſterli benedictio eis ab epiſcopo detur, (ſicut in ſ quibuſdam eccleſiis vetuſtas tradit antiqua, & ſacra dignoſcitur conſuetudo ſubſtare prolata) omni penitus ab illis ſorde mulierum, ac familiaritate remota. Quod ſi hoc vulnere deinceps fuerint ſauciati, mox erunt ſub pœnitentię oneribus, uſque ad extremum vitę monaſteriis religandi.

Iſa 52.

## VII.

Septimæ aſſertionis acceſſu adiit cœtum noſtrum tam inverecunda progreſſio, quam ignobilis ac deteſtanda pręſumptio. Quoſdam enim, aut eventu neceſſitatum, aut metu periculorum * adeptos fuiſſe novimus eccleſiaſticarum officia dignitatum: & quoniam cum illis hæc [D] imponerentur, id ſibi fieri noluiſſe * teſtantur, idcirco hæc ſpernere, atque ad priſtina pertentant conjugia moreſque redire; tam nequiter cœleſtia jura ſolventes, quam prompte ſęcularibus extant illecebris inhiantes. Qua de re noſſe nos convenit, quod epiſcopalis eminentiæ * culmen non immerito ſacris omnibus eſſe ſumma percenſuit, quæ ceteris ſacerdotibus exercenda prohibuit; ſcilicet templorum Dei ſacrationem, * chriſmæ benedictionem, ſacrorumque ordinum inſtitutionem, quæ tam divinaliter ordinata perſiſtunt, quam excellentiſſime conferuntur: quia & tanto ab eis ſingulariter impenduntur, quanto eidem ſummo culmini peragenda ſervantur. Quomodo ergo quod in [E] ſe recipit, a ſe rejicere poterit, cum hæc a nullo altero conferri, quam a ſoli- pontificibus novit, a quibus nec ligata ſolvi, nec ſoluta poterunt ab aliquo religari? Sic enim ad Petrum Veritas ait: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlo: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlo*. Nequaquam ergo aliquando poterit profanari, quod divina juſſione, ſimulque apoſtolicæ traditionis auctoritate ſacrum noſcitur extitiſſe. Verum ſicut ſanctum chriſma collatum, & [A] altaris honor, evelli non queunt: ita quoque * ſanctorum decus honorum, quod his compar habetur & ſocium, qualibet fuerit occaſione perceptum, manebit omnibus modis inconvulſum. Ad extirpandum vero radicitus hujus callidæ machinationis inutile argumentum, id ſibi rationabiliter dari noverint in objectu, quod ſacroſancti baptiſmatis inappretiabile donum eſt ſemper; & ſæpe non ſolum ʰ nolentibus, verum etiam (quod majus eſt) neſcientibus impertitur: ſed hoc a nullo penitus profanari permittitur. Quod ſi & hic opponitur, nec dum rationis capaces exiſtere, qui hoc probantur accipere; hic omnimodo * conticeſcant; quia ſi majores impune non deſerunt, quod parvuli vel neſciendo, vel nolendo percipiunt, [B] quanto magis non convenit violare, quod pro mortis, aut pœnarum evadenda pernicie, occulta Dei diſpenſatione dignoſcitur obveniſſe?

* ab epiſcopis ſumpiſiſſe novimus
* teſtati ſunt,
* divina auctoritas non
* chriſmatis

Matth. 16.

* ſacrorum
* cognoſcant;

Recedant ergo talium deſideriorum impudorati fautores; & licet inviti perceperint, quod non merebantur habere, libentes tamen ob cœleſte retineant præmium, quod nolendo, per terrenæ conſecuti ſunt neceſſitatis eventum: ut * tamen inviti appetant bona diligere, * quæ ſponte videntur * deſides impugnare. Quod ſi quis poſt hoc perennis diſpoſitionis editum, non ſinceriter ſacris inhæſerit cultibus, & abjiciens a ſe gratiam, quam accepit, relabi ad conjugia, moreſque ſæculi attentaverit, vel [C] cum redire conſtiterit, mox omni eccleſiaſtici ordinis dignitate privatus vere ut apoſtata a ſanctæ eccleſiæ liminibus, & ſocietate fidelium habeatur prorſus excluſus, monaſterii clauſtris, donec advixerit, ſub pœnitentia retrudendus.

* tam
* quem
* deſidentes

## VIII.

Octavæ diſceptationis * affectu reperimus quoſdam divinis officiis mancipatos tanta * neſciente ſocordia plenos, ut nec in illis probentur inſtructi competenter ordinibus, qui quotidianos verſantur in uſus. Proinde ſolicite conſtituitur, atque decernitur, ut * nullus cujuſcumque dignitatis eccleſiaſticæ deinceps * percipiat gradum, qui non totum pſalterium, vel canticorum uſualium, & hymnorum, ſive baptizandi perfecte * noverit ſupplementum. Illi vero, qui jam honorum dignitate funguntur, hujus tamen ignorantiæ cæcitate vexantur, aut ſponte ſumant intentionem * neceſſaria perdiſcendi, aut a majoribus ad lectionis exercitia cogantur inviti. * Abſurdum ſiquidem eſt, eos, qui ceteros ſimpliciores & laicos habent docere (quibus & diſciplinæ, & vitæ debent eſſe veluti quoddam ſpeculum) ad alicujus ordinis vel dignitatis promoveri ſtatum, qui legem Dei ignorant, nec literarum ſaltem mediocritate ſunt inſigniti. Nullus igitur ad ſacra Dei myſteria tractanda veniat indoctus * lotus aliquis, aut ignorantiæ tenebris cæcutiens: ſed ſolus is accedat, quem morum innocentia & literarum ſplendor reddunt illuſtrem. Aliter ordinaturis & ordinandis imminebit in poſterum Dei & ejus eccleſiæ vindicta.

* affatu
* neſcientiæ
* nullius
* percipiant
* noverint
* neceſſariam
* reliqua hujus capituli in quibuſdam exemplaribus deſunt.

## IX.

Nonæ intentionis admonitu detecta eſt ingluvies horrenda voracium, quæ dum fræno parſimoniæ non adſtringitur, religioni contraire * cenſetur. Nam dicente ſcriptura: *Qui ſpernit minima, paulatim decidet in maxima*: illi tanto

* monſtratur
Eccleſ. 19

tanta edacitatis * improbæ ſumptu graſſantur, ut cœleſtia & pœne ſumma contemnere videantur. Etenim cum [b] quadrageſimæ dies anni totius decimę deputentur, quæ in oblatione jejunii * domini conſecrantur, quibus etiam ſaluberrime conditio humani generis expiatur, dum a quatuor mundi partibus ad hanc homo religionem crediturus adducitur: quatuor elementis formatus, propter tranſgreſſionem decalogi quaterdecies convenienter affligitur: illi auſu temerario hæc omnia contemnentes, voracitatis ingluviem non frœnant, & (quod pejus eſt) paſchalia feſta illicitorum eſuum * præceptione profanant. Quibus ex hoc adeo acerrime interdicitur, ut quiſquis abſque * inevitabili neceſſitate, atque fragilitatis evidenti languore, ſeu etiam ætatis impoſſibilitate, diebus quadrageſimæ eſum carnium præſumpſerit attentare, non ſolum reus erit reſurrectionis dominicæ, verum etiam alienus ab ejuſdem diei ſancta communione. Et hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipſius anni tempore ab omni eſu carnium abſtineat gulam: quia ſacris diebus abſtinentiæ oblitus eſt diſciplinam. Illi vero, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat, non ante prohibita violare præſumant, quam a ſacerdote permiſſum accipiant.

* improbitate graſſ.
* domino
* perceptione
Ivo p. 15. c. 89.

## X.

1 Decimæ * conlocutionis aſſenſu moleſtis actibus, quos ſagax indagatio pietati obviare detexit, & non tam bene regendi licentia, quam ſe manſuetudo impugnaſſe probavit, ſatis (ut opinamur) & lege glorioſi principis, & decreto ſanctæ ſynodi hujus contradictum eſſe conſpeximus. Ita enim ſanctus Spiritus per utraſque definitiones mortalium corda perflavit, ut vitali flatu verborum in poſterum omnem exureret male concupiſcentium rabiem animorum. Actum namque eſt in definitionibus ipſis, ut quia pietatis divinæ incomprehenſibilis & ignota natura, ſeſe conditioni mortalium in * unione perſonæ conjunxit myſterio redemptionis humanę, nos quoque * a membris capitis hujus, & perfidię malum, & concupiſcentiam, quę radix malorum eſt omnium, & avaritiam, quæ invenitur ſervitus idolorum, pari ſimul igne ac mucrone, totoque artificio radicitus evellamus ac deſecemus. Ab hinc ergo, & deinceps, ita erunt in regni gloriam præficiendi rectores, ut aut in urbe regia, aut in loco ubi princeps deceſſerit, cum pontificum, majorumque palatii omnimodo eligantur aſſenſu; non * forinſecus, aut conſpiratione paucorum, aut ruſticarum plebium ſeditioſo tumultu. Erunt catholicæ fidei aſſertores, eamque & ab hac quæ imminet Judæorum perfidia, & a cunctarum hæreſum injuria defendentes: erunt actibus judiciis, & vita modeſti: erunt in proviſionibus rerum tam parci * amplius quam extenti, ut nulla vi, aut factione ſcripturarum, vel definitionum qualiumcumque, contractus a ſubditis vel exigant, vel exigendos intendant: erunt in conquiſitis * oblationibus gratiſſime rebus, non proſpectantes proprii jura commodi, ſed conſulentes patriæ atque genti. De rebus congregatis ab eis, illas tantum ſibi vendicent partes, quas dictaverit auctoritas principalis. Verum quæcumque inordinata reliquerit, hæreditabunt * gloriam ſucceſſores. Propria eorum, & ante regnum juſtiſſime conquiſita, aut filii, aut hæredes capiant jure proximitatis. De aſſinium ſucceſſione vel munere, quamvis inordinata relicta, aut primo tantum filius, aut hæredibus ſequenter proficiant, vel propinquis. Atque ita in eorum cunctis actibus, moribus, atque rebus præfatæ legis erit auctoritas valitura, ut ea perenniter maneat inconvulſa. Et non prius apicem regni quiſquam * perceperit, quam ſe de illa per omnia ſuppleturum jurisjurandi taxatione definiat. Cui etiam legi, vel decreto * epiſcopali, non ſolum in futuro, ſed etiam in præſenti reverentiam apponentes, decernimus, ut quicumque detractor, & non potius venerator decreti ejuſdem atque legis eſſe maluerit, ſive religioſus ille, ſive ſit laicus, non ſolum eccleſiaſtica excommunicatione plectatur, verum & ſui ordinis dignitate privetur.

* collocutionis.
* unitate
* membra capitis.
1. Tim. 6.
Epheſ. 5.
* certa
* Iſidori plus quam? Hard.
* obligationis gratiſſ.
* ſucceſſores propria conditione.
* percipiat
* epiſcopalem

## XI.

Undecimæ occaſionis articulo decretorum univerſalium perenne dedimus firmamentum, ſcientes, quod multimoda ſemper Deus * oppoſitione judiciorum ærumnam relevet oppreſſorum: & ſicut malis exigentibus hominum permittit exerceri pœnas ultionum, ita cum voluerit, gravedines relevat preſſurarum. Hinc & decreta præcedentium patrum ad contentionis jurgium radicitus evellendum, rite ſynodalem fieri cenſuere conventum; ut illic de diverſitate judiciorum * protenſæ lites habeant terminum, ubi Spiritus ſanctus univerſalem coadunaverit cœtum. Ab hoc ergo Spiritu ſancto ſuccenſi, ne * quilibet in poſterum, aut impune valeant * commoveri, aut generalia ſtatuta * convellere, plena decernimus unanimitate connexi, ut quæcumque pro fidei cauſis, eccleſiaſticiſque negotiis, aut præteritis geſtis, aut in præſentibus conſtitutis, aut futuris etiam in decretis * vel ſint, vel fuerint definitiones conſcriptæ univerſali auctoritate, nullus his deinceps contradicere audeat, nullus ea evertere præſumat, nullus non implere contendat. Nam ſi quis ex religione contra hæc inobediens, aut ſuſurrans, vel certe lacerator, aut invidus, aut non potius eorumdem fautor extiterit * gratioſus, & honoris ſui, & communionis ſanctæ lugeat amiſſione multatus. Cum vero quælibet ſancta ſynodus agitur, aut pacifice inter * pontifices quippiam definitur; ſi pauciores per neſcientiam vel contentionem forte diſſentiant; aut commoniti plurimorum ſententiæ cedant, aut ab eorum cœtu cum dedecore confuſionis abſcedant, * excommunicationis annuæ ſententiam luant.

* ſuppoſitione
* præteritæ
* quælibet
* committi,
* convelli,
* quæ ſint vel
* gratia & honore
* epiſcopos
* aut

## XII.

* Duodecima, quæ eſt finalis & ultima ſacratiſſimi principis obſecratione piiſſima, pro Judæorum abominabili ac neſanda perfidia, execranda noſtro cœtui perpatuit cauſa: quam idcirco in fine ſententiarum cenſuimus eſſe ponendam, quoniam eamdem gentem delicti ſui merito retroductam, per divinæ ſanctionis oracula a capite * poſitam deflemus * in caudam. Sed quia Chriſtus, ut pro nobis, ita quoque pro illis eſt mortuus juxta quod ipſe ait: *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierant domus Iſrael*; neceſſarium duximus ſummam pro eis impendere curam, pro quibus ſuam Chriſtus ponere non dedignatus eſt animam. Ideoque principali clementia devotiſſime * præfaventes, quæ ob hoc ſui regni apicem a domino ſolidari præoptat, ſi catholicæ fidei pereuntium turmas acqui-

* Duodecima quæſtionis propoſitione quæ eſt
* ſepoſitam
* nunc eſſe in cauda
Matth. 15.
* approbante.

* indignum reputans * imperare, & infidelium societate pollui,

quirat, (* indignum orthodoxæ fidei principem A
ſacrilegis * imperare, fideliumque plebem infi-
delium ſocietate polluere ) nihil aliud pro his
ex noſtra ſententia definitur, quam ut decreta
concilii Toletani, quod divę memoriæ Siſenan-
di regis aggregatum eſt tempore, a nobis ac
poſteris omnimoda ſuppleantur intentione.
Quiſquis autem ab ejuſdem ſynodi voluerint
ſententia diſſentire, ut vere ſacrilegum ſe no-
verit condemnari.

Conc. Tol. 4. c. 56. 57. 58. 59. 61. & 62.

## XIII.

Divinæ trinitatis inſeparabile nomen, ſicut
inſpiratione mirabili noſtrorum tractatuum pri-
mordia * lineavit, ita conſummatione ſublimi
* eadem jam perficiendo * concludit: ut in il-
lo ſit noſtrum explicuiſſe, a quo nobis adfuit B
inchoare. Damus ergo gloriam & honorem ei-
dem ſanctæ atque * indiviſibili trinitati, quæ
nobis * ex ſe dicere contulit, & in ſe dicta
complevit, quæ reformavit in extremitate ſç-
culorum remedia pietatum, & reſolvit ligami-
na * vinculorum. Sit gratiarum actio, ſalus,
& benedictio exercituum domino ſuper ſereniſ-
ſimum Reccesvinthum, principem glorioſum.
Gratiarum actio, & reverentiæ plenitudo, a
nobis omnibus in commune, ipſi clementiſſi-
mo principi bonorum gratifico largitori; cujus
votorum inſtantia benigna Deus attulit com-
plementa; cujus * diſpoſitione piiſſima preſſu-
rarum removit exitia; cujus temporibus * con-
ferat vigere juſtitiam & exuberare miſericor- C
diam opulentam; * cui poſt præſentis ævi tem-
pora, diuturnam cum ſanctis omnibus tribuat
in remuneratione coronam. Nos autem omnes
hanc decretorum ſeriem * ex rectæ, vel pieta-
tis ac juſtitiæ fonte manantem coram Deo &
ſanctis angelis ejus, orthodoxis omnibus, &
nunc & in futurum impenſiſſime commenda-
mus, obſecrantes enixius, ut hanc & reveren-
ter adimpleant, & ab æmulis benigne defendant.
Contemnentibus eam divinæ ſeveritatis ultio
pavenda proveniant, obſervantibus autem miſe-
ricordia profluens, pax perpetua, & gloria
ſempiterna contingat. Hujus quoque ſententiæ
fortitudine vel valore decreti noſtri ſeriem,
quam in ſereniſſimi domini noſtri Reccesvinthi D
regis edimus nomine, pro rebus a divæ me-
moriæ patre ſuo quolibet titulo conquiſitis, de-
cernimus omnino conſtare. Legem denique,
quam pro coercenda principum horrenda cupi-
ditate idem clementiſſimus edidit princeps, ſi-
mili robore firmamus, atque ut in futuris re-
tro temporibus modis omnibus obſervetur, pa-
ri ſententia definimus. Quæ etiam ne tacitur-
nitate temporum, vel oblivioſa vetuſtate * de-
pereant, huic noſtræ conſtitutioni utraque de-
cernimus innectenda; ita cunctorum memoriæ
commendanda, ut a cunctis regulis ſuperius or-
dinatis nuſquam maneant ſegregata. Cetera
quoque decretorum noſtrorum judicia, quæ ab
hac ſynodo noſcuntur eſſe confecta, ſi quis E
convellere forſitan decreverit, aut temere im-
plere neglexerit, vel infringere quandoque vo-
luerit, per judicium omnipotentis Dei anathe-
ma ſit. Soli autem Deo noſtro gloria in ſæ-
cula ſæculorum. Amen.

* illuminavit, * eumdem * concludat; * inviſibili * & hæc dicere * vinculorum collationibus gratiarum. * Salus & generali: * diſpoſitio * confert juſtitia vigorem * cui dominus poſt * ex rectæ fidei, * deferantur

*Interfuerunt huic ſancto concilio pontifices numero quinquaginta duo.*

## SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

Orontius, Emeritenſis metropolitanus epiſc.
Antonius, Spalenſis metropolitanus epiſc. A
Eugenius, regiæ urbis metropolitanus epiſc.
* Potamius, Bracarenſis metropolitanus epiſc.
Gabinus Calaguritanus epiſc.
Epartius Italicenſis epiſc.
Anſericus Segobienſis epiſc.
Dunila Malacitanus epiſc.
* Talo Gerundenſis epiſc.
Stephanus Aſtigitanus epiſc.
Tagontius Valerienſis epiſc.
* Donumdei Impuritanus epiſc.
Ubinibal Ilicitanus epiſc.
Joannes Caurienſis epiſc.
Floridus * Segobrienſis epiſc.
Marcus * Caſtellonenſis epiſc.
B Georgius * Agathenſis epiſc.
Vincentius Tuccitanus epiſc.
Selva * Egitanienſis epiſc.
Ubidericus * Segontinus epiſc.
Candidatus Aſturicenſis epiſc.
* Davila Complutenſis epiſc.
Egeredus Salmanticenſis epiſc.
Athanaſius * Setabitanus epiſc.
* Guericus Auſonenſis epiſc.
Mauricius Oretanus epiſc.
Abientius Elborenſis epiſc.
Filimirus Lamicenſis epiſc.
Servandus * Eliplenſis epiſc.
Silveſter Carcaſſonenſis epiſc.
* Ala Eliberitanus epiſc.
C * Unadila Viſenſis epiſc.
* Amanurus Abilenſis epiſc.
* Afrila Detorſanus epiſc.
Adeodatus Pacenſis epiſc.
* Bacanda Egabrenſis epiſcopus.
Felix * Valentinus epiſc.
* Euſorus Cordubenſis epiſc.
Froila Menteſanus epiſc.
Giberius Bigaſtrenſis epiſc.
Maurellus * Urgilitanus epiſc.
Hermenfredus * Lucenſis epiſc.
* Aſcarius Palentinus epiſc.
Celedonius Calabrienſis epiſc.
* Litorius Aucenſis epiſc.
Julianus * Auccitanus epiſc.
D * Sona Aurienſis epiſc.
* Servodeus Baſtitanus epiſc.
Siſebertus * Coimbrenſis epiſc.
* Taio Cæſarauguſtanus epiſc.
Euſebius Oſcenſis epiſc.
* Balduigius Arcavicenſis epiſc.

* Potamius Calaguritanus epiſc. & in ſequenti Potamius Bracarenſis, &c. * Tolla al. Talo. * Donus Impyrenæus. * Segobricenſis. * Caſtulonenſis * Egitanenſis * Egabrenſis * Segontienſis * Dalila * Setabienſis * Gubericus * Ilipenſis * Ala * Ubadila * Amanungus Elienſis. * Aprila * Baucada Agabrenſis * Valentinenſis * Phoſphorus * Urgelenſis * Icenſis * Aſcaricus * Accitanus * Sontanus * Servusdei Baſtianus * Conimbricenſis * Taia * Valduigius Arcobricenſis.

## * SUBSCRIPTIONES ABBATUM.

* Fugitivus * abbas ſubſcripſi.
Anatolius abbas ſubſcripſi.
* Euſicius abbas ſubſcripſi.
Ildefonſus abbas ſubſcripſi.
Simpronius abbas ſubſcripſi.
E Eumerius abbas ſubſcripſi.
Quiriacus abbas ſubſcripſi.
Morarius abbas
Joannes abbas.
Secundinus abbas.
* Marcellinus archipresbyter Toletanus ſubſcripſi.
* * Silicolus primicerius ſubſcripſi.

* abba * Eupſychius. * Siriculus

## SUBSCRIPTIONES VICARIORUM epiſcoporum.

* Oſdulfus Avianchimari epiſcopi eccleſiæ Dumienſis, ſubſcripſi.

* Odulgus abbas Riachimiari epiſcopi, al. Abſalus archipr ſubſc.

Servandus, archipresbyter Vincentii epiſcopi eccleſiæ * Agarenſis, ſubſcripſi.

Godeſcalcus, presbyter * Egilanis epiſcopi eccleſiæ * Oxomenſis, ſubſcripſi.

* Matericus, presbyter * Sonani epiſcopi eccleſiæ * Britanienſis, ſubſcripſi.

Victorinus, presbyter Beati epiſcopi eccleſiæ Tudenſis ſubſcripſi.

* Suttericus, diaconus Gaudiolani epiſcopi eccleſiæ Ilerdenſis, ſubſcripſi.

* Conantius, diaconus * Mareli epiſcopi eccleſiæ Dianenſis, ſubſcripſi.

Daniel, diaconus Marcelli epiſcopi eccleſiæ Urcitanæ ſubſcripſi.

Sindigis, diaconus Vincibilis epiſcopi eccleſiæ Irienſis, ſubſcripſi.

Sagarellus, diaconus Saturnini epiſcopi eccleſiæ Oſonobenſis, ſubſcripſi.

* Ezarenſis al. Gerabricenſis
* Egilæ
* Oxoblenſis.
* Mattericus
* Somnani
* Britolenſis.
* Gutfericus,
* Tonaatius diaconus Gaudoleni epiſcopi eccleſiæ Ilerdenſis
* Maurelii

## SUBSCRIPTIONES VIRORUM illuſtrium

* Hodoacrus comes cubiculariorum, & dux
* Oſilo comes cubiculariorum, & dux

Adulphus comes ſcantiarum, & dux.

* Dabilo, comes & procer,
* Aſtalaus comes.

Atanephus, comes & dux.

Ella, comes & dux.

Paulus, comes notariorum.

* Iuantius, comes ſcantiarum

Euredus, comes & procer.

* Ricilla, comes patrimoniorum

Afrilla, comes ſcantiarum.

* Ubenedarius, comes ſcantiarum, & dux.

Fandila, comes ſcantiarum, & dux.

* Cunefridus, comes ſpathariorum.
* Frolla, comes & procer.

* Hodoagrus, al. Odoacer
* Oſilo
* Babilo
* Ataulfus
* Evantius
* Riquira al. Ruochila,
* Benedarius.
* Cunefredus comes ſcantiariorum
* Procira comes patrimoniorum

*Decretum in die ſecunda univerſalis concilii editum in nomine principis.*

Soliditatem reddidiſſe fracturæ, atque feciſſe conſurgere quod extiterat colliſum, & incrementum eſt uſitatæ mercedis & plenitudo conſummatæ perfectionis. Ponderi etenim collidentis ruinæ, ſi æqualium proximorum * curam convenit obviare; quanto grandioris culpæ erit prælatos incuriæ diſcrimen incurrere, ſi non quo valent, * excommunicationis onere commiſſionis procurent populos ſublevare? Propecandum ergo eſt inter ruinas colliſionum, catervas eripere colliſorum: ut ex hoc jugiter & ultra, nec vigorem nocendi habeat execranda preſſura, & omnis compreſſus noverit ſanctionis eſſe * ſacra ſibi collata remedia. Cum decurſis ergo temporibus duræ * damnationis ſecie poteſtas gravis attolleret, & in ſubjectis populis * imperium dominantis non formaret jura regiminis, ſed excidia ultionis; aſpeximus ſubditorum ſtatum non ex ordine vegetari rectoris, ſed dejici ex gravedine poteſtatis. * Contraxerant enim * leges elata faſtigia in bifronti diſſidio motionis: & aut in culpis lex ardua ſæviebat, aut in ſpoliis favorem lex voluntarie commodabat. Inde mœſtos animos non ſpes fovebat ex munere, ſed tolerantia vexabat in funere. Inde jam in reparationis occurſu, non tantum nos abire ratio ſola cogit, verum & ipſa * commotio rerum impellit: ut ex omnium animorum deliberatione concordi illa * maneat ſententia dicti, quæ & finem auſibus rite ponat illicitis, & conſultum ſalvandis jure ferat populis. Quoſdam namque conſpeximus reges poſtquam fuerint regni gloriam aſſecuti, extenuatis viribus populorum, rei propriæ congerere lucrum: & obliti * quod regere ſunt vocati defenſionem in vaſtationem convertunt, qui vaſtationem defenſione pellere debuerunt. Illud gravius innectentes, quod ea quæ videntur acquirere, non regni deputant honori, nec gloriæ, ſed ita malunt in ſuo jure confundi, ut veluti ex debito decernant hæc in liberorum poſteritatem tranſmitti. Quam itaque ob rem in proprietatis illa conantur redigere ſinum, quæ pro ſolo conſtat illos imperiali percepiſſe faſtigio, * aut pro libito in juris proprii collocant antro, quod publicæ utilitatis acquiſitum eſſe conſtat obtentu. Nam numquid ad illos, aut populorum adventus, aut rerum poterat concurrere cenſus, niſi extitiſſent gloriæ ſublimati culminibus? aut * ab æqualibus illi * potuerant rerum coacervatione ditari, niſi * ſubjectis glorioſo apice potuiſſent attolli? Omnia tamen certe totius plebis membra ſubjecta, dum ad principale caput relevant attentum debitæ * viſionis obtutum, ab illo negotiorum proſpectant remedium, cui modo gratum, modo debitum irrogant cenſum. Regalis proinde ordo ex hoc cuncta ſibi deberi convincit, ex quo ſe * regere cuncta cognoſcit; & inde conquiſita, non alteri quam ſibi juſte defendit; unde non perſonæ, ſed potentiæ ſuæ hæc debere non ambigit. Regem * etenim jura faciunt, non perſona: quia nec conſtat ſui mediocritate, ſed ſublimitatis honore. Quæ ergo honori debentur, honori deſerviant: & quæ reges accumulant, regno relinquant: ut quia eos gloria regni decorat, ipſi quoque gloriam regni non extenuent, ſed exornent. Habeant deinceps jure conditi reges in regendo corda ſolicita, in operando facta modeſta, in decernendo judicia juſta, in parcendo pectora prompta, in conquirendo ſtudia parca, in conſervando vota ſincera: ut tanto gloriam regni cum felicitate retentent, quanto jura regiminis manſuetudine conſervaverint, & æquitate direxerint promiſſæ præmium * dilectionis. Ne non prodiſſe putetur ex fomite rationis, * revelare convenit * evidentiſſimam ſpeciem operis: ut ex illo nos idoneos aſſertores habeat probitas veritatis, ex quo * ſe per ſemetipſam * reſervaverit qualitas actionis. Ecce enim ita ex gentis noſtræ mediocribus majoribuſque perſonis, multos hactenus corruiſſe reperimus, & deflemus, ut eorum agnitis ruinis, non aliud poſſimus, quam divinæ judicia conſiderare * permiſſionis. Quorum quidem domorum ſpolia, & potentiarum divitias ſimul, & prædia ita [1] conſpicimus prorſus exinanita, ut nec fiſci uſibus commoda, nec palatinis officiis reperiantur in remedium ſalutare collata. Cujus rei ex utroque concurrente defectu, dum & adjudicatos ſententia judiciorum elidit, & in eorum bonis ad ipſorum vicem munificatus * nemo ſurrexit pene, non res iſta diſciplinam in ordine, ſed defectum poſuiſſe penſatur in gente: illo majori ſalutis diſpendio cumulato, quod tam hæc quę de judicatis vigor judiciorum abſtraxerat, quam illa quæ qualiſcumque proventus ordine profligationis * congeſſerat, tota proprietatis principum amplitudo in ſinum ſuæ receptionis incluſerat: ſicque ſolo principali ventre ſuppleto, cuncta totius gentis membra vacuata langueſcerent ex defectu. Unde * eveniet, ut nec ſubſidium mediocres, nec dignitatem valeant obti-

* cura
* excommunicationis
* ſanctæ
* forte dominationis
* impiorum dominatus
* Contraxerunt
* reges
* commotio
* omanet
* quod reges ſunt voc.
* ut quodlibet
* æqualibus potuerint
* per ſubjectos
* juſſionis obtentu,
* regem recognoſcit,
* terrenum
* dictionis
* relevare
* evidentiſſima ſpecie
* ſemper ſeme:
* Forte reſeraverit Hard.
* promiſſionis
* nemo pene non tenuiſſe diſciplinam
* contriverat
* evenit,

obtinere majores: quia dum ſolius poteſtatis vi- A
gor maxima occupavit totius plebis ſtatus, nec
minima * jure defendit. Adeo cum omni pala-
* jura tino officio, ſimulque cum majorum minorum-
que conventu, nos omnes, tam pontifices,
quam etiam ſacerdotes, & univerſi ſacris ordi-
nibus famulantes, concordi definitione decerni-
mus, & optamus, ut omnis conquiſitionis pro-
fligatio, in omnium rerum viventium, ac non
viventium; immobilium quoque, & moveri va-
lentium corpore vel ſpecie, forma vel genere,
quæ a glorioſo memoriæ Cindaſvintho rege, a
die quo in regnum dignoſcitur conſcendiſſe,
* reperta in * repertus quolibet modo extiterit augmentaſ-
ſe, omnia in ſereniſſimi atque clementiſſimi
noſtri Recceſvinthi principis perenni tranſeant B
poteſtate, & perpetuo deputentur in jure, non
habenda parentali ſucceſſione, ſed poſſidenda
regali congreſſione; ita ut juſte ſibi debita
quiſque percipiat, & de reliquis ad remedia
ſubjectorum, quæcumque elegerit principis vo-
luntas, exerceat: illis tantummodo exceptis,
quæ memoratus divæ memorię Cindaſvinthus
princeps ante regnum, aut ex propriis, aut ex
juſtiſſime conquiſitis viſus eſt habuiſſe, in qui-
bus cunctis filiis ejus, una cum glorioſo domi-
no noſtro Recceſvintho rege, maneat & divi-
ſio libera, & poſſeſſio pace pleniſſima. Sed &
illæ res, quas prædictus princeps de juſtis pro-
ventibus filiis ſuis, vel quibuslibet juſtiſſime vi-
ſus eſt contuliſſe, vel reliquiſſe, omnes in eo- C
rum jure maneant inconvulſæ: illa negotii hu-
jus veritate ſervata, ut quia grata voluntas glo-
rioſi domini noſtri Recceſvinthi regis reddere
decernit unicuique juſtiſſime debita, nemo in-
vaſionis calumniam moveat, aut damna requi-
* præter quæ rat, * propter quod glorioſæ memoriæ genito-
* habuiſſe rem ejus quædam indebite * abſtuliſſe conſtite-
rat.

Lex edita in eodem concilio a Recceſvintho
principe glorioſo.

*In nomine Domini Flavius Recceſvinthus rex.*

Habetur in foro judicum, lib. 2. tit. 1. lege 6

EMinentiæ celſitudo terrenæ tunc ſalubrius D
ſublimia probatur appetere, cum ſaluti
proximorum pia cernitur compaſſione prodeſſe.
Unde ſolet contingere, ut plus commodi de
aliena ſalute conquirat, quam de propria uti-
litate quiſque percipiat. In multis enim, * quia
* cum multorum ſalus attenditur, majoris lucri ſum-
* perficitur ma * percipitur; in ſe autem, quia privati
* ſalutis commodi fructus appetitur, non * ſatis eſt, ſi
unius beneficii præmia conquirantur. Hinc &
illa regendarum tantumdem ſalus eſt plebium,
quæ non ſuos fines privata voluntate concludit,
* pietatis ſed quæ diverſitatis limites communi * proſpe-
ritatis lege defendit. Quapropter, ne ſalutis
ordo imperialibus videatur verbis potius obtine-
ri, quam * factis, de ſublimitatis obtentu de- E
* pactis, clinamus ad vota ſupplicum tranquillæ * juſſio-
* viſionis nis * aſpectum: ut inde ſalutaris compaſſio ha-
* aſpectu beat commodum, unde turmæ plebium adeptæ
fuerint ſupplicationis effectum. Cum igitur præ-
cedentium ſerie temporum immoderatior avi-
ditas principum ſeſe prona diffunderet in ſpo-
* ut liis populorum, * & augeret eis rei propriæ
cenſum ærumna flebilis ſubjectorum; tandem
* reſpirationis ſupernæ * reſpectionis afflatu nobis eſt divini-
tus inſpiratum; ut quia ſubjectis leges reveren-
tiæ dederamus, principum quoque * exceſſus
* exceſſibus retinaculum temperantiæ poneremus. Proinde

ſincera manſuetudinis * deliberatione, tam no- * noſtra delib.
bis, quam cunctis noſtræ gloriæ ſucceſſoribus
adfuturis, Deo mediante legem ponimus de-
cretumque divalis obſervantiæ promulgamus,
ut nullus regum, impulſionis ſuæ quibuſcum-
que motibus aut factionibus, ſcripturas de qui-
buslibet rebus alteri debitis ita extorqueat, vel
extorquendas inſtituat, quatenus injuſte ac * * violenter indebitorum
nolenter debitarum ſibi quiſque * privari poſſit * probare
dominio rerum. Quod ſi alicujus gratiſſima
voluntate quidpiam de rebus a quocumque per-
ceperit, vel pro evidenti præſtatione lucratus
aliquid fuerit, in eadem ſcriptura patens vo-
luntatis & præſtiti conditio annotetur, per
quam aut impreſſio principis, aut conferentis
fraus evidentiſſime detegatur. Et ſi patuerit a
nolente fuiſſe ſcripturam exactam, aut reſipi-
ſcat improbitas principis, & evacuet quod ma-
le contraxit, aut certe poſt ejus mortem ad
eum, cui exacta eſt ſcriptura, vel ad hæredes
ejus res ipſæ ſine cunctatione debeant * revo- * renovari:
cari. Illæ autem res, quę * remota omni re- * ſecluſa omni reprehenſionis augmentatione
prehenſionis argumentatione, directo modo
tranſierunt in principis poteſtatem, in ejus pe-
renniter jure perdurent: & quidquid ex rebus
ipſis idem princeps ordinare voluerit, ſuæ po-
teſtatis arbitrio ſubjacebit. Verum, ut omne
hujus negotium actionis roboret ſinceritas veri-
tatis, cum quarumcumque rerum ſcripturæ in
principis nomine extiterint factæ, mox teſtes,
qui in eadem ſcriptura ſubſcriptores acceſſe-
runt, ab his quos elegerit princeps, diligentiſ-
ſime perquirantur, ſi non aliquod indicium,
aut de impreſſione principis, aut de fraude
ſcripturam facientis, modo quocumque cogno-
verint: ut ſic aut rite facta ſeries ſcripturæ
permaneat, aut irrite confecta vaneſcat. Simi-
lis quoque * ſententia de terris, vineis, at- * ordo
que * famulis obſervetur ſi ſine ſcripturæ tex- * familiis
tu tantummodo coram teſtibus quælibet facta
fuerit definitio. De rebus autem omnibus a
tempore * Suintillani regis hucuſque a princi- * Chintillani
pibus acquiſitis, aut deinceps, ſi provenerit,
acquirendis, quęcumque forſitan princeps inor-
dinata ſive relinquit, ſive reliquerit, * quæ * quoniam
pro regni apice probantur acquiſita fuiſſe ad
ſucceſſorem tantummodo regni decernimus per-
tinere, ita habita poteſtate, ut quidquid ex
his elegerit facere, liberum habeat velle. In
illis autem rebus, quæ ipſi aut de bonis pa-
rentum, aut de quorumcumque provenerint ſuc-
ceſſionibus proximorum, ita eidem principi,
ejuſque (ſi filii defuerint) hæredibus legiti-
mis hęreditatis * jura patebunt, ſicut ceteris * jure
lege vel * ſucceſſione paterna patuiſſe noſcun- * ſucceſſione patere ante.
tur. Quod ſi aliquid de rebus quorumcumque
parentum & proximorum, non ſolum ſucceſ-
ſione, ſed etiam qualibet collatione, aut quo-
cumque contractu ad jus ipſius perveniſſe pa-
tuerit, ſi contingat hæc inordinata relinqui,
non ad ſucceſſorem regni, ſed ad filios vel
hæredes ejus qui conquiſivit, ſpecialiter omnis
eadem conquiſitio pertinebit. Nam & de illis
rebus, quas idem princeps ante regnum, ut
ex proprio, aut ex juſtiſſime conquiſito digno-
ſcitur habuiſſe, irrevocabili ordine aut facien-
di quod voluerit, * poteſtas manebit, aut cer- * poteſtatem habebit,
te filiis ejus ſucceſſio plena patebit. Quod ſi
filii defuerint, legitimis hæredibus ex his quæ
inordinata reliquerit, hæreditatem adire lice-
bit. Hujus ſane legis ſententia in ſolis erit * * regum
principium negotiis obſervanda, atque ita per-
petim valitura, ut non ante quiſpiam ſolium
re-

regale conſcendat, quam juramenti fœdere hanc A legem ſe in omnibus implere promittat. Quemcumque vero aut per tumultuoſas plebes, aut per abſconſa dignitati publicæ machinamenta adeptum eſſe conſtiterit regni faſtigia, mox idem cum omnibus tam nefarie ſibi conſentientibus, & anathema fiat, & Chriſtianorum communionem amittat, tam diræ percuſſionis ultione colliſus, ut omnis divini ordinis cultor, qui illi communicare præſumpſerit, ſimili cum ipſo damnatione diſpereat, & pœna tabeſcat. Nam & ſi quis legis hujus ſeriem ex officio palatino malevole detrahendo lacerare voluerit, aut evacuandam quandoque vel ſilenter muſſitans, vel aperte reſultans, proloqui detectus extiterit, cunctis palatinæ dignitatis & B conſortiis & officiis mox nudatus, omnium rerum ſuarum dimidiam partem amittat, & in deputato ſibi loco redactus, a totius palatii maneat ſocietate ſecluſus. Religioſus etiam, qui ſe in hanc culpam devolverit, ſimili rerum proprietatis ſuæ diſpendio ſubjacebit.

## NOTÆ GARSIÆ LOAISÆ.

a *Æra* DCXCI.) Vaſæus anno uno ante celebratum ait. Quod & breviarii cujuſdam perantiqui, quod manuſcriptum apud ſe is habet, auctoritate confirmat: ubi dicitur Recceſvinthus æra DCLXXXV. regnare cœpiſſe, quinto vero poſt anno coactum hoc fuiſſe concilium. Apud Rodericum Toletanum lib. 2. cap. 22. numerus æræ corruptus eſt. Nomen regis ſcribitur Recceſvinthus, in nummo antiquo, ubi legitur, *Recceſvinthus rex, Cordoba patricia*. Fuit princeps religione & pietate inſignis, in omnique virtutis officio illuſtris. Legebat avide divinos libros: quidquid in illis obſcurum erat, a doctis viris perhumaniter ſciſcitabatur. Templa pie tapetis ornabat, ob religioſum ſanctorum cultum & venerationem.

Cap. 1. Cur ſymbolum Nicænum & Conſtantinopolitanum publice apoſtolicum occulte & tacite recitetur in divino officio.

b *In ſacris miſſarum*.) Sic eſt in miſſali Mozarabum ad verbum, a D. Iſidoro edito. Item in duodecimo concilio Toletano, cujus officium quotidie in ſancta eccleſia Toletana celebratur ſolenniter in ſacello huic muneri eccleſiaſtico Gothico dicato. Symbolum patrum publice in miſſis in eccleſia cantatur. Nam ut auctor eſt divus Thomas 2. 2. q. 1. art. 9. ad ſextum, fuit editum fide jam propagata & manifeſtata, & reddita pace eccleſiæ. Symbolum vero apoſtolorum, quia perſecutione fervente conditum fuit, nondum publicata fide, in prima & completorio occulte dicitur.

Cap. 2.

c *Noſtri*.) Juramentum illud, quod obſervatum in pejorem vergit exitum, ſalubri conſilio mutandum eſſe, D elegaanter docet Soter papa, ut eſt apud Gratianum 22. quæſt. 4. cap. Si aliquid: & in concilio Trib. ſub Arnulpho imperatore, cap. 21. ubi inſtitutum, quod ſacerdos loco juramenti interrogetur per ſanctam conſecrationem. D. Thom. 2. 2. quæſt. 89. art. 7.

Cap. 3. Ordines gratis conferendi.

d *Contra priora monita patrum*.) Gratis ordines conferendos, ne Spiritui ſancto contumelia irrogetur, dum ejus donum pretio æſtimatur, docuerunt antiqui patres, Hormiſda papa in epiſtola ad epiſcopos Hiſpaniæ, & Concil. II. Aurelianenſe cap. 3. & II. Turonenſe cap. 28. & IV. Toletanum cap. 18. & II. Bracarenſe cap. 3. & noviſſime concilium Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 1. *Nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonſuræ, nec pro litteris dimiſſoriis aut teſtimonialibus; nec pro ſigillo, nec alia quacumque de cauſa, etiam ſponte oblatum, epiſcopi & ordinum collatores accipiant.*

Cap. 5. De cœlibatu clericorum.

e *Majorum veteribus conſtitutis*.) Teneri Chriſti ſacerdotes ad ſervandam caſtitatem, vitæque puritatem, conſtat ex perantiquis patrum decretis. Non enim conjugium appetere debent, ut veteris legis miniſtri, Chriſti ſacerdotes: illis enim tunc concedebatur, ne tribus E Levi, ex qua ſola ſacerdotes creabantur, ex eorum cœlibatu paulatim rueret, & periret. quibus hoſtias hircorum atque arietum offerentibus dictum eſt: *Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum*, quamobrem & tempore vicis ſuæ ab uxoribus ſejuncti officio vacabant. Quid de Chriſti in nova lege ſacerdotibus dicemus? qui mentis & animi puritate offerre debent hoſtiam puram, ſanctam, & immaculatam, panem vitæ, & calicem ſalutis perpetuæ? qui non ex una, ſed ex quavis tribu, & gente, & familia eligi poſſunt, ut immortale, & vivificum, tremendumque ſacrificium quotidie conficiant, ab omni ſolicitudine uxoria immunes. Nam ut Paulus ait 1. ad Corinth. 7. *Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt quæ domini ſunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt*: Unde ex apoſtolis fluxit, ut conjugati non ordinentur: ut conſtat ex epiſtolis Siricii papæ, capite 9. & Innocentii papæ I. epiſtola 2. capite 9. & Hormiſdæ papæ ad epiſcopos Hiſpaniæ, capite 1. Hinc qui conjugati ordinabantur, a ſubdiaconatu deinceps non ſinebantur uxoribus miſceri. I. Tolet. capite 1. V. Carthag. capite 3. Agathen. c. 9. III. Aurel. capite 2. & aliis multis. Poſt ſacerdotium adeptum nullus matrimonio jungebatur. Itaque licebat ex conjugato ſacerdotem fieri: ex ſacerdote vero conjugatum, minime. De hac re vide apud Socratem hiſtoriæ eccleſiaſticæ lib. 2. cap. 8. quæ de Paphnutio referuntur. Et multi ex viris doctis hujus ſæculi doctiſſime de hac re adverſus hæreticos ſcripſerunt. Quod ſi priſci ſacerdotes, qui per ephemeridas & vices miniſtrabant, dum offerebant, ſe abſtinebant: qui ſemper & quotidie debet offerre, ut Chriſti ſacerdos, ſemper debet abſtinere. Quod annotavit Origenes homilia 23. ſuper librum Numerorum: *Ille offerre poteſt* (inquit) *qui indeſinenter cuſtodit continentiam, & conſervat ſemetipſum a peccato: qua die interruperit & peccaverit, certum eſt, quod in illa die non offert ſacrificium. indeſinens Deo. Vereor dicere aliquid, quod ex ſermonibus apoſtolicis intelligi datur, ne forte videar aliquos contriſtare. Nam ſi oratio juſti ſicut incenſum in conſpectu Dei, & elevatio manuum ejus ſacrificium veſpertinum: dicit autem apoſtolus his qui conjugiis ſunt; Nolite fraudare invicem niſi forſan ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi; & iterum revertimini in idipſum; certum eſt impediri ſacrificium indeſinens his, qui conjugalibus neceſſitatibus inſerviunt. Unde mihi videtur, quod illius ſolius eſt ſacrificium offerre indeſinens, qui indeſinenti & perpetuæ ſe devoverit caſtitati*. Hæc Origenes.

Cap. 6. Subdiaconus continens eſſe debet.

f *Sexta diſcuſſionis*.) Subdiaconos non debere contrahere matrimonium, decretum eſt a Silveſtro papa in concilio actione 1. capite 8. & I. Tolet. cap. 4. Et II. Tolet. capite 1.

Cap. 6.

g *Quibuſdam eccleſiis*.) Concil. Carthag. IV. cap. 5. *Cum ordinatur ſubdiaconus, quia manus impoſitionem non* C *accepit, patenam de epiſcopi manu vacuam accipiat, & calicem vacuum. De manu vero archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium.*

Cap. 7. Qui baptiſmum ſuſcipere poſſint.

h *Nolentibus*.) Baptiſmum conferri amentibus teſtatur Auguſt. lib. 4. confeſſ. cap. 4. Ægrotis, qui reſpondere non poſſunt, Arauſ. concil. I. cap. 13. Parvulis neſcientibus, Carthag. III. cap. 34. Gerunden. c. 5. Et Tolet. XII. cap. 2. Multaque alia de hac re decreta extant. Auguſt. in epiſt. 106. ad Paulinum ſic habet. *Quod quidem tantum beneficium* (de baptiſmo loquitur) *non ſolum nolentibus, verum etiam reluctantibus datur.*

Cap. 8.

i *Supplementum*) Quod hic ſupplementum, concil. Tolet. IV. cap. 26. libellus officialis appellatur.

Cap. 9. Quadrageſima quo & quando indicta.

k *Quadrageſimæ dies*.) Principium quadrageſimæ nunciabat epiſcopus ante epiphaniam. De qu. ſic habes in concilio Antiſiodorenſi cap. 2. *Ut omnes presbyteri ante epiphaniam miſſos ſuos dirigant, qui eis de principio quadrageſimæ nuncient; & in ipſa epiphania ad populum indicent.*

Cap. 10.

l *Decimæ collocutionis*.) Rex Hiſpaniæ tempore Gothorum, ditione ſua totam Hiſpaniam & Galliam Narbonenſem regebat. Fiebat autem rex electione, non ſanguinis ſucceſſione; ut conſtat ex concilio Toletano quinto cap. 3. ubi dicitur: *Rex Hiſpaniarum nemo fiat, niſi omni electione, & Gothicæ gentis nobilitate, ad eum apicem perductus*. Conſueverant etiam Gothorum reges Romanorum imperatorum exemplo, dum viverunt, regni ſocium aſſumere, omni electorum conſenſu. ut Chindaſvinthus rex filium Recceſvinthum in regni partem vivens vocavit. Et Wamba rex divino judicio Ervigium, dum viveret, ſucceſſorem ſibi elegit. Creabantur autem reges Gothorum a proceribus regni, ſive eſſent ex ſacerdotali ordine, ut epiſcopi; ſive ex ordine ſæculari, qui palatini nobiles vocabantur: ut conſtat ex concilio Toletano XII. cap. 1. de probatione Ervigii. Et hoc ſane eſt quod dicitur: *Cum pontificum majorumque palatii omnimodo eligantur aſſenſu*. Sic IV. Tolet. can. 74. *Nullus apud nos ſub præſumptione regnum arripiat; nullus* E *excitet mutuas ſeditiones civium; nemo meditetur interitus regum: ſed defuncto in pace principe, primates totius gentis cum ſacerdotibus ſucceſſorem regni concilio communi conſtituant*. Ungebantur etiam reges, ut patet ex concilio Toletano duodecimo cap. 1. ubi dicitur Ervigius regnandi poteſtatem ſuſcepiſſe per ſacroſanctam unctionem. Quæ quidem unctio ab epiſcopis conferebatur, ut patet ex eodem canone. Qui vero non poterant aſſumi ad regnum, exponit concilium Toletanum decimum ſextum cap. 17. his verbis: *Rege defuncto, nullus tyrannica præſumptione regnum aſſumat. Nullus ſub religionis habitu detonſus, aut turpiter decalvatus, aut ſervilem originem trahens, vel extraneæ gentis homo, niſi genere & moribus dignus, promoveatur ad apicem regni*. Jurabat etiam rex antequam ad regnum aſſumeretur, ſtrenuum ſe catholicæ fidei aſſertorem ac propugnatorem præbiturum, nulloſque violatores in ſuo regno per-

Regum Hiſpaniæ electio qualis.

permiſſarum. Habes id cum alibi, tum VI. concil. Tolet. cap. 3.

Cap. 12. m *Duodecima, quæ eſt.*) Eſt in foro judicum lib. 12. tit. 2 lib. 16. Judæorum placitum Receſvintho regi exhibitum anno 6. regni ipſius 12. Kalend. Mart. Unde liquet ipſum poſt hoc ſynodi decretum procuraſſe, ut ſinceram Judæi fidem retinerent. Placitum ſic habes ex fide manuſcripti codicis antiqui.

## PLACITUM JUDÆORUM IN NOMINE

### PRINCIPUM FACTUM.

*Clementiſſimo ac ſereniſſimo domino noſtro Receſvintho regi, omnes nos Hebræi Toletanæ civitatis atque Hiſpaniæ, gloriæ veſtræ, qui infra ſubſcripturi, vel ſigna facturi ſumus.*

Placitum Judæorum Receſvintho regi exhibitum.

BEne quidem ac juſte nos meminimus com-
pulſos fuiſſe, ut placitum in nomine divæ
memoriæ Cinthiliani regis pro conſervanda fide
catholica conſcribere deberemus, ſicut & feci-
mus. Sed quia perfidia noſtræ obſtinationis, &
vetuſtas parentalis erroris nos ita detinuit, ut
nec veraciter in Jeſum Chriſtum dominum cre-
deremus, nec catholicæ fidei ſinceriter adhære-
remus, idcirco nunc libenter ac placide ſpo-
pondimus gloriæ veſtræ, tam pro nobis, quam
pro uxoribus & filiis noſtris, per hoc placitum
noſtrum, ut deinceps in nullis obſervationibus,
in nullis inceſtivis uſibus miſceamur. Judæis
autem non baptizatis nullo penitus execrando
conſortio ſociemur: non more noſtro propin- C
quitatem ſanguinis, uſque ad ſextum gradum,
inceſtiva commiſtione vel fornicatione junga-
mus: non conjugia ex genere noſtro, aut nos,
aut filii noſtri, vel noſtra poſteritas ullatenus
ſortiamur, ſed in utroque ſexu deinceps Chri-
ſtianis jugali copulatione nectamur. Non cir-
cumciſionem carnis operemur: non paſcha &
ſabbata, ceteroſque dies feſtos, juxta ritum Ju-
daicæ obſervantiæ celebremus; non eſcarum di-
ſcretionem, vel conſuetudinem teneamus: non
ex omnibus, quæ Judæorum uſus & abominan-
da conſuetudo, vel converſatio agit, aliquate-
nus faciamus; ſed ſincera fide, grato animo,
plena devotione in Chriſtum filium Dei vivi,
ſecundum quod evangelica & apoſtolica tradi- D
tio habet, credamus, atque hunc confitea-
mur, ac veneremur. Omnes etiam uſus ſanctæ
Chriſtianæ religionis, tam in feſtis diebus, vel
in conjugiis & eſcis, quam in obſervationibus
univerſis veraciter teneamus, & ſinceriter am-
plectamur: nullo reſervato apud nos aut oppo-
ſitionis objectu, aut fallaciæ argumento, per
quod aut illa quæ facere denegamus, iterum
faciamus, aut hæc quæ facere promittimus,
minime, vel non ſinceriter compleamus. De
ſuillis vero carnibus, id obſervare promittimus,
ut ſi eas pro conſuetudine minime percipere po-
terimus, ea tamen quæ cum ipſis decocta ſunt, abſ-
que faſtidio & horrore ſumamus. Quod ſi in his
omnibus quæ ſupra taxata ſunt, in quocumque E
vel minimo tranſgreſſores inventi fuerimus, aut
contra Chriſtianam fidem agere præſumpſeri-
mus, aut quæ congrua catholicæ religioni pro-
miſimus, verbis aut factis implere diſtulerimus,
juramus per eumdem Patrem, & Filium, &
Spiritum ſanctum, qui eſt unus in trinitate &
verus Deus, quia ſi ex nobis omnibus vel unus
tranſgreſſor inventus fuerit, aut a nobis igni-
bus, aut lapidibus perimatur: aut ſi hunc ad
vitam gloriæ veſtræ ſervaverit pietas, mox, a-
miſſa libertate, tam eum, quam omnem ipſius
facultatem, cui elegeritis, perenniter ſerviendam

A donetis vel quidquid ex eo, vel ex rebus ejus facere juſſeritis, non ſolum ex regni veſtri potentia, ſed etiam ex hujus placiti noſtri ſponſione poteſtatem liberam habeatis. Factum placitum ſub die XII. Kalendas Martias, anno feliciter ſexto gloriæ veſtræ. In Dei nomine Toleto.

## SUBSCRIPTIONES.

Qui quæve epiſcopi concil. Tolet. VII. & VIII. ſubſcripſerint.

n Subſcribunt epiſcopi multi, qui in ſeptimo Toleta-
no, ſed plures de novo promoti. Nam cum ſeptimum
congregatum fuiſſet æra 684. octavum poſt ſeptem an-
nos, æra 691. In hoc temporis ſpatio multi epiſcopi (ut
eſt labilis humana conditio) ex illis qui ſeptimo inter-
fuerunt, extremum diem obierant, & alii ſuffecti huic
octavo interfuerunt. Qui in ſeptimo & aliis ſubſcri-
B bunt, ſunt Antonius Hiſpalenſis, Anſericus Segobienſis,
in V. VI. & VII. Candidatus Aſturicenſis, Davila Ma-
lacitanus, Donumdei Impuritanus, Eugenius Toletanus
in V. & VI. & VII. Epertius Italicenſis, in ſexto &
ſeptimo. Egeridus Salmanticenſis, Joannes Caurienſis,
Marcus Caſtellonenſis, Orontius Emeritenſis; Stepha-
nus Aſtigitanus, Sunanus, qui & Sona, Britanienſis,
Ubiniibal Elicitanus, Ubidericus Segontinus, Gabinus
Calagurritanus in quarto. Qui vero aliis ſuffecti ſub-
ſcribunt denuo, ſunt Athanaſius Setabinus, qui ſucceſſit
Orontio, in quinto. Abientius Elborenſis, qui ſucceſſit
Siſiſclo, in ſeptimo. Afrila Dertoſanus Joanni, in
ſexto. Adeodatus Pacenſis Theuderedo, in VII. Aſca-
rius Palentinus, Conantio, in VI. Ariachimarus Du-
mienſis, Reſimundo, in VII. Bacauda Egabrenſis, Deo-
daro, in VII. Balduigius Arcavicenſis, qui ſucceſſit Car-
terio, in IV. Beatus Tudenſis, Anaſtaſio, in VI. Cele-
donius Calabrienſis, Servodei, in ſeptimo. Davila Com-
plutenſis, Hilario, in VII. Euforus Cordubenſis, Lau-
C frodo, in ſeptimo. Euſebius Oſcenſis, Ordulſo, in ſex-
to. Floridius Segobienſis, Antonio, in V. Filimirus
Lamecenſis, Vvitarico, in ſeptimo. Felix Valentinus,
Anniano, in VII. Froila Menteſanus, Giberico, in
VII. Guericus Auſonenſis, Domino, in VI. Hermen-
fredus Lucenſis, Baſconio, in ſeptimo. Julianus Auſci-
tanus, Juſto, in VI. Litorius Aucenſis, Amanungo, in
V. Mauricius Oretanus, Suavila, in VI. Maurellus Ur-
gelitanus, Ranario in IV. Marcius Dianenſis, Antonio,
in quinto. Potamius Bracarenſis, Juliano, in VI. Selva
Egitanenſis, Armenio, in VII. Silveſter Carcaſſonenſis,
Elpidio, in V. Servandus Eliplenſis, Joanni, in ſepti-
mo. Sona Aurienſis, Gaudeſteni, in VI. Seſibertus
Colimbrenſis, Renato, in VI. Saturninus Oſonobenſis,
Talo. Cæſarauguſtanus, Braulioni, in VI. Tagontius
Valerienſis, Maguntio, in Toletano ſub Gundemaro.
Vincentius Tucitanus, Buda, in VI. Unadila Viſcenſis,
Farno, in VII. Vincibilis Irienſis, Gotomario, in ſe-
ptimo.

o *Bacauda.*) Lege Bacauda, ex lapide marmoreo Ca-
D bræ reperto cum hac inſcriptione.

ARA SANCTA DOMINI CONSECRATA EST BASILICA HÆC S. MARIÆ II. KALENDAS JUNIAS, ÆRA DCLXXXVIII. DEDICAVIT HÆC TANDEM D. M. S. BACAUDA EPISCOPUS EGABRENSIS. FUNDAVIT EAM ALTISSIMUS, PER EULALIAM ET FILIUM EJUS PAULUM MONACHUM.

Litorius Auſenſis catholicus.

p *Litorius Auſonſi.*) Hinc conjecturam facio ſepulcrum marmoreum Litorii Talabricæ olim repertum, fuiſſe hominis Gothici catholici: quod ex temporis ratione etiam ſuſpicari licet. Inſcriptio ſic habet:

LITORIUS FAMULUS DEI VIXIT ANNIS, PLUS MINUS, LXXXV. REQUIEVIT IN PACE DIE VIII. KALENDAS JULIAS, ÆRA DXLVIII. A. † Ω.

Erat vir proceræ ſtaturæ: nam ejus oſſa quæ hodie cernuntur, valde communem hominum longitudinem ſuperant.

Qui ordo in ſubſcriptionibus obſervatus.

E Subſcribunt poſt epiſcopos, & ante eorum vicarios, abbates, archipresbyteri, & primicerii: poſtea vero ultimo loco, viri illuſtres officii palatini. Quod etiam in confirmationibus privilegiorum obſervatum eſſe a notariis regiis comperio, in privilegiis rotæ regiæ, hoc ordine: Reges, reginæ, & infantes confirmant primo: deinde archiepiſcopus Toletanus, & ceteri primæ ſedis: illico epiſcopi omnes, poſtea magiſtri militiæ: illico proceres & viri illuſtres regni, quibus is honos defertur.

Quot abbates huic concilio ſubſcripſerint.

q Omnes hi abbates non erant exempti a poteſtate epiſcopi diœceſeos, ut ex concilio Toletano IV. conſtat, & Later. I. ſub Gregorio I. Hic ſubſcribunt abbates decem; inter quos Ildefonſus abbas Agalienſis monaſterii, qui poſtea fuit Toletanus antiſtes, vita & morte conſpicuus, & inter divos relatus.

Abbas quid ſignificet.

r *Fugitivus abbas.*) Abbas, ut Iſidoro placet lib. 7. Orig.

Orig. cap. 13. Syrum nomen eſt, ſignificat Latine pater: A quod Paulus Romanis ſcribens expoſuit dicens: *In quo clamamus abba pater:* in uno nomine duobus uſus linguis; dicit enim abba Syro nomine patrem, & rurſus Latine nominat, id eſt, patrem.

Origo nominis abbatis quæ.

Titulus hic & forma appellationis ex anachoretis primum in Chriſtiana religione cœpit frequentari. Sozomenus lib. 5. cap. 10. & Hieronym. in vita Hilarion. tradunt, ab Hilarione anachoreta in ſaltibus Thebaidis Syriæ vitam monachi duriſſime agente, plures viri formulam vivendi accepiſſe, & inde eremi cultum in cœtum monaſteriorum tranſtuliſſe. Similiter D. Antonium in Thebaica regione Ægypti ex anachoretis monaſterium condidiſſe. Duces vero & propoſitos horum cœtuum nomine patrio, venerationis cauſa, abbates dixerunt. Eſt enim ſolitudinis potius, quam honoris appellatio. Idem Græca voce ſonat ἀρχιμανδρίτης, a ſolitudine ordinis (μάνδραι ſolitudinem ſignificant) quaſi ſolitariis præpoſitus: & ſic caput ordinis S. Baſilii vocatur.

Archipresbyter duplex.

( *Marcellus archipresbyter.* ) Archipresbyteri nunc eſt uſus: cujus duæ ſunt ſpecies, una urbicani ſeu civitatenſis, altera ruralis. Civitatenſis eſt, qui in urbe conſtitutus, munus abſente præſule exequitur, & ejus loco officium divinum incipit, benedictiones in eccleſia dat, & alia, ut in titulo de officio archipresb. continentur, ex conſtit. Leonis PP. Ruralis præeſt ſolummodo plebi, ut in c. 6. eod. tit.

Primicerius quis dicatur, quæve ejus functiones.

( *Siliculus primicerius.* ) Hujus vocis primicerii diverſas origines & functiones animadverto apud doctos hujus temporis viros. Alciatus in annotat. tres poſteriores lib. C. tit. 7. de primicerio, & ſecundicerio, & notariis lib. 12. tom. 2. exiſtimat ſic appellatum a cera, cum in ceratis tabulis eſſet olim ſcribendi uſus: unde primicerius quaſi primus notariorum; & ſecundicerius, ſecundus notariorum: quam ſententiam ſequuntur alii. Briſſonius lib. 4. de verb ſignific. arbitratur non eſſe vocem conjunctam, ſed ſimplicem: ita ut dicatur quaſi primus, & ut interpretatur Svidas, πριμικήριος ὁ πρῶτος τῆς τάξεως, hoc eſt, primus in ordine. Unde quicumque in aliqua functione primum locum obtinet, primicerius C nominatur. Unde Auguſtinus Stephanum appellat primicerium martyrum, & primicerium notariorum, qui erat primus inter notarios principis, qui & protoſcriniarius. Habes apud Caſſiodorum, variar. lib. 6. diverſa primiceriorum officia. In officiis eccleſiaſticis primicerius dicitur qui eſt primus in aliqua dignitate & anteſignanus. Sic dicitur primicerius cantorum, & fabricæ, & ex corpore decanorum: unde primus in ordine quolibet cera vel ſcriptura dicebatur primicerius. Nam mos erat antiquis ante admirabilem papyri aut membranæ inventionem, ad monumenta aſſervanda uti cera, & tabulis ceratis, & pugillaribus, ſicut rudis antiquitas palmarum & arborum foliis & plumbeis voluminibus, & privatis linteis. Unde ille dicebatur primicerius, qui primus erat in cera ſcriptus, id eſt, in capite & exordio primæ pagellæ: ſecundicerius qui in ſecunda, uſque ad imam ceram, ut illud Svetonii in Julium Cæſarem Q. Pedium ex quadrante hæredem inſtituiſſe, reliquos in ima cera, id eſt, Q. Pedium, ex quarta parte aſſis, reliquos in ultima parte tabulæ teſtamentariæ. Nam teſtamentum dividebatur tabulis ipſis ceratis: in prima parte nomen teſtatoris; in ſecunda hæredes inſtituebantur; in extrema & ima reliqui omnes. Hinc illud Horatii ſerm. lib. 2. ſatyr. 5.

*Qui teſtamentum tradet tibi cumque legendum,*
*Abnuere, & tabulas a te removere memento*
*Sic tamen, ut limis rapias, quid prima ſecundo*
*Cera velit verſu: ſolus, multiſne cohæres.*
*Veloci percurre oculo.*

De quo Alexand. ab Alexand. lib. 1. dierum general. cap. 1. & ibi And. Tiraq.

Quæ etimologia primicerii.

Exiſtimo conjunctam vocem eſſe, non ſimplicem, dicique primicerium, quaſi primum in cera poſitum. In eccleſia Toletana, albo cera linito, ut facile poſſit deleri, ſtipendia canonicorum & aliorum miniſtrorum obelo notantur. Vel primicerius dicitur primus in clero; is dicitur ſacellanus major. Nam ſuccentor, vel caput ſcholæ, E qui a Græcis χοροδιδάσκαλος dicitur, aliud eſt a primicerio. Adjuvat hanc noſtram interpretationem decretum concilii Emeritenſis, ubi dicitur & legitur; *archipresbyterum, archidiaconum, & primiclerum.* Siliculus erat primicerius Toletanus, ſive primiclerus: & erat ſpecialis dignitas, ut archidiaconus, & archipresbyter. Et erat primicerius, vel primiclerus ſubdiaconibus & clericis præpoſitus, eorumque gerebat curam: ut ex eodem concilio conſtat cap. 14. ubi agitur de dividenda pecunia oblata eccleſiæ in tres partes: prima epiſcopo conceditur, ſecunda presbyteris & diaconibus: de tertia ſic dicitur: *Tertia vero ſubdiaconibus & clericis tribuatur, ut a primiclero, juxta quod in officio eos præſcit eſſe intentos, ita ſingulis diſpenſetur.*

Ut autem exacte intelligatur primicerii officium, appoſui nam epiſtolam Iſidori junioris, epiſcopi Hiſpalenſis, ad A Leudefredum epiſcopum Cordubenſem, quam ex codice MS. bibliothecæ divi Laurentii (Philippi regis catholici admirabile opus) perantiquo, dicto Vigilano, excerpſi: ubi de officiis eccleſiaſticis quid conſueverit ſæculum antiquum, clare cognoſces.

## EPISTOLA BEATI ISIDORI JUNIORIS,
### EPISCOPI HISPALENSIS ECCLESIÆ,

### ad Leudefredum epiſcopum Cordubenſis eccleſiæ directa.

*Domino meo Dei ſervo, Leudefredo epiſcopo, Iſidorus.*

Epiſtola Iſidori junioris.

B PErlectis ſanctitatis tuæ literis gaviſus ſum, quod optatam ſalutem tuam earum relatu cognovi. De his autem, quæ in conſequentibus inſinuare eloquii tui ſermo ſtuduit, gratias ago Deo, quod ſolicitudinem officii poſtulatis impendis, & qualiter eccleſiaſtica officia ordinentur perquiris. Et licet omnia prudentiæ veſtræ ſint cognita, tamen quia affectu paterno me conſulis, ex parte qua valeo, expediam, & de omnibus eccleſiæ gradibus quid ad quem pertineat, eloquar

Oſtiarii officium.

Ad oſtiarium namque pertinent claves eccleſiæ, ut claudat & aperiat templum Dei, & omnia quæ ſunt intus extraque cuſtodiat: fideles recipiat, excommunicatos & infideles projiciat.

Officium Acolythi.

C Ad acolythum pertinet præparatio luminariorum in ſacrario: ipſe cereum portat, ipſe ſuggeſta pro euchariſtiæ calice præparat.

Exorciſtæ.

Ad exorciſtam pertinet, exorciſmos memoriter retinere, manum ſuper energumenos & catechumenos exorcizandos imponere.

Pſalmiſtæ.

Ad pſalmiſtam pertinet officium canendi, dicere benedictiones, pſalmum, laudes, ſacrificium, reſponſoria, & quidquid pertinet ad cantandi peritiam.

Lectoris.

Ad lectorem pertinet, lectiones pronunciare, & ea quæ prophetæ vaticinaverunt, populis prædicare.

Subdiaconi.

Ad ſubdiaconum pertinet, calicem & patenam ad altarium Chriſti deferre, & Levitis D tradere, eiſque adminiſtrare: urceolum quoque, & aquamanilem, & manutergium tenere, & epiſcopo, & presbyteris, & Levitis pro lavandis ante altarium manibus aquam præbere.

Diaconi.

Ad diaconum pertinet, aſſiſtere ſacerdotibus, & miniſtrare in omnibus quæ aguntur in ſacramentis Chriſti; in baptiſmo ſcilicet, in chriſmate; in patena & calice oblationes inferre, & diſponere in altario, componere menſam domini, atque veſtire, crucem ferre, prædicare evangelium & Apoſtolum. Nam ſicut lectoribus vetus teſtamentum, ita diaconibus novum prædicare præceptum eſt. Ad ipſum quoque pertinet officium precum, recitatio nominum: ipſe præmonet preces ad dominum, ipſe hortatur orare, ipſe clamat, & pacem ipſe annunciat. E

Presbyteri.

Ad presbyterum pertinet, ſacramentum corporis & ſanguinis domini in altario Dei conficere, orationes dicere, & benedicere populum.

Epiſcopi.

Ad epiſcopum pertinet baſilicarum conſecratio, unctio altaris, confectio chriſmatis. Ipſe prædicta officia & ordines eccleſiaſticos conſtituit. Ipſe ſacras virgines benedicit: & dum præſit unuſquiſque in ſingulis, hic tamen eſt præordinator in cunctis. Hi ſunt ordines & miniſteria clericorum, quæ tamen auctoritate pontificali in archidiaconi cura, & primicerii, ac theſaurarii ſolicitudine dividuntur.

Archi-

Archidiaconi.

Archidiaconus enim imperat ſubdiaconibus & Levitis, ad quem iſta miniſteria pertinent: ordinatio veſtiendi altaris a Levitis, cura incenſi, & ſacrificii deferendi ad altare, cura ſubdiaconorum de ſubinferendis ad altare in ſacrificio neceſſariis: ſollicitudo, quis Levitarum apoſtolum & evangelium legat, quis preces dicat, ſeu reſponſorium in dominicis diebus, aut ſolennitatum. Solicitudo quoque parochitanorum, & ordinatio, & jurgia ad ejus pertinent curam. Pro reparandis diœceſanis baſilicis, ipſe ſuggerit ſacerdoti. Ipſe inquirit parochias cum juſſione epiſcopi, & ornamenta, vel res baſilicarum parochitanarum, geſta libertatum eccleſiaſticarum epiſcopo idem defert. Collectam pecuniam de communione ipſe accipit, & epiſcopo defert, & clericis partes proprias idem diſtribuit. Ab archidiacono nunciatur epiſcopo exceſſus diaconorum: ipſe denunciat ſacerdoti in ſacrario jejuniorum dies atque ſolennitatum, & ab ipſo publice in eccleſia prædicatur.

Quando autem archidiaconus abſens eſt, vicem ejus diaconus ſequens adimplet.

Primicerii officium quod.

Ad primicerium pertinent acolythi & exorciſtæ, pſalmiſtæ atque lectores: ſignum quoque dandi pro officio clericorum, pro vitæ honeſtate, & officium meditandi, & peragendi ſolicitudo, lectiones, benedictiones, pſalmum, laudes, offertorium, & reſponſoria, quis clericorum dicere debeat. Ordo quoque & modus pſallendi in choro pro ſolennitate & tempore; ordinatio pro luminariis deportandis. Si quid etiam neceſſarium pro reparatione baſilicarum quæ ſunt in urbe, ipſe denuntiat ſacerdoti: epiſtolas epiſcopi pro diebus jejuniorum parochianis per oſtiarios iſte dirigit. Clericos quos delinquere cognoſcit, iſte diſtringit. Quos vero emendare non vult, eorum exceſſus ad agnitionem epiſcopi defert. Baſilicarios ipſe conſtituit, & matriculas ipſe diſponit. Quando autem primicerius abſens eſt, ea quæ prædicta ſunt ille exequitur, qui ei aut loco eſt proximus, aut eruditione in his expediendis intentus.

Theſaurarii munus.

Ad theſaurarium pertinent baſilicarii & oſtiarii, ordinatio incenſi præparandi, cura chriſmæ conficiendæ, cura baptiſterii ordinandi. Præparatio luminariorum in ſacrario, præparatio ſacrificii de his quæ immolanda ſunt. Ad eum venient de parochiis pro chriſma: & cereos, oblationes altaris ipſe accipit a populo, ipſe colligit per eccleſias cereos in feſtivitatibus. Ad eum pertinent ornamenta, & veſtimenta altaris: quidquid in uſu templi eſt, ſub ejus ordinatione exiſtit: ornamenta baſilicarum, quæ in urbe ſunt, & non habent presbyteros, ipſe cuſtodit. De candelis autem, & cereolis quotidianis quidquid ſupereſt in baſilicis, baſilicarius per ſingulos menſes huic deportat: ex quibus theſaurarius det quartam baſilicario, tres reliquas partes dividit æqualiter ſibi cum primicerio & presbytero, qui miſſam celebrat in eamdem baſilicam.

Oeconomi officium.

Ad œconomum pertinet reparatio baſilicarum, atque conſtructio: actiones eccleſiæ in judiciis, vel in proferendo, vel in reſpondendo: tributi quoque acceptio, & rationes eorum quæ inferuntur, cura agrorum, & culturæ vinearum, cauſæ poſſeſſionum & ſervitialium, ſtipendia clericorum, viduarum, & devotarum pauperum, diſpenſatio veſtimenti, & victus domeſticorum, clericorum, ſervitialium quoque, & artificum: quæ omnia cum juſſu & arbitrio ſui epiſcopi ab eo implentur.

Hæc ſunt enim, quæ vel a majoribus per officiorum ordines diſtributa ſunt, vel conſuetudine eccleſiarum in unumquemque ſervata. Nec aliquid ex his noſtri judicii deputes, niſi quod aut ratio docuit, aut vetuſtatis antiquitas ſanxit.

Pater monaſterii quis conſtituendus.

Patrem autem monaſterii unde innotuiſtis, illum præferri oportet, quem ſancta vita & probitas morum commendat: quique dum ſubjectus extitit, fraus in illo non fuit, huic juſtæ gratiæ cumulentur, dicente domino: *Quia in pauca fuiſti fidelis, in multa te conſtituam*. Qui vero adhuc ſub regimine poſitus improbe vixit & fratribus fraudem facere non pertimuit, hic prælatus, licenter ac libere majora & deteriora committet, dum ſe in poteſtate & libertate aſpexerit. De talibus enim dicit apoſtolus: *Sed vos injuriam facitis & fraudatis; & hoc fratribus. An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt?* Sed nobis iſta ſufficiant dicere tibi, quod Deo dignum exiſtimas adimplere. Poſt hæc autem precari tuam ſanctitatem non deſino, ut pro me interceſſor apud Deum exiſtas: ut quia meo vitio lapſus ſum, per te remiſſionem conſequar peccatorum. Amen. *Hæc Iſidorus de eccleſiaſticis officiis.*

1. Cor. 6.

*De ſubſcriptionibus virorum illuſtrium officii palatini.*

Qui quotve comites, duces & proceres ſubſcripſerint?

Hic ſubſcribunt comites decem & ſex, inter quos Hodoacrus comes ſcantiarum, Ofilo cubiculariorum, Paulus notariorum, Ricila patrimoniorum, Cunifridus ſpathiorum: duces vero ſeptem: proceres vero tres.

Cum vero toto hoc opere id potiſſimum nobis propoſitum fuerit, ut poſt concilia ipſa ad Gothicorum codicum fidem omni, quo ad ejus fieri licuit, ſtudio examinata, primæque illi ſuæ integritati reſtituta, ritus quoque, conſuetudineſque antiquas, Gothorum præſertim tempore uſurpatas, quantum in nobis eſſet, accurate annotaremus, & ex tenebris, oblivioneque revocatas noſtris hominibus explicaremus: operæ pretium nos facturos exiſtimavimus, ſi commentarium hunc de dignitatibus, ac palatinis officiis, aliiſque inferioris ordinis muneribus Gothorum contexeremus: quod videamus rem cognitione non indignam, & plurimum lucis hiſtoriis noſtris & ſubſcriptionibus virorum ex officio palatino, conciliiſque ipſis & legibus allaturam.

Dignitas ducum apud Gothos quæ, qualis, & quanta.

Inter præcipuas palatinorum dignitates, dux apud Gothos ſemper primum locum obtinuit, vocaturque a Juſtiniano ſpectabilis dignitas, cujus, ut vis nominis oſtendit, id potiſſimum munus erat, ut in provinciis bello ducendo gerendoque præficeretur. Unde Germani ex nobilitate duces, & ex virtute ſumebant, ad illoſque in illa provincia ſumma rerum deferebatur. Is enim fuit Gothorum mos, Paulo Æmilio teſte, lib. 1. hiſt. Franc. in Chereberto, cuique urbi magiſtratum dare, qui dux appellaretur. Eum autem quem Roma præficiebat, vocabant præſidem. Hinc dux Tripolitanæ, & Byzantinæ provinciæ, & Mauritaniæ, ac Numidiæ, lege final. cod. de offic. præfect. prætor. Sic etiam dux Rhætici apud Vopiſcum in Bonoſo, & dux limitis Scythici, Illyriciani, Thracii, & orientalis apud eumdem in Aureliano. Ita & Claudius, ſub Vvitterico, dux Emeritenſis; Paulus ſub Vvamba, dux Narbonenſis. Patet id ex Caſſiodoro libro ſeptimo in formula ducatus Rhætiarum, his verbis. *Ideoque validum te ingenio ac viribus audientes, per illam indictionem, ducatum tibi credimus Rhætiarum; ut milites & in pace regas, & cum eis fines noſtros ſolenni alacritate circumeas. Quia non parvam rem tibi reſpicis fuiſſe commiſſam, quando tranquillitas regni noſtri tua creditur ſolicitudine cuſtodiri. Ita tamen, ut milites tibi commiſſi vivant cum provincialibus jure civili: nec inſoleſcat animus, qui ſe ſentit armatum: quia clypeus ille exercitus noſtri quietem debet præſtare Romanis.* Et lib. 1. cod. de officiis præfect. Afric. leg. 2. mandat Juſtinianus ducem in Sardinia ordinari, ut gentes barbaricas ab ea militibus ſuis arceret, provinciamque ab omni hoſtium incurſu tueretur illæſam. Habebat etiam dux cum belli muneris civilem adminiſtrationem conjunctam; idque cum ex aliis, tum ex Caſſiodoro colligere licet, apud quem libro quarto variarum Theodoricus rex Ibæ duci in hunc modum ſcribit *Præ-*

Explicatur l. fi. Cod. de offic. præfect. prat.

*ſenti tibi auctoritate præcipimus, ut poſſeſſiones Narbonenſis eccleſiæ, ſecundum præcelſæ recordationis Alarici præcepta, a quibuslibet pervaſoribus occupata tenentur, æquitatis facias contemplatione reſtitui. Quoniam vexari nolumus in eccleſiæ diſpendio præſumptiones illicitas, dum noſtra deceat tempora ſedare confuſa. Eſto contra talia omnino ſollicitus: ut qui es bello clarus, civilitate quoque reddaris eximius. Sic & arma tua, Deo juvante, corroboras, ſi juſtitiam mediocribus ſervare contendas. Improbis enim potuiſſe reſiſtere, non prævalet excuſare; quando omnes tibi libenter cedunt, quem glorioſum in bellorum certamine cognoverunt.* Idem etiam Caſſiodorus indicat libro primum variarum, ubi Theodoricus rex Servato duci Rhætiarum ſcribens epiſtola undecima jubet, ut mancipia, quæ Maniario cuidam a Breonibus ablata ferebantur, ſua auctoritate ſine mora curaret reſtitui. Et lib. 5. epiſtola 33. Vvilitancho duci Theodoricus rex expreſſe mandat, ut in adulterum Brandilam ſecundum legum præſcripta inquirere ne differret. Conſtat idipſum ex legum Wiſegothorum lib. 2. tit. 1. leg. 17. qua cavetur, ut dux provinciæ eos, qui non accepta poteſtate auſi ſunt judicare, acriter per ſe, vel per alium coerceat. Et lege ſequenti jubetur epiſcopus, qui honore ſacerdotali fretus, admonitionem judicis contemnens, pro perſona ſua aſſertorem dare diſtulerit, confeſtim a judice negotii, ſeu a provinciæ ſuæ duce vel comite compulſus, quinquaginta ſolidorum damnum excipere. Atque hæc de ducis officio dicta ſufficiant. Poſt quem in dignitatis ordine comitis proxime honor ſequebatur. Sic Cicero in Lælio de amicitia, loquens de Scipione, ait: Facile ducem populi Romani, non comitem diceres.

Comitis officium apud Gothos quod & quale, quæve origo.

Comes, ut Spartanus eſt auctor in Hadriano, inde fluxit. Cum enim Hadrianus ſenatum in aulam ſuam tranſtuliſſet, receptis ſenatorum optimatibus in amicorum cohortem, quæ ſuperiorum imperatorum temporibus conſtare ſolebat ex equeſtri ordine, non ſenatorio, ita domeſticum quemdam ſenatum penes ſe habere cœpit: qui quoniam is continuatis pene delectaretur peregrinationibus, *comitatus Cæſaris dici cœptus eſt; & ipſi amici, comites*: eorum conſiliis atque ope in bello & pace uſus. Inde comites largitionum, rerum privatarum, & ceteri, dicti ſunt. Et non ſolum ii qui perſonam principis ſequebantur, & officia in aula exercebant, comites dicti ſunt, ceterum & alii ita appellati, qui adminiſtrandas vel regendas provincias & reſpublicas mittebantur, & ad regni limites cuſtodiendos; qui comites rei militaris dicuntur; qualis fuit Riſtanus domeſticorum comes, qui ad Gallos miſſus fuit, ut refert Gregorius Turonenſis lib. 2. hiſt. cap. 10. Unde Verus imperator, ut Julius Capitolinus eſt auctor in Vero, confecto bello, regna regibus, provincias vero comitibus ſuis dedit regendas. Extat in jure titulus de comitibus, qui provincias regunt, lib. 12. C. tit. 14. Illud animadverſione dignum, quod antiquitus creabantur comites annulo tradito cum adamantis gemma: apud Hiſpanos vero aliter, offa in aquam injecta, invitatus a rege comedebat, populo ter acclamante, Eva del Conde. Non abs re erit ponere quod a Cornelio Frontone grammatico dicitur de comite: *Comes iter facit; aſſecla ſequitur potentiorem; ſodalis adoleſcentiæ nomen eſt; cliens implorat opem & fidem. Ita comes tutus, aſſecla officioſus, ſodalis amicus, cliens ſubmiſſus.* De comitibus etiam in prima part. regis Alfonſi, tit. 1. leg. 11. cautum, nomenque deductum video, & a divo Thoma 1. de regimine principum. Et ſicut ducis in bello, ſic comitis potiſſimum in pace, civilique adminiſtratione elucebat officium (erat enim major dignitas ducatus, quam comitatus, & ideo ex comitatu fit erectio in ducatum, pro magno munere, ſicuti ex duce in regem) quorum tamen neuter ita aſtringebatur, quin utrumque ſimul, cum res ferret, per ſe vel per alios adminiſtraret. Prioris apud Caſſiodorum libro ſeptimo, in formula comitivæ Gothorum, per ſingulas provincias, illuſtre extat exemplum, ad hunc modum. *Cum Deo juvante ſciamus Gothos vobiſcum habitare permiſtos, ne qua inter conſortes, ut aſſolet, indiſciplinatio naſceretur, neceſſarium duximus illum ſublimem virum, bonis nobis moribus haſtenus comprobatum, ad vos comitem deſtinare; qui ſecundum edicta noſtra, inter duos Gothos litem debeat amputare. Si quod etiam inter Gothum & Romanum natum fuerit fortaſſe negotium, adhibito ſibi prudente Romano, certamen poſſit æquabili ratione diſtinguere.* Libro etiam legum Vviſegothorum, & titulo 2. l. 12. ita cavetur. *Nullus judex cauſam audire præſumat, quæ legibus non continetur; ſed comes civitatis vel judex, aut per ſe, aut per executorem ſuum, conſpectui principis utraſque præſentare partes procuret, quo facilius & res finem accipiat, & poteſtatis regiæ diſcretione tractetur; quatenus exortum negotium legibus inſeratur.* Lege etiam 24. lib. & tit. iiſdem, oſtenditur, comitem per commiſſoriam aliis judicibus, quos ſub ſe habebat, judicandi ſuas vices poſſe concedere. Quorum judicum tanta erat auctoritas, ut querelantis adverſarium (ea ſunt legis verba) admonitione unius epiſtolæ vel ſigilli, ad

A judicium venire poſſet compellere, graveſque mulctas id facere per negligentiam aut contemptum differentibus inferre. Liquet id ex lege 18. lib & tit. citatis. Si vero judex in officio ſuo, per negligentiam, aut quod munere corruptus eſſet, ceſſaſſe deprehenderetur, a comite civitatis acerbiſſime caſtigabatur. Habes exempla lib. 3. legum Vviſegothorum tit. 4. lib. 17. Quod ſi comitem a civitate ſua abeſſe contingebat, relinquebat ſuo loco præpoſitum, qui, ſi quid gravius, quod ad comitis relationem, juriſdictionem pertineret, emerſiſſet, id comiti ſtatim per literas indicabat; ut liquet ex leg. 5. tit. 2. lib. 9. legum Vviſegothorum. Atque hic, ni fallor, eſt qui lib. 2. legum Vviſegothorum, tit. 1. leg. 23. Vicarius comitis appellatur; qui abſente eo, vice ejus fungebatur; a quo, ſi forte quis eum ſuſpectum habuiſſet, licebat apud principis audientiam, alium judicem appellare. Atque inter hanc civilem adminiſtrationem, bellica etiam munia procurabat. Habebat enim comes, præſertim qui civitati, aut portui, ſive alii loco, cui ab hoſte periculum timeri poſſet, præficeretur, ſub ſe

Præpoſitus comitis.

Vicarius comitis.

B milites, quibus ad ſubita belli ſemper paratus occurreret, videretque, ne quid reſpublica detrimenti caperet. Quod ex Caſſiodori lib. 6. formula comitivæ diſces. *Militum* (inquit) *numerus tibi noſtris ſervit expenſis. Reddetis inter arma genitatus: proceſſio tua, præinſtualis armatus eſt. exercitu meritis pacato; nec pericula belli ſubis, & armorum pompa decoraris. Verum inter hæc, civilem cogita diſciplinam: non permittas milites eſſe poſſeſſoribus inſolentes.* Et infra. *Pro ſecuritate ſe omnium cognoſcat electum, qui ſe gloriatur habere armatum.* Et formula comitivæ Neapolitanæ. *Prætoria tria officia replent; militum turba cuſtodit. Sed tot teſtes poteris, quot te agmina circumdare cognoſcis. Præterea litora, uſque ad præfinitum locum, data juſſione cuſtodis.* Et apud eumdem lib. 1. Theodoricus rex Aſſio comiti injungit, ut militem neceſſariis armis inſtruat. *Illuſtris*, inquit, *ſublimitas tua Salonitanis militibus, ut cuique ſe expedienti facultas obtulerit, pro noſtra juſſione arma neceſſaria procurabis.* Porro tantam in rei militaris adminiſtratione auctoritatem obtinebat, ut cum in cauſis civi-

Vicarius principis.

C libus ei vicarius principis (eum intellige, qui principis vice fungitur) præferretur, in bellicis negotiis hic eidem anteponeretur. Cod. lib. 1. tit. 38. l. 1. Et hactenus quidem breviter de comitis officio in genere egimus. Nam alia multa eidem incubuiſſe munera, ex nominum quæ ei adjunguntur, varietate, facile cognoſcitur. Fuit enim comitis tam generalis appellatio, ut quicumque a principe inſigni alicui officio præficeretur, ab eo fere comes nuncuparetur. Idque ex Caſſiodoro, Ammiano Marcellino, Eutropio, aliiſque poſterioris ævi, atque inclinatæ jam, proſtrataque reipublicæ Romanæ ſcriptoribus, aperte eſt cognoſcere. Quos omnes, ne prolixus ſim, miſſos faciens, eas dumtaxat comitum ſpecies recenſebo, quas a Gothis noſtris, hoc eſt, qui in Hiſpania rerum potiti ſunt, uſurpatas invenio: ubi tamen prius illud adjecero, quod Carolus Magnus decrevit lib. 2. regum Franc. cap. 6. de comitum ſtudio & diligentia pro utilitate eccleſiarum conſervanda; quod utinam noſtris temporibus Galli * proſpicerent, ut ad meliorem mentem,

* Hugonottos intelligit hic Hiſpanus eccleſiarum everſores, &c.

D diabolica fraude decepti, redirent. *Vobis*, inquit, *comitibus dicimus, voſque commonemus, quia ad veſtrum miniſterium maxime pertinet, ut reverentiam & honorem ſanctæ Dei eccleſiæ exhibeatis, & cum epiſcopis veſtris concorditer vivatis, & eis adjutorium ad ſuum miniſterium peragendum præbeatis, & ut vos ipſi in miniſteriis veſtris pacem & juſtitiam faciatis, & quæ noſtra auctoritas publice fieri decernit, ut in veſtris miniſteriis ſtudioſe perficiantur, ſtudeatis. Proinde monemus veſtram fidelitatem, ut memores ſitis fidei nobis promiſſæ, & in parte miniſterii veſtri vobis commiſſi, in pace ſcilicet & juſtitia facienda, voſmetipſos coram Deo & coram hominibus tales exhibeatis, ut & noſtri veri adjutores, & populi conſervatores juſte dici & vocari poſſitis; & nulla qualibet cauſa, aut munerum acceptio, aut amicitia cujuslibet, vel odium aut timor, vel gratia, ab ſtatu rectitudinis vos deviare compellat, quin inter proximum & proximum ſemper juſte judicetis. Pupillorum vero & viduarum & ceterorum pauperum adjutores ac defenſores,*

E *& ſanctæ Dei eccleſiæ, vel ſervorum illius honoratores juxta veſtram poſſibilitatem ſitis. Illos quoque qui temeritate & violentia in furto & latrocinio ſive rapinis communem pacem populi perturbare moliuntur, veſtro ſtudio & correctione, ſicut decet, compeſcite. Et ſi aliqua perſona in aliquo vobis impedimento fuerit, quin ea quæ dicimus facere non valeatis, nobis ad tempus illud notum fiat; ut noſtra auctoritate adjuti, miniſterium veſtrum digne adimplere poſſitis.* Nunc igitur, ut ad inſtitutum redeamus, primo loco ſe offert comes ſcantiarum, cujus in concilio Toletano non obſcura fit mentio. Subſcribunt enim ibi Vvadamirus comes ſcantiarum & dux: Roccaredus comes ſcantiarum & dux: Egica comes ſcantiarum & dux: Sumefredus comes ſcantiarum: Adeliubus comes ſcantiarum: Salamirus comes ſcantiarum. Agnoſcitur & ſcantiarum comes in privilegio quodam Complutenſi antiquiſſimo. Hunc nonnulli poculis, alii univer-

Comes ſcantiarum

quæ de comitum varia appellatione, officiiſque a Gothis in Hiſpania regnantibus uſurpari ſolitis, in tanta Gothicarum rerum obſcuritate, ex conciliis, legibus, privilegiis, aliiſque veteribus monumentis elicere potui. Vir quidam doctiſſimus comitem ſacrarum reliquiarum apud Gothos fuiſſe exiſtimabat, forte quia legerat apud Caſſiodorum aut alios, comes ſacrarum. Ego vero & apud Caſſiodorum & Juſtinianum, comes ſacrarum lego, id eſt, largitionum: cujus præcipuum officium erat, ut princeps per eum ſuam liberalitatem & magnificentiam exerceret, indulgentias daret, & militibus ſtipendia, & donativa populo Kalendis Januariis nomine principis elargiretur. Et hic utpote auguſtalis habebat ſub ſe judicem ſacrarum largitionum, & provinciarum ceterarum largitionum comites: ut erat comes ſacrarum largitionum per Illyricum, per orientem, & comites etiam commerciorum per orientem, Ægyptum, Myſiam denuum & alias provincias. Hunc donis præſidere regalibus Caſſiodorus ait lib. 6. variarum cap. 7. *Hujus*, inquit, *actus, innocens pietatis officium, illud ſemper ingerere, unde ſe fama principis poſſit augere. Nihil per hunc diſtrictum geritur, nihil ſeverum forte cenſetur; ſed tunc obſequitur, quando pro principe vota funduntur. Per hunc princeps ſupplicum fortunas erigit, Kalendis Januariis dona largitur: monetam hic regii vultus figura conſignat, judices provinciarum ſub ſua poteſtate coercet. Negotiatores ſubjectos habet, veſtis ſacra curam gerit; ſalis commercium huic deputatur: denique quidquid in veſtibus, quidquid in ære, quidquid in argento, quidquid in gemmis pretioſum eſt, hujus ordinationibus obſecundat.* Hactenus Caſſiodorus. Hæc vero locutio aliquot in locis apud poſterioris ævi ſcriptores occurrit, ut apud Caſſiodorum lib. 5. Cypriano comiti ſacrarum Theodoricus rex: apud Ammianum lib. 15. & alibi, comes privatarum.

**Procer.** Procer. In concil. Tolet. VIII. ſubſcribit Dabila comes & procer, & Euredus comes & procer, & Frolla comes & procer. Unde conſtat quod procer ſit nomen dignitatis. Iſidorus l. etymol. 9. cap. 4. ſic inquit: *Proceres ſunt principes civium vel civitatis, quaſi procedes, quod ante omnes honore procedant. Unde capita trabium, quæ eminent extra parietes, proceres dicuntur, eo quod primo procedant.* Lege proceres ex Servio in illud Virgilii Æneidos 10.

*Tot lecti proceres terdenis navibus ibant.*

Proceres etiam magnates vocantur concil. Toletan. XI. cap. 5. & primates palatii, & generoſæ perſonæ. Erat autem ſola dignitas ſine adminiſtratione juriſdictionis

**Gardingus.** Ducis & comitis dignitati Gardingus ordine ſubjungitur. Erantque hi tres apud Gothos majoris loci perſonæ, ut patet ex leg. Vviſegoth. l. 9. tit. 2. leg. ult. ubi ita habes: *Si majoris loci perſona fuerit, id eſt, dux, comes, ſive etiam gardingus.* Et infra leg. eadem, atque alibi, ſæpe hi tres ceu eminentiores conjunguntur. Et ideo inquit lex: *Id de cetero ſpeciale decreto decernimus, ut quiſquis ille eſt, ſive ſit dux, ſive comes, aut gardingus.* Gardingi in lib. leg. Vviſegoth. non ſemel fit mentio: verum ita obſcure, ut quod ipſius munus fuerit, liquide ſcire nequeamus. Illud tantum conjectura conſequi licet, cum majoris loci perſona dicatur, unum ex præſtantioribus palatinorum habuiſſe officiis. Quod etiam ex legum Vviſegothorum lib. 2. tit. 1. leg. 1. non male colligitur, ubi cum ſacerdotibus Dei, ſenioribuſque palatii, præſentes in ordinatione legum gardingi fuiſſe commemorantur.

Majoris præſtantioriſque loci perſonis (qui nunc magnates, nunc primates palatii appellantur) breviter, ut res tulit, decurſis, reſtat ut ad inferiores deveniamus Inter quas tiuphadus primum ſibi ordinem vendicabat, quique ei ſuberant millenarii, quingentenarii, centenarii, decani, exercitus etiam compulſores, annonarii, defenſores, pacis aſſertores, numerarii, villici, ſaiones. **Tiuphadus.** Tiuphadum Germanorum lingua, quæ Gothicæ multum vicina eſt, altum ſignificat; Tieph enim rem altam dici contendunt. Quidquid eſt, illud conſtat, unam ex primis poſt ducis, comitis, atque gardingi dignitatem fuiſſe, civilemque adminiſtrationem habuiſſe, ut patet ex leg. 23. & 26. tit. 1. lib. 2. legum Vviſegoth. & lib. 4. tit. 5. leg. 6. Huic in omni criminalium negotiorum genere judicandi licentia conceſſa erat, præterquam in his criminibus quæ legum ſententiæ aperte condemnant, quibus qui obnoxii reperiebantur, eos non judicare amplius, ſed ut jam a lege præjudicatos, condemnatoſque debitis pœnis ſubjicere cogebantur. Ita enim accipio legem 15. tit. 1. lib. 2. legum Vviſegoth. quæ habet hoc modo: *Cum in ceteris negotiis criminalium cauſarum tiuphadis judicandi licentia conceſſa ſuit, criminoſos a legum ſententiis judicare non audeant, ſed debitam in eis, ut competit, cenſuram exerceant.* Hic ſi quando ſive ad bellum, ſive alio avocaretur, vices ſuas aliis committere poterat. Sequitur enim in dicta lege: *Qui tiuphadi tales eligant, quibus vicissitudines ſuas audiendas injungant, ut ipſis abſentibus, illi cauſas & temperate diſcutiant & juſte diſcernant.* Hujus in bello proxima auctoritas ad comitis exercitus dignitatem erat, cum quo ſimul de rebus arduis conſultabat, cujus conſilio militem in hoſtem pugnandi facultas dabatur, & adimebatur: denique cum hoc de ſumma rerum exercitus deliberabat. Hic ſi quem de tiuphadia ſua (ſic copiæ militum quibus præerat, vocabantur) donis forte corruptus, de expeditione domum redire permiſerat, aut domo in expeditionem proficiſci non coegerat, acerbis pœnis multabatur. Ut conſtat ex lib. 1. tit. 2. lib. 9. legum Vviſegoth. *Si tiuphadus*, inquit, *ab aliquo de tiuphadia ſua fuerit beneficio corruptus, ut eum ad domum ſuam redire permitteret; quod acceperat, in novecuplum reddat comiti civitatis, in cujus eſt territorio conſtitutus. Et ſi ab eo nullam mercedem acceperit, ſed ſic eum dum ſanus eſt, domum dimiſerit, vel de domo in exercitum exire non compulerit, reddat ſolidos xx.*

**Millenarii.** Millenarii erant, qui mille ſub ſe milites habebant. Horum meminit lex 26. tit. 1. lib. 2. leg. Vviſegoth. Iſidorus lib. 9. etymol. cap. 3. *Sunt qui mille præſunt militibus, quos nos millenarios appellamus.*

**Quingentenarii.** Quingentenarii, qui quingentis militibus præerant. Hi ſi quem etiam de ſuis propter munus aliquod ab hoſte domum redire conſenſiſſent, aut in hoſtem domo proficiſci non coegiſſent, quod acceperant, novecuplum etiam comiti civitatis, cujus territorio ſuberant, reddere tenebantur. Si vero nullo accepto munere id feciſſent, xv. ſolidos inter milites ſuos dividendos reddebant. Id cautum eſt leg. 1. tit. 2. lib. 9. leg. Vviſegoth. Horum etiam meminit lex 26. tit. 1. lib. 2.

**Centenarii.** Centenarii, teſte Vegetio lib. 2. cap. 13. dicti ſunt, quos antiqui centuriones vocabant, centum videlicet militibus præfectos. Ab Iſidoro id animadverſum eſt lib. 9. etymolog. cap. 3. *Centuriones*, inquit, *dicti, eo quod centum præſunt militibus ſicut quinquagenarii, qui ſunt in capite quinquaginta militum: & decani ab eo, quod militibus decem præficiuntur* Hi ſi centenam (ſic iis temporibus loquebantur) ſuam deſerentes, domum ab hoſtibus refugiſſent, capite plectebantur Si vero vel ad ſacra altaria, vel ad epiſcopum confugiſſent, trecentos ſolidos exſolvebant comiti civitatis, in cujus erant territorio conſtituti: neque poſtea inter centenarios, ſed decanos tantum habebantur. Quod ſi ipſi ob beneficium forte acceptum, aliquem de centena ſua domum ab exercitu redire, aut domi manere, neque in hoſtem proficiſci paſſi fuiſſent, novecuplum acceptum ſuo comiti civitatis reddebant. Quod ſi ob nullum munus acceptum id permiſiſſent, decem ſolidos comiti civitatis dabant. Habes hæc omnia fuſe in leg. 3. tit 2. l. 9. Centenariorum meminit etiam concil. Arelatenſe ſub Carolo magno, his verbis: *Ne comites, vel vicarii, ſeu judices, vel centenarii, ſub mala occaſione vel ingenio res pauperum emant.*

**Decani qui.** Decani, quos Varro, Svetonius, aliique probati auctores decuriones appellant, decem militibus imperabant. Hi ſi relicta decania, ab hoſte domum receſſiſſent, aut cum ſani eſſent, domo exire in expeditionem detrectaſſent, 2. ſolidos comiti civitatis dare cogebantur. Quod ſi aliqua mercede a ſuperiore ſuo impetraſſent, v. tantum ſolidos luebant, ut oſtendit lex 4. ejuſdem tituli & libri. Ubi amplius additur: *Quod ſi aliquis, qui in tiuphadia ſua fuerat numeratus, ſive permiſſu tiuphadi ſui, vel quingentenarii, aut centenarii, vel decani ſui, de hoſte ad domum ſuam refugerit, aut de domo ſua in hoſtem proficiſci noluerit, in conventu mercantium publice centena flagella ſuſcipiat, & reddat ſolidos decem.*

Et quandoquidem in locum de Gothica militia incidimus, erant apud eos, qui dicebantur exercitus compulſores; nempe qui Gothos in hoſtem exire compellerent: ut habetur in leg. 2. tit. 2. lib. 9. Hi multis in locis ſervi dominici appellantur; forte quod erant ſervi, qui regalibus ſervitiis mancipabantur Quorum tanta erat auctoritas, ut palatinis officiis honorarentur, & teſtandi ſicut ceteri poteſtatem haberent. Teſtatur id lex 4. tit. 4. lib 2. legum Vviſegoth. Hi ſi quid ab iis, qui in exercitum compellebantur, ſine ipſorum voluntate abſtuliſſent, undecuplum reſtituere cogebantur, & quinquaginta inſuper flagellis multari, leg. 2. tit. 2. lib. 9.

